

Class PA6801
Book .A2
1858

A.
Antonio Augusto de Carvalho
Monteiro

De
seu amigo
João Victorio Pareto.

PVBLII

VIRGILII

MARONIS

CARMINA

La reproduction est interdite.

Vergilius Maro, Publius

PUBLII

VIRGILII

MARONIS

CARMINA OMNIA

PERPETUO COMMENTARIO

AD MODUM JOANNIS BOND

EXPLICUIT

FR. DUBNER

PARISIIS

EX TYPOGRAPHIA FIRMINORUM DIDOT

MDCCCLVIII

PA6801
.A2
1858

387270
'29

9136733.

P. VIRGILII MARONIS

VITÆ ET CARMINUM ADUMBRATIO.

Publius *Vergilius* (sic enim Romani vocabant) Maro anni ab U. C. 684 sive 70 ante Ch. N. idibus (xv) octobribus natus est in vico agri Mantuani, Andes dicto (hodie *Pietola*, secundum Maffeum autem *Bande*), parentibus rusticis, sed qui filium liberaliter educandum et instituendum omni modo curarent. Primum Cremonæ eruditus, toga virili sumpta anno 699 — 55, Mediolanum se contulit, inde Neapolin, ubi Parthenius grammaticus et poeta græcis eum literis diligenter imbuit. Hinc anno ferme 707 — 47 Romam profectus, in Syronis se philosophi Epicurei dedit disciplinam. Ibi exacto biennio, circa annum 709 — 45 rediit in prædium Andinum, ingenio suo non minus quam ob valetudinem infirmiorem ad rusticanam vitam et otium literatum propensus. Poesin autem jam Parthenio impellente magistro tentaverat, et multa juvenis carmina minora scripsit, quorum quæ superest memoria infra ponetur. Bucolicen quidem tam felici eventu inchoaverat, ut C. Asinius Pollio eum, difficilis judex, ad hoc genus ornandum impense exhortaretur. Cujus viri in notitiam et familiaritatem venisse videtur jam exeunte anno 711 — 43, quo tempore ille Galliæ Cisalpinæ regendæ præpositus est. Verum bellico tumultu et militari injuria patriam poetæ vehementer conturbantibus factum est ut bucolica ejus Musa etiam res civiles et bellicas attingeret, tum alia multa a pastoribus aliena, quoniam ad viros potentes, doctos, Urbi innutritos mittenda erant illa carmina et quærendum patrocinium. Nam vere anni 713 — 41 turba veteranorum in Galliam Transpadanam venit, adversatæ Octaviano Cremonæ urbis agros occupatum; qui quum haud sufficerent militibus, audacter illi etiam vicinos Mantuæ et Andium agros invaserunt; sed Virgilii prædio tum quidem parcitum est, Asinio Pollione ut videtur protegente. Eodem suasore an sponte, incertum, poeta insequente æstate Romam est profectus, ut ab ipso Octaviano incolumitatem agri expeteret; quam obtinuit, et grato animo beneficium celebravit versibus (*Ecloga* I).

Sed vix anno post Asinius patronus excidit provincia, et C. Alfenus Varus Galliæ Cisalpinæ atque agris dividendis est præfectus; quem poeta, novo timore captus, precibus adiit ut Mantuæ agris parceret. At ille non impedivit quominus Octavius Musa, agrorum limitator, iratus Mantuanis, magnam ejus agri partem veteranis ascriberet; inter quos Arrius quidam centurio Virgilii prædium vi et violentia occupavit. Cedens poeta Romam aufugit, ubi in villa Syronis præceptoris aliquamdiu latuit (vide *Catalectorum* X); deinde carmine composito (*Ecloga* IX), intercedentibus Pollione et Mæcenate, ab Octaviano impetravit ut ager sibi redderetur auctumno anni 714—40, et triumviri adeo mitterentur qui Mantuanis quoque partem agrorum restituerent. Quo beneficio et publicæ prosperitatis auguriis lætissimus mox scripsit celebrem eclogam quartam; sed harum rerum aptior dicendi locus est in argumentis poematum.

Ab eo tempore Virgilius, Mæcenatis gratia florens, plerumque Romæ, raro in prædio Andino vixit. Anno 716—38, mense aprili, Mæcenas comitem duxit in Brundisino illo itinere quod Horatius narravit (*Sat.* V). Insequentis anni vere, quum ultimam eclogam scripsit, poeta *Georgicorum* operi se jam admovisse animum significat. Quod carmen Mæcenatis impulsu componebat, ut omissam fere per civiles tumultus agriculturam commendaret Romanis, eosque ad neglectum hoc vitæ genus suavibus modis revocaret. Concessit autem in Italiam inferiorem et Neapolin: ibi maximam temporis partem commorans, amœnissimis regionibus, septennio perfecit hoc opus, quod anno 724 — 30 fuisse absolutum ex ipso constat. Nimirum tarditatem quamdam eximii poetæ in componendis carminibus et expoliendis ipsi veteres testantur; præterea materies operis permultis ex voluminibus tam græcis quam latinis docte et diligenter conquisita esse reperitur. Unde virgiliani ingenii virtute singulari exstitit corpus pulcherrimum et undique consummatum.

Prius vero quam hoc carmen ad finem perduxit, jam de heroico poemate pangendo se cogitare significavit III, v. 46. Quare credi potest absolutis Georgicis statim inchoasse *Æneidem*, in Romani nominis et Augusti honorem componendam. Cujus quanta fuerit exspectatio et quasi præsumpta fama, præter alia indicant Propertii versus in elegia anno 728 vel 729 scripta (III, 32,65):

> Cedite Romani scriptores, cedite Graii:
> Nescio quid majus nascitur Iliade.

Atque Augustus literis eodem anno 729 ex Cantabria datis tra-

ditur flagitasse ut carmen maturaret poeta, sibique quam primum mitteret. Ad quem Virgilii responsum exstat: *De Ænea quidem meo, si, me Hercules, jam dignum auribus tuis haberem, libenter mitterem. Sed tantum inchoata res est, ut pæne vitio mentis tantum opus ingressus mihi videar; quum præsertim, ut scis, alia quoque studia ad id opus, multoque potiora, impertiar.* Hinc illa, quæ subest eximiæ poesi, doctrina solida et sana, non febriculosa et insaniens, qualem affinxerunt Virgilio, ut olim Homero, grammatici præ admiratione deliri.

Decennio, quod partim in Campania, partim in Sicilia transegisse fertur, absoluta ferme Æneide, anno 735 — 19, in Græciam atque Asiam proficisci decrevit, ubi per aliquot annos commorans ultimam manum carmini imponeret. Discedentem votis prosequitur Horatius oda III: *Sic te diva potens,* etc. Sed Athenis quum occurrisset Augusto ex Oriente Romam revertenti, persuaderi sibi passus est ut in Italiam cum illo rediret, fortasse jam tum leviter ægrotans. In itinere autem maritimo morbus in dies ingravescens ita eum afflixit, ut vix Italiæ appulsus, Brundusii, secundum nonnullos Tarenti, animam exhalaret, a. d. x kal. octobres sive xxii die septembri ejusdem anni 735. Corpus Neapolin translatum et ad viam Puteolanam sepultum est, celebri apud posteros loco qui etiamnum monstratur ad introitum cryptæ Pausilypanæ. Æneidem, utpote opus imperfectum neque satis elimatum, poeta moribundus testamento cavit ut comburerent sui; sed vetuit Augustus, qui L. Vario et Plotio Tuccæ emendandam et expoliendam tradidit, ea tamen lege, *ne quid adderent.* Atque ita functos esse hoc munere familiares illos Virgilii, ut adjicerent nihil, reciderent pauca, testantur veteres grammatici; sed ea quæstio breviter exponi non potest.

Animum, indolem et mores poetæ prorsus fuisse tales, quales ipsa ostendunt carmina, consentiunt testes integri; corpus narrant grandi statura fuisse, aquilo sive fusco colore, facie rusticana. De poesi denique virgiliana, quam tot ubique ora, tot libri celebrant, nihil dicere quam pauca præstat, et contineamus nos oportet in iis quæ pro re nata per notulas leviter attigimus.

Juvenis scripsisse perhibetur *Culicem, Cirim, Copam, Moretum, Ætnam, Diras, Catalecta, Priapeia* et alia quædam *epigrammata.* In quibus certissima memoria est Culicis Maroniani, quem manibus triverunt Statius et Martialis, anno ferme 709 — 45 compositum; sed quod exstat carmen ne puero quidem Virgilio tribui potest, quamquam insunt quæ niteant. Melior multo *Ciris* neque aurea illa ætate indigna; at ipse poeta significat

se Virgilii errorem quemdam correcturum et virgilianis emblematis lubenter utitur. Eximia autem et digna Marone carmina sunt *Moretum* et *Copa,* si per se spectes; observandum tamen in ampla illa Vita poetæ quæ Donati fertur, *Copæ* mentionem fieri nullam, deinde sermonem latinum in *Moreto* aliquantum distare a charactere virgiliano. *Ætnam* post Claudii demum et Neronis tempora scriptum fuisse apparet, *Diræ* autem ad Valerium Catonem grammaticum eruditorum consensu magno referuntur. In *Catalectis* quæ sint Virgilii existimanda, suo loco annotamus. *Priapeia* denique non esse poetæ quem Παρθενίαν antiqui vocarint et furcillis expellenda judicaverunt editores docti et severi, multum ridente Thalia.

Jam adumbranda sunt argumenta carminum singulorum.

BUCOLICON

ECLOGA I.

Antonius et Octavianus adversus Cassium et Brutum profecturi, ut exercitum, ex veteranis fere conscriptum, in fide retinerent, præmia militibus promiserant cum alia tum agros urbium Italiæ octodecim, quæ Cassii partes amplexæ erant. Bello per Philippensem victoriam feliciter profligato, Antonius in Asiam discedens solvendi promissi curam reliquit Octaviano. Sed ingenti veteranorum numero (qui centum et septuaginta hominum millia excedebat) quum non sufficerent agri, aliæ urbes sedecim his coloniis militaribus additæ sunt; præterea veterani ipsi assignatos sibi limites ubique violenter transgrediebantur. Sic ex Cremonensi agro subinde prorumpebant in Mantuanum. Quare Mantuani Romam profecti sunt supplicatum, in hisque Virgilius, de Andino prædio metuens, tribus ab urbe millibus sito. Octaviano commendatus, ut videtur, ab Asinio Pollione, obtinuit ut securus in agro suo permaneret. Quod beneficium bucolico carmine celebrat, simul vicinorum conditionem miserrimam commoto animo depingens, quo, si posset, his quoque propitium redderet Triumvirum.

Tale igitur argumentum tractat. Melibœus caprarius et agricola, exutus agris, culta sua relinquens mœstus, incidit in Tityrum, securitate summa et dulci otio fruentem. Quam in communi calamitate felicitatem miratus ex Tityro audit, *deum* ipsi hæc otia fecisse, libertatis adipiscendæ gratia Romam profecto, ubi divinum juvenem viderit, inter deos Lares sibi semper venerandum. Inde Tityrum Melibœus fortunatum prædicat in prædioli quamvis modici possessione, suam vero sortem flebilibus modis deplorat, et summo mœrore oppressus abit, non audiens Tityri, ut apud se pernoctet, invitationem.

Scriptum est carmen ineunte auctumno anni 713-41.

ECLOGA II.

C. Asinius Pollio, literarum amantissimus et poeta, quum Galliæ Cisalpinæ præesset (annis 711 ad 713-43 ad 41), Virgilium cognovit, et auctor suasorque ei exstitit ut theocriteis idylliis Romanas literas ditaret. Factum est autem ut aliquando ad cœnæ societatem admissus Virgilius Pollioni ministrantem conspi-

ceret puerum formosum, eumdemque ingeniosum, nomine Alexandrum. Hujus admiratione et amore captus, carmen ex bucolico genere in ejus laudem composuit. Puerum vocat Alexin, Pollionem dominum Iollam; ipse est Corydon pastor, qui pueri se spernentis amore misere laborat. Pleraque ex Theocriti idylliis III, XI et XXIII expressa sunt. Eo carmine Asinius tantopere delectatus esse narratur, ut Alexandrum muneri daret Virgilio; qui deinde formaverit atque expoliverit ejus ingenium, adeo ut Alexander evaderet « grammaticus » sive, ut hodie loquimur, *literator* haud ignobilis.

ECLOGA III.

Carmen compositum ad imitationem idylliorum IV et V Theocriti. Menalcæ pastori, qui Neæram amat, obvius fit Damœtas cum grege Ægonis, quem ut rivalem sibi oderat Menalcas. Hinc convicia nascuntur, quibus sese invicem obruunt pastores, multa et acerrima; tandem ad artis peritiam lis convertitur, et utrimque deposito pignore in carminum alternis fundendorum certamen descendunt, judice Palæmone.

Sæpe in bucolica poesi certatur carmine *amœbæo* (quasi alternativo), cujus ea lex est, ut is qui respondet, totidem versibus ac numeris iisdem aut contrarium aut simile aliquid subjiciat. In hunc modum pulchra multa canunt Damœtas et Menalcas, non omnia quidem mere pastoritia : nam Virgilius, ut in ceteris eclogis, ita huic quoque argumento ex suis rebus et sensibus aliqua interserit, Asinium Pollionem poetam egregium et bonorum poetarum fautorem per pastores suos collaudans, malos autem poetas, eosque bonorum obtrectatores, Bavium et Mævium paucis acerrime perstringens. Uterque juvenis quum cecinerit eximie, judex alteri utri decernere præmium non audet.

ECLOGA IV.

Hæc ecloga summam celebritatem nacta est, a tertio inde sæculo ad Salvatorem mundi a multis iisque gravibus viris relata. Quo accuratius de ea est explicandum.

Scriptum hoc carmen anno 714-40, quo consulatum gerebat C. Asinius Pollio, sed propter turbas civiles ante octobrem mensem adire non potuit. Eodem tempore uxor Pollionis, cum marito Romam reversa, puerum enixa est Asinium Gallum Saloninum, quem natum patri gratulatur hac ecloga Virgilius. Quod quo modo instituerit videbimus postquam temporum conditionem breviter adumbratam proposuerimus.

Annus 713, qui sequebatur victoriam Philippensem, Italiæ erat longe luctuosissimus. Primum urgebat dira fames, Sexto Pompeio et Domitio Ahenobarbo infesta classe frumenta intercludentibus; deinde Octavianus Antonianos infensos sibi reddidit, ipse odia civium omnium in se concitans agrorum divisione (vide argum. Ecl. I) et aliis per violentiam gestis; tandem Antonianis cedere coactus, his quoque agrorum divisionem et colonias concessit. Quorum licentiam quum paullum refrenaret, militum tumultus exorti sunt, a quibus timens denuo agros divisit. Hinc ad Lucium Antonium confugerunt spoliati; cui deinde senatores quoque et equites multi se adjunxerunt, adeo ut ipsam Urbem occuparet et Imperator salutaretur. Ex his Perusinum bellum valde atrox concitatum, quod sequentis demum anni mense martio post plurima mala consedit. Inde Antonianis ducibus et præfectis suos amicos substituturus Octavianus illos expertus est acriter resistentes. Interea Marcus Antonius, de Perusina clade certior factus, ipse partibus suis opitulatum in Italiam contendit; ubi Brundusii aditu arcebatur a præsidiis Octaviani. Hinc utrimque bellum parabatur, dum

alteri litori Italiæ Sextus Pompejus instaret classe maxima, fames usque duraret, Octavianus ipse civium et magnæ partis militum Antonio faventium odio premeretur. Hic erat septembri mense anni 714 status rerum : toti Italiæ, miserrima quæque diu perpessæ, multo etiam atrociora imminebant, quum repente, exspectante nemine, Brundisinum fœdus inter Antonium et Octavianum coaluit, et hujus soror Octavia illi in matrimonium collocata est. Sic ingentibus periculis subito succedente securitate, lætitia maxima omnium animos implevit; Pollioni autem, qui Antonium conciliaverat, summæ grates ab universis habebantur salutis recuperatæ. Eo ipso tempore natus est Asinius Gallus.

His alia res accedit, ipsa quoque pluribus exponenda. Etrusci, unde religionum suarum maximam partem petiverant Romani, vitam universi mundi docebant in sua initia revolutum iri exacto *anno mundano*, qui decem mensibus (ut antiquus annus romanus) sive sæculis incerti ambitus absolveretur. Cuique sæculo deorum unus præsidebat : primo sæculo Saturnus, sub quo aureum ævum obtinuerat ; decimo sæculo Apollo : quo sæculo transacto Saturnia felicitas iterum in terras erat reditura. Jam quum anno 710-44, post Julii Cæsaris necem, stella crinita in cœlo apparuisset, Vulcatius haruspex (quod Augustus in secundo libro *de Memoria vitæ suæ* scriptum reliquit) in concione dixit : « hunc cometen significare exitum noni sæculi et ingressum decimi, sed quod invitis diis secreta rerum pronuntiaret, statim se esse moriturum », et nondum finita oratione in ipsa concione concidit. Præterea ex Sibyllinis quoque oraculis collegerant Romani, tum novam instare mundi ætatem. Hæc vaticinia, quo magis miseri, eo sæpius mente versabant homines Itali. Ecce contigit ut ex tristissimis rebus et quasi ex inferis repente ad summum fastigium lætitiæ eveherentur : quid mirum si jamjam adventare sæculum illud fatis promissum sibi persuaserunt?

Hac persuasione usus Virgilius felicis ævi exortum cum ortu Asinii Galli conjunxit. Natum esse novum sæculorum ordinem et redire Saturnia regna nuntiat ; deinde poetica phantasia pingit admirabilia illa quæ sensim eventura sunt procedente infantia, pueritia, adolescentia et virili ætate Galli ; ipsum denique, ut Julium Cæsarem, post magna facta inter deos relatum iri significat, quippe ex diis oriundum.

Sic manifestum esse videtur, ea quæ ad Salvatorem mundi referri possunt, Sibyllæ esse, non Virgilii, eo quidem magis quod poeta nascentem puerum *testem* modo facit renovationis sæculorum, ne uno quidem verbo indicans *per hunc infantem* bona tanta in humanum genus esse redundatura.

ECLOGA V.

Daphnis, Mercurii et nymphæ Siculæ filius, a Nymphis educatus, a Pane institutus, pastor et poeta, pulcher et ingeniosus, adeo ut regina eum deperiret, a pastoribus tamquam heros ipsorum, magister et summum exemplar colebatur. In ipso flore juventæ morte (quam variis modis narrant) abreptum poetæ bucolici sæpe celebraverunt. Quibus hoc carmine se adjunxit Virgilius, Mopsum et Menalcam pastores inducens, alterum qui mortem Daphnidis et totius naturæ luctum caneret, alterum qui apotheosin. Ipse poeta agnosci volebat in Menalca, sua ei carmina tribuens (v. 85 seq.). Omnia autem ita exposuit ut lector non possit quin sæpe animo revolvat Julii Cæsaris necem et apotheosin. Quod ipsum poeta volebat : pastoritium argumentum tractans carmine bucolico celebrare divum Julium. Neque vero hæc poesis pro allegorica est habenda, a qua multum distat ; libere enim res Daphnidis tractantur, sed ea arte ut divi dictatoris imago identidem recurrat legentibus et in ipsum dictatorem tamquam transfundantur motus animorum a poeta de Daphnide excitati.

ECLOGA VI.

Post victoriam Perusinam, martio vel aprili mense anni 714-40 Asinius Pollio provincia Cisalpina exciderat, in ejusque locum successit L. Alfenus Varus. Quem, aliquamdiu certe, minimam curam habuisse Virgilii narrabitur in argumento Eclogæ IX. Nihilominus poeta hoc carmen ad eum misit; quod quomodo factum sit, Spohnius probabiliter explicat in hunc fere modum : « Varo Virgilius in ecloga IX promiserat carmen, si servaret Mantuam. Ille Mantuanos quidem agros male vexavit; Virgilius tamen suos receperat. Jam quum id esset non per Varum quidem ipsum datum beneficium, attamen concessum, saltem non impeditum, neque recusatum ab eo, qui scilicet præsset negotio agrorum dividendorum; Virgilius ita eum laudavit, ut artem pariter atque urbanitatem et ingenuos mores admirari debeamus. Urgebat necessitas : promiserat; non poterat retractare. Scribendum erat carmen, sed tamen tale, quo non laudaret, quum neque de se neque de civibus hoc promeruisset Varus. Ergo sic exordiur: « Ego tenuia tantum ludere possum; alii te, Vare, dicant digno modo. Si cui tenuia nostra placeant, tuum videbit nomen inesse. » Sed quid? Sileni carmen refert, quod se audiisse fingit. Ita Varum quodammodo frustratur; neque vero sic, ut ille irasci posset; detinet eum in doctrina, quæ ipsi placuit, Epicurea philosophia. Ejusdem enim magistri Epicurei disciplina usi erant Virgilius et Varus, Syronis. Cujus in villam secesserat poeta anno 714 medio, agris suis expulsus; ex ea villa in Urbem profectus, deinde rus suum redierat. Sic patent causæ, cur in hoc potissimum argumentum deflexerit. »

Poeta fingit Satyros duos et Nympham sapientissimum Silenum dormientem arte aggressos coegisse ut sibi diu promissum carmen caneret. Canit ille cosmogoniam ex Epicuri placitis; deinde ad mythicam et heroicam ætatem descendit, fabulas multas narrans, quas poeta vel pluribus commemorat vel indicat verbo. Jam quare Promethei, Hylæ, Pasiphaes, Hesperidum, Scyllæ et Philomelæ fabulas delegerit potissimum, neglectis aliis, nos hodie fugit. Insigni autem figmento Cornelium Gallum poetam et patronum inter heroas suos ponit (v 64-73), in Helicone a Musis et antiquo vate Lino honorifice exceptum.

ECLOGA VII

Melibœus narrat se, dum aberrantem caprum quæreret, incidisse in Corydonem caprarium et Thyrsin ovium pastorem cantu inter se certaturos. Ibi Daphnidem, captum ab eis judicem, se invitavisse ad audiendum; nam in tuto esse caprum et gregem. Hinc refert Corydonis et Thyrsidis cantus amœbæos, quos quidem meminit, et illius victoriam famamque testatur. Neque immerito victum discessisse Thyrsin, in notulis quantum fieri poterat ostendisse videmur.

Theocriti idyllium VI expressum est in hac ecloga, anno 715 vel ineunte anno 716-38 scripta.

ECLOGA VIII.

Pulcherrimum carmen auctumno anni 715—39 compositum et Asinio Pollion missum, dum victis Parthinis ex Dalmatia in Italiam reditum parabat. Poeta patrono victoriam elegantissime gratulatus, caprarium producit *Nisæ amore deceptum* (v. 17-61) et questus disertissimos animo effundentem; in altera autem parte carminis (v.64-109) amicam a Daphnide derelictam et magicum sacrum parantem, quo infidelem amicum ad se retraheret. In quibus celeberrimam *Pharmaceutriam* Theocriti prope ad verbum convertit; ex altera vero parte hujus

idyllii et tertio ex idyllio græci poetæ sive *Comaste* multa transtulit suum in cantum caprarii.

ECLOGA IX.

Ne per semestre quidem tempus integrum Virgilio frui licuit illis *otiis quæ deus ei fecerat*, ut cecinit Ecl. I, 6. Post victoriam, famem et pacem Perusinam Asinio Pollioni in Cisalpina provincia successit L. Alfenus Varus præfectus, qui agris dividendis præesset cum limitatore Octavio Musa. Jam quum Cremonensis ager minime sufficeret avidis veteranis, Mantuani quindecim millia passuum addidit Octavius Musa, infensus quod greges ejus olim ab agri publici pascuis ejecerant Mantuani. Assentientem habuit Varum, qui præter palustria nihil illis reliquit. Neque ipsius Octaviani promissa tutum præstabant Virgilium, sed totum ejus prædium Arrio cuidam centurioni pertică Musæ est assignatum, et dominus vi ejectus. Qui Romam confugit, postquam villico commendaverat ut morem gereret militi, donec ager sibi esset restitutus. Tum in villa suburbana Syronis præceptoris delitescens hanc eclogam scripsit, mense junio vel ineunte julio anni 714—40, Octaviano recitandam. Eventum narravimus supra.

Finxit poeta Mœridem senem (villicum suum) Mantuam iter ingressum, ut oblato munere Arrium placidiorem redderet Menalcæ domino (Virgilio). Occurrens Lycidas miratur, *omnia carminibus servasse Menalcan* opinatus. Re audita, indignam conditionem poetæ deplorant ambo, in via carminum ejus recitantes quæ memoria tenent, et musæ lujus silentium ægerrime ferentes. In his multa reperies urbanissime et delicatissime dicta ad patronorum favorem conciliandum.

ECLOGA X.

C. Cornelius Gallus, eques romanus, poeta elegantissimus (jam in Ecl. VI celebratus), ex patrono evasit amicus et familiaris Virgilii. Misere ille deperibat Volumniam, Eutrapeli libertam, quæ mimico nomine Cytheris vocabatur, in carminibus Galli erat Lycoris. Olim Marci Antonii et aliorum amica, militem cum exercitu Agrippæ in Gallias abeuntem secuta, Gallum destituerat, eo tempore litora Italiæ defendentem ab incursionibus classium Pompeianarum, vere anni 717—37. Summam ægritudinem amici Virgilius lenire studet eximio carmine, cujus tale est argumentum, partim ex idyllio I Theocriti ductum. Primum objurgantur Musæ, quod solæ non adfuerint Gallo curis amoris confecto, quum miserationem ei et affectum testatæ sint etiam arbores et saxa, tum greges cum pastoribus, accesserint denique consolandi causa dei ipsi, Apollo, Silvanus, Pan. Tum Gallus in questus erumpens sortem suam et infaustum amorem deplorat, querens quod sibi non fuerit conditio pastoris Arcadici, amore felici fruentis. Inde subit animus jam pastoris more vivendi, fistula canendi et venandi. Sed repente, neque hinc solatia fore ulla cernens in tanto æstu animi, cedendum amori statuit omnia vincenti.

GEORGICON

LIBER I.

Proposito argumento carminis, 1-5, et invocatis diis agrestibus cum Cæsare Augusto, 5-42, poeta exponit de aratione, prima operis rustici parte : quando sit incipienda, 43-49, exploratâ quidem naturâ cœli solique, 50-63, ex qua pendet ratio arationis, 64-99, et sationis, 100-117. Unde mortalibus ærumna magna, sapienter imposita ab Jove, 118-159. Jam describitur instrumentum rusticum, 160-175, et area exterendis granis paranda, 176-186. Unde judicium facere liceat de futuro anni proventu, 187-192. Semen quomodo medicandum et deligendum, 193-203. *Tempora* operum rusticorum : sationis, 204-230, cum digressione de solis cursu annuo et quatuor tempestatibus anni, 231-256. Quæ curanda sint tempore pluvio et diebus festis, 257-275; (obiter de lunarium dierum observatione faustorum sive infaustorum, 276-286;) quæ noctu, quæ per calorem, quæ hieme, 287-310. Sed præcipue observandæ sunt tempestates duæ, auctumni et veris ineuntis, utpote procellosæ, 311-337, et religionibus exorandi dii, 338-350. Sunt autem certa tempestatum per vices succedentium *prognostica*, quæ multis et diligenter poeta docet 351-465. Hinc transit ad splendidum episodium de prodigiis in Julii Cæsaris nece bellum civile subsecutum portendentibus, 466-497, et vota facit pro Augusto, 498-514.

LIBER II.

Invocato Baccho, 1-8, poeta de arborum, inprimis vitium et olearum cultura acturus, primo loco varios proventus arborum exponit, aut a natura profectos, 9-21, aut ab arte : avulsione, infossione, propagine, surculo, concisione, incisione, 22-34. Jam edocturus, studium esse adhibendum et suam cuique arbori pro generis et soli indole culturam, Mæcenatis propitiam voluntatem implorat, 35-46. Arbores sponte provenientes cultu possunt emendari, 47-56; sativæ transplantatione, inoculatione, insitione et aliis artificiis, 57-82. Deligendæ autem ejusdem generis arborum species præstantiores, 83-108. Præterea cœlum naturæ cujusque arboris idoneum diligenter circumspiciatur, 109-135. Quo terrarum omnium felicissima est Italia, quæ splendide laudatur 136-176. Soli etiam natura exploranda, cui proventûs generi ea conveniat, 177-225; quod unde cognoscatur, 226-258. Hinc ipsius culturæ præcepta plurima exponuntur, de plantatione ejusque temporibus, 259-345; de cura post illam adhibenda, et avertendis iis quæ nocere possint novellis arboribus, 346-379; quarum insidiator caper mactatur in Bacchi ludis festis, 380-396. In vitibus tamen maxima et inprimis assidua per totum annum est cura ponenda, 397-419. Minus operosa est olearum cultura et pomorum, 420-428; exigua aut nulla arborum silvestrium, quarum utilitas tamen maxima, 429-457. In fine poeta canit laudes vitæ rusticæ et agricolarum felicitatem incomparabilem, 458-542.

LIBER III.

Intactum aliis argumentum tractans poeta auguratur se celebrem redditurum Mantuam patriam, ubi victor templum, diem festum et ludos instituet Cæsari Augusto, 1-39; et ad inceptum opus Mæcenatis favorem opemque expetit sibi, 40-48. Primum agit de fœtura armentorum : legendæ matres bonæ, 49-62, et cura adhibenda admissuræ boum, 63-71, et equorum generosorum, 72-122; etiam

præparanda sunt admissioni corpora armentorum, 123-137. Cura matrum gravidarum, 138-156; vitulorum, 157-178; pullorum equinorum, 179-208; qui arcendi a nimia venere, cujus stimuli et furores describuntur 209-285. Ab armentis poeta transit ad pecudum curam exponendam, præfatus difficultatem talis argumenti cum dignitate pertractandi, 286-293. Quomodo pecudes habendæ in stabulis, 294-321. Vere exorto quæ in pascua agendæ et quomodo tractandæ, 322-338; ubi ponitur narratio de Nomadibus Afris et Scythicis, 339-383. Sequuntur præcepta de lanicio et lacte, 384-403. Cura canum, 404-413. Monita de cavendis animantibus noxiis, 414-439, et de avertendis morbis, 440-473. Hinc orditur nobilissimam illam descriptionem fœdæ pestis, quæ in Norico greges, armenta, bestias omnes exitio dedit, 474-566.

LIBER IV.

De apibus et mellificio acturus, 1-7, primum de alvearii situ, fabrica et apparatu præcipit, 8-50; tum de examinum exeuntium cura, seu vere ineunte vagantur, seu pugnant super rege creando, 51-87. Notæ regum, et apum meliorum, 88-102. Qua ratione et quo pabulo apes a vagando cohibendæ, 103-115. Sic attingitur locus de *horto colendo*, quem poeta aliis pertractandum relinquit, 116-148. Enarrat autem ingenia, naturam et mores apum, tam sollertium, ut rationis participes esse videantur, 149-227. De favis eximendis et parte in hiemem relinquenda, 228-250. De morbis apum, eorumque cura, 251-280. Sequitur locus splendidus de exstincti examinis reparatione et de progeneratione apum ex juvenco perempto et putrefacto, 281-314. Quod quum Aristæi esse inventum perhibeatur, poeta narrat heroem exstinctis apibus suis mœstum adiisse Cyrenen matrem, quæ eum ad Proteum vatem duxerit de causis calamitatis remediisque consulendum. Proteus vetus piaculum ex Eurydices, Orphei conjugis, raptu contractum ei aperit; inde mater Nymphas illius comites placari jubet mactatis bobus: quorum ex corporibus in luco relictis nono die nova se examina effundunt, 315-558. Ornatissimam narrationem sequitur epilogus brevis, 559-566.

ÆNEIDOS

LIBER I.

Argumentum e invocatio Musæ, 1-11. Infesta Trojanis et Æneæ Juno Æolum rogat ut a Sicilia in Italiam navigantibus gravissimam tempestatem immittat, 12-123. Eam sedat Neptunus; Trojani appelluntur litori Libyco, 124-158. Egressus in terram Æneas septem maximos cervos venatus in septem naves ex naufragio collectas æqualiter distribuit; deinde socios, longis jam erroribus fatigatos, quietis futuræ spe studet erigere, 159-222. Interea Venus Æneæ sui Trojanorumque causam agit apud Jovem; qui, reserata fatorum serie, spe felicis posteritatis et potentiæ Romanorum dolorem filiæ consolatur, 223-296; et clam misso Mercurio, Pœnorum animos in advenas mitigat, 297-304. Inde Venus Æneæ, locorum ignaro et ad exploranda oberranti, obviam sese præbet, naves dispersas salvas esse nuntiat, ostenditque Carthaginem, quam haud procul condebat Dido, 305-489. Matris beneficio nube occultatus Æneas cum Achate Carthaginem ingreditur, opera admiratur, et socios benigne a Didone excipi videt, 490-585. Recessit nubes: Dido aspectu et casu Æneæ obstupescit, eum

in regiam ducit, Ascanium cum muneribus arcessit, sociis victum abunde mittit, 586-656. At Venus, neque Junonio hospitio neque Punico ingenio fidens, Ascanio, in Idaliæ lucos abducto, substituit Cupidinem, qui inter amplexus et oscula reginæ latenter inspiret amorem Æneæ, 657-722. Festum in aula. Dido invitat Æneam, ut Trojæ excidium suosque casus et errores narret, 723-756.

LIBER II.

Ægre narrat Æneas rem luctuosissimam, 1-13. Græci decennali bello attriti et virtuti diffidentes, ad dolum confugiunt: simulata fuga avecti circa Tenedum latitant, relicto equo ligneo tantæ magnitudinis, ut portis Trojæ recipi non posset, cujus utero lectissimum quemque procerum incluserant. Trojani partim fraude Sinonis impulsi, partim Laocoontis supplicio territi, diruta parte muri, introductum equum in arce statuunt, 14-249. Nocte intempesta Græci a Tenedo reversi, jam cæsis custodibus ab illis qui in equo latuerant, urbem invadunt, 250-267. Æneas interim ab Hectore in somnis admonetur ut fuga sibi consulat, deosque patrios eripiat incendio, 268-297. Ille tamen, honestam mortem præferens fugæ, in arma ruit; ac satis feliciter Trojanis succedit primus impetus, donec, Corœbi consilium secuti, sumptis hostium cæsorum armis, postea a Græcis agniti, utrorumque telis obruuntur, 298-437. Interea Priami regia oppugnatur; Priamus ipse a Pyrrho, Achillis filio, interficitur, 438-558. Frustra tentatis omnibus, Æneas, ipsos deos videns destruendæ urbi intentos, sacra Anchisæ patri committit, eoque in humeros suos sublato, assumptis Ascanio filio et Creusa uxore, fugam arripit, 559-729. Græci insequuntur. In eo tumultu Creusam amittit; cujus quærendæ causa misere per totam urbem oberranti obvia fit umbra uxoris, Italiam ipsi vaticinans et commendans Ascanium, 730-794. Tum ad socios revertitur, et virorum mulierumque magnum numerum confluxisse videt, ipsius auspicia sequi paratum, 795-804.

LIBER III.

Eversa Troja, Æneas, collectis suorum reliquiis et parata apud Antandrum viginti navium classe, primum in Thraciam defertur. Ubi quum urbis fundamenta poneret, territus Polydori a Polymestore occisi prodigiis, avehitur Delum, 1-77. Ibi Apollo consulenti respondet « antiquam gentis suæ matrem repetendam ». Quod oraculum perperam interpretato Anchise, in Cretam contendunt, 78-120. Ibi vero, positis jam mœnibus, gravissima peste exagitantur. Quare, in somnis monitus a diis Penatibus, relicta Creta, petit Italiam, 121-191. In hac navigatione subito exorta tempestate, primum ad Strophades insulas appulsus, ab Harpyiis infestatur, quarum Celæno ei fata canit, 192-269. Mox Actium delatus, in honorem Apollinis ludos celebrat, 270-290. Inde Corcyram prætervectus, Epirum tenet, quæ tum Heleno vati, Priami filio, parebat. Qui benignissime excepto Æneæ imminentia terra marique pericula et fata oraculis aperit, 291-505. Relicta Epiro, Æneas Tarentum primamque Italiæ oram prætervectus, Siciliæ prope Ætnam montem appellitur: ubi Achemenidem, a Ulysse in Cyclopis antro desertum, supplicem recipit, edoctusque ab eo de Cyclopum feritate, ancoras solvit, 506-683; memorque præceptorum Heleni, vitatis Charybdi et Scylla, litora Siciliæ longo circuitu legit; tandem Drepanum advehitur, ubi Anchises senex mortem obit, 684-714. Hinc Italiam petens in Africam defertur tempestate in primo libro narrata.

LIBER IV.

Dido, amore Æneæ insaniens, animi morbum Annæ sorori aperit; ejusque consilium secuta, ad nuptias mentem adjicit, 1-89. Tum Juno, ut Æneam facilius ab Italia averteret, agit cum Venere, ut ejus bona cum venia liceat Æneæ illam uxorem ducere; cujus rei opportunitatem ipsa sit allatura, 90-128. Postridie Æneas et Dido in frequenti venatione, per tempestatem subito immissam ab Junone dilapsis comitibus, soli conveniunt in antrum; fiunt infaustæ nuptiæ, 129-172. Cujus amoris fama commotus Iarbas, rex Gætulorum, qui advenam præferri sibi iniquo animo ferebat, Jovem precibus fatigat; qui Mercurio misso Æneæ mandat ut statim relicta Africa naviget in Italiam, 173-278. De Jovis imperio ille navigationem clam parari jubet, 279-295. At Dido, tale quid ex apparatu suspicata, graviter cum Ænea expostulat, precibusque et lacrimis primum ipsa eum ab incepto revocare conatur, deinde per sororem id saltem impetrare tentat, ut aliquantisper moretur, 296-449. Frustra. Quare regina, doloris impatiens, mori decernit, 450-473; et exstructa in ædibus ingenti pyra, simulat magicum sacrum, quo se ab amore solveret, 474-521; tum recrudescente dolore furit, 522-553. Interea Æneas, iterum a Mercurio in somnis monitus, nocte ancoras solvit, 553-583. Dido, mane Trojanos videns in altum evectos, diris Æneam devovet, 584-629, et ablegata ad sororem Barce, Sychæi nutrice, necem sibi consciscit, 630-705.

LIBER V.

Æneas Italiam versus navigans vi tempestatis in Siciliam defertur, 1-34; ubi, ab Aceste benigne exceptus, Manibus Anchisæ patris, quem superiori anno eodem die apud Drepanum sepeliverat, anniversarium sacrum facit, et ludos ad tumulum ejus instituit, 35-103. Navali certamine vincit Cloanthus, 104-285. Euryalus Nisi dolo superat cursu, 286-362. Entellus senex Daretem juveniliter se jactantem cestu vincit, 363-484. Sagittandi peritia eminet Eurytion, sed præmium Acestæ seni decernitur ob prodigium, 485-544. Inde Ascanius cum nobilibus pueris equestres ludos et pugnæ simulacrum exhibet, 545-603. Verum interea Trojanæ mulieres, horfatu Iridis longæque tædio navigationis, ignem in classem conjiciunt, et quatuor naves comburunt; ceteræ pluvia subito ab Jove immissa servantur, 604-699. Nocte sequenti Anchises in somnis Æneam Jovis verbis admonet ut, relictis in Sicilia mulieribus et senibus, ipse cum juventutis robore naviget in Italiam; ibi ut Sibyllæ antrum adeat, quæ in campos Elysios eum deductura sit, ex ipso reliqua fata auditurum, 700-740. His monitis paret Æneas, postquam oppidum in Sicilia condidit, nomine Acestam, 741-778. Naviganti Neptunus a Venere exoratus tutum præstat mare, 779-834. At Palinurus gubernator, in somnum lapsus, excussus cum gubernaculo mari incidit, 835-871.

LIBER VI.

Cumis appulsus Æneas antrum Sibyllæ petit; peractoque de more sacrificio, in Phœbi templo ex furente Sibylla pericula instantia et futuri belli eventum discit, 1-97. Sequuntur præcepta de adipiscenda Inferos adeundi venia, 98-155. Inventum in litore cadaver Miseni comburunt et sepeliunt sub proximo monte, cui exinde nomen Miseni, 156-235. Hinc, decerpto ramo aureo et mactatis hostiis, Æneas Sibylla duce per Averni fauces ad Inferos tendit, quorum introitus describitur, 236-336. Palinurum, qui insepultus circa Stygiam paludem oberrat,

una trajicere cupientem Sibylla prohibet, cenotaphiique et exsequiarum spe consolatur, 337-383. Trajecto Styge et Cerbero medicatis offis sopito, Æneas transit loca infantium et falso crimine damnatorum; inde pervenit ad eorum sedem, qui amoris impatientia manus sibi consciverant : ibi Dido indignabunda conspectum ejus fugit, 384-476. Hinc progressus Deiphobum conspicit, in sedibus eorum qui bello aliquando clarueraut, multis vulneribus lacerum, et necis ejus miserum modum ex ipso discit, 477-534. Relicto deinde ad lævam Tartaro, sceleratorumque pœnas a Sibylla edoctus, 535-627, ad Plutonis regiam contendit, in ejusque limine aureum ramum defigit, 628-636. Post hæc Fortunatorum sedes adit, et a Musæo ad patrem suum perducitur, 637-678. Ibi Anchises Æneam animarum originem, purgationem et consummationem edocet, 679-755; Albanorum Romanorumque regum recensum facit, nobiliumque aliquot Romanorum nomina percurrens, ad Julii Cæsaris et Augusti laudes descendit, 756-859; denique Marcellum, Octaviæ filium immatura morte ereptum, egregiis laudibus effert, 860-888. Inde Æneas per eburneam portam ad superos egressus, socios revisit et Caietam petit, 889-901.

LIBER VII.

Caieta dicta ab Æneæ nutrice ibi sepulta, 1-4. Inde heros Circes sedem prætervehitur, secundoque vento ad Tiberis ostia defertur, et adverso flumine subvectus egreditur in agrum Laurentem, 5-36. Denuo invocata Musa, poeta exponit, Latii qui fuerit illo tempore status, et quibus prodigiis ibi quoque denuntiatus adventus Trojanorum, 37-106. Æneas finem errorum agnovit ostento mensarum comesarum : veneratur deos, et oratores cum muneribus ad Latinum regem mittit, qui urbis condendæ locum peterent. Inde castra metatur, 107-159. Legatione benigne audita, Latinus, præter postulata, ex oraculis filiam quoque Laviniam ultro Æneæ conjugem offert, 160-285. Interim Juno, Trojanorum rebus prosperis irritata, Alecto Furiam ad disturbandam pacem ab inferis evocat, 286-340 : quæ primum Amatam, Latini uxorem, deinde Turnum, cui desponsata olim fuerat Lavinia, furiis suis implet, 341-474; denique Trojanam juventutem et rusticos Latinos dolo collidit hostiliter, 475-510. Alecto ex superiore loco classicum canit; fit prœlium. Mortuis in urbem relatis, Turnus et Amata Latinum regem ad suscipiendum bellum injuriamque manu vindicandam exstimulant, 511-590. At ille, fatorum et fœderis memor, ubi constanter renuit, ipsa Juno Belli portas aperit, 591-622. « Ardet immobilis ante » Italia, cujus gentes et duces longa et ornata oratione recensentur, 623-817.

LIBER VIII.

Belli signo ex Laurenti arce proposito, hæ copiæ ad Turnum confluunt. Venulus Argyrippam sive Arpos mittitur ad Diomedem, quem periculi contagione et metu ad societatem belli perducat, 1-17. Quibus rebus permotus Æneas, suorum paucitati diffidens, Tiberini dei monitu adverso flumine in ea loca subvehitur, in quibus postea Roma condita est, ad Evandrum regem, Pallanteum oppidum habitantem in monte Palatino, 18-100. Qui Æneam, auxilia petentem, benigne excipit hospitio, 101-183, et Herculis, quibus tum intentus erat, sacris adhibitum causam eorum a Caci nece repetitam, 184-267, et ritus sacrificii edocet, loca etiam nobiliora illius tractus hospiti recenset, 268-369. Interim Vulcanus, uxoris blanditiis adductus, arma fabricari parat Æneæ. Describitur ejus officina, 370-454. Postridie Evander et Æneas secreta consilia ineunt de Tyrrhenis, quos fata destinant in auxilium Trojanorum, 455-519. Venus arma

et bellum de cœlo ostendit Æneæ; qui cum sacris discessum parat ad Tuscos; Evander autem tremens valedicit unico filio Pallanti, quadringentorum equitum Æneæ concessorum duci, 520-596. In luco castris Tyrrhenorum propinquo Venus divina arma defert ad filium, pulchritudine eorum summopere delectatum, 597-625, præsertim clipei, cujus ornamenta describuntur, futuram magnitudinem et virtutem Romani nominis et Cæsaris Augusti ostendentia, 626-731.

LIBER IX.

Absente Æneа, Turnus a Junone per Iridem admonitus copias admovit castris Trojanorum, qui intra vallum et mœnia se continent, 1-46. Furens quod nemo in campum procedit, classem eorum exurere tentat, 47-76. At Idæa Mater, cujus in luco navium illarum materies cæsa fuerat, ab Jove precibus impetravit ut incendio ereptas converteret in Nymphas marinas, 77-125. Turnus hoc prodigio Trojanos peti contendit, jam ab ipso Jove fuga omni exclusos, et custodiis oppidum eorum arcte cingit, 126-167. Interim consultantibus Trojanorum ducibus, quonam modo tam longinquum Æneam de suorum periculo certiorem facere possint, ultro se offerunt in hoc discrimen Nisus et Euryalus juvenes, conjunctissimum par amicorum, 168-245. Laudati ab Alete et Ascanio, et fervidis omnium votis dimissi, hostium excubias vino somnoque obrutas magna cæde sternunt, eorumque se spoliis exornant, 246-366. At luce instante quum recipere se conantur, ab equitibus Latinis conspecti, in silvam confugiunt: ibi Euryalus deprehensus, frustra deprecante et sese offerente Niso, a Volscente confoditur; qua nece strenue vindicata, Nisus quoque multis confossus vulneribus super amici corpus concidit, 367-449. Capita in hastis relata et a Trojanis e mœnibus agnita ingentem luctum et matris Euryali ejulatum excitant, 450-502. Interim Turnus totis viribus hostes oppugnat: magna utrimque strages. Ascanii primum facinus bellicum; sed ab Apolline ex acie amovetur, 503-663. Hinc per Pandari et Bitiæ robur imprudens reclusa porta oppidi Trojani, cum multis hostibus etiam Turnus in medios Trojanos irrumpit et magnam edit cædem, 664-777; tandem, copia circumventus, paullatim cedit ad eam oppidi partem quæ fluvio alluitur, in eum se conjicit et ad suos defertur incolumis, 778-818.

LIBER X.

Jupiter, convocato concilio deorum, ad concordiam eos adhortatur. Ibi Venus, de Trojanorum periculo et insatiabili odio Junonis conquesta, aliquam tandem tot calamitatum requiem petit; at Juno malorum omnium causam in Trojanos et in ipsam Venerem rejicit, 1-89. Itaque Jupiter, ubi nullam videt esse contentionum finem, se neutrarum partium studia secuturum pronuntiat, sed omnia fatis esse permissurum, 100-117. Interim totis viribus Rutuli oppugnant, Trojani defendunt oppidum, 118-145. Dum hæc in Latio geruntur, Æneas rebus in Etruria ex animi sententia confectis, multorumque sibi populorum auxiliis adjunctis, triginta navium classe ad suos revehitur, 146-214. Ibi (novas ex navibus suis) Nymphas habet obvias; quarum Cymodocea de statu rerum certiorem reddit, 215-257. Inde in hostium usque conspectum profectus, copias suas in litus exponit; quas Rutuli, ab oppugnatione desistentes, terra prohibere conantur. Magna utrimque strages, 258-361. Pallas, præclara virtute multis facinoribus exhibita, tandem a Turno occiditur et spoliatur, 362-509. Cujus cædis dolore percitus Æneas multos Rutulorum acervos amico inferias mittit. Ascanius, eruptione facta, suas cum patre copias conjungit, 510-605. Quibus

rebus permota Juno et pro Turno sollicita, impetrata a Jove venia, præsenti eum periculo eripit, falsa Æneæ imagine, quam persequitur, in navem quamdam deductum et ablatum, 606-688. Interim Mezentius, Jovis monitu pugnæ succedens, magnum tam Trojanorum quam Etruscorum numerum prosternit, 689-761; donec ab Ænea vulneratus, et a Lauso filio protectus, ægre se ad obligandum vulnus ex acie recipit, 762-795. Ibi Lausus quoque, dum patrem ulcisci conatur, ab Ænea interficitur, 796-832. Quo nuntio accepto Mezentius æger conscenso equo in prœlium redit, filii mortem vindicaturus, sed eadem dextra cadit, 833-908.

LIBER XI.

Occiso Mezentio victor Æneas Marti tropæum erigit; deinde Pallantis mortui corpus magno pompæ apparatu ad Evandri urbem remittit; ubi summo omnium luctu excipitur, 1-99. Interim oratores a Latinis missi duodecim dierum inducias impetrant: quo temporis spatio utrique suorum cadavera perquirunt, et supremo honore afficiunt, 100-224. Interea Venulus, sub belli initium a Latinis ad Diomedem missus, ad suos redux auxilia adversus gentem diis caram sibi denegata esse renuntiat, 225-295. Jam convocato concilio, Latinus de summa belli consultat, et legatos de pacis conditionibus ad Æneam mittendos censet, 296-335. Ibi Drances et Turnus, pro inveterato inter ipsos odio, mutuis se conviciis proscindunt, 336-444. Interim Æneas, bipartito divisis copiis, levis armaturæ equites planis itineribus ad urbem præmittit; ipse cum reliquo exercitu per loca silvis et montibus impedita ad editiorem urbis partem contendit. Quo nuntio Laurentum perlato, consilium dimittitur, et urbis defensioni prospicitur, 445-485. Turnus, cognito per exploratores Æneæ consilio, bifariam ipse quoque partitur copias: equitibus Messapum et Camillam præficit, eosque hostium equitibus opponit; ipse cum peditibus angustias, qua necessario Æneæ ad urbem iter erat, breviori itinere occupat, atque ibi in insidiis subsistit, 486-531. Interponitur de Camilla virgine narratio, ex ore Dianæ eam Opidi nymphæ commendantis, 532-596. Committitur equestre prœlium, diuque dubio utrimque eventu pugnatur, 597-647. Ibi Camilla virgo, splendide gestis Latinos aliquamdiu erigens, ex insidiis ab Arrunte occiditur, 648-835. Qui paullo post a Dianæ ministra Opi sagitta trajicitur, 836-867. Camillæ nece consternati Rutuli fugam arripiunt; Trojani oppugnationem urbis parant, 868-895. Eo nuntio ab Acca, Camillæ comite, ad Turnum perlato, relictis quas obsederat angustiis, suis auxilio accurrit. Eodem subsequitur Æneas; et quoniam imminente jam nocte prœlium committi non poterat, utrique positis ante urbem castris consident, 896-915.

LIBER XII.

Latinorum animis fractis, Turnus in se uno spem omnem sitam esse videns, frustra dissuadente Latino et regina multis eum lacrimis nequicquam retinente, singulari certamine cum Æneæ decernere statuit, eique hoc nuntiari jubet, 1-106. Accipit conditionem Æneas; res solemni utrimque sacramento sancitur; sed Junonis impulsu, a Juturna nympha, Turni sorore, statim conturbatur, 107-243. Ipso augure Tolumnio excitante, fit magnus utrorumque conflictus, in quo vulneratus Æneas prœlio excedere cogitur, 244-323. Qua re intellecta Turnus ingentem Trojanorum stragem edit, 324-382. Interea Venus allata herba Cretica filio medetur, 383-429. Qui postquam Ascanium paucis cohortatus est, suis auxilio accurrit et Turnum nominatim ad pugnam deposcit. At hic per Juturnæ machinas ei subducitur, 430-485. Quare Æneas, multa Rutulorum

cæde facta, exercitum tandem ipsi urbi admovet, et in propugnacula et ædificia proxima ignem conjicit, 486-592. Ibi Amata regina, occisum esse Turnum opinata, laqueo mortem consciscit sibi, 593-613. His rebus nuntiatis Turnus necessario sibi dimicandum esse videt, nisi sociam urbem pati vellet se inspiciente in hostium potestatem venire, et ultro Æneam ex præscripto fœderis ad singulare certamen provocat, 614-696. Ea pugna superior Æneas, quum victi hostis precibus jam pæne ad misericordiam flecteretur, conspecto in humeris ejus balteo Pallantis, repente ira accensus eum gladio occidit, 697-952.

CULEX.

Post præfationem ad Octavium, 1-40, poeta narrat pastorem, educto grege, in amœna valle Cithæronis montis juxta fontem sub medium diem obdormivisse, 41-160. Ecce magnus serpens, in humido loco æstum levare solitus, advolvitur et pastori iratus imminet, 161-180: quum forte culicis ad oculum ictu expergefactus pastor manu ad vulnus delata miserum Culicem interimit, sed statim conspecto serpente exsilit et feliciter hostem obtruncat, 181-200. Verum nocte sequente umbra Culicis per somnum apparens graviter cum eo expostulat quod se, salutis auctorem, vita privasset; tum longissima oratione errores suos per loca infera describit, 201-383. Hinc pastor, ut Culici officium persolveret, tumulum ei exstruit variis floribus fructibusque consitum et titulo ornatum, 384-412.

CIRIS.

Post præfationem ad M. Valerium Messalam, qua propositum suum exponit, 1-100, poeta narrare ingreditur fabulam Scyllæ, Nisi Megarensis filiæ, Minoem patriam urbem obsidentem perdite amantis, 101-219. Purpureum capillum patris recisuram cohibet Carme nutrix, cujus filiam Britomartin idem Minos perdiderat, 220-368; deinde etiam sacrum magicum parat, 369-385. Frustra. Scyllæ pessimum facinus aversatus Minos navi alligatam abducit, 386-403. Flebiliter querentem et misere in undis jactatam, 404-480, Neptuni conjux in cirim avem mutat, Jupiter autem Nisum in haliæetum alitem ciri infestum, 481-541.

PUBLII

VIRGILII MARONIS

BUCOLICA.

ECLOGA PRIMA.

TITYRUS.

MELIBOEUS, TITYRUS.

MELIBOEUS.

TITYRE [1], tu patulæ [2] recubans sub tegmine fagi
Silvestrem [3] tenui musam meditaris [4] avena [5];
Nos patriæ fines et dulcia linquimus arva:
Nos patriam fugimus; tu, Tityre, lentus [6] in umbra
Formosam resonare doces [7] Amaryllida silvas.

1 Melibœus pastor gregem agens, patria excessurus, Tityrum pastorem offendit sub fago sedentem et canentem fistula; eum sic alloquitur. — 2 Fagi cujus rami patent, id est expansi sunt et late diffunduntur. — 3 Pastoritium carmen, quod *silvestre* dicitur, quia per silvas et saltus in Italia greges pascuntur æstate. — 4 Componens canis; neque enim nota carmina canere fingitur, sed sua. — 5 Fistula sive syringe ex gracilibus stipulis avenæ aut calamis compacta, qua sibi vel præludebat vel singulis versibus aut strophis intercinebat. Infra vocat *calamum agrestem*. — 6 Otiosus, tranquillus: quod pulchre opponitur verbo *fugimus*, gr. φεύγομεν, in exilium abimus. — 7 Cantu tuo facis ut silvæ, vocem repercutientes, resonent nomen et laudes formosæ amicæ Amaryllidis, quam canis. Poeticum est *doces*, quasi magister qui cantum præit ad imitandum discipulis.

TITYRUS.

O Melibœe, deus[8] nobis hæc otia fecit :
Namque erit ille mihi[9] semper deus ; illius[10] aram
Sæpe tener nostris ab ovilibus imbuet[11] agnus.
Ille[12] meas errare boves, ut cernis, et ipsum
Ludere quæ vellem calamo permisit agresti.

MELIBŒUS.

Non equidem invideo, miror magis[13] : undique totis
Usque adeo turbatur[14] agris ! En ipse capellas
Protenus[15] æger ago ; hanc etiam vix, Tityre, duco ;
Hic inter densas corylos modo namque gemellos,
Spem[16] gregis, ah ! silice in nuda connixa reliquit.
Sæpe[17] malum hoc nobis, si mens non læva[18] fuisset,
De cœlo tactas memini prædicere quercus,
[Sæpe[19] sinistra cava prædixit ab ilice cornix].
Sed tamen, iste deus qui sit, da[20], Tityre, nobis.

TITYRUS.

Urbem quam dicunt Romam, Melibœe, putavi
Stultus ego huic nostræ[21] similem, quo sæpe solemus
Pastores ovium teneros depellere[22] fœtus.
Sic canibus catulos similes, sic matribus hædos
Noram ; sic parvis componere magna solebam.
Verum hæc tantum[23] alias inter caput extulit[24] urbes,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

MELIBŒUS.

Et quæ tanta[26] fuit Romam tibi causa videndi ?

TITYRUS.

Libertas[27], quæ, sera, tamen respexit[28] inertem[29],

8 Octavianum Augustum dicit; vide Argumentum. — 9 A me existimabitur. — 10 Sensus : illi sæpe sacrificabo. — 11 Sanguine suo tinget. Medicæ fortunæ homines agnum, locupletiores vitulum offerebant diis Laribus. — 12 Ille permisit, id est per illum sive illius beneficio jam permissum est, jam licet ut armenta mea secure vagentur. — 13 Potius miror hanc felicitatem tuam : nam tantæ ab omni parte sunt turbæ in agris nostris, ut benigna sors tua prope sit incredibilis. Hoc significatur vocibus *usque adeo*, in tantum. — 14 Turbatio atque inversio veteris rerum status infertur (a militibus veteranis, pristinos possessores de prædiis expellentibus). — 15 Ago protenus, πρόσω (quod dicimus *en avant*), cum ægritudine et tristitia animi. — 16 Connixa, id est enixa gemellos agnos, qui sunt *spes gregis*, sicut liberi dicuntur « spes parentum, » quippe propagandi in futurum tempus et duraturi generis pignora. — 17 Sensus : Memini quercus fulmine percussas nobis sæpe portendere (pro præterito post *memini*) hoc quod nunc patimur malum : ita ut præscire potuissemus, si mens nostra non fuisset læva. — 18 Tarda, stulta; ut *dexter* dicitur de callido. — 19 Interpolatoris versus male in editiones admissus, qui a vetustis codicibus omnibus abest. Fictus ex *Ecl.* IX, 15. — 20 Communica nobiscum, dic, ut *accipe* significat « audi. » — 21 Mantuæ. — 22 Compellere, agere agnos, laniis vendendos; Mantua autem in depressiore loco sita est quam Andes vicus atque ager Virgilianus; quare *depellere* dixit. — 23 Tantopere. — 24 Caput in altitudinem elatum habet, id est tantopere eminet. — 25 Quantopere cupressi eminere solent inter viburna flexilia, hodieque *viornes* dicta. — 26 Tanti quidem momenti causa, quæ te, vallis Mantuanæ pastorem, caput orbis adire cogeret. — 27 Breviter dictum pro : libertatis obtinendæ spes. Nimirum villici et pastores in potentium prædiis plerumque servi erant : quare poeta Tityrum Romam profectum fingit, ut a domino ibi degente liberam conditionem impetraret. — 28 Quæ, quamquam sero, aliquando tamen oculos in me convertit, mei curam habuit. Proprie Fortuna dicebatur homines *respicere* et colebatur Romæ Fortuna *Respiciens*. — 29 Me laboris non assiduum et pecunii parandi incuriosum. Poterant enim servi frugi et diligentes quinto ferme servitutis anno peculium comparasse sibi, quod sufficeret ad libertatem redimendam.

Candidior [30] postquam tondenti barba cadebat [31] ;
Respexit tamen, et longo post tempore venit,
Postquam nos Amaryllis habet [32], Galatea reliquit.
Namque, fatebor enim, dum me Galatea tenebat,
Nec spes libertatis erat, nec cura peculi.
Quamvis multa [33] meis exiret victima septis,
Pinguis et ingratæ premeretur [34] caseus urbi,
Non unquam gravis [35] ære domum mihi dextra redibat.

MELIBOEUS.

Mirabar quid [36] mœsta deos, Amarylli, vocares,
Cui [37] pendere sua patereris in arbore poma :
Tityrus hinc aberat. Ipsæ [38] te, Tityre, pinus,
Ipsi te fontes, ipsa hæc arbusta vocabant.

TITYRUS.

Quid faceres [39] ? Neque servitio me exire licebat,
Nec tam præsentes [40] alibi cognoscere divos.
Hic [41] illum vidi juvenem, Melibœe, quotannis
Bis senos [42] cui nostra dies altaria fumant.
Hic mihi responsum primus [43] dedit ille petenti :
« Pascite, ut ante, boves, pueri ; submittite [44] tauros. »

MELIBOEUS.

Fortunate senex [45] ! ergo tua rura manebunt!
Et [46] tibi magna satis, quamvis lapis [47] omnia nudus
Limosoque palus obducat pascua junco.
Non [48] insueta graves tentabunt [49] pabula fœtas,
Nec mala vicini pecoris contagia lædent.

30 In senectute demum, canescente barba. — 31 Decidebat sub novacula. Ceterum notatio hæc ætatis aptissima est rei de qua hic agitur ; namque manumissi barbam, quam alucrant servi, ponere solebant. — 32 Ex quo Amaryllis me cepit et amore devinctum possidet, prudentior amica atque constantior quam Galatea. Sic delicatissime poeta exprimit rerum suarum immutationem. Sub Galateæ dominio dum Andibus et Mantuæ vivebat obscurus, quæ moliebatur omnia (uti mox dicet) ingrata erant et successu nullo; denique (inquit) etiam ipsa me Galatea reliquit prædiis exutum.

Hinc novus amor Amaryllidis, animus conversus et Romam spectans. — 33 Poetice pro : multæ victimæ, in urbem Mantuam ductæ. — 34 Premendo lac coagulatum conficeretur a me urbi, pro his mercibus non id quo dignæ erant pretium solventi. — 35 Onusta. — 36 Quare. Per apostrophen alloquitur Amaryllidem quasi præsentem. — 37 In cujus gratiam tu sineres pendere poma matura, in suâ quæque arbore, neque ea decerperes : id quod præ mœrore absentis negligebat Amaryllis. — 38 Sic ipsi naturæ in carmine bucolico humani affectus tribui solent. — 39 Quid, in illo rerum statu, facere poteram aliud quam Romam proficisci? — 40 Præsentes dii dicuntur qui præsto sunt auxiliantes, qui adsunt propitii et faventes. — 41 Romæ. Octavianum Augustum dicit, eo tempore viginti tres annos habentem. — 42 Per duodecim dies cujusque anni, nimirum Kalendis vel Nonis vel Idibus singulorum mensium, quibus Lares domesticos venerari solebant Romani. Tityrus Roma reversus Augustum colit quasi Larem domesticum. — 43 Primus quidem, a quo responsum exoptatum et auxilium tulerim. — 44 Jugo submittite, ad arandum. Sic Servius. Alii intelligunt de tauris vaccarum gregi *submissis ad admissuram*, ut Varro loquitur. — 45 Poesi hoc tribuendum. Virgilius enim tricesimum ætatis annum vix erat tum ingressus. Mox *tua* cum vi pronuntiandum ; quod quasi bis dictum intellige : ergo tua rura manebunt tua. — 46 Et quidem tibi sufficientia, quamvis modica. — 47 Quamvis agri tui pascua cingantur saxis nudis et paludibus, quæ juncos ferunt limosum solum amantes, ortis ex Mincii fluvii stagnatione et frequenti exundatione. — 48 Pergit Melibœus Tityri felicitatem prædicare, dicens : Tua pecora in consuetis pascuis manebunt ; tu notorum locorum jucunditate omni fruëris usque, dum ego ad ignota loca extrudor. — 49 Pabula insueta regionum aliarum non lædent et male afficient tuas pecudes vel gravidas vel enixas (nam utræque dicuntur *fœtæ*), ideoque languidas et ægras.

Fortunate senex! hic, inter flumina [50] nota
Et fontes sacros, frigus captabis opacum [51]!
Hinc [52] tibi, quæ semper [53], vicino ab limite, sæpes
Hyblæis [54] apibus florem depasta salicti,
Sæpe levi somnum suadebit inire susurro;
Hinc alta sub rupe canet frondator [55] ad auras;
Nec tamen interea raucæ, tua cura [56], palumbes,
Nec gemere aeria [57] cessabit turtur ab ulmo.

TITYRUS.

Ante [58] leves [59] ergo pascentur in æthere cervi,
Et freta [60] destituent nudos in littore pisces,
Ante [61], pererratis [62] amborum finibus, exul
Aut Ararim [63] Parthus bibet aut Germania [64] Tigrim,
Quam nostro illius labatur [65] pectore vultus.

MELIBŒUS.

At [66] nos hinc alii sitientes ibimus Afros [67],
Pars Scythiam [68] et rapidum Cretæ veniemus Oaxen [69],
Et penitus toto [70] divisos orbe Britannos.

50 De uno Mincio dicitur; fontes autem *sacri*, utpote Nymphis inhabitati, qui de colle Andium scaturiunt. — 51 Frigus amœnum locorum opacorum, umbrosorum. — 52 Hæc ita struenda et intelligenda sunt : Hinc, nimirum a limite vicini agri, sæpes in hoc confinio posita levem apium, flores salicti depascentium, susurrum ad aures tibi mittens, sæpe eo susurro te invitabit ad somnos. — 53 Semper, id est quandocumque salices, quibus constat illa sæpes, florem protulerunt. — 54 Hyblææ vocantur apes ab Hybla Siciliæ monte, quem, itidem ut Hymettum Atticæ, mirifice amant et frequentant, ob thymi uberem proventum. Ab his igitur sæpes salignea usque *depasta est florem salicti*, græca structura, per quam accusativo casu apponitur quid sit illud quod proprie depascitur; scilicet *flos* est qui patitur eam depastionem apium. — 55 Qui vites amputat et folia vitium stringit aut decerpit. — 56 Quæ sunt tuæ deliciæ, quibus delectaris. Palumbes, turtures, noctuæ, non sane, ut aliæ aves, canoræ, sed vocis obtusioris et *raucæ*, latine dicuntur *gemere*, gemitui similem sonum edere. — 57 Ab ulmo in auras erecta, alta. — 58 Sensus : Ergo post tam magnum beneficium incredibilia et ἀδύνατα omnia prius fient, quam animo meo excidet ejus beneficii auctor : nunquam hujus oblitiscar. — 59 Cervi leves facti et exiguo pondere, ut volatu in auras abire possint. Ac sæpe *levis* dicitur de rebus volantibus. Non argutandum in verbo *pascentur* per vacuum æthera, quasi duo ἀδύνατα in unum jungere voluisset poeta. — 60 Et pisces fient animalia terrestria, a mari recedente in sicco relicti, non amplius undis tecti, sed *nudi*. — 61 Sensus : Ante aut Parthi in Galliam venient, aut Germani ad extremas Parthorum sedes. — 62 Postquam hi populi, Parthi et Germani, regionem alter alterius vaga migratione peragraverint. *Exul* dicitur omnis qui mutato solo patriæ alibi vivit. — 63 Galliæ fluvium, *la Saône*. Id est, Parthus in Gallia versabitur, postquam, ut ante significatum, Germaniam pertransivit. Alii putabant pastores fingi a poeta locorum inscientes et Ararim pro Germaniæ fluvio habentes. — 64 Germani bibent ex Tigride, qui est extremus Parthiæ limes. — 65 Elabatur, excidat. — 66 Sensus : At nos, avitis agris ejecti, in ultimas quasque orbis regiones deferemur. Qualis hyperbola prorsus convenit animo desperato. — 67 In Africæ loca aridissima, quæ etiam prosa oratione dicuntur *sitientia*. Vocabulo *alii* respondet *pars*, pro : alii... alii. — 68 Poeta indicat ultimos fines imperii Romani : Afros ad meridiem, Scythiam ad septentrionem, mox Britannos ad occidentem. — 69 Oaxes hic Cretæ, ut cetera suadent, orientalem limitem imperii Romani monstrare videtur. Sed ut Cretæ mentio hic prorsus mirabilis, ita fluvium Oaxen nullum in ea insula norunt geographi, sed *oppidum* modo Oaxon. Antiqui interpretes de Oxo flumine cogitarunt et *cretam* appellative ceperunt de terra cretacea, ut intelligitur ex Servii annotatione : « *Rapidum cretæ*, hoc est lutulentum, quod rapit cretam : cretam terram albam dixit. Nam Oaxes fluvius est Mesopotamiæ, qui velocitate sua rapiens albam terram, turbulentus efficitur. [Etiam Curtius de Oxo dixit : *limum vehit, turbidus semper.*] Vel Oaxes fluvius Scythiæ. In Creta insula non est, sed aqua cretei coloris est. » — 70 Britannos divisos, id est separatos a toto *orbe* terrarum, quem Oceanus in circulum fluens undique ambire credebatur. Britannia, ante Julium Cæsarem Romanis prorsus ignota, ponebatur extra Oceanum

En[71] unquam patrios longo post tempore fines,
Pauperis et tuguri congestum[72] cespite culmen,
Post[73] aliquot, mea regna videns, mirabor aristas?
Impius[74] hæc tam culta novalia miles habebit?
Barbarus[75] has segetes? En quo discordia cives
Produxit[76] miseros! En quis[77] consevimus agros!
Insere[78] nunc, Melibœe, pyros! pone ordine[79] vites!
Ite[80] meæ, felix quondam pecus, ite capellæ:
Non ego vos posthac, viridi projectus[81] in antro,
Dumosa pendere[82] procul de rupe videbo;
Carmina nulla canam, non, me pascente, capellæ,
Florentem cytisum et salices carpetis amaras[83].

TITYRUS.

Hic tamen hanc mecum poteras[84] requiescere noctem
Fronde super viridi. Sunt nobis mitia[85] poma,
Castaneæ molles[86] et pressi copia lactis[87].
Et jam summa procul villarum culmina fumant[88],
Majoresque[89] cadunt altis de montibus umbræ.

terras finientem atque ultra terminos orbis: ita a Vellejo Cæsar dici poterat *pæne alterum imperio nostro atque suo quærens orbem.* — 71 *En* particula commotum animum indicat sive interrogantis seu monstrantis. — 72 Culmen (quod de longinquo venientibus cernitur primum) congesto cespite constructum. Accusativi *fines* et *culmen* pendent a verbo *videns.* — 73 *Post* adverbium est: postea. An ego unquam, inquit, revisens aliquando agros meos et tugurium, meam possessionem, in qua regnabam, posthac mirabor raras aliquot aristas hic illic surgentes in agris olim cultissimis? Prævidet enim veteranum militem pessimum fore colonum, et, si unquam revisere sua ipsi contigerit, mutatam agri speciem se vehementer esse miraturum. Male nonnulli jungebant *post aliquot aristas* et explicabant messes, pro annis. — 74 Nefarius, per vim et ferrum agens, dum agricolæ et pastores sunt *pii*, pacis ac juris amantes, neminem lædentes. — 75 *Barbarus* proprie capiendum: nam Galli aliique peregrini in legionibus Romanis illo tempore militabant. — 76 Progrediendo (in majus usque malum) adduxit. — 77 Pro quibus, in quorum hominum commodum. — 78 Ironice sibi dicit: I nunc, et insere (nobis *greffe*) piros et alias arbores frugiferas, quando talis exitus manet labores tuos! — 79 *Ordine*, in quincuncem scilicet, de quo præcipit poeta in *Georgicis* II, 277 sqq. — 80 Dolore commotus amato pecori valedicit. — 81 Stratus. — 82 Pascentes hærere in rupe declivi, ut pendere videantur. — 83 « *Amaras* ad nostrum saporem; nam capris dulces sunt. » *Serv.* — 84 Melibœum abeuntem Tityrus domum suam invitabat, frustra, ut ex his verbis intelligitur: *Poteras* tamen etc., plane ut nos dicimus: *tu pouvais cependant* etc. — 85 Matura. — 86 Suaves, dulces, ut alibi dicuntur *fraga*, *vina mollia*. — 87 Casei periphrasis. — 88 Quippe in quibus cœna paratur a rusticis, adventante vespera ex agro redeuntibus. — 89 Nam, ut in sequente carmine loquitur poeta, *sol decedens crescentes duplicat umbras.*

ECLOGA SECVNDA.

ALEXIS.

FORMOSUM pastor Corydon ardebat[1] Alexim,
Delicias domini[2], nec quid speraret habebat.
Tantum inter densas umbrosa cacumina[3] fagos
Assidue veniebat; ibi hæc incondita[4] solus
Montibus et silvis studio jactabat[5] inani:
« O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas?
Nil nostri miserere? Mori me denique coges.
Nunc[6] etiam pecudes umbras et frigora captant[7];
Nunc viridis etiam occultant spineta[8] lacertos;
Thestylis[9] et rapido[10] fessis messoribus æstu
Allia serpyllumque herbas contundit[11] olentes.
At[12] mecum raucis, tua dum vestigia lustro,
Sole sub ardenti resonant arbusta cicadis.
Nonne fuit satius[13] tristes[14] Amaryllidis iras
Atque superba pati fastidia? nonne Menalcan[15],

1 Ardenter amabat. Eadem syntaxi neutrius verbi *deperire aliquem* dicitur. De Corydone et Alexide consule Argumentum hujus Eclogæ. — 2 Iollæ, de quo infra. — 3 Inter fagos densas cacuminibus suis, quarum cacumina densa umbram faciunt; nam stipes inferior non, ut rami foliis vestiti, se invicem tangunt et texunt umbram. Accusativus explicandus ex græcismo, quo pars totius alicujus illo casu effertur: vide supra notam 51, et Eclogam IX, not. 10. — 4 Non artificiose composita. — 5 Sæpius jaciebat, effundebat, sed frustra. — 6 In summo æstivi solis ardore, dum ego per campos tua vestigia sequor. — 7 Quærunt. — 8 Sub quibus solem vitant lacertæ sive lacerti. — 9 Famulæ rusticæ nomen, quæ agricolis in messe occupatis moretum sive alliatum parat. — 10 Incitato, vehementi. — 11 In mortario tundit, moretum inde confectura. Per appositionem additum *herbas olentes*, odoras. — 12 Sensus: At ego sub ardenti sole cano, eo tempore quo arbusta resonant cicadis: solæ enim cicadæ canunt meridie, ceteris avibus et animalibus quiescentibus. *Mecum resonant arbusta cicadis* ad literam significat: quando ego sono (canto), simul resonant arbusta cicadarum cantu rauco; conf. not. 56 Eclogæ I. — 13 Melius, præferendum. — 14 Iras amaras, mordaces. — 15 Alium puerum amatum. Repete: pati, ferre.

Quamvis ille niger, quamvis tu candidus esses ?
O formose puer, nimium ne crede[16] colori :
Alba ligustra cadunt[17], vaccinia nigra leguntur[18].
Despectus tibi sum[19], nec qui sim quæris, Alexi,
Quam dives pecoris, nivei quam lactis abundans.
Mille meæ Siculis[20] errant in montibus agnæ ;
Lac mihi non æstate novum, non frigore[21] defit.
Canto quæ solitus[22], si quando armenta vocabat,
Amphion Dircæus[23] in Actæo[24] Aracynthо.
Nec sum adeo informis : nuper me in littore[25] vidi,
Quū placidū ventis staret[26] mare ; non ego Daphnim,
Judice te, metuam, si[27] nunquam fallit imago.
O tantum[28] libeat mecum tibi sordida[29] rura
Atque humiles habitare casas, et figere[30] cervos,
Hædorumque gregem viridi compellere hibisco[31] !
Mecum una in silvis[32] imitabere Pana canendo.
Pan primus calamos cera conjungere plures
Instituit ; Pan curat oves oviumque magistros.
Nec te pœniteat[33] calamo trivisse labellum :
Hæc eadem ut sciret, quid non faciebat Amyntas[34] ?
Est mihi disparibus septem compacta cicutis[35]
Fistula, Damœtas[36] dono mihi quam dedit olim,
Et dixit moriens : « Te nunc habet ista secundum[37]. »
Dixit Damœtas ; invidit stultus Amyntas.
Præterea duo, nec tuta[38] mihi valle reperti,
Capreoli, sparsis[39] etiam nunc pellibus albo ;
Bina die siccant[40] ovis ubera : quos tibi servo.

16 Confide pulchritudini tuæ, cujus pars erat color splendidus. Subjicitur documentum ex floribus. — 17 Decidunt neglecta et a nemine decerpta ligustra (*troene*), quamquam albo flore conspicua, ut tu colore. — 18 Decerpuntur vaccinia (*le vaciet*), quamvis nigricante et fusco colore. — 19 Habeo rate. — 20 *Siculis* e Theocrito poeta fluxit, per quem Sicilia tanquam Arcadia altera evasit, pastoritiæ vitæ sedes et regnum. — 21 Ilieme. — 22 Ea quæ canere olim solitus est Amphion, Jovis et Antiopæ filius, citharista fabulis celebratissimus. — 23 Thebanus sive Bœotius, a Dirce fonte Bœotiæ, Thebas alluen-

te. — 24 Non eliditur *o*, hiatu in nominibus peregrinis admisso. Aracynthus mons in confinibus Bœotiæ et Atticæ, hinc *Actæus* dictus, id est Atticus, ab antiquo nomine Atticæ, Ἀκτή (Litus). In illa regione, Eleutheris oppido, Amphion natus et educatus est, cum fratre Zetho diversi animi et a-musica alieno. — 25 Stans in litore imaginem meam vidi in mari. Hoc quoque ex Theocriti *Cyclope* ductum, quum aptius Corydon amnem aut fontem videatur fuisse memoraturus. — 26 Quum mare stratum sive immotum esset, quippe *placidum ventis*, id est per ventos, qui placidi erant et quieti, ut in *Æneide* V. 763, *placidi straverunt æquora venti*. — 27 *Si* per modestiam etiam in re satis certa ponitur, ut hoc loco, ubi Corydon *quia* vel *nam* intelligit. — 28 O si societas modo tua contingat mihi ! jam non alium te posco favorem. — 29 Rura quæ sordida tibi videntur, urbanæ quidem munditiæ cultu carentia. — 30 Jaculo petere. — 31 Dativus : compellere ad viridem hibiscum, malvarum speciem (*guimauve*), suave ovibus pabulum. — 32 In quas pastum agi pecudes supra vidimus. Notus Pan pastoribus doctor musices, inventor *syrinx*, sive fistulæ pastoritiæ, quæ statim describitur. — 33 Pigeat, tibi molestum aut injucundum videatur. *Calamo* collective pro : calamis (cera junctis), syringe. — 34 Æmulus Corydonis in arte canendi fistula. — 35 Cieutæ quoque cannis pastores utebantur ad fistulas compingendas, quæ eo pluris æstimabantur, quo pluribus calamis compactæ essent ; *novem* habes apud Theocritum. — 36 Pastoris nomen. — 37 Intellige : secundum a me artificem, non possessorem. Quasi solatur fistulam, jam minus desideraturam dominum defunctum, quia cedat in manus hominis ipsi proximi in arte canendi. — 38 Sed in periculosa valle, malis bestiis infesta. — 39 Quorum pelles etiamnum albis maculis sparsæ sunt : quæ quidem maculæ in capreolis non ultra sextum mensem conspiciuntur : teneri igitur. — 40 Exsugunt, evacuant.

Jam pridem a me illos abducere Thestylis orat ;
Et faciet[41], quoniam sordent tibi[42] munera nostra.
Huc ades, o formose puer : tibi[43] lilia plenis
Ecce ferunt Nymphæ calathis ; tibi candida Nais[44],
Pallentes[45] violas et summa papavera carpens,
Narcissum et florem jungit bene olentis anethi ;
Tum, casia[46] atque aliis intexens suavibus herbis,
Mollia luteola pingit vaccinia caltha[47].
Ipse ego cana legam tenera lanugine mala[48],
Castaneasque nuces, mea quas Amaryllis amabat :
Addam cerea pruna[49] ; honos erit huic quoque pomo :
Et vos, o lauri, carpam, et te, proxima myrte,
Sic positæ quoniam suaves miscetis[51] odores.
Rusticus[52] es, Corydon : nec munera curat Alexis,
Nec, si muneribus certes, concedat[53] Iollas. [strum[55]
Heu, heu, quid volui misero mihi[54] ? floribus Au-
Perditus[56] et liquidis immisi fontibus apros. [vas[58]
Quem[57] fugis, ah, demens ? Habitarunt di quoque sil-
Dardaniusque[59] Paris. Pallas quas condidit[60] arces,
Ipsa colat ; nobis placeant ante omnia silvæ.
Torva[61] leæna lupum sequitur[62] ; lupus ipse capellam ;
Florentem cytisum sequitur lasciva capella ;
Te Corydon, o Alexi : trahit sua quemque voluptas[63].
Aspice, aratra jugo referunt[64] suspensa juvenci,
Et sol crescentes decedens duplicat umbras ;
Me tamen urit amor : quis enim modus adsit amori ?
Ah ! Corydon, Corydon, quæ te dementia cepit !
Semiputata[65] tibi frondosa vitis in ulmo est.

41 Observa Corydonem haud dicere *dabo*, offendere Alexim veritus : hoc solum minatur, se tandem passurum abduci. — 42 Tibi sordida et contemnenda videntur. — 43 Ruris bona pulcherrima Corydon enumerat et offert Alexidi. — 44 Una ex Naidibus nympliis seu Naiadibus. — 45 Quales sunt violæ paludum atque montium (*violettes des marais et des montagnes*). — 46 Noster, ut putant, *garou, poivre de montagne*. — 47 Caltham existimant nostrum *souci*, flore luteolo. — 48 Mala cydonia (*coings*), tenui lanugine obducta. — 49 Pruna cerei vel gilvi coloris, generosiora illa quidem quam alterum prunorum genus, coloris purpurei subnigri. Post hanc vocem distinctio sententiæ suspendit elisionem. — 50 Quæ eris proxime posita ad laurum ; quod ex sequenti versu intelligitur. — 51 Miscendo odores suaves vel suaviores efficitis. Sic loqui solent poetæ ; et verbo magis quam substantivo hic jungendum putamus adjectivum *suaves*. — 52 Post hanc phantasiam ad se redit Corydon et rusticæ mentis simplicitatem agnoscit. — 53 Cedat munerum amplitudine Iollas, nunc delicati pueri dominus. — 54 Stultitiam suam accusat Corydon. *Quid volui mihi ?* significat : quo tandem consilio egi ? nonne perverso ? — 55 Austrum, ventum violentissimum, sponte immisi floribus, quos a tempestatibus tutos præstare debebam ; id est, temere indulsi huic amori, qui tranquillitatem animi mei prorsus perturbat. Quo modo etiam ingruentes apri turbant fontes limpidos. — 56 Amens, insaniens. — 57 Redit tamen amor, et Alexidem iterum alloquitur Corydon. — 58 Sicut Apollo Admeti armenta pascens. — 59 Paris Trojanus, inter pastores educatus. — 60 Minerva urbes condere et munire docuit : quare eam πολιάδος et πολιούχου nomine veteres colebant. *Arces* dicit urbes circumseptas et munitas, ut alii poetæ. Hoc vult pastor : sine tu Palladem incolere suas arces ; mecum ama silvas. — 61 Amoris sui vim et vehementiam cum animalium invicto instinctu comparat. — 62 Persequitur, studiose petit. — 63 Id ex quo quis voluptatem capit, id quod amat. — 64 Reportant ex agris vespere domum redeuntes. Veterum aratra rotulis non innitebantur, ut nostra ; quare agricolæ in jugo boum suspendebant in agrum ferenda vel inde referenda. Corydon vicinos videt laboribus diei defunctos et quiete jam fruituros : ipse amore cruciatur sine requiete. — 65 Objurgat se, quod amori indulgens curam operis rustici negligat. Vitem ad ulmos surgentem putare inceperat, sed præ amore mox intermiserat opus. Ulmorum quo-

Quin tu aliquid saltem potius, quorū indiget usus[66],
Viminibus mollique[67] paras detexere junco ?
Invenies alium[68], si te hic fastidit, Alexim. »

que folia tum ex parte decerpebantur, ut sol contingere posset uvas; Corydonis tamen ulmi manserant *frondosæ*. — 66 Aliquid eorum quæ ad vitæ usum necessaria sunt, vas aliquod rusticum, velut corbem, fiscellam. — 67 Junco flexili. — 68 Alium Alexim : puerum alium Alexidi forma similem, sed qui te non spernat.

ECLOGA TERTIA.

PALÆMON.

MENALCAS, DAMŒTAS, PALÆMON.

MENALCAS.

Dic mihi, Damœta, cujum[1] pecus? an Meliboei?

DAMŒTAS.

Non; verum Ægonis: nuper mihi tradidit Ægon.

MENALCAS.

Infelix[2] o semper, oves, pecus! ipse[3] Neæram
Dum fovet[4], ac, ne me sibi præferat illa, veretur,
Hic alienus[5] oves custos bis mulget in hora;
Et succus pecori[6], et lac subducitur agnis.

DAMŒTAS.

Parcius[7] ista viris tamen objicienda memento.
Novimus et qui te[8], transversa tuentibus hircis,
Et quo[9] (sed faciles Nymphæ risere) sacello.

1 Adjectivum *cujus, cuja, cujum*, de genitivo *cujus* ortum, vulgaris et quotidiani sermonis proprium erat, nec fere alibi id reperias quam in comœdiis. — 2 Jam hic Menalcæ asper et mordax animus prorumpit. — 3 Ægon, dominus gregis. — 4 Assiduus sequitur, ei adhæret, assidet. — 5 Custos alienus: non igitur ut multi explicant servus Ægonis erat Damœtas, sed sui juris homo, qui ad tempus absentis gregem pascendum in se receperat. — 6 Non raro Virgilius in hoc potioris cœsuræ loco hiatum admittit. — 7 Modestius. Damœtas vir convicium fraudis et furti puero Menalcæ ita regerit, ut pathicæ libidinis infamiam ei exprobret. Sic Vespasianus « Licinium Mucianum notæ impudicitiæ ... retaxavit verbis: *Ego tamen vir sum.* » — 8 Non exprimit, nisi forte gestu, rem adeo fœdam, ut vel hircos ab ea turpitudine alio avertisse oculos dicat. Quam explicationem Servius his Plinii verbis astruit: « Hirci si casu aliquos coeuntes vident, adeo indignantur, ut in eos pene impetum faciant. » — 9 Et in quo sacello rustico vel antro Nymphis consecrato hoc factum sit. Sed Nymphæ, ut sunt faciles et minime severæ, imo leves ipsæ, riserunt de sacrilegio, quod alii dii gravissime fuissent ulturi.

MENALCAS.

Tum [10], credo, quum me arbustum [11] videre Micones
Atque mala [12] vites incidere falce novellas.

DAMOETAS.

Aut [13] hic ad veteres fagos, quum Daphnidis arcum
Fregisti et calamos [14]; quæ tu, perverse Menalca,
Et, quum vidisti puero donata, dolebas,
Et, si non aliqua [15] nocuisses, mortuus esses.

MENALCAS.

Quid domini faciant, audent quum talia fures [16]?
Non ego te vidi Damonis, pessime, caprum
Excipere [17] insidiis, multum latrante Lycisca [18]?
Et quum clamarem : « Quo nunc se proripit ille?
Tityre [19], coge pecus : » tu post carecta [20] latebas.

DAMOETAS.

An [21] mihi, cantando victus, non redderet ille
Quem mea carminibus meruisset fistula caprum?
Si nescis [22], meus ille caper fuit; et mihi Damon
Ipse fatebatur, sed reddere [23] posse negabat.

MENALCAS.

Cantando tu illum [24]? aut unquam tibi fistula cerâ
Juncta fuit? Non [25] tu in triviis, indocte, solebas
Stridenti [26] miserum stipula disperdere carmen?

DAMOETAS.

Vis ergo inter nos, quid possit uterque, vicissim [27]
Experiamur? Ego hanc vitulam (ne forte recuses,
Bis [28] venit ad mulctram, binos alit ubere fœtus)
Depono [29] : tu dic, mecum quo pignore [30] certes.

MENALCAS.

De grege non ausim quidquam deponere tecum [31] :
Est mihi namque domi pater, est injusta noverca;

10 Quibus novo respondet convicio Menalcas : Tum, credo, hoc factum est, quum Nymphæ *me* (id est *te*) viderunt Miconis arboretum atque vites malitiose concidentem. — 11 Arboretum, arbores in quibus vites assurgunt. — 12 Falce malefica. Servius : « In hoc autem maximum nefas est, quod dicit *vites novellas*, quia vetulæ et cum utilitate inciduntur. Fuerat autem capitale supplicium, arbores alienas incidere. » — 13 Malitiæ incusatus Damœtas reciminatur, innatamque Menalcæ malitiam et invidiam narrat. Nota particulam *aut*, qua ita pergit, ut illud *me* de ipso Menalca et dictum et intellectum esse videatur. — 14 Sagittas. — 15 Aliquo modo. — 16 *Fures* ad ea refertur, quæ insequentibus versibus narrantur. Quomodo domini greges vel prædia sua tueri poterunt, quando homines furaces eo audaciæ progrediuntur, ut committant qualia te facientem vidi? — 17 *Excipere* proprie dicitur de venatoribus, qui feram ex loco, ubi præteeuntem observaverunt, progressi capiunt. — 18 Canis nomen. — 19 Nomen servi rustici, qui Damonis pecora custodit. *Coge*, dispersum et vagum coage, in unum compelle. — 20 Locum abundantem caricibus, juncorum specie. — 21 Respondet Damœtas : non furtum esse factum, sed debitum a Damone exactum; hunc enim in cantus certamine caprum illum perdidisse. — 22 Supple : dico tibi, *meus* etc. — 23 Debitum mihi dare. Ne scilicet palam inter omnes fieret, se esse a Damœta victum. — 24 Supple : vicisse te ais? — 25 Nonne tu solebas in triviis misera carmina ad unum calamum, non ad syringem pluribus calamis compactam, canere, eaque carmina, per se mala, male canendo etiam pejora facere? — 26 Stipula dissone crepitanti, non canora, ut syrinx. Quod sequitur *miserum* fortasse aliter ac modo factum est explicari debet de carminis, per se quidem boni, infortunio et infelicitate, quod a tam malo musico disperdatur. — 27 Per vices, alternatim, ἀμοιβαίως, ut unus post alterum canamus. — 28 Mulgetur bis, mane quando exit ad pascua, et quando redit vespere. — 29 Pono tanquam pignus, græce ἆθλον, de quo certabitur inter nos. — 30 Quo pignore a te posito. — 31 *Tecum* idem valet ac : ut tu facis. Alii explicant : in certamen tecum ineundum.

Bisque die numerant ambo pecus, alter[32] et hædos.
Verum[33], id quod multo tute ipse fatebere majus,
(Insanire[34] libet quoniam tibi) pocula ponam
Fagina[35], cælatum divini opus Alcimedontis[36] :
Lenta[37] quibus torno facili superaddita vitis
Diffusos[38] hedera vestit pallente corymbos.
In medio duo signa[39], Conon, et... quis fuit alter[40],
Descripsit radio[41] totum qui gentibus orbem,
Tempora[42] quæ messor, quæ curvus[43] arator haberet ?
Necdum illis labra admovi, sed condita servo.

DAMŒTAS.

Et[44] nobis idem Alcimedon duo pocula fecit,
Et molli[45] circùm est ansas amplexus acantho;
Orpheaque in medio posuit, silvasque[46] sequentes.
Necdum illis labra admovi, sed condita servo.
Si[47] ad vitulâ spectas, nihil est quod pocula laudes.

MENALCAS.

Numquam[48] hodie effugies; veniâ quocûnque[49] vocaris.

32 *Alter* eorum, aut pater, aut noverca, prout accidit.—33 Verum *ponam* id etc. — 34 Scilicet me in certamen cantus provocando. — 35 Par poculorum fagineorum : ex antiqua simplicitate et paupertate, de qua Tibullus : *nec bella fuerunt, Faginus adstabat quum scyphus ante dapes.* — 36 Sed his poculis pretium accessit arte præstantissimi cælatoris Alcimedontis, de quo ignoratur, fictumne sit nomen. an verum æqualis Virgilio artificis atque a poeta sic obiter laudati.—37 Vitis flexilis his poculis *superaddita*, id est in ora superiore eorum exsculpta cælo sive scalpro *facili*, molliter et delicate, non aspere et dure, vitem exprimenti. Nam *tornus* haud dubie metonymice dictum de cælo sive scalpro, non de eo instrumento quo ligna vel æra circumagendo rotundantur et poliuntur. — 38 Hæc vitis ambit, amplectitur *corymbos*, id est hederæ racemos in orbem circumactos (ut explicat Plinius) : qui corymbi diffusi sunt ab hedera sive quos hedera diffundit et huc illuc expliciat. Vitis igitur, in illa cælatura, et supra et inter racemos hederaceos serpebat. *Pallens* additum videatur, quia duo sunt hederæ genera, alterum albicante virore, alterum nigricante ; conf. tamen notam 14 Eclogæ V. — 39 Virorum imagines effictæ. Conon erat celeberrimus mathematicus et astronomus, Samo oriundus, Archimedis amicus, sub Ptolemæis Philadelpho et Energete florens, qui *Berenices* reginæ *comam* inter astra retulit. — 40 Alterius nomen memoria excidérat, et quærit Menalcas. Multa hariolantur veteres scholiastæ : sed certum est sequentibus unum planissime convenire nomen Eudoxi Cnidii, Platonî æqualis, cujus Φαινόμενα (quibus cœli plagæ, siderum ortus et occasus, annique vicissitudines describtæ erant) agricolis per Italiam ad regendum opus rusticum multo in usu fuisse scimus. Ex hoc Eudoxi libro Aratus fuxit carmen celebratissimum inter Romanos *Phænomenorum* et *Prognosticorum*, poeta, non astronomus, qualis sequenti versu liquido indicatur. Eudoxus autem mathematicus et astronomus erat. — 41 *Radius* proprie dicitur virga qua geometræ in pulvere (sicut nos in tabula pensili) formas describebant : hinc astronomis tributus et Uraniæ Musæ. — 42 Ex verbo *descripsit* elicicndum simile verbum : et definivit sive ostendit quæ tempora observanda sint ad messem faciendam, quæ ad arationem. — 43 Curvato corpore incumbens aratro. — 44 Etiam. — 45 Acantho qui est folîis mollibus et flexilibus ; hinc Theocrito dictus ὑγρός, *lubricus*. — 46 Nota cantus Orphici potentia, bestias et arbores trahentis : conf. Horat. Od. I, 12. — 47 Si pocula, quæ tu pro pignore posuisti, spectas ad vitulam meam, id est ad vitulam exigis et judicas, cum vitula mea comparas. Hic usus præpositionis *ad* tam frequens, ut humilior, non simplicior, habenda sit altera interpretatio : si oculos conjicis in vitulam meam. *Nihil est quod...*, causa nulla est cur... — 48 Damœtæ extrema sic acceperat Menalcas, quasi ille pocula vitulæ opposita contemnere se fingeret, eo consilio ut certaminis evitandi prætextum prohibeat. *Nunquam* vehementius est negatione simplici. — 49 *Quocumque* non est : ad quemcumque locum, sed : ad quæcumque facienda me vocaveris sive provocaveris. Ad omnia deveniam quæcumque postulaveris : omni conditione proposita tecum certabo. Nimirum certus victoriæ et pignoris obtinendi, jam non timet patrem et novercam, vel de gregis parte audacter periclitaturus.

Audiat hæc tantū [50] — vel qui venit, ecce, Palæmon.
Efficiam, posthac ne quemquam voce lacessas.

DAMOETAS.

Quin [51] age, si quid habes : in me mora non erit ulla.
Nec quemquam fugio. Tantum, vicine Palæmon,
Sensibus hæc imis, res est non parva [52], reponas.

PALÆMON.

Dicite [53], quandoquidem in molli consedimus herba.
Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos;
Nunc frondent silvæ, nunc formosissimus annus.
Incipe, Damœta; tu deinde sequere, Menalca.
Alternis [54] dicetis : amant alterna Camœnæ [55].

DAMOETAS.

Ab [56] Jove principium, Musæ; Jovis omnia plena [57] :
Ille colit terras [58]; illi mea carmina curæ.

MENALCAS.

Et [59] me Phœbus amat : Phœbo sua [60] semper apud me
Munera sunt, lauri [61], et suave rubens hyacinthus.

DAMOETAS.

Malo [62] me Galatea petit, lasciva puella,
Et fugit ad salices, et se cupit ante [63] videri.

MENALCAS.

At mihi sese offert ultro meus ignis [64], Amyntas,
Notior [65] ut jam sit canibus non Delia nostris.

50 Additurus erat : *aliquis judex*, vel nomen pastoris cujuspiam, quum supervenientem conspicit Palæmonem. Incerta vis est vocis *vel* : potest esse nostrum *ou bien*, ut referatur ad absentis nomen non expressum a Menalca : potest etiam : *même*, quod Palæmon homo simplicior esse videretur (vide notam 10 in fine Eclogæ), aut judex suspectus, utpote mox *vicinus* vocatus ab adversario. — 51 Postremis verbis Menalcæ vexatus hisce Damœtas respondet : Imo statim incipe, si quid habes quod canas. Provocantis est ut canat prior; sed exacerbatus Damœtas jus suum superbe ccdit Menalcæ provocato. — 52 Certatur de re non parvi pretii, de vitula : quare attentissime auscultа. — 53 Canite. Sapienter autem poeta rudibus conviciis et dulcibus carminibus pastorum interponit suavem descriptionem veris et amœni loci, ubi certamen initur. — 54 *Alternis* est quod Theocritus dicit ὁτ' ἀμοιβαίων : alternabitis carmina, alter post alterum canentes. — 55 Musarum nomen Italicum. — 56 Imitatur Arati et Theocriti celebres versus : Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα. Ab Jove auspicabantur veteres poetæ lyrici; unde Horatius : *Quid prius dicam* Solitis *Parentis laudibus? Principium*, scilicet cantus mei, quem vos, o Musæ, præstatis. Male quidam jungunt *principium musæ* (genitivo singulari). — 57 Hoc quoque sumptum ab Arato, qui ex mente Stoicorum loquebatur, Jovem intelligentium de anima mundi, quæ universum usquequaque penetrat et sua vi implet. — 58 Omnia ille implens rura quoque colit : quare etiam mea ruricolæ carmina curat. — 59 *Et* pro simplici copula habeam : Tu, ut dicis, Jovi es curæ; et ego amor ab Apolline : uterque diis cari sumus. Qui ita accipiunt : Me quoque Phœbus amat, non te solum; præcedens vocabulum *carmina* urgent, quippe quæ sine Apolline fieri non possint. — 60 Munera quæ ipsi conveniunt et placent. — 61 Jam notavimus hiatum in hac cæsuræ sede. Satis notæ sunt fabulæ Daphnes in laurum mutatæ et Hyacinthi in florem cognominem. Arborem et florem Apollo eodem amore prosequebatur quo, dum viverent, Daphnen et Hyacinthum. — 62 Malum Veneri sacrum habebatur : quare amantes malo in aliquem conjecto amorem suum significabant. Petulans et jocose procax (hoc enim est *lasciva*) Galatea misso malo delicians fugit. — 63 Antequam occultetur salicetо. — 64 Amyntas puer, cujus amore flagro. Sæpius *ignis* et *flamma* de ipso amore dicuntur, quam, ut hic, de persona amata. — 65 Ita frequens ad me commeat Amyntas, ut vel Delia, amica mea, non magis, quam Amyntas, nota sit canibus meis, qui neque illam neque hunc aliatrant, bene sibi cognitos. Galateæ amore superbienti Damœtæ Menalcam respondentem vides, se non solum a puella, sed etiam a puero ultro se offerente amari.

DAMOETAS.

Parta meæ Veneri[66] sunt munera : namque notavi
Ipse locum, aëriæ quo[67] congessere palumbes.

MENALCAS.

Quod[68] potui, puero silvestri ex arbore lecta[69]
Aurea[70] mala decem misi ; cras altera mittam.

DAMOETAS.

O quoties et quæ nobis Galatea locuta est !
Partem[71] aliquam, venti, divûm referatis ad aures !

MENALCAS. [mynta,

Quid prodest quod me ipse[72] animo non spernis A-
Si, dum tu sectaris apros, ego retia servo[73] ?

DAMOETAS.

Phyllida mitte mihi, meus est natalis[74], Iolla ;
Quum faciam[75] vitula pro frugibus, ipse venito[76].

MENALCAS.

Phyllida[77] amo ante alias ; nam me discedere[78] flevit,
Et longum[79] *Formose, vale, vale,* inquit, *Iolla.*

DAMOETAS.

Triste[80] lupus stabulis, maturis frugibus imbres[81],
Arboribus venti, nobis Amaryllidis iræ.

MENALCAS.

Dulce satis[82] humor, depulsis[83] arbutus hædis,

66 Meo amori, id est meæ amicæ, parata et in promptu sunt munera quæ ei mittam. *Partus* et *paratus* simillimo sensu dicuntur latine. — 67 Locum, in quem congesserunt (stipulam sive levia alia, quæ solent), id est in quo nidum sibi fecere palumbes, aeriæ regionis incolæ. Aves Veneri sacræ, quare sunt in donis amantium. — 68 Ego feci id quod potui vel quantum potui : misi amato puero mala, etc. Latinis *quod potui* verbo principi parenthetice additur, sine *feci* quod nos exprimere consuevimus. — 69 *Legi* dicuntur et fruges et flores, quos decerpimus ; confer notam 18 ad Eclog. II. Sed hoc loco selecta potius, præstantissima vel maxime matura arboris poma intelligi videntur. Quo referas altera decem sequenti die mittenda, quando hæc quoque satis maturuerint. — 70 Aurea mala dicit, ex communi usu poetarum, pulcherrima, exquisita : certe neque de cydoniis (*coings*) capi potest, quæ non nisi melle condita edebantur, neque de citreis (*citrous*), quæ ab ipso Virgilio *Medica* dicuntur et exotica, ut ex *silvestri arbore* in Italia peti non potuerint. — 71 Sensus : Opto ut pars certe aliqua horum blande dictorum et promissorum rata sit et eventum habeat. Nimirum dii non curare dicuntur jurajuranda et perjuria amantium, illa non audire, hæc non punire : quare Damœtas ventos precatur ut exiguam modo partem eorum, quæ Galatea per deos promiserat, ad aures eorum perferant, quo hæc pars certe adimpleatur. *Referri* enim dicuntur quæ ad aliquem pertinent vel ei debentur. Non cogitandum igitur de locutione plane diversa, qua ventis *ferri* sive auferri dicuntur promissa amantium. — 72 *Ipse* significat : per te, quod ad mentem tuam attinet. — 73 Venatoribus aderant qui observarent quid ubique in retia, latiore spatio extensa, incideret : λινόσκοποι (linorum spectatores, Græci vocant. Hoc igitur munus obit Menalcas, ut obsequium exhibeat Amyntæ venanti : sed hic dum venationis studio totus incalescit, quid relinquitur amori ? — 74 Sic aliam Phyllidem ad se invitat Horatius Mæcenatis diem natalem celebraturus, Od. IV, 11. Iollæ nomine fortasse hic quoque significatur Asinius Pollio, ut in Ecloga superiore. — 75 Sacra faciam sive sacrificabo vitulam immolando pro frugibus : quod fiebat Sacro Ambarvali, « quo hostia (inquit Festus) rei divinæ causa circum arva ducitur ab iis, qui pro frugibus faciunt. » — 76 Hæc ita sunt intelligenda : Ambarvali festo, quo pura omnia et casta fient, ipse quoque adesse poteris ; sed natali die, quo genio et amoribus indulgemus, mitte Phyllidem solam. — 77 Damœtam vexaturus Menalcas respondet non ex sua, sed ex Iollæ persona : quod probe tenendum est ad intellectum horum versuum aliter inexplicabilium. — 78 Flevit de meo discessu : quod magnum signum amoris. — 79 Adjectivum refertur ad sequentia græco more pro substantivo neutro accipienda. — 80 Res tristis est etc. — 81 Plinius : *Maturescentia frumenta imbre lædunter.* — 82 Segeti. — 83 Hædis a matrum lacte remotis. Arbuti, arboris in Italia valde frequentis (*arbousier*), folia capellis gratissima.

Lenta salix[84] fœto pecori, mihi solus Amyntas.

DAMOETAS.

Pollio amat nostram, quamvis est rustica, Musâ[85];
Pierides[86], vitulam lectori pascite vestro.

MENALCAS.

Pollio et ipse facit nova[87] carmina: pascite taurum,
Jam[88] cornu petat et pedibus qui spargat arenam.

DAMOETAS.

Qui te, Pollio, amat, veniat quo[89] te quoque gaudet;
Mella[90] fluant illi, ferat et rubus asper amomum.

MENALCAS.

Qui[91] Bavium non odit, amet tua carmina, Mævi;
Atque idem jungat[92] vulpes, et mulgeat hircos.

DAMOETAS.

Qui[93] legitis flores et humi nascentia fraga,
Frigidus[94], o pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.

MENALCAS.

Parcite[95], oves, nimium procedere; non bene ripæ
Creditur[96]: ipse aries etiam nunc vellera siccat.

DAMOETAS.

Tityre, pascentes a flumine reice[97] capellas;
Ipse, ubi tempus erit, omnes in fonte lavabo.

MENALCAS.

Cogite[98] oves, pueri: si lac præceperit[99] æstus,
Ut nuper, frustra pressabimus ubera palmis.

DAMOETAS. [ervo!
Heu, heu, quam pingui[1] macer est mihi taurus in
Idem amor exitium est pecori pecorisque magistro.

84 Vide not. 83 Eclogæ I. — 85 Poesin. — 86 Musas invocat, ut semper adsint sibi pascenti et quasi ipsæ pascant vitulam quam immolaturus est pro salute Pollionis, qui leget carmina ipsarum inspiratione condita. Jam ab aliis notatum est *lectoris* vocabulum haud conveniens pastoritiæ musæ. — 87 Ipse Homerus *novitatem* carminum in principibus eorum laudibus atque lenociniis ponit; ut non necessarium videatur explicare: præclara, vel (ut alii) in quibus res novæ tractentur. — 88 Pro vitula Damœtæ Menalcas majus aliquid vovet, juvenem taurum, qui jam sit petulcus et tam animose ingrediatur, ut aremam jactet. — 89 Is eo perveniat quo te quoque pervenisse gaudet, id est ad maximam felicitatem, quæ sequenti versu describitur. — 90 Tam felix sit qui Pollionem et carmina ejus amat, ut mella ei fluant ex quercubus (vide not. 30 sequentis Eclogæ) et spinosi rubi (*ronces*) non mora ipsi ferant, sed amomum, Indici frutices fructum uvæ similem et odoratissimum. Ex aurei sæculi facultatis perfectionem assequatur, et *poetica mella* (quod Horatius dixit) ei fluant, adeo ut vel siccum et exile argumentum (*rubum*) suavissime exornare valeat. — 91 Boni poetæ laudibus Menalcas opponit exsecrationem poetarum malorum, Bavii et Mævii, qui iidem bonorum, ut Virgilii et Horatii, erant osores et obtrectatores acerrimi. Alterum Horatius quoque detestatur Epodo X. Igitur Menalcas ei qui non odit Bavium, hoc malum imprecatur, ut amet Mævii carmina, etiam pejoris, ut apparet, poetastri. — 92 Imprecatio altera: Idem faciat res absurdas et insanas, qualia sunt *jungere*, id est jugo subjicere (*atteler*) vulpes, et mulgere hircos. — 93 Jam ad argumenta mere rustica cantores transeunt. O pueri, qui legitis etc., hinc fugite. — 94 Nam latet in herba anguis frigidus (quæ est natura reptilium). — 95 Cavete, nolite. Aliud periculum, fluvii vicinitatem, ovibus suis monstrat Menalcas. — 96 Fiditur. Ripæ eo minus fidendum, quod ipse dux gregis, aries, in aquam lapsus erat, nunc villos ad solem siccans. — 97 Repelle. Poetæ verbum *rejicere* cum synæresi proferunt *reicere*. — 98 Compellite in locum umbrosum, ut ex sequentibus apparet. — 99 Ante ceperit, absulerit priusquam mulgeamus. — 1 Queritur Damœtas, macrum esse taurum suum, quamvis positum in pingui *ervo* (nobis *ers*), quod bubus est pabulum saluberrimum.

MENALCAS.

His[2] certe neque amor causa est; vix ossibus hærent:
Nescio quis teneros oculus[3] mihi fascinat agnos.

DAMOETAS.

Dic[4] quibus in terris, et[5] cris mihi magnus Apollo,
Tres[6] pateat cæli spatium non amplius ulnas.

MENALCAS.

Dic quibus in terris inscripti nomina[7] regum
Nascantur flores; et[8] Phyllida solus habeto.

PALAEMON.

Non nostrum[9] inter vos tantas componere lites:
Et vitula tu dignus, et hic. Et quisquis amores
Haud[10] metuet, dulces aut experietur amaros.
Claudite[11] jam rivos, pueri; sat prata biberunt.

2 *His*, scilicet agnis, eos digito demonstrans. Ante *vix* supple *et*, ob præcedens *neque*. — 3 Opinabantur veteres, solum adspectum hominis invidiosi noxium et pestiferum esse, præsertim iis, qui nondum firmo et robusto corpore essent, velut infantibus et teneris adhuc pecoribus. — 4 Hucusque Menalcas, ex amœbæi carminis lege, ad omnia vel similis vel oppositi argumenti versibus bene responderat: nunc Damœtas subito novum quid tentat, proponens *ænigma*. — 5 Parenthetice: Et, si hoc dixeris, a me judicaberis sapientissimus et similis Apollini, qui ex Jove scit omnia. — 6 Quærit igitur: quibus in terris cœli spatium non pateat sive extensum sit amplius *quam* tres ulnas. Eam particulam ad numeralia fere omitti constat. Multa in hanc quæstionem recentiores commenti sunt satis improbabilia: sed bene factum quod æqualium Virgilio hominum testimonia servata sunt a veteribus scholiastis Philargyrio et Servio. Nimirum Asconius Pedianus et Cornificius « dixerunt se audivisse Virgilium dicentem, in hoc loco se grammaticis crucem fixisse, quæsituris, si quid studiosius occultaretur. Nimirum se voluisse significare sepulchrum Cælii Mantuani, hominis luxuriosi, qui, venditis omnibus rebus et consumptis, tantummodo sibi spatium reservarit, quod sepulchro sufficeret; et voluisse errorem facere ex *cæli* et *Cæli* similitudine, ut sit: Dic mihi, ubinam sepultus est Cælius, cujus tribus ulnis continetur sepulchrum? » — 7 Flores *inscripti nomina regum* græca syntaxi dictum pro: inscripta habentes nomina regum. Intelligit *hyacinthos* (nobis *lis martagon*), quorum in foliis calycum conspiciuntur vagi quidam ductus a cetero colore distincti: hi a veteribus Αἰ esse credebantur, sive lamentantis interjectio αἰ, *heu!* sive initium nominis Αἴαντος, *Ajacis*, ex cujus sanguine florem progerminasse fabulabantur; alii pro Υ habebant, Ὑάκινθον indicante (vide supra not. 61). Ille filius Telamonis, Salaminæ regis, hic OEbali aut Amyntæ, regis Lacedæmoniorum; notum est autem filios quoque regum vocari *reges*. Pluralis *regum* ad ambos referri videtur, quamquam de uno Virgilius similiter loqui poterat. — 8 Et, si dixeris, etc. Supra v. 78 Menalcas quoque Phyllidem appetere videbatur. — 9 Non meum est, id est hominem qualis ego sum non decet, etc. — 10 *Haud* ex emendatione Wagneri pro *aut*. Palæmon postquam modeste dixerat se in certamine tam magno non posse judicium ferre, utrumque esse præstantem et vitula dignum, suam quoque sententiam profert de re amatoria, in qua pastorum versus amœbæi maxima ex parte versabantur. Dicit igitur: Quisquis satis est audax ut non metuat nec fugiat amoris discrimina, is experietur amorem pro rei eventu aut dulcem esse aut amarum: ad utrumque igitur paratus esse debet. Simplex profecto sententia et modesta hominis jam fassi non suum esse *tantas componere lites*. — 11 Discedens Palæmon ad suum opus redit et servis suis imperat ut nunc claudant rivulos vel canales quibus prata ipsius irrigantur: jam enim satis esse irrigua. Supra igitur exisse putandus est ut aperiri juberet canales. Per errorem veterum interpretum factum est ut hic versus apud nos quasi in proverbium abierit, quo satis de aliqua re dictum esse et finiendi tempus advenisse significamus. Nimirum illi *pueros* de Menalca et Damœta intelligentes figuratam sive allegoricam esse orationem sibi persuaserant falso.

ECLOGA QVARTA.

POLLIO.

SICELIDES[1] Musæ, paulo majora canamus;
Non omnes arbusta juvant[2] humilesque myricæ:
Si[3] canimus silvas, silvæ sint Consule dignæ.
Ultima Cumæi[4] venit jam carminis ætas;
Magnus ab integro sæclorum[5] nascitur ordo.
Jam redit et Virgo[6], redeunt Saturnia regna;
Jam nova progenies[7] cœlo demittitur alto.
Tu[8] modo nascenti puero[9], quo ferrea primum
Desinet ac toto surget gens aurea mundo,
Casta, fave, Lucina: tuus[10] jam regnat Apollo.
Teque[11] adeo decus hoc ævi, te consule, inibit,

1 Musæ præsides pastoritii carminis, quod Siculum dicitur, quia in Sicilia exorti Daphnis (vide Argumentum Eclogæ V) et Theocritus. — 2 Non omnibus placent arbusta et ruris humilitas. — 3 Sensus: Si tamen pastoritium carmen componimus, id ita componatur ut dignum sit consule Asinio Pollione. De quo et de toto hoc carmine vide quæ exponuntur in Argumento. — 4 Ætatum sive sæculorum ex oraculis Sibyllæ Cumanæ cognitorum jam advenit ultimum, id est decimum, quo prisca ætas aurea orbi redditur. — 5 Sæculorum ille orbis magnus est qui vocabatur *annus mundanus*, quo perfecto sidera omnia in suos ortus redire et rerum omnium fieri renovatio credebatur. — 6 *Virgo* est Justitia, Δίκη, Jovis et Themidis filia, quæ olim post auream ætatem in cœlum se receperat, Astræa sive Virginis nomine inter sidera splendens, nunc in terras reditura. Ex Italorum fabulis antiquis Saturnus Italiam rexit per auream ætatem, hinc ipsius nomine vocatam. — 7 Novum genus humanum, gens aurea. — 8 Tu fave puero nunc nascenti, Diana Lucina. Deam hanc partubus præesse constat; *casta*, solitum epitheton Dianæ ab amoribus alienæ. — 9 Asinio Gallo, Asinii Pollionis filio, *quo* existente sive cujus ortu *ferrea* etc. — 10 Quippe frater Dianæ. Ultimum sæculum sive ultimum mensem anni mundani *Solis* esse memoraverat Sibylla. Notum est Apollinis numen jam priscis temporibus cum Sole confusum fuisse. — 11 Te consule, o Pollio, exordium habebit *decus hoc ævi*, id est pulcherrimum et felicissimum hoc ævum; sic enim malim quam de puero nascenti dictum intelligere.

Pollio, et incipient magni[12] procedere menses;
Te duce[13], si qua manent sceleris vestigia nostri,
Irrita[14] perpetua solvent formidine terras.
Ille[15] deûm vitam accipiet[16], divisque videbit
Permixtos heroas, et ipse videbitur illis;
Pacatumque[17] reget patriis virtutibus orbem.
At tibi prima, puer, nullo munuscula cultu[18]
Errantes hederas passim cum baccare[19] tellus
Mixtaque ridenti colocasia fundet[20] acantho.
Ipsæ[21] lacte domum referent distenta[22] capellæ
Ubera, nec magnos metuent armenta leones.
Ipsa[23] tibi blandos fundent cunabula flores.
Occidet[24] et serpens, et fallax herba veneni
Occidet; Assyrium vulgo[25] nascetur amomum.
At simul[26] heroum laudes et facta parentis
Jam legere et quæ[27] sit poteris cognoscere virtus,
Molli[28] paulatim flavescet campus arista,
Incultisque[29] rubens pendebit sentibus uva,
Et duræ quercus sudabunt[30] roscida mella.
Pauca tamen suberunt priscæ vestigia fraudis[31],
Quæ[32] tentare Thetim ratibus, quæ cingere muris
Oppida, quæ jubeant telluri infindere sulcos.

12 Menses *magni*, utpote temporis magni, illustris, aurei sæculi. Alii intelligunt novos *anni magni* menses, quo nomine appellatur annus mundanus. — 13 Te auspice, græce σοῦ ἡγεμόνος, principio facto ab eo anno, qui tuum nomen gerit. — 14 Ea vestigia *sceleris nostri* (qua voce, ut apud Horatium, longissimi belli civilis facinora immania intelliguntur) irrita facta, sublata et abolita sive, ut nos loquimur, eorum scelerum usque ad ultimum vestigium deletio liberabit humanum genus a perpetuo timore. — 15 Puer Asinii nascens. — 16 Habebit vitam divinæ vitæ similem, inter deos et heroas : nam aureo sæculo homines vivebant *ut dii* (ὡς θεοὶ ἔζωον apud Hesiodum) et a diis invisebantur. — 17 Orbem terrarum pace donatum a patre (cujus præcipuæ partes erant in Brundusino illo fœdere conciliando) puer iisdem virtutibus patriis *reget* sive gubernabit, ipse quoque ad summos honores evehendus. Hinc poeta pingit aureæ hujus vitæ felicitatem, initia capientem a pueritia Asinii Galli, incrementa cum adolescentia ejus, consummationem cum ætate virili. — 18 *Nullo cultu*, id est sine cultu et sua sponte tellus omnia proferebat aureo sæculo. Sic igitur Gallo proferet, quasi prima munuscula infantiæ, hederas huc illuc vagantes, luxuriantes, etc. — 19 Herba odorata et coronaria, quæ creditur esse nostra *digitale pourprée*. — 20 Magnâ copiâ proferet colocasia (hodieque dictum *Arum colocasia*). *Ridenti*, id est læto, pulchro, ad foliorum acanthi formam elegantissimam referendum videtur. — 21 Sponte sua, non agente pastore. — 22 Turgentia, plena. — 23 Cunabula tua sponte, nemine serente et curante, proferent ubertim flores vel colore vel odore tibi gratos. — 24 Sensus : Noxia omnia peribunt, quæ ferream ætatem afflixerunt; venenatum nihil usquam supererit. — 25 In omnibus locis. Indicum amomum (vid. not. 90 Eclogæ III) per Assyrios sive Syros mercatores in Occidentem ferebatur; hinc epitheton. — 26 Simul ac factus eris adolescens. — 27 Cognoscere qualis et quanta sit virtus heroum et patris tui. — 28 Tunc eveniet ut sponte sua (hoc enim ex præcedentibus satis intelligitur, neque opus erat ut repeteretur) sensim flavum colorem induat campus aristis maturescentibus plenus; novæ autem aristæ erunt *molles*, id est læves et glabræ, non acutis acubus vallatæ. Quod quo pertineat, docet Cicero *de Senectute* c. 15, qui frumentum dicit *contra avium minorum morsus munitum esse vallo aristarum* : quo non opus est sæculo aureo, nihil ferenti noxium. — 29 Et ex sentibus, quos nemo colit, pendebit uva purpurea. — 30 Exsudabunt. Putabatur enim aurea ætate mel, roris modo, de foliis quercuum stillasse, verbo Ovidiano, dicentis in descriptione ætatis hujus : *Flavaque de viridi stillabant ilice mella*. — 31 *Fraudis* idem est quod supra *sceleris* : mala tamen et vitia nonnulla ferreæ ætatis remanebunt in novo hoc sæculo aureo, velut navigatio (de qua ex Saturnii regni mente locutus est Horatius in oda III libri primi), urbium tutela, aratio. — 32 Quæ jubeant mare experiri navibus. *Thetis* pro mari dicitur, ut Vulcanus pro igni, Ceres pro segete, etc.

Alter erit tum Tiphys[33], et altera quæ vehat Argo
Delectos[34] heroas; erunt etiam altera bella,
Atque iterum ad Trojam magnus mittetur Achilles[35].
Hinc, ubi jam firmata virum te fecerit ætas,
Cedet et ipse mari vector[36], nec nautica pinus[37]
Mutabit[38] merces; omnis feret omnia tellus.
Non rastros patietur humus[39], non vinea falcem;
Robustis[40] quoque jam tauris juga solvet arator;
Nec varios discet mentiri[41] lana colores,
Ipse sed in pratis aries jam suave rubenti
Murice[42], jam crocco mutabit vellera luto[43];
Sponte sua sandyx[44] pascentes vestiet agnos.
Talia[45] sæcla, suis dixerunt, currite, fusis
Concordes stabili fatorum numine Parcæ.
Aggredere[46] o magnos, aderit jam tempus, honores,
Cara deûm[47] soboles, magnum Jovis incrementum[48]!
Aspice convexo[49] nutantem pondere mundum,
Terrasque, tractusque maris, cœlumque profundũ[50];
Aspice, venturo lætantur ut omnia sæclo!
O[51] mihi tam longæ maneat pars ultima vitæ,
Spiritus et[52], quantum sat erit tua dicere facta!
Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,
Nec Linus[53]: huic mater quãvis atq; huic pater adsit,

33 Tiphys erat Argûs navis gubernator : quæ Argonautarum expeditio, post eamque bellum Trojanum facta sunt *heroicâ* ætate, qualem ætatem repetitum iri poeta significat, quando adoleverit filius Pollionis. — 34 Enniano vocabulo utitur Virgilius; sic enim vetus poeta in Medea tragœdia: *Argo, qua vecti Argivi* DELECTI *viri*. — 35 Princeps ille heroum Troici belli. — 36 Navigator nullus in mari conspicietur. — 37 Navis ex pini ligno constructa. — 38 Commercia mutandis mercibus faciet. — 39 Neque rastris aliis-

que agriculturæ instrumentis fodietur terra, neque vitis putabitur. — 40 Tauris qui robore suo aratorem adjuvant. — 41 Mentiri colores lana dicitur, quia alieno inficitur colore : ipsæ jam pecudes per se habebunt colorem purpureum vel croceum vel rubrum. — 42 Purpura. — 43 Lutum sive luteum est herbæ genus (nobis *gaude*), quo tincta lana croceum sive flavum colorem refert. — 44 Sandyx dicitur pigmenti genus ex sandaracha tosta et rubrica mixtum, quo rubeus color rebus inducitur. *Pascentes* intransitive positum. Ipso pastu igitur ovium, non tinctoris opera, producentur in lana colores varii. Leviter Plinius in hoc versu notat Virgilium, ut qui « sandycem existimaverit *herbam* esse. » — 45 Construe et intellige : Parcæ, nunc concordes in fatis hominum rerumque definiendis et cuique assignandis ex certa et constanti lege divina, fusis suis, quibus fila fatorum deducunt, dixere : Currite talem cursum sæculorum! sive : Talia sæcula producite cursu vestro! Græca syntaxis est, neque supplenda præpositio *per*. — 46 Poeta puerum alloquitur quasi jam in virili ætate constitutum. — 47 *Deorum* pro : dei, scilicet Jovis. « Sic enim totum genus interdum pro singulis ponitur, ubi minus refert quis sit ille, id est quod sit ejus nomen quem significamus, quam qualis sit, dei scilicet alicujus, non mortalis patris filius. » W. — 48 Magna accessio ad Jovis sobolem; nova et illustris proles, quæ accedit ad numerum filiorum Jovis. Nam *incrementum* non significat alumnum, ut alii interpretantur. Cursus alii : qui per Jovem incrementum capit, cui favet Jupiter; quod nequit probari. — 49 Mundum nutantem, commotum tota mole sua, quæ *convexa* dicitur a cœli omnia complectentis specie convexa. Sic enim afficitur mundus adventu atque ἐπιφανείᾳ numinis, uti etiam in nostris libris Sacris *A facie Domini mota est terra; montes exsultastis ut arietes*, etc. — 50 *Profunda* et *alta* dicuntur in certam regionem (*direction*) longe extensa, sed ipsa directio non necessario indicatur his vocabulis; ita ut cœlum vocari possit *profundum*, puteus *altus*. — 51 O utinam mihi (nunc tricenni) pars ultima vitæ perduret ita, ut satis longa sit ad virilem ætatem tuam videndam! — 52 Et utinam maneat mihi *spiritus*, id est vigor ardorque ingenii et vis poetica. — 53 Vates antiquissimus, qui cum Apolline certasse dicitur, distinguendus, ut videtur, ab eo Lino, qui Herculi fuit magister musices.

Orphei [54] Calliopea, Lino formosus Apollo.
Pan etiam Arcadia [55] mecum si judice certet,
Pan etiam Arcadia dicat [56] se judice victum.

Incipe, parve puer, risu cognoscere [57] matrem :
Matri [58] longa decem tulerunt fastidia menses.
Incipe [59], parve puer : cui [60] non risere parentes,
Nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.

54 Dativi forma græca. Calliope Musa Orpheum peperisse dicebatur ex OEagro, fluvio et rege Thraciæ; Apollo Linum genuisse ex Urania aut Calliope. — 55 Pastoribus Arcadiæ judicibus, qui Panem, peculiarem Arcadiæ deum, maxime venerantur. — 56 Ipse fateatur. Repetitio *amœna* (inquit Macrobius), vim simul et simplicitatem habens. — 57 Suaviter arridens matri agnoscere eam, sive significare risu tuo, eam a te cognosci. Infantis risus est intelligendus, non matris. — 58 Meruit hoc mater de te, ut eam risu tuo exhilares : nam *decem menses* (sic enim veteribus indicari solet tempus in utero gestationis) ipsi attulerunt fastidia longa. — 59 Incipe arridere matri, et sic parentes invitabis, ut tibi quoque læti arrideant. Hoc voluisse poetam, sequentia monstrant. — 60 Is cui nascenti non arriserunt parentes, nunquam inter deos et heroas versabitur. Poeta autem supra vaticinatus erat Gallum inter deos loeum habiturum. Ceterum probabiliter observant veteres scholiastæ. Virgilium respexisse ad fabulam Vulcani : « qui quum deformis esset, et Juno ei minime arrisisset, ab Jove est præcipitatus in insulam Lemnum. Illic nutritus ab Sintiis, quum Jovi fulmina fabricasset, non est admissus ad epulas deorum. Postea quum rogasset ut vel Minervæ conjugium sortiretur, spretus ab ea est. »

ECLOGA QVINTA.

DAPHNIS.

MENALCAS, MOPSUS.

MENALCAS.

Cur non, Mopse, boni quoniam convenimus ambo,
Tu[1] calamos inflare leves, ego dicere versus,
Hic corylis[2] mixtas inter considimus ulmos?

MOPSUS.

Tu major[3]; tibi me est æquum parere, Menalca;
Sive sub incertas[4] Zephyris motantibus umbras,
Sive antro potius succedimus. Aspice ut[5] antrum
Silvestris raris sparsit labrusca racemis.

MENALCAS.

Montibus in nostris solus tibi certat Amyntas.

MOPSUS.

Quid[6], si idem certet Phœbum superare canendo?

MENALCAS.

Incipe, Mopse, prior; si quos[7] aut Phyllidis ignes,

1 Tu *bonus*, id est peritus inflare fistulam calamis levibus sive arundinibus compactam. *Dicere* apud omnes poetas latinos pro : canere. — 2 Inter ulmos mixtas corylis. — 3 Major natu. — 4 Sive hinc imus sub umbras *incertas*, id est tremulas, fluitantes, quia Zephyrorum aura leniter agitans ramos et folia, eas sæpe loco movet. — 5 Quomodo *labrusca*, vitis silvestris, græc. ἀγριάμπελος, hocantrum obduxit racemis hinc inde sparsis. Qui non laudarentur in vitibus cultis, racemi *rari* (non densi), commendant antrum non obscuratum nimia foliorum luxurie. Sic in Ecloga VII laudatur arbutus fontes tegens ob *raram* umbram. — 6 Audita hac Amyntæ laude, ut sibi fere paris, Mopsus non sine stomacho respondet : Quid, si idem Amyntas contendat etiam Musarum coryphæum superare canendo? Tam temeraria illi est artis confidentia, ut etiam Apollinem in certamen provocare audeat : sed ejusmodi adversarius victus mihi non plus laudis attulerit quam ipsi Apollini. — 7 Si forte habes aut Phyllidis amorem, quem canas. *Quos* attractioni cuidam vocis *ignes* debetur.

Aut Alconis[8] habes laudes, aut jurgia Codri[9] :
Incipe; pascentes servabit[10] Tityrus hædos.

MOPSUS.

Imo[11] hæc, in viridi nuper quæ cortice fagi
Carmina descripsi, et modulans alterna[12] notavi,
Experiar : tu deinde[13] jubeto ut certet Amyntas.

MENALCAS.

Lenta salix quantum pallenti[14] cedit olivæ,
Puniceis humilis quantum saliunca[15] rosetis,
Judicio nostro tantum tibi cedit Amyntas.

MOPSUS.

Sed tu desine[16] plura, puer; successimus antro.
Exstinctum Nymphæ crudeli funere[17] Daphnim
Flebant : vos, coryli, testes, et flumina, Nymphis,
Quum complexa sui corpus miserabile nati
Atque[18] deos atque astra vocat crudelia mater.
Non[19] ulli pastos illis egere diebus [amnem
Frigida, Daphni, boves ad flumina; nulla[20] neque
Libavit quadrupes, nec graminis attigit herbam.
Daphni, tuum[21] Pœnos etiam ingemuisse leones
Interitum montesque feri silvæque loquuntur.
Daphnis[22] et Armenias curru subjungere tigres
Instituit, Daphnis thiasos inducere[23] Bacchi,
Et[24] foliis lentas intexere mollibus hastas.

8 Pastoris nomen. Quanquam nonnulli intelligunt Alconem cælatorem, cujus aliqua fama apud poetas hujus temporis. — 9 Inter obtrectatores poetarum Augustei sæculi, præter Bavium et Mævium, etiam Codrus erat, quem in transcursu notat Virgilius. — 10 Custodiet. — 11 Non illa quæ tu mihi canenda proponis, sed *hæc* experiar, *quæ* etc. Sic in Eclog. X pastor *teneros incidit amores Arboribus*. — 12 Hæc ita sunt intelligenda : versibus cortici incisis Mopsus modulationem, sive modos musicos, aptabat tam vocis quam fistulæ, simul etiam notavit *alterna*, id est locos ubi fistula cum voce alternans cantum excipiebat. Perperam, ni fallor, adverbialiter capitur *alterna* : alternatim canens versiculum, et eumdem mox incidens in corticem. — 13 Quando meum carmen audieris. *Jubeto* futuri temporis imperativus est. Mopsus persuasum habet non jussurum Menalcam; atque hic statim respondet, se jam nunc scire, Amyntas quanto sit, si cum Mopso comparetur, inferior. — 14 *Pallens* latine dicitur nonnunquam de viridi colore in fuscum vergente, non nitido vel splendente. — 15 Saliunca herba • odore quidem suavi (Plinius inquit), tanta autem brevitate, ut necti non possit. » Nobis *nard celtique*. — 16 *Desinere* apud poetas cum accusativo struitur, ut Ecl. VIII : *desine, tibia, cantus*. Novam notionem addit *plura*, quasi dicat : desine hæc, neu addas plura. — 17 Acerba morte. Daphnis in ipso flore juventæ mortuus erat vel, ut alii narrant, a Mercurio patre cœlo illatus. — 18 Alloquitur, voce appellat et deos et astra, quæ vim habere in hominum fata putabantur. Jejune alii explicant : deos et astra dicit vel nominat crudelia. — 19 Observa modulationem lugubrem versus. Quod semel monemus; nam monstrandæ in talibus arti Virgilianæ notularum mille unum haud sufficeret. — 20 Ipsa etiam armenta et pecora præ dolore cibo potuque abstinent. Inter prodigia necem Julii Cæsaris indicantia Suetonius (c. 81) refert : *equorum greges, quos in trajiciendo Rubicone fluvio consecrarat ac vagos et sine custode dimiserat, comperit pertinacissime pabulo abstinere, ubertimque flere*. — 21 Testantur montes et silvæ (quibus vox datur poetice), etiam leones Africanos, ipsorum habitatores, gemuisse de interitu tuo. Conjicunt *Punicos* leones a poeta memoratos esse, ut Carthaginis quoque luctum indicaret, quam J. Cæsar colonia deducta instauratum ibat. — 22 His versibus tribus Daphnis celebratur, quod vini cultum introduxit apud pastores Siciliæ, quasi eorum Bacchus. Satis notum ex monumentis antiquis, Bacchum curru tigribus juncto vehi. *Curru* est dativus. — 23 In Sicilium introducere choros bacchantium. Græca vox est θίασος. — 24 Descriptio thyrsi, quem bacchantes gestabant : hastæ ex ligno nondum sicco et rigido, hederis et pampinis cinctæ. Hæc nonnulli ita ad Julium Cæsarem referunt, ut similis Baccho et Cereri, cultioris vitæ auctoribus, civitatem bellis efferatam legibus suis pacasse et excoluisse dicatur.

Vitis[25] ut arboribus decori est, ut vitibus uvæ,
Ut gregibus tauri, segetes ut pinguibus arvis;
Tu[26] decus omne tuis. Postquam te fata tulerunt[27],
Ipsa Pales[28] agros atque ipse reliquit Apollo[29].
Grandia[30] sæpe quibus mandavimus hordea sulcis,
Infelix[31] lolium et steriles nascuntur avenæ;
Pro molli viola, pro purpureo[32] narcisso,
Carduus et spinis surgit paliurus[33] acutis.
Spargite[34] humum foliis, inducite[35] fontibus umbras,
Pastores; mandat fieri sibi talia Daphnis.
Et tumulum facite, et tumulo superaddite carmen[36]:
DAPHNIS EGO IN SILVIS, HINC VSQVE AD SIDERA NO-
FORMOSI PECORIS CVSTOS, FORMOSIOR IPSE[37]. [TVS,

MENALCAS.

Tale tuum carmen nobis, divine poeta,
Quale sopor fessis in gramine, quale[38] per æstum
Dulcis aquæ saliente sitim restinguere rivo.
Nec calamis solum æquiparas, sed[39] voce magistrum.
Fortunate puer, tu nunc eris alter ab[40] illo. [sim
Nos tamen hæc quocumque modo tibi nostra[41] vicis-
Dicemus, Daphnimque tuum tollemus ad astra[42]; [nis.
Daphnin ad astra feremus[43]; amavit nos quoque Daph-

MOPSUS.

An quidquam nobis tali sit munere majus?
Et puer ipse fuit cantari dignus, et ista
Jam pridem Stimicon[44] laudavit carmina nobis.

MENALCAS.

Candidus[45] insuetum miratur limen Olympi,
Sub pedibusque videt nubes et sidera Daphnis.
Ergo[46] alacris silvas et cetera rura voluptas
Panaque pastoresque tenet, Dryadasque[47] puellas.

25 Vitis quæ in Italia arboribus *maritari* solet. — 26 Italu esetc. — 27 Abstulerunt, vel sustulere. — 28 Vetustissima Italorum dea rei pecuariæ præposita, cui quotannis solemne festum celebrabatur a. d. XII kal. maias (20 *avril*), die natali Urbis. — 29 Apollo a Græcis vocatus Νόμιος, quasi *Pascualis*, a pastoribus cultus. Horum quoque deorum deliciæ Daphnis erat. — 30 Hoc deorum rusticorum propter luctum discessu facta est sterilitas. *Grandia* frumenta seligi solebant ad sementem. Pluralem *hordea*, paullo insolentius positum et poesi soli concessum sic rosere obtrectatores Virgilii, Bavius et Mævius, versiculo qui solus fere, ut ingenii ipsorum monumentum, ad nos pervenit: *Hordea qui dixit, superest ut tritica dicat.* — 31 Lolium (*l'ivraie*) infœcundum, ut seges contra est *felix*. « *Felices* arbores Cato dixit quæ fructum ferunt, *infelices* quæ non ferunt. » *Fest.* Avenæ sunt quod appellamus *haveron*. Ipsum hordeum in lolium et avenas degenerare veteres credebant. — 32 Narcisso qui est calyce purpureo. — 33 Nobis quoque *paiure*. — 34 Conspergite frondibus locum ubi Daphnis sepultus est. — 35 Circa fontem, ad quem humatus est, serite arbores, quæ umbram loco obducant. — 36 Titulum sive inscriptionem carmine conceptam. — 37 Etiam Julii Cæsaris forma laudabatur; qui corporis curâ providere studebat, ne originem ex Venere dedeceret. — 38 Quale est τὸ *restinguere sitim* etc., substantive posito infinitivo et iis quæ inde pendent. Jungenda *sopor in gramine*. — 39 *Sed*, sine *etiam*, est augentis: non solum fistulæ cantu, sed, quod majus est, verbis et carmine. — 40 Post illum. Sic Horatius: *Ajax heros ab Achille secundus*. — 41 Mea carmina. — 42 Summis laudibus celebrabimus. — 43 Eamdem imaginem repetit, ut prope cogat lectorem de *apotheosi* cogitare. Sequentibus respici putatur benevolentia Julii Cæsaris in Gallos Cisalpinos. — 44 Pastoris alicujus nomen. — 45 Menalcas canit apotheosin Daphnidis, prima statim voce ostendens ejus speciem aliam ac Mopsus: jam est *candidus*, id est splendens, serenus, lætus. — 46 Ob hanc causam, quia in cœlum evectus Daphnis, voluptas alacris tenet etc. — 47 Arborum nymphas, simul cum arbore sua et viventes et morientes; quare etiam Ἁμαδρυάδες dictæ.

Nec[48] lupus insidias pecori, nec retia cervis
Ulla dolum meditantur : amat bonus otia[49] Daphnis.
Ipsi lætitia voces ad sidera jactant
Intonsi[50] montes ; ipsæ jam carmina rupes,
Ipsa sonant[51] arbusta : « Deus, deus ille, Menalca ! »
Sis bonus o felixque[52] tuis ! en quattuor aras[53] :
Ecce duas tibi, Daphni, duas altaria[54] Phœbo.
Pocula bina[55] novo spumantia lacte quotannis,
Craterasque duos statuam tibi pinguis olivi ;
Et multo in primis hilarans convivia Baccho[56],
Ante[57] focum, si frigus erit, si messis, in umbra,
Vina novum fundam[58] calathis Ariusia nectar.
Cantabunt mihi[59] Damœtas et Lyctius Ægon ;
Saltantes Satyros[60] imitabitur Alphesibœus.
Hæc tibi semper erunt, et quum solemnia vota
Reddemus[61] Nymphis, et quum lustrabimus agros.
Dum[62] juga montis aper, fluviis dum piscis amabit,
Dumque thymo pascentur apes, dum rore cicadæ[63],
Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt.
Ut Baccho Cererique, tibi sic vota quotannis
Agricolæ facient : damnabis[64] tu quoque votis.

MOPSUS.

Quæ tibi, quæ tali reddam pro carmine dona ?
Nam neque me tantum venientis[65] sibilus Austri,
Nec percussa juvant fluctu tam littora[66], nec quæ

48 Securitatem ruris pingit post receptum cœlo Daphnim : nullæ jam neque bestiarum neque hominum insidiæ sunt. — 49 Requiem et securitatem. — 50 Montes incædui, in quibus silvæ non cæduntur. — 51 Edunt carmina et sono suo dicere videntur : *Deus* est *ille*, etc. — 52 Sis nobis benignus et propitius ! Activa significatione accipiendum *felix*, qui felices reddit. — 53 *En* cum accusativo ob inclusam notionem « vide. » Plures aræ constituuntur, quo unà offerri possint plura sacrificia. — 54 Duas aras, quæ sunt altaria ad victimas cremandas. *Altare* proprie dicitur de lapidea tabula in ara posita ad ignem ibi accendendum ; in *aris* (sine illa tabula) fruges, thus, libamina diis offerebantur. Phœbum poeta Daphnidi jungit, quia ipso natali die Cæsaris, undecimo mensis Julii, celebrantur ludi Apollinares. — 55 Si proprie locutus est Virgilius, Menalcas se quotannis positurum promittit *bina* lactis pocula, nimirum duo in singulis aris, olei autem crateras *duos*, singulos in singulis aris. Hæc diis Laribus offerebantur, inter quos censebantur viri in deos relati, ut apud Græcos inter heroas. — 56 Multo et copioso vino exhilarans epulas post sacrificium. — 57 Hoc versu indicantur duo solemnia annua, quibus Menalcas deveneraturus est Daphnidem : Liberalia sive Bacchi festum, post vindemiam exeunte autumno celebrari solitum ; et Ambarvalia, quæ fiebant extremo Aprili, incipiente jam in Italia messe. In utraque solemnitate suæ partes erant Laribus. — 58 In aram tuam effundam sive libabo vina Ariusia, quæ sunt nectar novum, antea non cognitum sive non usitatum. Vinum hoc ex promontorio et tractu Ariusio in Chio insula, Græcorum vinorum omnium pretiosissimum, non ante hæc tempora memoratur, postea valde celebratum. *Calathus* vocatur etiam vasis vinarii vel calicis species. — 59 Mihi sacra facienti. Notus mos ex tot anaglyphis. Lyctus est oppidum Cretæ, ad Dicten montem. — 60 Horum comitum Bacchi commode mentio fit in sacrificio agresti. — 61 Vota ante concepta solvemus Nymphis, haud dubie Liberalium festo ; de quo not. 57 : vix enim poterant Baccho sacra fieri sine Nymphis. Sequentibus Ambarvalia indicantur ; *lustrare* idem est quod *ambire* (arva). Conf. *Georg.* I, 338 seqq. — 62 Pastoritia periphrasis temporis sempiterni. — 63 Rore enim vivere credebantur cicadæ. De quibus Plinius : *Excitatæ quum subvolant, humorem reddunt, quod solum argumentum est rore eas ali.* — 64 Eo quod homines earum rerum, quas a te precati erunt, compotes facies, obligabis eos ad solvenda vota, quæ sub assequendi conditione tibi conceperant. In prosa quoque dicitur *damnatus voti*, pro : compos. — 65 Flare incipientis. *Tantum*, supple : quantum carmina tua *juvant*, delectant me. — 66 Intelligunt littora Benaci lacus prope Mantuam, a qua longe distat mare.

Saxosas inter decurrunt flumina valles.

MENALCAS.

Hac te nos fragili donabimus ante cicuta [67] :
Hæc [68] nos « Formosum Corydon ardebat Alexin ; »
Hæc eadem docuit « Cujum pecus ? an Melibœi ? »

MOPSUS.

At tu sume pedum, quod, me quum sæpe rogaret,
Non tulit [69] Antigenes (et erat tum dignus amari),
Formosum paribus [70] nodis atque ære, Menalca.

67 Syringe cicutis vel calamis compacta; vide not. 35 Eclogæ II. *Ante*, scilicet quam tu me dono ornes. — 68 Hæc syrinx nobis inspiravit, ad hanc lusimus carmina, quæ initiis indicat, Eclogas secundam et tertiam. — 69 Secum abstulit, a me accepit. — 70 Nodis per paria et invicem convenientia intervalla positis.

ECLOGA SEXTA.

SILENUS.

Sensus : Musa mea primum se applicuit ad bucolicam poesin, nec inter pastores habitare dedignata est. *Syracosius* (græca forma pro : Syracusanus) *versus* dicitur Theocritus, patria Syracusani, omnium celeberrimi in hoc genere poetæ. — 2 *Silvæ* jam supra de rure et pascuis aliquoties dictæ fuerunt. Thaliam autem Musam doctus poeta nominavit, quia ruris eamdem esse deam sciebat. Sic enim Plutarchus in *Quæstionibus Symposiacis* IX, 14 (p. 909 ed. nostræ) : « Nos agricolæ *Thaliam* nobis vindicamus, plantarum et seminum bene *germinantium* (quod græce est θάλλειν) curam ei et conservationem tribuentes. » Ab aliis Thalia invenisse dicitur plantationem atque agriculturam. — 3 Apollo, ad Cynthum, Deli insulæ montem, ex Latona natus. Quum epicum carmen aggrederer, hoc non esse mei muneris aut ingenii Apollo me admonuit quo modo discipulos admonere solent magistri. — 4 Carmen demissum, tenue, non grande et magniloquum, quale est epos. Sic recte explicat Macrobius, Atellanarum fabularum locis adhibitis : *Respondit tristis, voce deducta* ; et, *Vocem deducas oportet, ut mulieris videantur verba*. Alii comparant Horatianum *tenui deducta poemata filo*, ubi metaphora petita est a lana, quæ nendo deducitur et extenditur in fila tenuia. Quod non est hujus loci. — 5 Supererunt tibi, abunde erunt. — 6 Componere, composito carmine describere. — 7 Confer versum 2 Eclogæ I. — 8 Sed jussa ab Apolline, qui dixerat oportere poetam *deductum dicere carmen*. — 9 Nihilominus, si quis hæc, quamvis tenue genus poeseos, cum voluptate leget et delectabitur, tu, Vare, in agris nostris ubique celebraberis. *Myricæ*, *nemus*, ut alibi *silvæ*, dicta de rure, agris et pascuis. — 10 Atque ipsi Apollini carmen nullum est gratius

Prima[1] Syracosio dignata est ludere versu
Nostra, nec erubuit silvas[2] habitare, Thalia.
Quum canerem reges et prœlia, Cynthius[3] aurem
Vellit, et admonuit : « Pastorem, Tityre, pingues
Pascere oportet oves, deductum[4] dicere carmen. »
Nunc ego (namque super[5] tibi erunt qui dicere laudes,
Vare, tuas cupiant, et tristia condere[6] bella) [des,
Agrestem[7] tenui meditabor arundine musam.
Non injussa[8] cano. Si quis tamen[9] hæc quoque, si
Captus amore leget, te nostræ, Vare, myricæ, [quis
Te nemus omne canet : nec Phœbo[10] gratior ulla est

Quam sibi quæ Vari præscripsit pagina nomen.
Pergite[11], Pierides. Chromis et Mnasylus[12] in an-
Silenum pueri somno videre[13] jacentem, [tro
Inflatum hesterno venas, ut semper, laccho[14];
Serta procul[15], tantum capiti delapsa, jacebant,
Et[16] gravis attrita pendebat cantharus ansa.
Aggressi (nam sæpe senex spe carminis ambo[17]
Luserat) injiciunt ipsis ex vincula[18] sertis.
Addit se sociam timidisque supervenit Ægle,
Ægle Naïadum pulcherrima; jamque videnti[19]
Sanguineis[20] frontem moris et tempora pingit.
Ille dolum ridens[21], « Quo vincula nectitis? » in-
« Solvite me, pueri; satis est potuisse videri[22]. [quit:
Carmina quæ vultis cognoscite; carmina vobis,
Huic[23] aliud mercedis erit. » Simul[24] incipit ipse.
Tum vero in numerū[25] Faunosque ferasque videres
Ludere, tum rigidas motare cacumina quercus[26];
Nec tantum Phœbo gaudet Parnassia[27] rupes,
Nec tantum Rhodope[28] miratur et Ismarus Orphea.
Namque canebat uti[29] magnum per inane coacta[30]
Semina terrarumque animæque[31] marisque fuissent,
Et liquidi[32] simul ignis; ut his exordia primis[33]

quam quod Varo inscriptum, sive dedicatum, est. *Pagina sibi præscripsit* poetice de pagina in cujus principio scriptum est nomen Vari. — 11 Agite, Musæ, et persequimini rem cœptam. — 12 Faunorum sive Satyrorum nomina. — 13 Viderunt prostratum somno, dormientem. — 14 Hesterno vino. *Iaccho*s est Bacchi nomen in mysteriis maxime usitatum. Syntaxis græca pro: venas habentem inflatas vino, sive cui venæ inflatæ erant. — 15 Serta, capiti, dum potabat Silenus, imposita, nunc

jacebant *procul*, id est paullo remotius, atque adeo (ut Servius explicat) « prope, juxta. » Nimirum *relative* (ut nos loquimur) ad rem præsentem capiendum est hoc adverbium, quo intervallum modo breve modo longius indicatur. Sic *Æneidis* X, 835 Mezentius *arboris acclinis trunco*: PROCUL *ærea ramis Dependet galea*, nimirum ramis ejusdem arboris, sed *procul* esse dicitur galea capiti non imposita. Ac serta Sileni dicuntur non abjecta sive projecta procul, sed *tantum delapsa* a capite obdormiscentis. — 16 Et de manu ejus pendebat semisupinus cantharus (genus poculi capacis) magnus, ideoque *gravis*, cujus ansa erat attrita per usum frequentem. — 17 Ambos fefellerat. — 18 Vincula ex ipsis sertis delapsis confecta; sicut apud Ovidium *ruricolæ Phryges* Silenum *tiliabantem annisque meroque* ad Midam regem trahunt *vinctum coronis*. — 19 Jam expergefacto Sileno. — 20 Mororum (*mûres*) succo sanguinei coloris. — 21 Non iratus, sed ridens de juvenili dolo Satyrorum. *Quo*, ad quid, cur. — 22 Videri me vincire et cogere potuisse: ut in alia re Ovidius dicit: *Perdere posse sat est*. — 23 Æglæ nymphæ. — 24 Hæc dicens simul incipit canere. — 25 Ad rhythmum saltare. Nam *ludere* et gr. παίζειν de saltatione dicitur. — 26 Utpote percipientes cantum, ut Orphei quercus *auritæ* apud Horatium. — 27 Saxosum cacumen Parnassi, nota sedes Apollinis Musagetæ. — 28 Rhodope, Thraciæ mons altissimus (ab Apollonia urbe ad Pontum Euxinum porrectus), in quo Orpheus Eurydices mortem musice deploravisse dicitur; Ismarus, alius Thraciæ mons ad Hebrum flumen, qui et ipse habebat *Orphea* (accusativus græcus). Illa igitur loca Apollinem et Orpheum mirantur *non tantum*, quantum hæc rura Silenum canentem tum mirabantur: hoc enim suppliendum est. — 29 Quomodo, ὡς. Sequitur explicatio *cosmogoniæ* Epicureæ, sive doctrinæ de mundi origine. Cum aliis philosophis antiquis statuens *Ex nihilo nil fit*, Epicurus docuit a principio fuisse *magnum inane* (sive spatium ingens prorsus inane et vacuum), deinde *semina* omnium, quæ ipse vocabat *atomos*, corpuscula inseparabilia et nulla plane extensione prædita (quali modo geometræ cogitant *punctum* suum): harum *atomorum* æternarum, per *inane* affatim labentium, concursu et concretione vel repulsu facta sunt primum elementa, deinde omnia quæ sensibus percipiuntur. — 30 Compulsa. — 31 Aeris. — 32 Ignis *liquidus* dicitur quasi diffusilis (*expansif*), ceterum, Epicuro docente, ex tenerrimis omnium atomis ortus. — 33 Quomodo ex his *primis* (substantive) sive elementis concreverint omnia exordia vel rerum quæ exstant principia, atque adeo ipse *or-*

bis mundi, id est ipsum cœlum : nam sic potius hoc intelligendum quam de mundo universo, ut explicant alii. Atque *tener* epithetum ad ætherem spectare videtur, qui, velut ignis, tenerrimis atomorum exortus. Ab aliis figurate capitur *tener*, ut modo natus (quasi de infante), nondum solidatus. — 34 Repete *ut* (ὡς). — 35 Nereus, Ponti et Terræ filius, Nereidum pater, pro mari sive aqua marina ponitur, ut Bacchus pro vino, etc. Verbo *discludere* poeta breviter indicat duplicem notionem *discernendi* et *includendi* : ut hæc sit sententia : indurescens solum cœpit aquas marinas, ab se discretas, includere mari, sic jam a continente terra separato. — 36 Nam res quas terra multipliciter format et producit, apparere non poterant antequam aquæ de superficie ejus depulsæ fuerint. — 37 Et canebat quomodo terræ jam stupeant de eo, quod sol, res prorsus nova, iis illuceat. — 38 Atque ut ex alto cadat pluvia, sursum sublatis ante vaporibus et in nubes collectis. — 39 *Quum*, item ut supra *ut*, jungendum cum verbo *canit*, hac sententia : et canit illud originum tempus, quo primum incipiebant silvæ terra enasci. *Incipiant*, præsenti, quia hæc omnia ut præsentia, quæ nunc fiant, canebat Silenus. — 40 Montes ignaros, active dictum : qui animalia tum modo creata ignorabant, non cognoscebant, quippe antehac non visa. — 41 Jam *hominum* originem expositurus Silenus, relicto Epicuro, mythologicis et poeticis fabulis utitur. Nota fabula de hominibus post Deucalioneum diluvium reparatis Pyrrhæ jactu lapidum (Ovid. *Metamorph.* I, 348-415). — 42 Aquilas Promethei Caucaso alligati jecur vorantes, ita a Jove punitî, quod ignem de cœlo furatus dederat hominibus : item nota fabula. — 43 Argonautæ, inter quos erat Hercules cum Hyla puero, quem ardenter amabat. Prope Cium (postea Prusiadem dictam), inter Propontidem et Pontum Euxinum, aquam petens Hylas ad cœnam Herculis, raptus est a Nymphis fontium. Heroi de puero acerbissime dolenti aliquamdiu aderant Argonautæ quærentes, postea eum reliquerunt expeditionem suam persequentes. Canebat igitur Silenus quo in fonte retentum tum Hylan, ab ipsis deinde profectis relictum, Argonautæ clamore suo vocassent. — 44 In tali re ars non admittebat elisionem. — 45 Et canens fœdum amorem Creticæ reginæ, Minotauri matris, Pasiphaes, quæ fortunata fuisset, si non exstitissent tauri et vaccæ (quæ zelotypiâ eam cruciabant), solatur mulierem, dicens eam a pulcherrimo juvenco amari sive redamari : quo nihil ei poterat esse jucundius. Apta sententia, in qua genitivus *juvenci* activa quam vocant significatione accipitur. Alii specie artificiosius, re fortasse verius, sic interpretantur : « canit Pasiphaen se amore tauri solantem, i. e. solatium sui ardoris et voluptatem ex amore tauri capientem. Poetæ ipsi (etiam in recentibus linguis) facere dicuntur, quod factum canunt, ut mox v. 62, *Phaethontiadas musco circumdat*. » — 46 *Virgines* et *puellæ* apud poetas dicuntur etiam nuptæ feminæ juniores. Est apostrophe ad Pasiphaen. — 47 Filiæ Prœti, regis Tiryntbii, ab Junone, quam spreverant, ad insaniam adactæ, videbantur sibi in vaccas mutatæ esse, mugiebant et aratro se jungi putabant : sic intelligendi mugitus *falsi*. — 48 Non ulla Prœtidum quæ *pecudes* se esse opinabantur : quod vocabulum non nisi a poeta de vaccis poni poterat. — 49 Dativus. — 50 In fronte quamvis lævi, asperum et exstans nihil habente.

Omnia, et ipse tener mundi concreverit orbis;
Tum[34] durare solum et discludere Nerea[35] ponto
Cœperit, et rerum[36] paulatim sumere formas;
Jamque[37] novum ut terræ stupeant lucescere solem,
Altius[38] atque cadant submotis nubibus imbres;
Incipiant silvæ quum[39] primum surgere, quumque
Rara per ignaros[40] errent animalia montes.
Hinc[41] lapides Pyrrhæ jactos, Saturnia regna,
Caucasiasque[42] refert volucres, furtumque Promethei.
His adjungit, Hylan nautæ[43] quo fonte relictum
Clamassent, ut littus Hyla, Hyla[44], omne sonaret;
Et[45] fortunatam, si nunquam armenta fuissent,
Pasiphaen nivei solatur amore juvenci.
Ah, virgo[46] infelix, quæ te dementia cepit!
Prœtides[47] implerunt falsis mugitibus agros;
At non tam turpes pecudum[48] tamen ulla secuta est
Concubitus, quamvis collo[49] timuisset aratrum
Et sæpe in lævi[50] quæsisset cornua fronte.

Ah, virgo infelix ! tu nunc in montibus erras :
Ille[51], latus niveum molli fultus hyacintho,
Ilice sub nigra[52] pallentes ruminat herbas, [Nymphæ,
Aut aliquam in magno sequitur grege. « Claudite[53],
Dictææ[54] Nymphæ, nemorum jam claudite saltus,
Si qua[55] forte ferant oculis sese obvia nostris
Errabunda bovis vestigia : forsitan illum
Aut herba captum[56] viridi, aut armenta secutum
Perducant aliquæ stabula ad Gortynia[57] vaccæ. »

Tum canit Hesperidum miratam mala puellam[58];
Tum Phaethontiadas musco circumdat[59] amaræ
Corticis, atque solo proceras erigit[60] alnos.
Tum[61] canit, errantem Permessi[62] ad flumina Gal-
Aonas[63] in montes ut duxerit una sororum, [lum
Utque viro Phœbi chorus assurrexerit omnis;
Ut Linus[64] hæc illi, divino carmine pastor,
Floribus atque apio crines ornatus[65] amaro,
Dixerit : « Hos tibi dant calamos[66], en accipe, Musæ,
Ascræo[67] quos ante seni, quibus ille solebat
Cantando rigidas deducere montibus ornos[68].
His[69] tibi Grynei nemoris dicatur origo,

51 Juvencus amatus. Sequitur græca syntaxis : latus candidissimum habens fultum in molli herba hyacinthi. Ante voces *hyacinthus* et *hymenæus* (durius, ut videtur, aspiratas) syllaba brevis non raro habetur producta. — 52 Nam ilicis viror est nigricans, herbarum cum ipsa comparatarum pallentior. — 53 Sunt verba Pasiphaæ. — 54 Dicte, notus mons Cretæ insulæ. *Saltus* sunt loci asperi, confragosi et fere angusti; quos claudi jubet, ne taurus elabatur. — 55 Si forte aliqua ratione fiat, ut huc illuc vagans bos amatus occurrat mihi. Particulâ *si* exprimitur aut spes dubia aut experimentum quod facimus in re dubii eventus, quasi dictum sit • *experiar* num forte... • — 56 Retentum dulcis herbæ carpendæ voluptate. — 57 Celebris urbs Cretæ erat Gortyn sive Gortyna. Aperte aliena stabula, non sua, intelligit Pasiphae, quæ quidem circa Gnossum urbem sita erant. Ingeniose autem Firminus Didot Gortynæ urbis mentionem explicuit ex Jovis et Europæ amorum historia : ad Gortynam enim bos divinus virginem amatam dorso deposuerat. — 58 Atalantam, Schœnei filiam, cursu præstantem, sed ab Hippomene proco victam, dum aurea poma tria, ex Hesperidum hortis allata et in curriculum projecta, tollens moratur. Narrat Ovidius *Metamorph.* X, 560 sqq. — 59 Confer not. 45. Canit sorores Phaethontis sive Heliadas, Solis et Clymenes filias, in alnos sive populos (nam sic Virgilius alibi) mutatas, ita ut circumdarentur amara cortice, ipsa quoque musco circumdata. Narrat Ovidius *Metamorph.* II, 325 seqq. — 60 Crescere facit, pro : crevisse canit. — 61 Callida arte Virgilius antiquis et venerandis fabulis suam fictionem, ad vetustatis speciem compositam, immiscet, qua Cornelii Galli poetæ, patroni sui, laudes digne celebret. Fingit eum, circa Musarum recessus errantem, unius Musæ manu perduci in ipsum Heliconem, ubi totus Musarum chorus ei assurrexerit (ad honorem testificandum) et Linus ei donaverit syringem Hesiodi. — 62 Permessus, Bœotiæ flumen ab Helicone descendens, hodie *Panitza*. — 63 In montes Aonas sive Aones, pro Aonios, eo usu quo poetæ latini ipsa nomina populorum et familiarum ponunt pro adjectivis inde ductis. Aones erant primi incolæ Bœotiæ, quæ hinc Aonia dicta, inprimis montuosa ejus pars Phocidi vicina. — 64 Vide not. 53 Eclogæ IV. Ei dedicatum erat antrum in Helicone, ubi inferiæ ei fiebant ante sacrum Musis oblatum. Rure a pastoribus olim educatus, dicitur *pastor*, ad quod vocabulum referas ablativum qualitatis *divino carmine*, divina carmina fundens. — 65 Crines ornatos habens : syntaxi græca jam aliquoties explicata. *Apium* est amaro gustu planta, nobis *ache des marais*, qua antiqui sæpe utebantur in coronamentis. — 66 Cera compactos, syringem. — 67 Ascræus senex dicitur Hesiodus, poeta antiquus, Ascræ, Bœotiæ vico, natus. Supple *dederant*. — 68 Hoc a ceteris poetis omnibus Orpheo soli tribuitur; confer not. 46 Eclogæ III. — 69 His calamis a te, o Galle, celebretur origo nemoris Grynei, Γρυνείου, luci ad Æolidis oppidum Grynium sive Gryniam siti, amœnissimi et Apollinis fano nobilitati. Fabulas ad originem hujus fani lucique spectantes cecinerat poeta græcus Euphorion (de quo vide infra not. 37 Ec-

logæ X), cujus carmina Gallus tum in latinum sermonem convertebat, fortasse jam transtulerat. Ipsas illas fabulas si quis cognoscere cupit, Servii scholia evolvat de hac re copiosa. — 70 De quo magis superbiat sive glorietur, quam de Gryneo nemore. — 71 Post hæc, quid memorem *ut* (quomodo) Silenus *narraverit Scyllam, aut Terei* metamorphosin? Sic enim construenda est phrasis, huc retracto quod quinto demum post legitur verbo *narraverit*. In aliis *aut Scyllam*. — 72 Duas fabulæ noverunt Scylas, alteram Phorci et Cratæidis filiam, alteram Nisi, Megarorum regis, de qua Ovidius, initio libri VIII *Metamorphoseon*, diversa plane narrat ab ea *fama* quam hic refert Virgilius. Qui ex alia veterum traditione hanc Scyllam in monstrum marinum versam canit, quod plurimi *Phorci*, non Nisi, filiæ evenisse perhibent; vide Ovid. *Metamorph.* XIV, 1-67. — 73 Habentem inguina, ante pulchra, nunc succincta monstrosis canibus marinis. Similiter Lucretius : *rabidis canibus succinctas semimarinis Corporibus Scyllas*. — 74 Raptasse, disjecisse naves Ulyssis Ithacensis, quæ *Dulichiæ* dicuntur a Dulichio vel Dulichia, Echinadum insularum una, Ulyssi subjecta et posteriore tempore sæpe cum vicina Ithaca in unum confusa. Verbi *vexare* vim sensim extenuatam fuisse referunt Gellius et alii grammatici, olim multo graviorem, ut in his Catonis : *Cum Hannibal terram Italiam laceraret atque vexaret*. Quo modo in Virgiliano versu capiendum. — 75 Terei, Thracum regis, in upupam mutati (Ovid. *Met.* VI, 424 seqq.) fabula nota. — 76 Philomela, uxor Terei, quæ aliis *Procne* est. Ityn filium mactatum in cœnam apposuit marito post vitiatam sororem et lingua privatam. *Dona* intelligenda sunt caput et pedes filii satiato patri allata. — 77 *Quo cursu*, non solito pedum, sed novo, volatu, de quo alibi Virgilius : *cursumque per auras Dirigite in tucos*. Deserta et silvas petit in lusciniam mutata. — 78 Utpote ægre relinquens pristinam sedem, ubi cum Itye vixerat. *Quibus alis*, nempe item novis et inusitatis. — 79 Silenus canit omnia quæ ad Eurotam quondam cecinerat Apollo. Qui OEbali Spartani filium Hyacinthum amavit et hinc ad Eurotæ, fluvii Spartam alluentis, ripas sæpe lyra cecinit et vivente puero et amatoris manu per infelicem jactum disci occiso. Hodie Eurotas est *Vasili-Potamo*, id est βασιλεὺς ποταμός, rex fluvius. — 80 Confer not. 4 Eclogæ I. — 81 *Laurus* pro vulgari : lauros. Quas memoriæ mandare cantus Phœbeos jubet Eurotas, in ripis suis imperans. — 82 Vocibus Sileni pulsæ valles, sive montes quibus valles cinguntur, resonant, et carmina ejus in aerem altum ad sidera ferunt. — 83 Canit usque ad noctem ingruentem : quod poetica et bucolica periphrasi significatur. Donec nos pastores jussit oves compellere in stabula. — 84 Varia structura : et ut numerus ovium referretur. Numerari pecudes de pastu redeuntes vidimus not. 32 Eclogæ III. — 85 Vesper, gr. Ἔσπερος, Veneris stella noctem præcedens ut Aurora orientem solem. Advenit autem ægre ferenti Olympo, quem ipsum quoque deliniebant carmina Sileni.

Ne quis sit lucus quo se plus jactet[70] Apollo. » [est
Quid loquar[71] ut Scyllam Nisi[72], quã fama secuta
Candida succinctam[73] latrantibus inguina monstris
Dulichias vexasse[74] rates, et gurgite in alto
Ah! timidos nautas canibus lacerasse marinis;
Aut ut mutatos Terei[75] narraverit artus,
Quas illi Philomela[76] dapes, quæ dona pararit,
Quo cursu[77] deserta petiverit, et quibus antè[78]
Infelix sua tecta supervolitaverit alis?
Omnia[79] quæ, Phœbo quondã meditante[80], beatus
Audiit Eurotas, jussitque ediscere laurus[81],
Ille canit; pulsæ[82] referunt ad sidera valles:
Cogere[83] donec oves stabulis numerumque referri[84]
Jussit, et invito processit Vesper[85] Olympo.

ECLOGA SEPTIMA.

MELIBŒUS.

MELIBŒUS, CORYDON, THYRSIS.

MELIBŒUS.

FORTE sub arguta[1] consederat ilice Daphnis,
Compulerantque greges Corydon et Thyrsis in unum,
Thyrsis oves, Corydon distentas[2] lacte capellas :
Ambo florentes ætatibus, Arcades[3] ambo,
Et cantare[4] pares, et respondere parati.
Huc[5] mihi, dum teneras defendo a frigore myrtos,
Vir gregis ipse[6] caper deerraverat : atq[7] ego Daphnim
Aspicio. Ille, ubi me contra[8] videt : « Ocius, inquit,
Huc ades, o Melibœe ! caper tibi salvus et hædi ;

1 Sub ilice lenem susurrum, suave murmur edente, per ventum folia agitantem. — 2 Habentes distenta ubera, quorum notionem suggerit vox *lacte* ; conf. Ecl. IV, not. 22. — 3 Arcades, proinde cantûs periti : nam ex prisco instituto Arcades ab infantia ad trigesimum usque annum cantu et musica sedulo instituebantur et in omni conventu his sese quotidie oblectabant : quod de suo quoque tempore multis testatur Polybius IV, 20 et 21. Erant qui, Virgilium sibi non constare observantes, ut qui mox Mantuanos agros memoret, intelligi crederent servorum Arcadum post deletam Corinthum in Italiam deductorum posteros; quod commentum plane mirificum et ipsi fortasse poetæ prorsus novum videretur. — 4 Pares cantando sive canendi peritia et parati ad respondendum, id est ad alteram stropham amœbæi carminis priori apte adjiciendam; de qua re dictum in Argumento tertiæ Eclogæ. — 5 Exponit Melibœus quomodo ad pastores illos venerit : caper et hædi in eam regionem deerraverant, dum ipse ad myrtos, plantam frigoris valde impatientem, tuendas conversus erat. Intelligendum est frigus *nocturnum* verni temporis, quia ceterum carmen tepidum satis cœlum tum fuisse prodit. — 6 Observa vocabulum augens *ipse*, ut gregis etiam partem certe deerrasse appareat; et Daphnis ei nuntiat : *caper tibi salvus* ET HÆDI. — 7 *Atque* non raro Latini initio periodi ponunt, ubi præter opinionem sive exspectationem aliquid accidere significatur. — 8 Coram, congredientem. Daphnis, paullo ante conspecto capro Melibœi, statim intellexit quare dominus accedat.

Et, si quid cessare[9] potes, requiesce sub umbra.
Huc ipsi[10] potum venient per prata juvenci;
Hic viridis[11] tenera prætexit arundine ripas
Mincius, eque sacra[12] resonant examina quercu. »
Quid facerē? neq; ego Alcippen, nec Phyllida[13] habe-
Depulsos a lacte[14] domi quæ clauderet agnos; [bam,
Et certamen erat, Corydon[15] cum Thyrside, magnū.
Posthabui tamen illorum mea seria[16] ludo.
Alternis[17] igitur contendere versibus ambo
Cœpere; alternos[18] Musæ meminisse volebant.
Hos Corydon, illos referebat in ordine[19] Thyrsis.

CORYDON.

Nymphæ, noster amor[20], Libethrides, aut mihi car- [men,
Quale meo Codro[21], concedite (proxima[22] Phœbi
Versibus ille facit); aut, si non possumus omnes[23],
Hic arguta sacra[24] pendebit fistula pinu.

THYRSIS.

Pastores[25], hedera nascentem ornate poetam,
Arcades, invidia rumpantur[26] ut ilia Codro:
Aut, si ultra placitum laudarit[27], baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua[28] futuro.

9 Opus intermittere, ab opere vacare. — 10 Sponte sua. Melibœus præter capellas illas etiam armenta pascebat. — 11 Mincius fluvius Mantuam circumfluens, ripis palustribus et herbosis, quem alibi Virgilius appellat *herbosum flumen*, hic *viridem*, nisi ad insequentem arundinis mentionem referre malis. — 12 Ex quercu, arbore Jovi Dodonæo sacra, susurrant examina apum, quarum dives erat ager Mantuanus. — 13 His nominibus fuisse videntur amicæ vel contubernales Corydonis et Thyrsidis, qui, illarum opera adjuti, facilius domo abesse poterant quam Melibœus. — 14 Agnos ablactatos, ut Ecl. III, not. 83. — 15 Vividius et elegantius, quam genitivo, poeta utitur appositione : *Et erat certamen magnum*, scilicet *Corydon cum Thyrside* certans. Sequens *tamen* ad præcedentem versum, non ad hunc refertur. — 16 Opus rusticum. — 17 Amœbæo carmine; conf. Eclogæ III, not. 54. — 18 Musæ volebant hos pastores meminisse alternos versus, id est, in mentem vocare sibi carmina amœbæa quæ meditati jam recitent. Nisi forte poeta *meminisse* posuit græco usu verbi μεμνῆσθαι sive μνησθῆναι, memorare, exponere. — 19 Deinceps, sese excipientes. — 20 Vos quas amamus. *Libethrus* fons est cum antro in monte Helicone. Fontium autem Nymphæ, mentes divino afflatu implentes, non raro pro Musis invocantur in bucolica poesi. — 21 Carmen tale, quale concedere soletis Codro meo. Non potest intelligi malus ille poeta, de quo dictum in nota 9 Eclogæ V : vetat totus carminis tenor. Vetus scholiastes Veronensis annotat : « Codrum plerique Virgilium accipiunt, alii Cornificium, nonnulli Helvium. » — 22 Ille versibus *facit* (ποιεῖ, de poesi) quæ proxime accedant ad Phœbum, ad Apollinis ipsius cantum : facit carmina plane divina. — 23 Supple : ejusmodi versus facere. Sensus : si Codrum assequi non valeo, poesi omni valedicam. — 24 Fistulam meam suspendam in pinu, arbore Pani sacra. Ex multis poetis notum est, eos qui arti alicui renuntiabant, ejus instrumenta in sacris locis suspendisse et deo sacrasse. — 25 Junge *pastores Arcades*. Se ipsum Thyrsis dicit poetam *nascentem*, nunc primum surgentem et carmina tentantem. — 26 Latina et aliis linguis dicitur aliquis invidia *rumpi*. Commemorata autem *ilia* silentio præteriri non sinunt quæ veteres scholiastæ narrant in Horatii versu *Rupit Iarbitam Timagenis æmula lingua* (*Epist.*, I, 19, 15), quem *Iarbitam* Codrum esse significant, natione Maurum, qui, « dum Timagenem imitatur post convivium et inter pocula declamantem, propter insolentiam faciendi quod conabatur, pæne diruptus est, » vel, ut alius, « invidia quodammodo discerptus est : » in qua contentione vocis et laterum rupto diaphragmate videri potest Codrus mortem obiisse. Sed Corydonem de hoc Codro non esse locutum, nobis quidem est manifestum. — 27 Codrus, eximie canente Thyrside, aut invidia uretur, aut immodicis et ultra id, quod sentit, exaggeratis laudibus eum falso cumulabit. Hoc igitur si eveniat, Thyrsis pastores jubet non hedera Bacchica frontem cingere sibi, sed baccare, de quo not. 19 Eclogæ IV. — 28 Malefica et fascinans lingua; nimiæ enim et immodicæ laudes mala eadem hominibus inducere credebantur quæ ocu-

CORYDON.

Setosi caput hoc apri tibi, Delia[29], parvus
Et ramosa Micon vivacis[30] cornua cervi.
Si proprium hoc[31] fuerit, lævi de marmore tota
Puniceo stabis[32] suras evincta cothurno.

THYRSIS.

Sinum[33] lactis et hæc te liba, Priape, quotannis
Exspectare[34] sat est : custos es pauperis horti.
Nunc te marmoreum pro tempore[35] fecimus; at tu,
Si fœtura gregem suppleverit, aureus esto.

CORYDON.

Nerine[36] Galatea, thymo mihi dulcior Hyblæ,
Candidior cycnis, hedera formosior alba[37],
Quum primum pasti repetent præsepia tauri,
Si qua tui Corydonis habet[38] te cura, venito.

THYRSIS.

Imo[39] ego Sardoniis videar tibi amarior herbis,
Horridior rusco[40], projecta vilior alga[41],
Si mihi non hæc lux[42] toto jam longior anno est.
Ite domum, pasti, si quis pudor[43], ite, juvenci.

lus invidus et βάσκανος (unde latinum *fascinus*) : quæ ut ab se arceat, coronari sese jubet baccare, herba quæ depellere fascinum existimabatur. His vix dubites quin Virgilius Thyrsidem pingere voluerit tumidum et justo arrogantiorem. — 29 Dianæ (Deli natæ cum Apolline) juvenis venator Micon, humilis staturæ, primitias venationis *consecrat* (quod verbum in epigraphis dedicatoriis sæpe omissum, quia res ipsa loquitur). — 30 Cervus inter animalia longævissima habebatur; unde *longa et cervina senectus* apud Juvenalem. — 31 *Hoc* refertur ad rem quæ præcedentibus significatur potius quam exprimitur. Verbis expressa est dedicatio, facta ob fastæ venationis felicem eventum : hunc eventum indicat pronomen neutrum : *hoc* si diutinum, constans, perpetuum fuerit, qua significatione, apud poetas præsertim, sæpe ponitur *proprius*. — 32 Erecta ponēris, statuâ repræsentaberis, ut apud Horatium *æneus stes*, pro ænea statua tibi erigatur. Stabis autem *tota*, non ad pectus tantum, ut fit in hermis; atque suras habebis *evinctas cothurno*, id est vinculis hoc calceamentum venatorium retinentibus et astringentibus accurate cinctas : quod in statuis deæ hodieque conspicitur. Proprie vero dictum est *puniceo* : nam veteres in statuis vestimenta et partes aliquas corporis, velut oculos, coloribus pingere solebant. — 33 Thyrsis reponit votum Priapo conceptum, qui deus fœcunda reddit pecora, hortos et vineas. *Sinus* est « vas quod majorem cavationem (quasi *sinum*) habet quam pocula, » inquit Varro. *Hæc*, quæ tibi nunc offero. — 34 Satis est ut exspectes hæc dona quotannis tibi danda, ne ultra hæc exspectes : nam majora me offerre non sinit hortus pauper, cui apud me præes. Quæ non nimis urbane dicit. — 35 Pro meis, quales hoc tempore sunt, facultatibus. Ea vero, ut apparet, minime ferebant statuæ marmoreæ sumptus. Igitur Thyrsis aut stolide contendisse putandus est, aut sugillare voluisse magnificentiam promissorum parvi Miconis, qui Dianam marmoream voverat, in ridiculum augens ea promissa : Jam posui, inquit, Priapum marmoreum (quod vix dabatur huic deo); in posterum vovebo aureum (quod incredibile). — 36 Græca forma pro Nereis, nympha marina. Notus Polyphemi Siculi amor in Galateam Nereidem, a Theocrito et Ovidio celebratus : hinc per imitationem expressi versus Corydonis. De *Hybla* vide not. 54 Eclogæ I. — 37 Duo genera hederæ jam memorata sunt not. 38 Eclogæ III. Hederam albam arbores quas ambit exsugentem, ipsam arborem fieri Plinius testatur. — 38 Tenet te : si tibi curæ est Corydon. — 39 Thyrsis se multo etiam majore, quam Corydon, desiderio Galateæ teneri significat : quo si non revera crucietur, imprecatur sibi ut odiosus et detestabilis fiat amicæ : qui non sunt veri sensus amantis. Sardinia insula (gr. Σαρδώ, cum adjectivo Σαρδόνιος) famosa erat proventu herbarum saporis amarissimi (velut Ranunculi scelerati L.) : unde mel adeo in Sardinia amarum. — 40 Ruscus est herba spinosa, foliis acutis et pungentibus, nobis *petit houx* vel *housson*. — 41 Proverbialis est vilitas algæ, herbæ marinæ, quæ undis ejecta in litore solet putrescere, nulli rei utilis. — 42 Dies. — 43 Supple *vobis est* : qua formula utuntur qui aliquem ad recte agendum incitant. Pudendum esse dicit, juvencos, quum bene pasti sint, non redire ad stabula, sed

pastorem suum, ad amicam properantem, sine causa detinere. — 44 His tetrastichis Corydon canit umbræ ac frigoris jucunditatem æstivo tempore, Thyrsis foci accensi et bene nutriti per hiemem. Illius musa est bucolica, hujus (quod nostro vocabulo dici necesse est) *bourgeoise*. — 45 Bis ita Theocritus : ὄμνυ (dor. pro ὄμνυε) μαλακώτερος, et *mollis* usitatum epitheton somni : ut non debeat cogitari de dativo, quasi ad somnum (capiendum). — 46 Et arbutus (vide not. 83 Eclogæ III) viridis, quæ vos, o fontes, tegit umbra sua *rara*, quia *rami ejus* haud densi et folia angusta. Nominativus interpositus vocativis. — 47 Prohibete, arcete a pecore nimium ardorem solis, qualis est solstitio æstivo. — 48 Tument, extenduntur in palmite vegeto, pleno sueci luxuriantis. — 49 Ligna piceæ sive pini. — 50 Tugurium cogitatur, apud veteres non habens foramen illud tecti, per quod fumus foci exit, Græcis dictum καπνοδόκη. — 51 Minimæ curamus : quod per proverbia exprimit; nam lupus non parcit pecori numerato, neque flumen imbribus auctum et exundans coerceri se patitur ripis. — 52 Corydon pingit rus lætissimum, triste futurum, si discedat Alexis, puer formosus; Thyrsis contra pingit rus sideratione exsiccatum, statim viride et floridum futurum adventu Phyllidis. Prius verum, alterum ægri somnium. *Stant* prægnanti quæ dicitur significatione capiendum est : horrent et rigidæ sunt, quippe graves fructibus, baccis et echinis. — 53 Talis est enim exterior cortex sive echinus castanearum. — 54 Quodque genus pomorum. In *sua* fit synizesis. — 55 *Ridere* latine, et in aliis linguis, dicuntur omnia quæ hilarem et lætum aspectum præbent. — 56 Herba, moriens vitio aeris, scilicet æstu nimio, irrigari cupit. — 57 Bacchus non præbet collibus umbram vitium suarum : quippe æstu exsiccatæ et aridæ folia amiserunt. — 58 *Sed*, in talibus locis, vi majore omittitur quam ponitur. — 59 Jovi tribuebantur quæcumque in aere vel cœlo eveniebant sive *atmospharica* quæ dicimus eventa : quare Latini colebant *Jovem Pluvium*, Græci Δία καταιβάτην, *Descendentem*. Pluvia Jovis jussu cadens poetice dicitur Juppiter descendens *pluvimus*, id est maximâ copiâ; additur *imbri*, quia fulmine quoque descendit Juppiter. — 60 Corydon arbores pulchras et diis gratas enumerat, sed omnibus se præponere ait corylos, amatas Phyllidi suæ. Thyrsis ex oppositio enumerat arbores in locis singulis pulcherrimas, et formoso Lycidæ dicit, se, si sæpius ab eo visitetur, eum fortasse prælaturum *fraxino et pinui!* — 61 Herculi, Alcei nepoti, qui populum albam (ἀχερωΐδα) ex Inferis attulisse ferebatur. De Bacchi nomine altero v. not. 14 Eclogæ VI. — 62 Laurus, δάφνη, in quam Daphne nympha Apollini amata conversa est. — 63 Vincet apud me sive pro meo sensu; a me non præferetur corylis.

CORYDON.

Muscosi [44] fontes, et somno mollior [45] herba,
Et [46] quæ vos rara viridis tegit arbutus umbra,
Solstitium pecori defendite [47] : jam venit æstas
Torrida, jam læto turgent [48] in palmite gemmæ.

THYRSIS.

Hic focus et tædæ [49] pingues, hic plurimus ignis
Semper, et assidua postes fuligine nigri [50];
Hic tantum Boreæ curamus frigora, quantum [51]
Aut numerum lupus, aut torrentia flumina ripas.

CORYDON.

Stant [52] et juniperi, et castaneæ hirsutæ [53];
Strata jacent passim suâ quæque [54] sub arbore poma :
Omnia nunc rident [55] : at si formosus Alexis
Montibus his abeat, videas et flumina sicca.

THYRSIS.

Aret ager; vitio [56] moriens sitit aeris herba;
Liber [57] pampineas invidit collibus umbras :
Phyllidis [58] adventu nostræ nemus omne virebit,
Juppiter [59] et læto descendet plurimus imbri.

CORYDON.

Populus [60] Alcidæ [61] gratissima, vitis Iaccho,
Formosæ myrtus Veneri, sua laurea [62] Phœbo;
Phyllis amat corylos : illas dum Phyllis amabit,
Nec myrtus vincet [63] corylos, nec laurea Phœbi.

THYRSIS.

Fraxinus in silvis pulcherrima, pinus[64] in hortis,
Populus in fluviis[65], abies in montibus altis :
Sæpius at si me, Lycida formose, revisas,
Fraxinus in silvis cedat[66] tibi, pinus in hortis.

MELIBOEUS.

Hæc memini, et[67] victum frustra contendere Thyrsi.
Ex illo[68] Corydon Corydon est tempore nobis. [sim.

64 Nimirum pinus sativa ; hortensis. — 65 In ripis fluviorum, ad fluvios. — 66 A me postponetur tibi. — 67 Repete *memini*. — 68 Ex illo tempore Corydon nobis est *Corydon*, id est poeta prælarus et excellens : quæ cogitatio, hoc nomine audito, statim mentem nostram subit. Sic Quintilianus dicit *Ciceronem* non hominis Romani, sed ipsius *eloquentiæ* nomen videri.



ECLOGA OCTAVA.

PHARMACEUTRIA.

DAMON. ALPHESIBOEUS.

PASTORUM musam[1] Damonis et Alphesibœi,
Immemor[2] herbarum quos est mirata juvenca
Certantes, quorum stupefactæ carmine lynces,
Et mutata suos requierunt[3] flumina cursus,
Damonis musam dicemus et Alphesibœi.

Tu[4] mihi seu magni superas jam saxa Timavi[5],
Sive[6] oram Illyrici legis æquoris, en[7] erit unquam
Ille dies, mihi quum liceat tua dicere[8] facta?
En erit[9], ut liceat totum mihi ferre per orbem
Sola[10] Sophocleo tua carmina digna cothurno?

1 Dicemus carmina Damonis etc. — 2 Quos carminibus certantes admiratæ sunt juvencæ, herbas interea et pastum non curantes. Nam collective capiendum *juvenca*. Est modus antiquus et pastoritio carmini valde aptus significandi præstantiam cantuum, ut pecudes etiam, feræ et inanimata iis moveri et deliniri dicantur. — 3 Raro, sed haud dubio usu *requiescere* positum est significatione activa : flumina, cantus pastorum obstupescentia, cohibuerunt, retinuerunt cursus suos; *mutata*, id est naturâ suâ mutatâ sive exutâ, currere desierunt : nam fluminis est fluere, non stare. — 4 Asinium Pollionem alloquitur, victis Parthinis ex Dalmatia Romam redeuntem, sed nescius quo nunc ille loco moretur. *Mihi* est dativus qui vocatur *ethicus*, non necessarius sententiæ, sed animi affectum et curam loquentis indicans. — 5 Timavus, inter Aquileiam et Tergeste (*Trieste*) fluens, in tractu scopuloso ex ingentibus inter rupium antra fontibus septem vel novem prosiliens, post brevem vix mille passuum cursum lato flumine in mare Adriaticum effunditur. *Superas* est : navigando prætervehéris. De pedestri itinere cogitari non sinunt sequentia. — 6 Sive etiam longius abes, Illyrici maris littora præter navigans. — 7 *En* commotum animum et vim desiderii indicat; vide not. 70 Ecl. I. — 8 Canere. — 9 Repete *ille dies*. Quo die, præter res belli domique a te gestas, etiam poeticam virtutem ingenii tui celebrare mihi liceat et in omnium hominum notitiam perducere. — 10 Asinius Pollio tragœdias latinas composuit, quas solas Virgilius Sophoclis arte tragica dignas et cum hujus poesi comparandas judicat.

A te principium [11] ; tibi desinet. Accipe jussis
Carmina cœpta tuis, atq̃ hanc sine [12] tempora circũ
Inter victrices hederam tibi serpere laurus.
Frigida [13] vix cœlo noctis decesserat umbra,
Quum ros in tenera pecori gratissimus herba,
Incumbens [14] tereti Damon sic cœpit olivæ :
« Nascere [15], præque diem veniens [16] age, Lucifer,
Conjugis [17] indigno Nisæ deceptus amore [almum,
Dum queror, et divos, quanquam nil testibus [18] illis
Profeci, extrema moriens tamen alloquor [19] hora.
Incipe [20] Mænalios mecum, mea tibia, versus.
Mænalus argutumque nemus pinosque loquentes [21]
Semper habet : semper pastorum ille audit amores,
Panaque, qui primus calamos non passus inertes [22].
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus.
Mopso Nisa datur ! Quid non speremus [23] amantes?
Jungentur jam gryphes [24] equis, ævoque sequenti
Cum canibus timidi venient ad pocula [25] damæ.
Mopse, novas incide [26] faces : tibi ducitur uxor;
Sparge, marite, nuces [27] : tibi deserit [28] Hesperus
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus. [OEtam.

11 Prima carmina in Pollionis gratiam Virgilius tentaverat ; eidem ultima quoque se consecraturum promittit, ut Horatius Mæcenati : *Prima dicte mihi, summa dicende Camœna.* Magnificentiam elocutionis intelliges ex *Ecl.* III, not. 56. *Desinet*, videlicet Musa mea. — 12 Permitte ut hæc hedera poetica, inter lauros quibus victor et triumphator coronaris, ipsa quoque cingat tempora tua ; ne dedignare ut bellicæ laudi tuæ et poeticum hoc se adjungat encomium. *Hedera*,

Baccho sacra, poetarum proprium coronamentum est. — 13 Primum mane diei describitur. — 14 Innixus pedo sive baculo pastoritio ex oliva agresti lævigata facto : Theocritus vocat ἀγριελαίω κορύναν. — 15 Damon canit summam ægritudinem et desperationem caprarii alicujus, quem Nisa, amica aut sponsa, deseruerat, Mopso jam nuptura. *Nascere,* surge, orere. — 16 Tmesis : et prævéniens adduc diem (accusativus utrique verbo jungendus). *Alma* vocantur quæ alunt, recreant, ad vitam grata et jucunda ; ut appareat pastorem hoc velle : Adduc diem, quem omnes *almum* appellare solent (mihi tamen tristem et acerbum). — 17 Sic a poetis etiam sponsæ vel amicæ dicuntur. Amore *indigno,* qui indignus erat meo in Nisam amore fideli et constante : ut significetur perfidia. — 18 Diis quos Nisa sæpe, jurejurando confirmans amorem suum, ejus testes vocaverat. — 19 Invoco, obtestor. — 20 Versus intercalaris (nobis *refrain*). Areadici, id est pastoritii sive bucolici versus dicuntur *Mænalii* ab Arcadiæ monte Mœnalo, Pani sacro. Tibia aut fistula pastores intercinebant singulis strophis. — 21 Hæc epitheta, *argutum* et *loquentes*, de leni murmure arborum vento agitatarum non possunt intelligi, quia Mœnalo hoc tribuitur ut proprium : sed significantur arbores pastorum et ipsius Panis cantu semper resonantes, ut alibi Virgilius *stagna loquacia* dicit cycnorum cantu resonantia. — 22 Non passus est inertes esse, sed fistulam inde compingens sonum edere et canoros esse coegit. Vide not. 32 Ecl. II. — 23 Speremus fieri posse, eventurum esse exspectemus. Post tantam perfidiam, nobis vel maxime incredibilia exspectare licet eventura : qualia subjicit. — 24 *Gryphes*, rectius *grypes* (γῆ-πες) « sunt genus ferarum, quod in Hyperboreis (sive Scythicis) nascitur montibus. Omni parte leones sunt, alis et facie aquilis similes, *equis vehementer infensæ*, Apollini consecratæ. » *Serv. Jungentur*, ut *Ecl.* III, not. 92, significat : conjugabuntur, eodem jugo jungentur currui. — 25 Ad potum, ad fontes unde bibant ; v. *Georg.* III, 529. — 26 Concise dictum pro : incisis lignis (pineis) para novas faces. Nam vesperi tædis lucentibus nova nupta ad maritum deducebatur : unde locutio « *ducere* uxorem. » — 27 Deducta in thalamum novâ nuptâ, ex antiquo more romano maritus nuces spargebat, quas pueri et puellæ colligebant. Quo ritu jam puerilibus ludis omnibus valedicendum esse novo marito significabatur. Non audiendi qui Virgilium hic vituperant. — 28 Tibi (in tuum commodum) vesper et nox advenit. Quam poeta indicat Hesperi sive Veneris stellæ ortu, jam OEtam, Thessaliæ altissimum montem, in cujus summo fastigio primum conspicitur, relinquentis et in cœlo longius procedentis. Imago ex græco poeta ducta.

O digno[29] conjuncta viro, dum despicis omnes,
Dumque tibi est odio mea fistula, dumque[30] capellæ,
Hirsutumque supercilium, promissaque[31] barba,
Nec curare deûm credis mortalia quemquam[32]!
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus.

Sæpibus in nostris[33] parvam te roscida[34] mala
(Dux ego vester eram) vidi cum matre legentem[35];
Alter ab undecimo tum me jam acceperat[36] annus;
Jam fragiles poteram ab terra contingere ramos.
Ut[37] vidi, ut perii! ut me malus abstulit error[38]!
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus.

Nunc scio quid sit Amor. Duris[39] in cotibus illum
Aut Tmaros[40], aut Rhodope, aut extremi Garamantes,
Nec generis nostri puerum, nec sanguinis[41], edunt.
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus.

Sævus Amor docuit natorum sanguine matrem[42]
Commaculare manus: crudelis[43] tu quoque, mater:
Crudelis mater magis, an puer improbus ille?
Improbus ille puer; crudelis tu quoque, mater.
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus.

Nunc[44] et oves ultro[45] fugiat lupus; aurea duræ
Mala ferant quercus; narcisso[46] floreat alnus;
Pinguia corticibus sudent electra[47] myricæ;
Certent[48] et cycnis ululæ; sit Tityrus Orpheus,
Orpheus[49] in silvis, inter delphinas Arion.
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus.

29 Ironice cum contemptu et indignatione dictum. — 30 Repete *tibi odio sunt*. Puella contemnebat caprarium. — 31 Demissa, dependens, longa, intonsa. — 32 Proinde nec perjuriorum pœnas exposcere. — 33 In horto meo, sæpibus cincto. Sic etiam prosa, *in finibus nostris*. — 34 Rore matutino conspersa. — 35 Carpentem, decerpentem. — 36 Duodecimus annus *me accepe-rat* idem quod : ingressus eram XII annum; sicut dicitur *silva, domus me accipit*. — 37 Simul ac te vidi, quantum in modum ilico amore tui exarsi! nam sic poetæ usurpant *perire*, de impotenti amore loquentes. — 38 Insania amoris. — 39 Illum *ediderunt*, id est genuerunt, produxerunt regiones immanissimæ, sævissimarum belluarum matres, inhumanum et ferum. *Cotes*, antiquior forma pro vulgari *cautes*, scopuli. — 40 *Tmarus* sive Tomarus est Epiri mons, ad cujus radices Dodona sita est. *Rhodope*, altissimus mons Thraciæ, hodie *Despoti Dag*. Garamantes, interioris Africæ populus, supra Gætuliam, Phanaziam potissimum regionem (nobis *Fezzan*) incolentes, cujus hodieque oppidum est *Gherma*, nomine illinc ducto. *Extremi* vocantur, ut ultima orbis cogniti in illa regione tenentes. — 41 Repete *nostri*. Præsens *edunt* non simpliciter dicendum est perfecti locum obtinere, quod supra nos quoque posuimus : quodammodo enim amor nascitur et adolescit quotidie, in quoque amante — 42 Medeam intelligit, cujus nota sunt facinora. — 43 Confitetur pastor matrem quoque sua natura crudelem fuisse : deinde quærit, utrum Medeæ crudelitas potius exprobranda sit, an Amori improbitas et turpitudo animi, qua matrem ad tam immane facinus adegerit. Non incitante enim Amore, nunquam Medeæ eo usque processisset crudelitas, ut illi, præter crudelitatem, etiam malitia et perversitas animi tribuenda sit. Rhetorum artificio utitur poeta, quo, malum esse aliquem persuasuri, ostendunt pejorem illum esse eo qui existimatur pessimus. — 44 Sensus versuum quinque : Nunc, quum Nisa tot jurisjurandis firmatum amorem fefellerit, probabile est omnia fieri quæ fieri posse negabamus. — 45 A nemine fugatus vel aufugere coactus. De *aurea* vide not. 70 Eclogæ III. — 46 Ita floreat, ut narcissum pro suo flore germinet. — 47 Electrum, in summo olim pretio habitum, populi vel alni ad ripas Eridani sive Padi fluminis exsudare perhibebantur in fabulis, resinæ simile, unde epitheton *pinguia*. Hoc igitur jam non altissimæ illæ arbores edant, sed humiles myricæ; vid. *Ecl.* IV, v. 2. — 48 Certent cantu. *Tityrus* hic vocatur vulgaris aliquis pastor. — 49 In silvis et agris sit Orpheus; si forte naviget, sit Arion. Nota fabula celeberrimi poetæ et citharistæ Methymnæi, a delphino ex undis servati.

Omnia[50] vel medium fiant mare. Vivite[51], silvæ :
Præceps aerii specula[52] de montis in undas
Deferar ; extremum hoc munus[53] morientis habeto.
Desine[54] Mænalios, jam desine, tibia, versus. »
Hæc Damon. Vos, quæ responderit Alphesibœus,
Dicite, Pierides[55] ; non omnia possumus omnes.
« Effer[56] aquã, et molli cinge hæc altaria[57] vitta,
Verbenasque adole[58] pingues et mascula[59] thura,
Conjugis[60] ut magicis sanos avertere sacris
Experiar sensus : nihil hic nisi carmina[61] desunt.
Ducite ab urbe domũ, mea carmina, ducite Daphnim.
Carmina vel cœlo possunt deducere Lunam[62] ;
Carminibus Circe socios mutavit[63] Ulixei ;
Frigidus in pratis cantando[64] rumpitur anguis.
Ducite ab urbe domũ, mea carmina, ducite Daphnim.
Terna[65] tibi hæc primum triplici diversa colore
Licia circumdo, terque hæc altaria circum
Effigiem[66] duco : numero deus impare gaudet.
Ducite ab urbe domũ, mea carmina, ducite Daphnim.
Necte tribus nodis[67] ternos, Amarylli, colores ;

50 Per me jam omnia fiant altum mare, omnia obruantur mari. Quæ vitam fastidientis et plane desperantis vox est. — 51 Valete. Sæpe junguntur *vive valeque*. — 52 *Specula* dicitur de quovis loco celso, unde late longeque prospectus patet. *Aerii*, in aerem erecti, alti, ut not. 57 Ecl. I. — 53 Acerbe dictum : ipsam mortem meam (quam scio tibi esse jucundam) habeto tanquam munus morientis extremum. Amicis enim morituri, quæ cara et pretiosa possident, donare solent, ut in Ecloga II Damœtas moriens fistulam suam donavit Corydoni. — 54 Vide not. 16 Eclogæ V. — 55 Musas ipsas invitat ut doctius carmen alterius pastoris recitent, se ipsum ei recitationi non esse parem significans adhibito proverbio latino. Sic novo modo et perquam delicato Virgilius indicat, ex certamine illo victorem discessisse Alphesibœum, atque ipso hoc pulcherrimo carmine Eclogam claudit. — 56 Mulier venefica, a Daphnide amico, rure in urbem profecto, relicta, magicis eum sacris et incantamentis revocare studet. In impluvio domus ara structa est ; cui adstans domina servam Amaryllidem jubet sibi aquam lustralem ædibus efferre. — 57 Poetice pro : hanc aram. Vittam dicit laneam, qua cum in aliis sacris tum in magicis aræ circumdabantur. — 58 Incende verbenas, id est herbas frondesve ex sacro loco decerptas, non eam plantam quæ proprie sic vocatur nomine superstite (*verveine*). *Pingues* intelligendæ videntur succo venenato tumentes, ut in simili sacro propter Didonem cœpto commemorantur *pubentes herbæ nigri cum lacte veneni* (*Æn.* IV, 514). *Adolere* primitus significat : augere, cumulare ; inde per euphemismum, ut tradunt grammatici, incendere et cremare aris imposita. — 59 Thus optimum et pretiosissimum vocatur *masculum* et stagonias, utpote in guttæ (στα·γόνος) speciem rotundum. — 60 Amici, ut in not. 17 significatum. *Avertere* est « a sanitate mutare, pervertere. » *Serv.* Nimirum *sani sensus* sunt non amantis, et *insani* cum laude dicuntur amatores et poetæ. — 61 Sic vocantur formulæ magicæ quibus fiunt incantationes. — 62 Magæ Thessalæ credebantur lunam cœlo deripere et ad se deducere incantamentis : cujus rei memoria frequens apud poetas. Popularis modus lunæ defectus explicandi. — 63 In porcos, ut narratum Odysseæ lib. X, 203 seqq. *Ulixi*, *Ulixei*, Ulyssis. — 64 Incantando disrumpitur, ut Ovidius : *Carmine dissiliunt, abruptis faucibus, angues*. — 65 Ejus quem maga apud se retinere vel ad se allicere volebat, imaginem argilla vel cera effictam liciis laneis symbolice circumdabat, diverso colore, albis, roseis, nigris. Veteres *terna* ita ceperunt, ut tria cujusque coloris licia intelligantur ; sed poetæ distributivum numerum etiam pro simplici usurpant, et *terna* dicunt pro *tria* : ut incertum sit, unum cujusque coloris an tria voluerit Virgilius. — 66 Effigiem tuam, bis factam, ut ex sequentibus patet, et argilla (*limo*) et cera : nisi partem effigiei limo, partem cera fictam statuas. Canidia etiam Horatiana duas effigies habet, sed *laneam* et ceream, quarum prior ipsam repræsentat. Numerus impar in veteribus religionibus sacer habebatur. — 67 Præter vincula liciorum etiam *nodos* symbolice adhibebant magæ : quare serva jubetur unumquodque filum trium colorum tribus nodis nectere.

Necte, Amarylli, modo[68] et *Veneris* dic *vincula necto*.
Ducite ab urbe domũ, mea carmina, ducite Daphnim.

Limus ut hic durescit, et hæc ut cera liquescit
Uno eodemque igni; sic nostro Daphnis amore[69].
Sparge molã[70], et fragiles[71] incende bitumine laurus.
Daphnis me malus urit; ego hanc in Daphnide[72] laurũ.
Ducite ab urbe domũ, mea carmina, ducite Daphnim.

Talis amor Daphnim[73], qualis quum fessa juvencum
Per nemora atque altos quærendo bucula lucos
Propter[74] aquæ rivum viridi procumbit in ulva,
Perdita[75], nec seræ meminit decedere[76] nocti,
Talis amor teneat, nec sit mihi cura mederi[77].
Ducite ab urbe domũ, mea carmina, ducite Daphnim.

Has olim exuvias[78] mihi perfidus ille reliquit,
Pignora cara sui; quæ nunc ego limine[79] in ipso,
Terra, tibi mando: debent[80] hæc pignora Daphnim.
Ducite ab urbe domũ, mea carmina, ducite Daphnim.

Has herbas atque hæc Ponto mihi lecta venena[81]
Ipse dedit Mœris[82]: nascuntur plurima Ponto.
His ego sæpe lupum fieri[83] et se condere silvis
Mœrim, sæpe animas imis excire sepulchris,
Atque satas alio[84] vidi traducere messes.
Ducite ab urbe domũ, mea carmina, ducite Daphnim.

Fer cineres, Amarylli, foras[85], rivoque fluenti

68 *Modo* est impatientis. — 69 Supple *liquescat* (amore mei); solvatur et molliatur. An etiam *durescat*? Sic accepit Servius: « Ut videlicet mens amatoris ita duresceret ad illam quam tunc amabat, omnesque alias, sicut ad ignem limus; et ad se ita molliretur et solveretur amore, ut cera ad ignem liquescit. » Quam rationem quamquam sequuntur plerique, videndum est tamen an non Horatii (*Sat.* VIII libri I) potior sit habenda auctoritas et *veneficæ* effigies lutea vel argillacea debeat intelligi, duram se præbituræ Daphnidi post redintegratum amorem redeunti, ut contemptùs ultionem ab eo repetat: id quod sequenti strophæ extrema indicat venefica sibi esse propositum. — 70 Far molitum sale mixtum, quod sacris fere omnibus adhibebatur. — 71 *Fragiles* de sono crepitante capiendum, qualis ex fragore oritur, ut Lucretius dixit *fragiles sonitus chartarum*. Lauri autem cum leni crepitu urentes felicis ominis habebantur. *Bituminis atros ignes* etiam Horatius memorat in sacro magico Canidiæ, *Epod.* V, 82. — 72 Theocrito ἐτὶ Δάφνιδι, ita ut actio ad ipsum Daphnidem pertineat et quodammodo in Daphnide fiat, qui in ea lauru uratur ipse. Sic Ovidius de Althæa Elii titionem fatalem comburente: *Absens flamma Meleagros in illa Uritur*. — 73 Teneat (quod infra posinum), *qualis* amor buculam tenere cernitur, *quum* ea *fessa quærendo juvencum* etc. — 74 Ad. — 75 Amore consumpta. Ex Varii, poetæ æqualis, carmine hunc versum excerptum esse annotat Macrobius. — 76 Nocti (frigus afferenti) cedendo abire et in sæpta sive stabula redire. — 77 Lenimen afferre huic amori Daphnidis. — 78 Vestes quas Daphnis gesserat. Confer *Æneid.* IV, 495 seqq., 648, 651. — 79 « In loco sacro Vestæ. » *Serv.* Liminis mentio frequens in re amatoria. — 80 Hæc pignora magico ritu defossa Daphnim mihi *debent*, quippe obligata et sacri necessitate obstricta ad eum mihi reddendum. — 81 Hac voce explicatur natura illarum herbarum: herbas venenatas lectas in Ponto, nimirum in Colchide, parte regni Pontici, herbarum efficacissimarum feraci et per Medeæ veneficia celebri. — 82 Magus et venificus alibi non memoratus, fortasse fictus; summum esse existimatum a venefica, indicat additum *ipse*. — 83 « Est enim opinio, quosdam homines artibus quibusdam in lupos mutari. » *Serv.* Orta ex melancholiæ genere, quam ipsi medici λυκανθρωπίαν appellant. — 84 In alium agrum traducere sata messem datura, atque ita possessorem agri spe messis fraudare per incantamenta. Ipsa lex XII Tabularum pœnam statuebat ei *qui fruges excantassit*. — 85 Serva jubetur collectos ab ara cineres domo efferre et in aquam fluentem rivi projicere: quod partim cum ritu expiationis, fluminis aqua viva fieri solitæ, partim cum eo more conjunctum est, quo piacula (κοθάρματα) cremata in mare abjiciebantur. Dativus *rivo* significat: in rivum.

Transq̃ caput[86] jace; nec respexeris[87]. His ego Daph-
Aggrediar; nihil ille deos, nil carmina curat. [nim
Ducite ab urbe domũ, mea carmina, ducite Daphnim.
Aspice: corripuit[88] tremulis altaria flammis
Sponte sua, dum ferre moror, cinis ipse. Bonum sit!
Nescio quid certe est[89]; et Hylax in limine latrat.
Credimus? an, qui[90] amant, ipsi sibi somnia fingunt?
Parcite[91], ab urbe venit, jã parcite, carmina, Daphnis.»

86 Utpote aversa. Sic abjiciebantur piacularia; et sic optat chorus Euripideus: *Utinam quæ peperit Parin, trans caput jecisset hoc malum* (ὑπὲρ κεφαλᾶν ἔβαλε κακόν, *Andromach.* v. 294). — 87 Hodieque in superstitionibus sunt quæ irrita fieri credantur, si discedens respexeris. Quod sequitur *his*, non esse ad præcedentia referendum, apparet ex futuro *aggrediar*. Efficaciora alia et terribiliora mente agitat et aggressura est amens amore mulier, quum nec sacro nec incantamentis reduci videat Daphnidem. — 88 Interea cinis, dum serva et ipsa domina in eo sunt ut ex ara colligant et auferant, sponte sua exardescit et aram trementibus flammulis implet. Quod faustum omen habebatur. «Hoc Ciceronis uxori dicitur contigisse: quum post peractum sacrificium libare vellet in cinerem, ex ipso cinere flamma surrexit; quæ flamma eodem anno Consulem futurum ostendit ejus maritum, sicut Cicero in suo testatur poemate (de Consulatu suo).» *Serv.* — 89 Nescio quid hoc sit, sed certe non temere et sine causa fit. *Hylax*, canis nomen græcum, quasi dicas Latrator. — 90 Græco usu vocalis longa ante vocalem non elisa, sed correpta. *Sibi*, ad se ipsos fallendos. — 91 Parcite Daphnidi, neu ulterius aggredimini. Jungenda *venit Daphnis*.



ECLOGA NONA.

MOERIS.

LYCIDAS, MOERIS.

LYCIDAS.

Quo te, Mœri, pedes[1]? an, quo via ducit, in urbem?

MOERIS.

O Lycida, vivi[2] pervenimus, advena nostri
(Quod nunquam veriti sumus) ut possessor agelli
Diceret : « Hæc mea sunt; veteres migrate coloni. »
Nunc victi[3], tristes, quoniam Fors[4] omnia versat,
Hos illi[5] (quod nec vertat bene!) mittimus[6] hædos.

LYCIDAS.

Certe[7] equidem audieram, qua[8] se subducere colles
Incipiunt mollique jugum demittere clivo,

1 Supple *ducunt*, quod in altero membro sequitur alii substantivo adjectum. — 2 « Diu vivendo usque eo perveninus, ut audiremus dicentem : Migrate! hæc mea sunt. » *Servius.* Quod probabilius est receptionem explicatione, qui *vivi* de aliqua tamen sortis benignitate interpretantur, quum colo-

ni multi a militibus agros occupantibus essent interfecti. Huic loco enim vix aptum quod sane ad eam rem spectat infra dictum v. 16, *non viveremus* nec ego nec domini. Construe : *pervenimus* (*eo ut advena*, factus *possessor agelli nostri*, *diceret* etc. — 3 Oppressi a potentioribus, cedere coacti. — 4 *Fors* appellatur cæca vis casus, temere et lege nulla grassans. — 5 Arrio centurioni, qui poetæ agros possidebat. Formulam in rebus quas facere ingredimur usitatam : *quod bene vertat!* (bonum in exitum vertatur!), indignatus Mœris mutat in contrariam. « Quæ res in ejus perniciem vertatur! » *Serv.* *Nec* pro *non* ex usu antiquæ linguæ, quæ in precum formulis perstare solet. — 6 Ut munus agimus in urbem ubi habitat. *Mitti* dicuntur etiam quæ ipsi donamus, si ad eam rem via facienda est. — 7 Has querelas miratus Lycidas respondet : Ego quidem certe audieram Menalcam (id est Virgilium) per carmina et poeticam facultatem obtinuisse ut servaret prædium suum (cujus situs describitur). Quod beneficium poeta in Ecloga I celebravit. — 8 Servasse *omnia* sive omnem locum, *qua* (ubi) colles *incipiunt se subducere*, se ex alto in planum deducere, paulatim deprimi et *jugum* suum *demittere* ita, ut efficiant clivum *mollem* sive leni admodum et facili ascensu.

Usque ad aquā[9] et veteres jū fracta[10] cacumina fagos,
Omnia carminibus vestrum servasse Menalcan.

MŒRIS.

Audieras? et[11] fama fuit; sed carmina tantum
Nostra valent, Lycida, tela inter Martia, quantum
Chaonias[12] dicunt, aquila veniente, columbas.
Quod nisi[13] me quacumque novas incidere lites
Ante sinistra[14] cava monuisset ab ilice cornix,
Nec tuus hic Mœris, nec viveret[15] ipse Menalcas.

LYCIDAS.

Heu! cadit[16] in quemquā tantū scelus? Heu! tua nobis
Pæne simul tecum solatia[17] rapta, Menalca!
Quis caneret Nymphas[18]? quis humū florentibus her-
Sparseret[19], aut viridi fontes induceret umbra? [bis
Vel[20] quæ sublegi tacitus tibi carmina nuper,
Quum te[21] ad delicias ferres, Amaryllida, nostras?
« Tityre, dum redeo, brevis est via, pasce capellas;
« Et potum[22] pastas age, Tityre; et inter agendum
« Occursare capro (cornu ferit ille) caveto. »

MŒRIS.

Imo[23] hæc quæ Varo, necdum perfecta, canebat:
« Vare, tuum[24] nomen, superet modo Mantua nobis,

9 Minci fluminis. Ut *veteribus fagis* limites agri Virgiliani indicâsantur, ita apud Horatium *populus adsita certis limitibus* (*Epist.* II, 2, 170) dicitur vicinorum jurgia prohibere. Cetcrum Virgilius tanta cura fines agri sui descripsit, ut ne accisum et deminutum sibi reddatur prædium. — 10 Epitheton *veteres* per græcismum explicatur adjecto accusativo partis in qua vetustas illa præcipue cernitur, pro vulgari « veteres jam fractis cacuminibus fagos. » Eodem modo in *Ecl.* II dictum *densas umbrosa cacumina fagos* (not. 3). — 11 *Et* nonnunquam confirmandi vim habet. — 12 Quantum valere dicunt, irruente aquila, columbas *Chaonias*, id est palumbes sacras in luco Dodonæo, celebres quod oracula edere credebantur. Dodona autem Epiri urbs est, antiquissimis temporibus a Chaonibus habitatæ. — 13 Nisi augurio ante monitus fuissem, ut quovis modo jurgia cum veteranis in agros irrumpentibus præciderem, et ego et herus capitis periculum adiissemus. Vocula *quod* fere exprimit « in qua re, » sed tenuissime. *Incidere* dicimur rem quam vel abrumpimus inchoatam vel statim præcidimus et evitamus. — 14 Cornix, veteribus avis fatidica, *a sinistra* volans *facit ratum*, inquit Cicero, id est eventurum significat quod cogitamus. Malum autem portendebat sedes unde evolabat cornix: de qua hæc annotavit Servius ex augurali disciplina: « Cornicem dicit in cava ilice consedisse: quæ res agrorum damnum significabat. Ilex enim glandifera arbor est; quæ quoniam vitiosa (*cava*) est, vitium possessionis ostendit fore. » — 15 Confer not. 2. — 16 An hominum quisquam potest tantum scelus committere? Quod convenit ingenio alicujus, quod ab eo exspectari potest, latine dicitur *in eum cadere*. — 17 *Tua solatia*, id est tua carmina, quibus nos solaris, curas, labores et molestias nostras lenis et mitigas. Nam, ut Quintilianus dicit de hoc carmine (VIII, c. 6, 47), « non pastor Menalcas, sed Virgilius est intelligendus. » — 18 In Ambarvalium solemnitate; vide not. 61 Eclogæ V. — 19 *Sparseret... induceret*, scilicet canendo, carminibus suis: ut poeta facere dicatur quod carmine a se ficto repræsentat; de quo usu expositum not. 45 Eclogæ VI. Quis humum floribus sparsam, quis fontes arboribus umbrosis circumdatos caneret? *Viridi*, arborum virentium. — 20 *Vel* quis caneret ea *quæ* sive qualia *nuper tacitus*, clam et latenter *tibi* surripui, quum caneres, et memoria servavi. — 21 Quum ad amicam tuam ires. Sed hoc loco res ipsa et poesis prorsus in unum confusa sunt: nam versus quos se sublegisse dicit Lycidas, Theocriti sunt et pastoris ad Amaryllidem amicam κωμάζοντος (*Idyll.* III) Tityroque gregis curam committentis: ut Mœridem eos canentem recte dicat *se ferre ad Amaryllidem*, quocumque tandem ille se contulit, et Amaryllidem *nostras*, id est suas quoque *delicias* vocet, utpote puellam a poeta pulchre exornatam. — 22 Supinum verbi *potare*, — 23 *Imo* (quod potius et præstantius est) quis nobis caneret *hæc quæ* etc. Sic Virgilius infert mentionem Alfeni Vari, tum ab Octaviano Galliæ Cisalpinæ præfecti, qui multum poterat ad injuriam a Mantuanis avertendam. — 24 Cycni

« Mantua væ miseræ nimium vicina Cremonæ[25] !
« Cantantes sublime ferent ad sidera cycni[26]. »

LYCIDAS.

Sic[27] tua Cyrneas[28] fugiant examina taxos !
Sic cytiso pastæ distendant[29] ubera vaccæ !
Incipe[30], si quid habes. Et me fecere poetam
Pierides ; sunt et mihi carmina ; me quoque dicunt
Vatem pastores : sed non ego credulus illis ;
Nam neque adhuc Vario[31] videor nec dicere Cinnâ
Digna, sed argutos[32] inter strepere anser olores.

MŒRIS.

Id quidem ago et tacitus, Lycida, mecū ipse voluto[33],
Si valeam meminisse ; neque[34] est ignobile carmen.
« Huc ades, o Galatea : quis est nam ludus[35] in undis ?
« Hic ver purpureum[36] ; varios hic flumina circum
« Fundit humus flores ; hic candida populus[37] antro
« Imminet, et lentæ[38] texunt umbracula vites.
« Huc ades : insani[39] feriant sine litora fluctus. »

LYCIDAS.

Quid[40], quæ te pura solum sub nocte canentem
Audieram ? numeros[41] memini, si verba tenerem.

MŒRIS.

« Daphni, quid antiquos signorum suspicis[42] ortus ?
« Ecce[43] Dionæi processit Cæsaris astrum,

cantantes, id est prælari poetæ, valde celebrabunt nomen tuum, dummodo Mantua nobis supersit, id est superstes et salva sit, militibus veteranis, qui immerito eam invaserunt, a te erepta. — 25 Hæc urbs enim, Cassii et Bruti partes sequuta, veteranis assignata fuerat; sed illi vicinos quoque agros occuparunt, in quibus Mantuanos, licet ea urbs ab Octaviani partibus stetisset. Sic Mantuæ malum erat in *nimia vicinitate* Cremonæ — 26 Apposite dictum de Mantuanis poetis; namque urbis ejus *campus Pascebat niveos herboso flumine*

cycnos (*Georg.* II, 199). — 27 Voculà *sic* inducuntur preces et obtestationes ita ut præmittantur bona vota, exitum habitura si preces exaudiantur. Lycidas ex apibus et vaccis optimum fructum optat Mœridi, et per hoc votum obtestatur ut sibi canat si qua habet carmina. — 28 Κύρνος, græcum nomen Corsicæ insulæ taxos abunde ferentis, arbores amaras, mellificio tam adversas, ut in Georgicis apiario præcipiatur : *Ne propius tectis taxum sine* (IV, 47). — 29 Conf. not. 22 Eclogæ IV. — 30 *Incipe* canere, *si quid habes* in promptu quod canas. — 31 Lucium Varium dicit, celebrem poetam tragicum et epicum, ab Horatio quoque impense laudatum; deinde Caium Helvium Cinnam, elegiaco carmine *Smyrna* inscripto olim illustratum. — 32 Canoros. Hæc quo simplicius dicta videntur, eo magis delectaverint æquales Virgilii, qui Anserem nossent, « Antonii triumviri poetam, qui ejus laudes scribebat. De hoc etiam Cicero in Philippicis (XIII, 5) dicit : *De Faterno* ANSERES *depellentur* Ipsum enim agrum Falernum ei donaverat Antonius. » *Serv.* Propertius quoque et Ovidius Anserem memorarunt. — 33 Animo volvo, cogito. — 34 Neque enim etc. Sequitur carmen ex Theocriti *Cyclope* (XI) ductum, quo Polyphemus in litore sedens Galateam Nereidem, quam amat, ex mari ad se allicere studet. — 35 Voluptas. — 36 Florum et herbarum coloribus nitidum. Etiam *varios* ad colorem referendum est. — 37 Species populi, græce λεύκη, dicta. — 38 Flexiles, ut *Ecl.* V, n. 23. Umbracula dicuntur loca frondibus obumbrantibus circumtexta (nobis *berceaux*). — 39 Relinque fluctus furentes maris agitati, et nihil curans eos sine ferire litora. — 40 Hac voce ii qui interrogant, ad illud transire solent quod potissimum scire cupiunt. *Pura*, serena; *nocte* autem capiendum de cœlo nocturno, ut intelligitur ex præpositione. — 41 Modos musicos horum versuum. *Si* desiderium indicat : opto autem mē verba quoque memoria tenuisse. Sequuntur alii versus Menalcæ (Virgilii). — 42 Oculis sursum conversis spectas antiqua et dudum nota sidera noctis adventu orientia. *Antiquos ortus signorum* poetice dictum pro signorum *antiquorum* ortus. — 43 Ecce novum astrum exortum est Julii Cæsaris, Veneris filii, inter divos relati. Dione est mater Veneris, unde Julius gentis suæ originem ducebat per Iulum, filium Æneæ Venere nati. Nimirum stella crinita, quæ inter ludos ab Augusto in honorem Cæsaris ce-

« Astrum, quo[44] segetes gauderent frugibus, et quo
« Duceret[45] apricis in collibus uva colorem.
« Insere[46], Daphni, piros : carpent tua poma nepotes. »
Omnia fert[47] ætas, animū quoq. Sæpe[48] ego longos
Cantando puerum memini me condere soles :
Nunc oblita[49] mihi tot carmina ; vox quoque Mœrim
Jam fugit[50] ipsa : lupi[51] Mœrim videre priores.
Sed tamen ista satis referet tibi sæpe Menalcas[52].

LYCIDAS.

Caussando[53] nostros in longum ducis amores.
Et nunc[54] omne tibi stratum silet æquor, et omnes
(Aspice) ventosi ceciderunt[55] murmuris auræ :
Hinc adeo[56] media est nobis via ; namque sepulchrum
Incipit apparere Bianoris[57]. Hic ubi densas
Agricolæ stringunt[58] frondes, hic, Mœri, canamus ;
Hic hædos depone ; tamen[59] veniemus in urbem.
Aut, si nox pluviam ne colligat[60] ante veremur,
Cantantes licet[61] usque (minus via lædit) eamus :
Cantantes ut eamus, ego hoc te fasce[62] levabo.

MOERIS.

Desine plura[63], puer ; et quod nunc instat[64] agamus :
Carmina tum melius, quum venerit ipse[65], canemus.

lebratos mense Julio anni U. 711 (43 a. C.) in cœlo apparuerat, pro anima dictatoris inter deos recepti habebatur : « qua de causa (ait Suetonius c. 88) simulacro ejus in vertice additur stella. » — 44 Astrum tam potens et beneficum, ut eo orto et segetes lætæ niterent frugibus et vites adducerentur ad maturitatem. — 45 Colorem assumeret, sibi induceret : quod maturescendi initium. — 46 Vide not. 78 Eclogæ I. Quod nunc faciendum monet, lucente sidere tam propitio, et auguratur seros nepotes fructum habituros ex arboribus hoc sidere insitis. — 47 Aufert. *Animum* de una potissimum animi facultatum dicit, de memoria : se alia carmina multa Menalcæ non meminisse queritur ob senectam. — 48 Memini me sæpe longos dies æstivos exegisse usque ad solis occasum cantando puerum amatum. Sol occidens dicitur *se condere* : hinc, qui aliquid agunt per totum diem donec sol occidat, poetice dicuntur in hac actione *condere solem* vel *diem*. — 49 Passive : oblivione deleta. — 50 Deserit. — 51 Populari superstitione credebantur vocem amittere, quos lupus occurrens vidisset *prior* : tum enim major est aufugiendi difficultas et terror injectus vehementior. Ad quam superstitionem respiciens Plato Socratem induxit elegantissima cum ironia dicentem : « Hæc ego audiens exterritus sum et ipsum (Thrasymachum) aspectans perhorrui, atque, ut arbitror, *nisi prior eum aspexissem, quam ipse me, mutus penitus evasissem* (*Republ.* I, p. 336, e). — 52 Ipse poeta ex itinere redux. — 53 Excusationes afferendo differs desiderium meum. — 54 Nunc est tempus cantibus tuis audiendis idoneum : lacus omnis stratis undis æquatus et tranquillus silet. *Æquor* intelligendum de lacu in quem haud procul ab urbe Mantua Mincius amnis diffunditur. — 55 Procubuerunt et conquiescunt auræ, ex quibus, vento flante, oritur murmur. Auræ tranquillitas ex undarum et foliorum quiete cognoscitur : unde dictum *Aspice*, ubi exspectes « audi. » — 56 Ab hoc ipso loco, in quo stamus, est medium viæ nobis confieiendæ. — 57 Bianorem scholiastæ annotant dici Ocnum sive Auenum, natum ex Tiberi amne et Tiresiæ vatis filia Mantone, Mantuæ urbis conditorem. De qua re variam famam Servius indicat docta annotatione ad *Æneid.* X, 198. — 58 Amputant, decerpunt, ubi nimis densæ sunt ; vid. *Georg.* II, 368. — 59 Etiamsi paullulum moræ cantilenis dederimus. — 60 Pluviam ex collectis nubibus minetur aut demittat. *Nox* sæpe de vespera dictum. — 61 Possumus facere viam omnem quæ restat. In verbis parenthetice positis repetendum *cantantes*. — 62 Fasce hædorum vinctorum quos Mœris portat. — 63 Vide not. 16 Eclogæ V. — 64 Iter, non cantus. — 65 Menalcas, id est Virgilius ; vide not. 17.

ECLOGA DECIMA.

GALLUS.

1 Musæ loco poeta, ut in bucolico carmine, invocat fontis nympham (quo de more diximus in nota 20 Ecl. VII), Arethusam, cujus aquæ scaturiunt in insula Ortygia, parte Syracusarum, urbis patriæ Theocriti, qui hoc genus poeseos condidit: conferas

EXTREMUM hunc, Arethusa [1], mihi concede laborem :
Pauca meo [2] Gallo, sed quæ legat ipsa Lycoris,
Carmina sunt dicenda : neget quis carmina Gallo ?
Sic [3] tibi, quum fluctus subterlabere Sicanos,
Doris [4] amara suam non intermisceat undam !
Incipe ; sollicitos [5] Galli dicamus amores,
Dum tenera attondent simæ [6] virgulta capellæ.
Non canimus surdis [7] : respondent omnia silvæ.
Quæ [8] nemora aut qui vos saltus habuere, puellæ
Naïdes, indigno [9] quum Gallus amore periret ?
Nam neque Parnassi vobis juga [10], nam neque Pindi

initia Eclogarum IV et VI. *Concede*, permitte et da mihi ut faciam. Eo tempore autem Virgilius *Georgicorum* grande carmen exorsurus vel jam exorsus, bucolicis lusibus valedicebat. — 2 Amico, amato mihi. De Gallo et Lycoride consulendum est Argumentum hujus Eclogæ. Sperat autem poeta fore ut lecto carmine flebili et cognita constantia Galli, ipsa Lycoris commoveatur, pœniteat, redeat. — 3 Vide notam 27 Eclogæ IX. Poeta Arethusam per id quod ei jucundissimum esse debebat, obtestatur ut sibi adsit et carmen dictet. Nam Pisæ in Elide Peloponnesi ortam Alpheus fluvius amavit : quem respuens illa sub mari in Siciliam usque profugit. Optat igitur poeta, ne maris undas subterlabenti dulcis liquor fontanus reddatur amarus irruptione aquæ marinæ : ut in tanto itinere sinceritas ejus servetur incorrupta. • *Le vœu de Virgile n'a pas été exaucé : l'eau de la fontaine Arethuse a contracté un goût saumâtre.* • F. Didot.) *Sicani fluctus* sunt qui a geographis vocantur mare Siculum et Ionium. — 4 Doris, conjux Nerei, antiqui dei marini : quo nomine mare significatur, ut Bacchi nomine vinum, Vulcani ignis, etc. — 5 Qui animum Galli reddunt sollicitum, cruciant. — 6 Capellæ depressis naribus, unde etiam *simiarum* nomen. — 7 Quanquam rure et in agris canimus : audiunt carmina silvæ et resonant per echo. — 8 Fontium Nymphæ, Naïdes vel Naiades, succurrere debebant alumno laboranti : sed non adfuerunt. — 9 Conf. not. 17 Ecl. VIII. — 10 *Juga Parnassi*, quia biceps erat et duobus cacuminibus

Ulla moram fecere, neque Aonie [11] Aganippe.
Illum etiam lauri [12], etiam flevere myricæ ;
Pinifer illum etiam sola [13] sub rupe jacentem
Mænalus et gelidi fleverunt saxa Lycæi.
Stant et oves circum [14] ; nostri nec pœnitet illas ;
Nec te pœniteat pecoris, divine poeta :
Et formosus oves ad flumina pavit [15] Adonis.
Venit et upilio [16] ; tardi venere subulci [17] ;
Uvidus [18] hiberna venit de glande Menalcas. [Io :
Omnes « Unde amor iste » rogant « tibi ? » Venit Apol-
« Galle, quid insanis ? inquit : tua cura [19] Lycoris
Perque nives alium perque horrida castra secuta est. »
Venit et agresti capitis Silvanus honore [20],
Florentes [21] ferulas et grandia lilia quassans.
Pan, deus Arcadiæ, venit, quem vidimus ipsi [22]
Sanguincis ebuli [23] baccis minioque rubentem.
« Ecquis erit modus [24] ? inquit ; Amor non talia curat ;
Nec lacrimis [25] crudelis Amor, nec gramina rivis,
Nec cytiso [26] saturantur apes, nec fronde capellæ. »
Tristis at ille [27] : « Tamen cantabitis, Arcades, in-
Montibus hæc vestris : soli cantare periti [quit,
Arcades. O mihi tum quam molliter ossa quiescant,
Vestra meos olim si fistula dicat amores !

hic mons Musarum : nisi quidem pluralis positus est ob insequentem mentionem Pindi, item Thessaliæ montis Musis sacri. In his igitur Musarum montibus non fuisse retentas Naiadas quominus mœrenti poetæ adessent, hoc inde colligitur a Virgilio, quod illi ipsi montes Gallum fleverunt : id quod manifesto significatur particulis *etiam* statim subjectis. — 11 Adjectivum græcum, pro Aonica, id est Bœotica (v. not. 63 Ecl. VI). Aganippe, Musis consecratus fons in Helicone. — 12 Laurus memoratur ut Apollini sacrata, myricæ

ad bucolicum genus carminis indicandum, ut intelligitur ex Ecl. IV, v. 2. Elisio intermissa in principi cæsura versus. — 13 Solitaria. De Mænalo dictum not. 20 Ecl. VIII ; Lycæus etiam mons Arcadiæ, uterque Panis regna. — 14 Item lugentes. Jam velut excusaturus, quod Equitem Romanum ab ovibus circumstari et plangi fecerit, Virgilius addit : oves satis gaudent nobis pastoribus et delectantur nostris de te cantibus ; quare tu quoque, divine poeta, ne dedignare eas, neu despice carmen rusticum : ipse Adonis a Venere amatus oves olim pavit. *Pœnitet me rei* idem fere est quod : contemno. — 15 Secundum Theocritum, I, v. 109, ex mytho alibi non memorato. — 16 Opilio, ovium pastor. — 17 Suum pastores. Sic vetera monumenta omnia ; recentiores editores fere omnes substituere *bubulci*, sine necessitate. — 18 Etiam Menalcas bubulcus venit, uvidus sive humore adspersus ex pabulo, quod modo dederat bobus : qui per hiemem usque ad Idus Apriles, præter grana et fœnum, etiam glandibus in aquam conjectis et maceratis vel in cisterna asservatis alebantur. — 19 Ut alibi, *tuus amor* : puella quam amas. Vide Argumentum. — 20 Silvanus instructus ornatu capitis agresti, ex frondibus et floribus agrestibus. *Honos* a poetis dicitur omne quod honestat, decorat, ornat. In monumentis Silvanus conspicitur cereum ex frondibus arborcis aut amplis floribus et arundinibus gestans. — 21 Eundo concutiens et motans serta quibus redimitum caput habebat. *Ferula* est frutex, foliis fœniculo, specie arundinibus similis, Græcis νάρθηξ. — 22 Ego et Gallus, poetæ. Solitarius enim et irracundus deus rarissime et invitissimus se hominibus conspiciendum præbebat : quare hujus ἐπιφανείας citantur testes. — 23 *Ebulus* (nobis *hièble*) baccas rubras fert, sambuci similes. Tali specie visus Pan, quali sunt ejus simulacra, quæ, ut aliorum deorum agrestium, rubro pigmento solebant induci. — 24 Scilicet lamentationibus et lacrimis tuis. — 25 Amor non magis satiatur lacrimis, quam gramina satiantur rivulis in prata ductis (vide extremum versum Eclogæ III), etc. : usque ipsi fluant necesse est ; alitur ille lacrimis, quas scito te in pertusum dolium effundere. — 26 Cytisum rei rusticæ scriptores circa alvearia plantari jubent. — 27 Gallus respondet : Quamquam intelligo Amorem lacrimis non saturari neque flecti posse ejus animum, tamen juvat indulgere atque immori huic dolori, quia vos, Arcades, montibus vestris usque cantabitis amores meos. De musicæ vel peritia Arcadum vide

Atque utinam ex vobis unus, vestrique fuissem
Aut custos gregis, aut maturæ vinitor uvæ!
Certe[28], sive mihi Phyllis, sive esset Amyntas,
Seu quicumque furor[29] (quid tum, si fuscus Amyntas?
Et nigræ violæ sunt et vaccinia nigra),
Mecum inter salices lenta sub vite[30] jaceret;
Serta[31] mihi Phyllis legeret, cantaret Amyntas.
Hic gelidi fontes; hic mollia prata, Lycori;
Hic nemus: hìc ipso tecum consumerer ævo[32].
Nunc[33] insanus amor duri me Martis in armis
Tela inter media atque adversos detinet hostes:
Tu[34] procul a patria (nec sit[35] mihi credere tantum!)
Alpinas, ah! dura, nives et frigora Rheni
Me sine[36] sola vides. Ah, te ne frigora lædant!
Ah, tibi ne teneras glacies secet aspera plantas!
Ibo, et Chalcidico[37] quæ sunt mihi condita versu
Carmina, pastoris[38] Siculi modulabor avena.
Certum[39] est in silvis, inter spelæa ferarum,
Malle pati[40], tenerisque meos incidere amores
Arboribus: crescent illæ; crescetis[41], amores.
Interea mixtis[42] lustrabo Mænala Nymphis,
Aut acres[43] venabor apros; non me ulla vetabunt
Frigora Parthenios[44] canibus circumdare saltus.
Jam mihi per rupes videor lucosque sonantes[45]
Ire; libet Partho torquere[46] Cydonia cornu

notam 3 Eclogæ VII. — 28 Nempe si pastor essem. Phyllidem et Amyntam in tertia Ecloga videbamus, Damœtæ et Menalcæ amores. — 29 Sive quicumque mihi esset amor (ut not. 19): quemcumque, quamcumque tandem amarem in hac pastoritia conditione. Sane non essent candidi, ut sunt urbani pueri, urbanæ puellæ: verum *quid tum?* quid refert *si fuscus*, si non candidus est, *Amyntas?* Etiam nigri flores delectant et amantur. Vide *Eclog.* II, vers. 16 seqq., et not. 18. — 30 Cogitandum est vinetum, qualia multa erant circa Mincium et Padum: colliumvitibus consitorum radices fluvio propinquæ salicta alebant. — 31 Flores ad serta. — 32 Ipsa senectute. — 33 Per voculam *nunc* latini scriptores rebus suppositis et fictis opponere solent id quod revera locum habet. Modo Gallus pastoritiæ vitæ beatam conditionem somniatus erat: sed hæc felicitas, inquit, non contigit mihi: insanus amor vitæ militaris in castra me atque acies conjecit, quæ nunc detinent. Revera tum Gallus legionibus quibusdam Octaviani præerat, quum litora Italiæ ab invasionibus Pompeianæ classis tuenda essent. Junge *amor duri Martis*, non *in armis Martis*. — 34 De Lycoride, ducem aliquem secuta in Agrippæ exercitu, per Gallias Rhenum trajiciente, vide Argumentum. Servius autem huic loco adscribens: « Hi omnes versus *Galli* sunt, de ipsius translati carminibus », haud dubie intelligit quattuor versus: nam *Ibo, et Chalcidico* etc. non esse Virgilii non possunt. — 35 *Sit* sequente infinitivo, ut gr. ἔστι, dictum pro: liceat. Atque utinam liceat mihi non credere rem tantam, tam atrocem! utinam ne cogar credere hoc revera evenire! — 36 Sine me. — 37 Versu *Chalcidico*, a Chalcidensi poeta ducto vel translato. Chalcide enim oriundus erat Euphorion, Antiochi Magni regis æqualis, cujus carmina aut vertendo aut imitatione expresserat Gallus; conf. *Ecl.* VI, not. 69. — 38 His carminibus meos ipse amores canam fistula pastoritia. — 39 Mihi certo consilio propositum est, stat voluntas. Σπήλαια, græca vox: speluncæ, lustra. — 40 Sustinere vitam duram. Ad sequentia confer *Ecl.* V, not. 11. — 41 Sic Ovidius de nomine suo corticibus arborum inciso: *Et quantum trunci, tantum mea nomina crescunt.* — 42 Montes et silvas densas perlustrabo Nymphis mihi admixtis, id est Nymphis admixtus, una cum Nymphis. *Mænala*, pluralis heteroclitus; Mænalus ut Arcadiæ mons et Pani sacer convenit bucolico carmini. — 43 Animosos, feroces. — 44 Parthenius et ipse mons Arcadiæ, Argolidi vicinus. In veterum venatione multo majores quam hodie partes fuisse canum, intelligitur ex Xenophonte et aliis scriptoribus rei venaticæ. — 45 Resonantes latratu canum et clamore venantium. — 46 Libet sagittas mittere vi torti funis in arcu: nisi malis verbum *torquere*, proprie dictum de funda, translatum sta-

Spicula ; — tanquâ [47] hæc sit nostri medicina furoris,
Aut deus ille malis hominum mitescere [48] discat !
Jam neque Hamadryades [49] rursus, nec carmina nobis
Ipsa placent ; ipsæ rursus concedite [50] silvæ.
Non illum [51] nostri possunt mutare labores,
Nec [52] si frigoribus mediis Hebrumque bibamus,
Sithoniasque [53] nives hiemis subeamus aquosæ ;
Nec si, quum moriens alta liber [54] aret in ulmo,
Æthiopum versemus oves [55] sub sidere Cancri.
Omnia [56] vincit Amor, et nos cedamus Amori. »

Hæc sat erit, divæ [57], vestrum cecinisse poetam,
Dum sedet et gracili fiscellam texit hibisco [58],
Pierides : vos [59] hæc facietis maxima Gallo,
Gallo, cujus amor tantum mihi crescit in horas,
Quantum vere novo viridis se subjicit [60] alnus.

Surgamus : solet esse gravis [61] cantantibus umbra ;
Juniperi [62] gravis umbra ; nocent et frugibus umbræ.
Ite domum saturæ, venit Hesperus [63], ite, capellæ.

tuere ad sagittas et jacula. *Partho cornu*, corneo arcu Parthico. Celebris Parthorum peritia sagittandi. In Creta insula autem arundo crescebat conficiendis sagittis longe aptissima, præcipue, ut videtur, circa urbes Cydoniam et Gnossum, a quibus poetæ frequenter petunt epitheta sagittarum et arcuum. — 47 Quasi, ac si... Sentit Gallus neque hæc mederi posse *furori*, insano amori suo. — 48 Leniri, duritia missa ad miserationem flecti. — 49 Vide not. 47 Eclogæ V. Rusticam vitam his verbis significat. — 50 Cedite, abite, valete. — 51 Illum deum, Amorem. *Labores*, mala quæ sustinemus. — 52 Non mitescet ille, neque si in frigidissimas regiones, neque si torridam sub zonam ipsius causa concedamus. *Hebrum bibere* (vide Eclogam I, not. 63) est : vivere in Thracia, cujus magnus fluvius est Hebrus (hodie *Maritza*), ex Hæmo monte descendens, a poetis sæpe dictus *nivalis*. Additum etiam *frigoribus mediis*, id est, ipso hiemis tempore ; conf. *Ecl.* II, not. 21. — 53 Sithonia quoque est Thraciæ regio inter Strymonem et Nestum fluvios, posterius ad Macedoniam relata. Nec si duremus, perpetiamur frigus ex nivibus Sithoniæ per hiemem. Jam vero diffitendum non est, humani aliquid Virgilio accidisse, dum Thraciam hiemem appellat *aquosam*, quales sane Italiæ et meridionalium regionum esse solent hiemes, minime vero borealium. — 54 *Liber* est interior pars corticis. Cortice per nimium ardorem et siccitatem moriente, media æstas et Caniculares dies indicantur. — 55 Oves Æthiopum sive Æthiopicas hic illuc agamus, pascamus sub tropico sidere Cancri. Æthiopiæ nomine poetæ interiorem Africæ et nigrorum hominum regionem sub zona torrida designant. — 56 Jam perspecto, prorsus nihil valere adversus potentiam Amoris, Gallus invicto deo cedit. — 57 O deæ *Pierides*, Musæ. — 58 Ut ex junco, sic ex hibisco quoque (vide not. 31 Eclogæ II) pastores per otium texebant fiscellas sive calathos, quibus lac in caseum cogebant. — 59 Vos, o Musæ, hæc carmina, per se tenula et exigua, benignitate vestra facietis *maxima Gallo*, id est, efficietis ut valde magna esse videantur Gallo, ut majoris dignitatis, quam sunt, ab eo habeantur, quippe, ut spero, mœrorem ejus aliquatenus consolatura. — 60 Se sursum erigit, se attollit, crescit ; conf. *Georg.* II, 19 ; *Æn.* XII, 288. *Sub* in talibus non est *κατά*, sed *ὑπόδην*. — 61 Molesta, nociva. De umbra ipsius diei, de vespera ingruente dictum, cujus aura frigidior nocere potest iis qui canendi aliqua contentione inferbuerunt. — 62 Juniperus in iis arboribus est, quarum sub noctem præsertim exhalationes vitari solent. De *gravi umbra* quarumdam arborum testatur etiam Lucretius poeta : *Arboribus certis gravis umbra tributa, Usque adeo capitis faciant ut sæpe dolores.* — 63 Confer not. 28 Eclogæ VIII.

PUBLII

VIRGILII MARONIS

GEORGICON

LIBER I.

Quid[1] faciat lætas segetes, quo sidere[2] terram
Vertere, Mæcenas[3], ulmisque adjungere vites[4]
Conveniat; quæ cura boum, qui cultus habendo[5]
Sit pecori; apibus quanta experientia[6] parcis,
Hinc canere incipiam. Vos, o clarissima mundi
Lumina[7], labentem cœlo quæ ducitis annum;

1 Struendum: *Hinc* (sive ab hoc initio) *incipiam canere quid* etc. *Lætas* (teste Cicerone) ipsi etiam rustici dicebant segetes uberes et bene provenientes. —

2 *Quo sidere* oriente vel occidente *conveniat vertere terram* aratro vel rastris: quo tempore anni arare et agrum colere sit utile. — 3 Caium Cilnium Mæcenatem equitem alloquitur, eruditissimum poetarum fautorem, Augusti amicum, quo suadente Virgilius huic argumento animum applicaverat. — 4 His verbis non solum omnem complectitur culturam vitium (quas in Italia ad ulmos aliasque arbores plantari, iisque implicari et *maritari* constat), sed arborum quoque culturam, potiorem partem hujus curæ nominasse contentus. — 5 *Qui* sive qualis *sit cultus* adhibendus *pecori*, ut recte habeatur et curetur: nam hæc vis inest dativo gerundii. Vox *pecori* non elisa et rem et oppositionem reddit insigniorem. — 6 *Quanta* sit *experientia* adhibenda *apibus* habendis: quæ apes congestis parcunt in hiemem. (Mire nonnulli explicant: raris, infrequentibus, quo scilicet copiosæ reddantur apiaria arte atque cura.) Ita paucis et clare indicatum habes Georgicorum argumentum quadripartitum: libri I, *agriculturam et rusticationem*; libri II, *vitium et arborum culturam*; libri III, *rem pecuariam*; libri IV, *rem apiariam*. Sequitur Invocatio. — 7 Sol et Luna, qui in cœlo positi ducitis annum per tempestates, menses, dies sensim decurrentem.

Liber[8], et alma Ceres, vestro si[9] munere tellus
Chaoniam[10] pingui glandem mutavit[11] aristâ,
Poculaque inventis Acheloia[12] miscuit uvis;
Et vos, agrestum præsentia[13] Numina, Fauni,
Ferte[14] simul Faunique pedem Dryadesque puellæ:
Munera vestra cano. Tuque o, cui[15] prima frementē
Fudit equum magno tellus percussa tridenti,
Neptune; et cultor nemorum[16], cui pinguia Cææ[17]
Ter centum nivei tondent dumeta juvenci;
Ipse[18], nemus linquens patrium saltusque Lycæi,
Pan, ovium custos, tua si[19] tibi Mænala curæ,
Adsis, o Tegeææ[20], favens; oleæque Minerva
Inventrix; uncique puer[21] monstrator aratri;
Et teneram ab radice[22] ferens, Silvane, cupressum;
Dique deæque omnes, studium quibus arva tueri[23],
Quique novas alitis non ullo semine[24] fruges,
Quique satis[25] largum cœlo demittitis imbrem.
Tuque[26] adeo, quem mox quæ sint habitura deorum

8 Italicum nomen Bacchi. — 9 Supple : adeste mihi canenti, *si*..., quam particulam in tali sententia nostra quoque lingua rebus verissimis et certissimis adhibet. Sensus : Vos, Bacche et Ceres, adeste mihi, si fruges atque vinum vestra sunt inventa et munera. *Tellus* intellige de hominibus quos terra novis proventibus instruxit. — 10 Glandem Chaoniam, ab antiquo et celebri querceto Dodonæ in Epiro a Chaonibus olim habitata. — 11 Cibum ex glandibus permutavit cum frumentario. *Pingui*, granis tumenti, grandi. — 12 Achelous, fluviorum Græciæ maximus, Acarnaniam et Ætoliam perlabens, secundum fabulas ex Oceano et Tethye ante ceteros fluvios omnes genitus et sacris advocatus, apud poetas græcos de quavis aqua fluviatili vel viva dicebatur : ut *pocula Acheloia* nihil sint nisi aquæ pocula. Notus est veterum mos vinum aquâ temperandi. — 13 Potentia et propitia. *Fauni*, ex Fauno, Saturni nepote, et Fatua orti, qui Græcis Panes et Satyri. — 14 *Pedem ferte*, accedite, adeste. Pro « una cum Dryadibus » poeta dixit vividius repetita appellatione : « simul et vos, Fauni, et Dryades », arborum et silvarum nymphæ. — 15 Struendum : *Neptune, cui* (i. e. a quo) *percussa magno tridenti tellus fudit* (edidit) *frementem equum*, et *prima* quidem edidit, prima equi genitrix. Hoc autem, ut mythi narrant, factum in Thessalia, ob equorum proventum et rem equestrem diu celebrata. Minus recte alii ad certamen Minervæ et Neptuni, qui primum equum in arce Athenarum excitaverit, hæc retulerunt. — 16 Intelligitur Arcitenens, Apollinis et Cyrenes nymphæ filius, qui frugum, arborum, pascuorum (hæc duo complectitur vox *nemorum*) et apum curam sollertiorem docuisse fertur. — 17 *Cui* (in cujus honorem) *tondent* (depascunt) *pinguia* (herbosa) *dumeta* (loca dumis et arbustis frequentia, quorum frondibus boves delectantur) *Ceæ*, insulæ ex Cycladibus Archipelagi, hodieque *Zéa* dictæ : quo arcessitus olim in magna siccitate et fame Aristæus cœli temperiem et terræ fertilitatem restituit; inde divinis illic honoribus affectus nomine Jovis Aristæi et Apollinis Nomii (sive Pascui). — 18 Strue : o Tegeææ Pan, *ipse* tu adsis (mihi) favens, id est : tu adeo (quamquam non facile relinquis caram tibi Arcadiam). Lycæus et Mænalus, montes Arcadiæ. — 19 *Si* iterum de re certa. Obtestatur Panem per curam quam præstat pascuis, quæ Mænalus habet egregia, ut sibi rura canenti adsit. — 20 Tegea, oppidum Arcadiæ, ubi Pan inprimis colebatur. — 21 Triptolemus Eleusinius, Celei regis filius, quem puerum Ceres docuit agriculturam et curru per aerem misit hominibus novam artem traditurum. — 22 Silvanus fingebatur novellam cupressum manu tenens cum radice evulsam : quod poeta dicit *ab radice*, quasi ab radice incipientem, proinde radice sua instructam. — 23 Sunt dii agrorum. Post singulos Virgilius, ut fiebat in precibus, invocat universos, ne forte unum alterumve oblitus habeat infensum. — 24 Dii silvarum, quæ non seruntur, sed sua sponte proveniunt : unde epitheton *novas*, quasi insperatas; nam culturæ debentur fruges. — 25 Dativus. Dii tempestatum præsides. — 26 Tu, o Auguste... sed post quindecim demum versus additur *da facitem cursum* etc. Tanquam deum invocaturus poeta certam et propinquam apotheosim Augusti vaticinatur, dubitans quamnam in summo mundi regimine provinciam novus deus sibi sit electurus, et singularum amplitudinem magnificis versibus breviter celebrans.

Concilia[27] incertum est : urbesne[28] invisere, Cæsar,
Terrarumque velis curam, et te maximus orbis[29]
Auctorem frugum tempestatumque[30] potentem
Accipiat[31], cingens materna tempora myrto ;
An deus immensi venias maris, ac tua nautæ
Numina sola colant, tibi serviat ultima Thule[32],
Teque sibi generum Tethys[33] emat omnibus undis ;
Anne novum tardis sidus te mensibus[34] addas,
Qua[35] locus Erigonen inter Chelasque sequentes
Panditur[36] : ipse tibi[37] jam brachia contrahit ardens
Scorpios, et cœli justa plus parte[38] reliquit :
Quidquid eris (nam te nec sperant Tartara[39] regem,
Nec tibi regnandi veniat tam dira[40] cupido,
Quamvis Elysios miretur Græcia campos,
Nec repetita[41] sequi curet Proserpina matrem),
Da facilem cursum[42], atque audacibus annue cœptis,
Ignarosque viæ[43] mecum miseratus agrestes,
Ingredere[44], et votis jam nunc[45] assuesce vocari.

Vere novo, gelidus canis[46] quum montibus humor
Liquitur, et Zephyro putris[47] se gleba resolvit,
Depresso[48] incipiat jam tum mihi taurus aratro
Ingemere, et sulco attritus splendescere vomer.
Illa seges demum votis respondet avari[49]
Agricolæ, bis quæ[50] solem, bis frigora sensit ;

27 *Concilia*, nam non unus deus, sed plures et quasi quoddam collegium deorum præerant singulis partibus universitatis rerum. — 28 Incertum est utrum velis urbium esse ἐπίσκοπος sive ἔφορος (rector, moderator, ab *invisendo* ductis vocabulis). Duplex structura verbi *velis*, primum cum infinitivo, deinde simpliciter cum accusativo. — 29 Orbis terrarum. — 30 Cœli aeriisque mutationum et anni temporum. — 31 Verte *recevra*, non *acceptera*. Hoc si vult Augustus, Terra frontem ejus cinget corona ex myrto, arbore sacra Veneri, matri gentis Juliæ, in quam adoptatus erat Octavianus. — 32 Thule insula in ultima extremitate orbis antiqui posita ultra Britanniam (ut videtur, Shetlandicarum una). Intellige : tibi serviant maria omnia usque ad Thulen, ultimum limitem. — 33 Uxor Oceani, mater Nympharum Oceanitidum, te quæra, generum sibi, totum mare dans pro dote. — 34 An accedere velis in cœlo signis duodecim Zodiaci, quibus menses definiuntur. *Tardi* menses, ut per quos tardior multo est et longius trahitur siderum decursus quam solis decursus per dies. Alii de longis diebus æstatis, alii de lenta ascensione signorum æstivorum accipiunt : neutrum probabiliter. — 35 Novum sidus poeta collocat ubi in antiquis Zodiacis locus vacuus conspicielbatur inter Erigonen sive Virginem et Chelas (χηλάς, forcipes) sive Scorpionem, qui est a tergo Virgini : quare Chelæ dicuntur *sequentes*. — 36 Aperitur. — 37 Ut locum tibi det. Scorpius (ut Ovidii verbis utamur) « in geminos brachia (χηλάς) concavat arcus, et cauda flexisque utrimque lacertis porrigit in spatium signorum membra duorum : » jam vero ille, adveniente vel exspectato Augusto, brachia contrahit. — 38 Et majorem cœli partem tibi reliquit, quam justum et necesse erat ; arctius quam oportebat brachia contraxit : quod magnæ reverentiæ signum. Ceterum Virgo etiam Astræa et *Justitia* vocabatur, et locum ei vicinum (a poeta Augusto assignatum) in recentioribus Zodiacis Libra occupabat, *justitiæ* instrumentum : ut hanc virtutem Augusti, silente poeta, locus ipse clamet. — 39 Loca infera, non qui proprie dicitur Tartarus, damnatorum sedes. Inferi sciunt se non esse dignos te rege. — 40 *Tam dira*, ut in tali loco regnare cupias. — 41 Proserpina a matre ad reditum in cœlum petita. — 42 Tanquam de navigatione dictum, ut in locutione : *Adspira mihi*, de auris faventibus. — 43 *Viæ* quæ sequenda est in agro colendo. — 44 Agere incipe ; quod de re magna suscipienda Virgilius iterum dixit *Æn.* VIII, 513. — 45 Dum in terris es, nondum in cœlo tibi destinato. — 46 Nive obducti. — 47 Gleba ante gelu obstricta, jam tepore et humore mollita. — 48 Aratro sive vomeri terræ impresso. Vocula *mihi*, ut apud nos, est instantis. — 49 Agricolæ cupidi, quam uberrimum proventum sibi optantis. — 50 Poetice ad segetem refertur quod de *agro* dicendum erat : larga est seges ex agro qui bis sensit vim caloris et vim frigoris. Etenim forte densum-

que Italiæ solum ter, etiam quater, arabatur : primum autumno. tum proximo vere, dein æstate, rursusque autumno : atque ita demum semina accipiebat, postquam *bis solem, bis frigora* senserat. — 51 Tantopere replent ut vix capiant horrea copiam tantam et prope rumpantur. Extra narrationem perfectum ponitur de iis, quæ, ut jam facta sunt, ita fiunt sæpius sive solent fieri. — 52 Priusquam campum æquum et planum, id est agrum nobis ignotum aratro proscindimus. — 53 *Morem cœli*, naturam et temperiem aeris, quæ *varia* est pro regionum situ diverso et

Illius immensæ ruperunt[51] horrea messes.
Ac prius[52] ignotum ferro quam scindimus æquor,
Ventos et varium cœli prædiscere morem[53]
Cura sit, ac patrios[54] cultusque habitusque locorum,
Et quid quæque ferat regio, et quid quæque recuset.
Hic segetes, illic veniunt[55] felicius uvæ,
Arborei fœtus alibi; atque injussa[56] virescunt
Gramina. Nonne vides croceos ut Tmolus odores[57],
India mittit ebur, molles sua thura Sabæi[58],
At Chalybes[59] nudi ferrum, virosaque[60] Pontus
Castorea, Eliadum[61] palmas Epirus equarum?
Continuo[62] has leges æternaque fœdera[63] certis
Imposuit natura locis, quo tempore primum
Deucalion vacuum[64] lapides jactavit in orbem,
Unde homines nati, durũ[65] genus. Ergo age, terræ
Pingue solum primis extemplo a mensibus anni
Fortes invertant tauri, glebasque jacentes
Pulverulenta coquat maturis[66] solibus æstas;
At si non fuerit tellus fœcunda[67], sub ipsum
Arcturum[68] tenui sat erit suspendere[69] sulco :
Illic[70], officiant lætis ne frugibus herbæ;
Hic, sterilem exiguus ne deserat humor arenam[71].
Alternis[72] idem tonsas cessare novales
Et segnem patiere situ[73] durescere campum;
Aut[74] ibi flava seres, mutato sidere[75], farra,
Unde prius lætum siliqua quassante[76] legumen,

natura diversa. — 54 Et *habitus* (naturam, indolem) et *cultus* (colendi rationem) locorum proprios, quos ea loca antiquitus et quasi ex avita hereditate possident. Confer mox v. 60 seqq. — 55 Proveniunt. — 56 Sponte. — 57 Crocum odoratum, quem profert, mittit nobis Tmolus, mons Lydiæ (alibi vix memoratus ut croci ferax, quo proventu clara est vicina Lydiæ Cilicia). — 58 Arabiæ Felicis populus, cum ceteris Orientalibus pro effeminato habitus. — 59 Extremi Ponti Euxini populus, Armeniæ conterminus. *Nudi* sive levissime vestiti, ut sunt fabri candens ferrum cudentes. — 60 Castorea gravissimi odoris. — 61 Epirus mittit equas tam præstantes, ut in ludis Olympiæ, vico Elidis, celebrari solitis palmam sive victoriam reportent; poetice vero Epirus mittere dicitur ipsas palmas, quæ debentur Epiroticæ equæ, in Elidis campis illustratæ. *Equas* opinio veterum velociores habebat masculis equis. — 62 Statim a principio. — 63 Sic Lucanus : *leges et fœdera rerum*, quasi dicas constitutionem inviolabiliter in omne tempus sancitam, proprietatem perpetuam. *Æterna* ad utrumque substantivum referas. — 64 Diluvio vastatum. — 65 *Durum*, tam re, quam origine ex lapidibus. Hinc poeta redit ad monita supra dari cœpta, primum de *pingui* et denso solo. — 66 Solibus quasi adultis, qui ad maturitatem et plenitudinem caloris perveneruut; calore solis ferventissimo. — 67 Non pinguis, sed macra et arenosa. — 68 Arcturi solus Nonis septembribus (5 *sept.*) exoritur. — 69 *Suspendere* tellurem dicuntur agricolæ, si levi nec profunda aratione sive pastinatione soli superficiem induratam solvunt et emolliunt. Noli supplere *aratrum*. — 70 In pingui solo. — 71 *Arenam* vocat solum arenosum. — 72 Alternis vicibus, altero quoque anno recreandus est ager cessatione cultûs. (Tu *idem* valet : etiam. *Tonsas*, denessas. *Novale est* (inquit Plinius) *quod alternis annis conseritur*. — 73 *Situ*, quasi sinendo : cessatione, otio. Non arata tellus indurescit. — 74 Qui nolit sive non possit otium agro concedere, ei varianda est seges. — 75 Sub alio sidere, id est alio anni tempore; nam non eodem omnia seruntur, sed suo quæque. *Farra*, nobis *la grande epeautre*. — 76 Cre-

Aut tenues fœtus viciæ, tristisque[77] lupini
Sustuleris fragiles calamos silvamque[78] sonantem.
Urit enim[79] lini campum seges, urit avenæ[80],
Urunt Lethæo[81] perfusa papavera somno :
Sed tamen alternis[82] facilis labor ; arida tantum
Ne saturare fimo pingui pudeat sola, neve
Effœtos cinerem[83] immundum jactare per agros.
Sic quoque mutatis[84] requiescunt fœtibus arva ;
Nec[85] nulla interea est inaratæ gratia terræ.
Sæpe etiam steriles incendere profuit agros[86]
Atque levem stipulam crepitantibus urere flammis :
Sive[87] inde occultas vires et pabula terræ
Pinguia concipiunt ; sive illis[88] omne per ignem
Excoquitur[89] vitium, atque exsudat inutilis humor ;
Seu plures calor ille vias et cæca[90] relaxat
Spiramenta, novas veniat qua[91] succus in herbas ;
Seu durat magis, et venas adstringit hiantes[92],
Ne tenues pluviæ[93], rapidive potentia solis
Acrior[94], aut Boreæ penetrabile frigus adurat.
Multum adeo, rastris glebas qui frangit inertes[95],
Vimineasque trahit crates[96], juvat arva ; neque illum
Flava Ceres alto nequicquam[97] spectat Olympo ;
Et[98] qui, prosciso quæ suscitat æquore terga[99],
Rursus in obliquum verso perrumpit aratro[1],
Exercetque frequens[2] telluré, atqe imperat[3] arvis.
Humida solstitia[4] atque hiemes orate serenas,

pitante, quando movetur. — 77 Lupini amari, utpote « quibus contristatur degustantis vultus, » ut est apud Macrobium Virgiliana exponere amantem. Erantque lupini pauperum hominum cibus. — 78 Et calamorum densam, instar silvæ, multitudinem, quæ, arida dum colligitur, collisu edit sonum crepitantem. — 79 *Enim* (sequente *sed tamen*) pro: quidem. Sententia : Linum, avena, papaver vehementer illa quidem emaciant agrum ; verum si alternis, sive aliud post aliud, hæc seras adhibita stercoratione larga, ager non nimis exhaurietur, sed mutata seges ei erit pro requie-

te. — 80 Repete *seges*. — 81 Papavera quibus abunde infusus est somnus oblivionem afferens, ut Lethes potus, id est soporifica vi prædita. — 82 Breviter pro : si hæc alternis vicibus inserantur. *Labor* est, scilicet ipsius agri. — 83 Plinio teste, in Gallia Transpadana, Virgilii patria, cinere agros stercorare solebant. — 84 Si mutes fruges, quas agro inseras. — 85 Neque tamen dicendum est, nullam tibi redire gratiam si agrum sinas inaratum ; sive : nihilominus ex inarato quoque agro fructus percipitur, quippe post quietem fœcundiori. — 86 *Steriles* agri, ob sequentem versum, intelligendi sunt exhausti et effœti segete quam tulerunt. Secabantur aristæ, manebat stipula, quam incendi jubet poeta. — 87 Exponitur quibus causis tribui possit utilitas stipulæ in agris crematæ. — 88 Terris, solo. — 89 Coquendo tollitur ; ut Ovidius dixit ignem *excoquere vitium metallis*. — 90 Abdita. — 91 Quâ viâ (spiramentorum, meatuum sive *venarum*, ut mox vocantur). — 92 Patulas. — 93 Ne pluviæ per tenuitatem suam hos terræ meatus occultas *penetrent et inundent* : verbum pluviis convenienus sequentia subjecta interceperunt, quibus aliud verbum erat accommodandum. *Rapidi*, vehementis, violenti. — 94 Nimis acris. Notum est *uro* latine et de æstu et de frigore dici. — 95 Quæ nihil generant ob duritiem. — 96 Vocatur *occatio*. — 97 Sine fructu. Dii autem faventes et propitii dicuntur homines *spectare* vel *respicere*. Ceres *flava*, qualis est color maturæ segetis. — 98 Repete : *multum juvat arva* sua is *qui* etc. — 99 *Terga* poetice vocat quæ proprie dicuntur *porcæ*, terræ pars quæ eminet inter duos sulcos. *Æquor*, ut supra et sæpius in hoc poemate, de agro dicum ; *proscissum* aratro. — 1 Sulcis in diversas partes ductis subigebatur ager, quem tum demum *recte subactum* dicebant, quando (inquit Plinius) *non intelligitur, utro vomer ierit*. — 2 Frequenter versat et tractat. — 3 Labore suo quasi imperio cogit agrum, ut pareat sibi et fruges reddat. — 4 Humidas æstates : nam solstitium *æstivum* dicitur ; hibernum latine vocatur *bruma*. Hiemes *serenas*, non pluviosas. Nam prodest agris æstas non nimis sicca, hiems non nimis humida.

Agricolæ ; hiberno lætissima pulvere[5] farra,
Lætus ager : nullo tantum se Mysia cultu
Jactat[6], et ipsa suas mirantur Gargara[7] messes.
Quid dicam[8], jacto qui semine cominus[9] arva
Insequitur, cumulosque ruit[10] male pinguis arenæ ?
Deinde satis fluvium inducit rivosque sequentes[11],
Et, quum exustus ager morientibus æstuat[12] herbis,
Ecce supercilio[13] clivosi tramitis[14] undam
Elicit ? illa cadens raucum per lævia murmur
Saxa ciet, scatebrisque[15] arentia temperat arva.
Quid[16], qui, ne gravidis procumbat culmus aristis,
Luxuriem segetum tenera depascit in herba[17],
Quum primum sulcos æquant[18] sata ? quique paludis
Collectum humorem[19] bibula deducit arena ?
Præsertim incertis[20] si mensibus amnis abundans
Exit[21], et obducto late tenet omnia limo,
Unde[22] cavæ tepido sudant humore lacunæ. [bores
Nec tamen[23], hæc quū sint hominumꝙ boumꝙ la-
Versando terram experti, nihil improbus anser[24],
Strymoniæque[25] grues, et amaris intuba[26] fibris
Officiunt, aut umbra nocet. Pater ipse[27] colendi

5 Per hiemem si pulvis est potius quam lutum, farra lætissime proveniunt. Poeta respicit antiquum adagium agri cultorum : *Hiberno pulvere, verno luto, grandia farra, Camille, metes.* — 6 Nullus est cultus, quo Mysia, cultissima et fertilissima regio Asiæ, tantum sese jactet, tantum superbiat ; id est, ipsa Mysia non tam lætis segetibus est famigerata, quam illæ sunt quas adducit serena hiems, æstas humida. — 7 *Neque* ipsa Gargara *tantum* mirantur suas messes. Ab initio posita vox *nullo* vim negativam dat membro per *et* adjuncto, in quo repete *tantum*. Gargara, regio Mysiæ in summo monte Ida fontibus multis irriguo. Græce ipsa abundantia γάργαρα dicitur. — 8 *Quid dicam* de eo *qui* etc.? Vix opus est dici, optimam messem habiturum agricolam, qui, facta semente, glebas rastris comminuit, ut semen tegatur, et aquas inducit agro. — 9 *Cominus*, « id est statim, sine intermissione : qui significatus frequentissimus est in Cisalpina Gallia ; vulgo enim ibi dicunt : *vade ad eum, sed cominus*. Unde Virgilius magis patriam consuetudinem videtur secutus. » Hæc Servius. Sed ita potius intellige : arva alacriter persequitur rastro per singulos sulcos, proxime post eum qui semina jecit. Nisi *cominus* hic insolenter dictum pro *cum manu*, sua manu rastrum tractante laborans. — 10 Diruit, distrahit, contundit cumulos arenæ, id est prægrandes glebas terræ arenosæ, non satis pinguis, sed aridæ potius. — 11 Aquas sponte sequentes et defluentes, via semel patefacta. — 12 Nimis fervet. — 13 Ex superiore parte montis vel clivi, ubi scaturire solent fontes. — 14 Undam rivi qui, tanquam trames, per clivum ductus est. — 15 Aquis suis scaturientibus. *Temperat*, recreat, sitim eorum leniens. — 16 *Quid* dicam de eo *qui* herbam segetis nimis luxuriantem pecudibus dat depascendam ? — 17 Dum tenera est herba, necdum in culmos erecta. — 18 Quando sata æquos et planos reddiderunt sulcos, ut jam non sulcatum agrum, sed viride *æquor* conspiciendum præbeant. — 19 Aquas in agro depressiore collectas ibique stagnantes, ut paludis speciem habeant. Hæ facto sulco vel fossa deducuntur ad locum arenosum, quo absorbentur in sabulum se insinuantes. — 20 Mensibus veris et autumni, quæ anni tempora sunt incertæ temperiei. — 21 Exundat, ripas evagatur. — 22 Quo fit ut loca, in quibus lacunæ (nobis *mares*) exstiterunt, madeant humore tepido, ac proinde putrescente et noxio. *Sudant*, ut Ennius, pugnam describens : *terra sudat sanguine*. — 23 Junge *nec tamen nihil officiunt*, multum tamen obsunt, nocent anseres, grues, intuba, postquam homines bovesque labore suo arandi, occandi, fodiendi perficere conati sunt quæ supra præcipiuntur. — 24 Anseres feri, coloris cinerei, tanta voracitate, ut herbas cum ipsa radice evellant : quare *improbus*. — 25 Frequentissimæ ad Strymonem, flumen Thraciæ, hodieque *Strouma*. — 26 Intubum erraticum, nobis *chicorée amère*, radicibus tenuibus (*fibris*), late vagantibus et amarissimis. — 27 Jupiter agriculturæ rationem difficilem esse voluit, quum sub patre Saturno, tellure sponte omnia præbente, inertem vitam agerent homines.

Haud facilem esse viam voluit, primusque[28] per artē
Movit agros, curis acuens[29] mortalia corda,
Nec torpere gravi passus sua regna[30] veterno.
Ante Jovem nulli subigebant arva coloni[31];
Ne signare[32] quidem aut partiri limite campum
Fas erat: in medium[33] quærebant, ipsaque tellus
Omnia liberius[34], nullo poscente, ferebat.
Ille[35] malum virus serpentibus addidit atris,
Prædarique lupos jussit, pontumque moveri[36],
Mellaque decussit foliis[37], ignemque removit[38],
Et passim rivis[39] currentia vina repressit:
Ut varias usus[40] meditando extunderet artes
Paulatim, et sulcis frumenti quæreret herbam[41],
Ut silicis venis abstrusum excuderet ignem.
Tunc alnos[42] primum fluvii sensere cavatas;
Navita tum stellis[43] numeros et nomina fecit,
Pleiadas, Hyadas[44], claramque Lycaonis Arcton[45];
Tum laqueis captare feras et fallere[46] visco
Inventum, et magnos canibus[47] circumdare saltus;
Atque alius latum funda[48] jam verberat amnem;
Alta[49] petens pelagoque alius trahit humida lina;
Tum[50] ferri rigor, atque argutæ lamina serræ,
(Nam primi cuneis scindebant fissile lignum:)
Tum variæ venere artes. Labor omnia vicit
Improbus[51] et duris urgens in rebus egestas.

28 Auctor erat arte exercendorum agrorum, sive primus instituit ut agri rusticis instrumentis moverentur. — 29 Excitans animos mortalium. — 30 Homines sub ipsius regno viventes. *Veterno*, inertiā. — 31 In Italia ut plurimum a colonis (*métayers*) agri colebantur. — 32 Quod agrimensoris erat. Ovidius: *signabat nullo limite mensor humum*. — 33 In commune. Quicquid acquirebant, id in commune conferebant. Idem sic narratur a Justino, XLIII, cap. 1: « Italiæ cultores primi Aborigines fuere, quorum rex Saturnus tantæ justitiæ traditur fuisse, ut nemo sub illo quidquam privatæ rei habuerit, sed omnia communia et indivisa omnibus fuerint, veluti unum cunctis patrimonium esset. » — 34 *Liberius* quam insequente tempore, quo nonnulla tantum fert libere, ad cetera cogitur ab agricolis. — 35 Jupiter. Qui mala vitæ humanæ inferenda esse censuit, quo ingenia excolerentur. Ante ipsum nec serpentes venenati, nec lupi rapaces erant. *Atri*, apud poetas solitum epitheton fœdorum anguium. — 36 *Moveri* procellis, ventis agitari. — 37 Quæ aureo ævo mella exsudare credebantur; vid. *Ecl.* IV, not. 30. — 38 In remoto loco posuit, celavit, ut Hesiodus loquitur: κρύψε δὲ πῦρ, quo ipsi homines invenirent. — 39 *Rivis* (ablativus *modi*) sive tanquam rivi passim fluere vinum et lac dicebatur sub Saturno: tanta tum eorum copia. — 40 Necessitas. Sic *usus est mihi* dicitur pro: opus est. *Extunderet*, per vim quamdam elicereet ingeniis. — 41 Eadem periphrasi *Ecl.* V, 26, *graminis herbam*. — 42 Alnus, palustribus locis et littoribus gaudens, levis ligni arbor (vid. II, 451): hanc et alias vetustissimi excavabant, ut essent naviculæ, græce μονόξυλα (*unius ligni* rates), quibus in fluviatili navigatione diu utebantur. — 43 *Stellis* de sideribus dictum, quorum observatione nautæ et cursum regebant et navigandi tempora fausta cognoscebant. *Numeros*, de numero stellarum quibus quodque sidus constaret. Nomina quædam per appositionem subjunguntur. — 44 Septenæ steliæ lucidissimæ ad collum et caput Tauri sideris, quarum ortus et occasus inprimis observabantur a nautis. — 45 Ursa (ἄρκτος) major, olim Callisto, Lycaonis regis Arcadiæ filia, ab Junone in ursam mutata, ab Jove sideribus illata. — 46 *Fallere* aves, quod ducendum ex voce *feras*. — 47 Canum usus in veterum venatione latius patebat quam apud nos. — 48 *Funda*, sæpius *jaculum* sive rete jaculum dicta, quod in aquam jacitur, plumbo prægravatum; unde *verberat*. — 49 Strue: *alius alta* (altum mare) *petens et in pelago* etc. *Lina*, evertucula lino confecta. — 50 *Tum* inventus est *ferri rigor*, poetice pro: ferrum rigidum, duratum. *Argutæ*, stridule sonantis, dum secatur. — 51 Vehemens, acer, pervicax.

Prima Ceres ferro mortales vertere terram
Instituit, quum jam glandes, atque arbuta [52], sacræ
Deficerent silvæ, et victum Dodona negaret.
Mox et frumentis labor [53] additus : ut mala culmos
Esset [54] robigo, segnisque [55] horreret in arvis
Carduus : intereunt segetes; subit aspera silva [56].
Lappæque tribulique; interque nitentia [57] culta
Infelix [58] lolium et steriles dominantur avenæ.
Quod nisi et assiduis herbam insectabere rastris [59],
Et sonitu terrebis aves, et ruris opaci
Falce premes [60] umbram, votisque vocaveris imbrem.
Heu! magnum alterius frustra spectabis acervum,
Concussaque [61] famem in silvis solabere quercu.

Dicendum et quæ sint duris [62] agrestibus arma,
Quis sine [63] nec potuere seri nec surgere messes :
Vomis et inflexi [64] primum grave robur aratri [65],
Tardaque Eleusinæ matris volventia [66] plaustra,
Tribulaque [67], traheæque, et iniquo [68] pondere rastri :
Virgea præterea Celei [69] vilisque supellex,
Arbuteæ crates, et mystica vannus [70] Iacchi :
Omnia quæ [71] multo ante memor provisa repones,
Si te digna manet [72] divini gloria ruris.
Continuo [73] in silvis magna vi flexa domatur
In burim et curvi formam accipit ulmus aratri.
Huic a stirpe [74] pedes temo protentus in octo,

52 Arbuti (nos *arbousier*) fructus, cibus tenuium hominum, qui nullo cultu provenit. Inclusimus virgulis, quia *sacræ silvæ* (Dodonensis; vide supra v. 8, n. 10) *glandes* jungendum. — 53 Malum ut πόνος, *peine*, noxa. Frumenta malis laborare cœperunt. — 54 Ederet, exederet. — 55 Et carduus infœcundus staret erectus. — 56 Vide vers. 76. *Lappa* nobis est *glouteron*, sive *grateron*. — 57 Læta, vegeta. — 58 *Infelices* idem quod steriles, ex sacra lingua Romanorum, qua *felices* dicuntur arbores frugiferæ. *Dominantur* lolium et avena inanis, quia ultra segetis aristas eminent. — 59 Assidua sarritione, qua herbæ nocivæ eradicantur. — 60 Falce, ramis arborum per agros dispositarum vel eos cingentium admotâ, coercebis sive supprimes umbram, quæ rus opacum reddit. — 61 Quercu concussa, ut cadant glandes. Ad glandes vescendas redactus eris. — 62 Labori assuetis. *Arma*, instrumenta. — 63 Sine quibus. — 64 *Inflexi* mox explicatur v. 169 sq. *Primum* postponi poterat, quia *vomer et aratrum* pro uno sunt. — 65 Aratrum robustum sive ex robore, ligno duro; *grave* ob pinguedinem soli Italici, altos sulcos poscentis. — 66 Intransitive : quæ se volvunt sive volvuntur; cui jungendum *tarda* pro : tardè. Parvis rotis erant, iisque solidis sine radiis. Talibus in plaustris agricolarum Romani Cererem festis ejus diebus in pompa ducebant : quo aptius a poeta dicuntur *plaustra matris* quæ colitur *Eleusine* in Attica, unde agricultura per gentes didita. *Mater* dearum, ut *pater* deorum appellatio honorifica est. — 67 *Tribulum* (inquit Varro) fit e tabula lapidibus et ferro asperata, cui imposito aurriga aut pondere grandi, trahitur jumentis junctis, ut discutiat e spica grana. *Trahea* sive traha, simile instrumentum, sed sine rotis. — 68 Rastri admodum ac pœne nimis graves. — 69 Celeum, patrem Triptolemi, hospitem suum Ceres docuerat *cratis* usum, ad occandum; vide supra v. 95. *Vitis*, ex vili materia facta. — 70 Vannus, qua post trituram paleæ ventilando excernebantur a frumento, in mysteriis Eleusiniis portabatur, quum pompam *Iacchi*, Bacchi mystici, deducebant. — 71 Quæ omnia. *Antè*, quam iis utendum erit. — 72 Brevius pro : si vis ut te maneat laus ex opere rustico, ex rure quod ipsi dii habitare non dedignantur. — 73 Describitur structura aratri. Ulmus statim a principio, dum in silvis crescit, non cæsa demum, inflectitur in formam buris vel buræ, partis incurvæ aratri, cui præfigitur vomer. — 74 *Huic buri a stirpe*, quæ buris est ab ipsa stirpe, per flexum trunci jam in burim crescentis, aptatur temo pedum octo, nisi ipsa ulmus, satis longa, etiam temonem præbet eodem trunco : nam verbum *aptatur* proprie et necessario ad *aures* solummodo et *dentalia* refertur.

Binæ aures[75], duplici aptantur dentalia[76] dorso.
Cæditur et tilia ante jugo[77] lævis, altaque fagus
Stivaque[78], quæ cursus a tergo[79] torqueat imos;
Et suspensa focis explorat robora[80] fumus.

Possum multa tibi veterum præcepta referre,
Ni refugis, tenuesque piget cognoscere curas[81].
Area[82] cum primis ingenti æquanda cylindro,
Et vertenda manu[83], et creta[84] solidanda tenaci,
Ne subeant[85] herbæ, neu pulvere victa fatiscat[86];
Tum[87] variæ illudant pestes : sæpe exiguus mus
Sub terris posuitque domos atque horrea fecit;
Aut oculis capti[88] fodere cubilia talpæ;
Inventusque cavis bufo[89], et quæ plurima terræ
Monstra ferunt; populatque ingentem farris acervum
Curculio, atque inopi[90] metuens formica senectæ.
Contemplator[91] item, quum se nux plurima[92] silvis
Induet in florem et ramos curvabit olentes :
Si superant[93] fœtus, pariter frumenta sequentur,
Magnaque[94] cum magno veniet tritura calore;
At si luxuria foliorum exuberat[95] umbra,
Nequicquam pingues palea teret area[96] culmos.

Semina vidi equidem multos medicare[97] serentes,
Et nitro[98] prius et nigra perfundere amurca,
Grandior ut fœtus siliquis fallacibus[99] esset,
Et, quamvis igni exiguo, properata maderent[1].

75 Tabulæ duæ inferiori buris parti utrimque applicatæ, quibus latior efficitur sulcus, et altior porca sive terra inter duos sulcos eruta. — 76 Duo crura lignea, quibus extrema buris immittitur, quibusque in fine coeuntibus ferreus *dens* vomeris inducitur, iisque ad instar capitis prægigitur : ab extremitate hac, quasi capite ferreo, sic porriguntur dentalia tanquam dorsa duo sive *duplex dorsum* : quod pocta dentalibus sive dentali jungit adjective et verti debet *a deux dos, a deux jambes.* — 77 Dativo : in jugum, jugo faciendo apta, ob levitatem. — 78 Cæditur fagus *et stiva*, dictum per epexegesin : fagus, quæ fit sive unde fit stiva (nobis *mancheron*). — 79 Quam tenens arator, a tergo aratri positus, regat cursum aratri imâ sui parte solum proscindentis et sulcantis; nisi *cursus imos* intelligere malis cursum in profundo, sub terra. *Cursus* non ubique celeritatem, sed etiam motum æquabilem significat. In aliis est *currus*, quod Servius a Virgilio dictum putat « propter morem provinciæ suæ, in qua aratra habent rotas, » quibus cæterorum aratra carebant. — 80 Ligna dura, unde hæc fiunt, tentantur, an bona sint, supra focum in fumo posita; non firmum enim lignum ibi findituret rimas agit. — 81 Quæ curanda sunt in re tenui et humili, qualis est res rustica. — 82 *Area* est locus in ipso agro editior et leniter declivis, qua venti perflent, solidus et complanatus, in quo congestæ aristæ terebantur et vanno ventilabantur. *Cum primis*, vulgari sermone : inprimis. — 83 Rastris, antequam æquetur. — 84 Argilla apud Varronem « pavitur, ne in rimis ejus grana oblitescant, neve recipiat aquam (ex pluvia), nec ostia aperiat muribus et formicis. » — 85 E terra surgant, succrescant. — 86 Ne, fracta vi continente, solvatur et dilabatur in pulverem, eo quasi subacta. — 87 Repete *ne. Pestes*, nociva animalia. — 88 Cæci, quales feruntur talpæ : quas solus Virgilius masculino genere dixit. — 89 Rana terrestris (*crapaud*). — 90 Metuens senectæ, ne futura sit inops. Formicæ unum modo annum vivere credebantur. — 91 Imperativus. Poeta exponit prognosticum messis. *Nux* hoc loco de amygdala arbore, l'*amandier*. — 92 *Plurima* junge verbo *induet* : plurimum, maxime se induet in florem, id est, se induet sive vestiet floribus, flores feret; ut alibi Virgilius dixit : Ulixis socios *Indueral Circe in vultus atque ora ferarum*. — 93 Abundant. *Pariter*, simili abundantia. — 94 Copiosa. — 95 Abundat. — 96 In area terentur frustra, quippe non granis pingues sive abundantes, sed paleæ. — 97 Inficere liquore vim aliquam exercente. — 98 Diluto nitro. Pertinent hæc ad leguminum (fabarum, lentium, etc.) semina. — 99 Dativus : ut grandiorem fœtum haberent siliquæ, quæ fallere solent, specie æque magnæ, quanquam valde parvum fœtum cohibentes. — 1 Propere mollescerent coctione.

Vidi lecta diu et multo spectata[2] labore
Degenerare tamen, ni vis[3] humana quotannis
Maxima quæque manu legeret. Sic omnia fatis
In pejus ruere[4] ac retro sublapsa referri,
Non aliter quam qui adverso vix flumine lembum
Remigiis subigit[5], si brachia forte remisit,
Atque illum in præceps prono[6] rapit alveus amni.
Præterea[7] tam sunt Arcturi sidera nobis
Hædorumque[8] dies servandi, et luciduS Anguis,
Quam quibus in patriâ ventosa per æquora vectis[9]
Pontus[10] et ostriferi fauces tentantur Abydi.
Libra[11] die somnique pares ubi fecerit horas,
Et medium luci atque umbris[12] jam dividit orbem,
Exercete, viri, tauros, serite hordea campis,
Usque sub extremum brumæ[13] intractabilis imbrem.
Nec non et lini segetem et Cereale[14] papaver [tris.
Tempus[15] humo tegere, et jamdudū incumbere ara-
Dum sicca tellure licet, dum nubila pendent[16].
Vere fabis satio; tum te quoque, Medica[17], putres
Accipiunt sulci, et milio venit annua[18] cura,
Candidus auratis aperit quum cornibus annum
Taurus[19], et adverso cedens Canis[20] occidit astro.
At si triticeam in messem robustaque[21] farra
Exercebis humum, solisque[22] instabis aristis,

2 Accurate inspecta, explorata, probata. — 3 Opera, cura hominis. — 4 Infinitivus absolutus : ruere solent. Deinde *retro* jungendum cum *referri* ; *retro referri*, pleonasmus non infrequenti in his verbis. Dictioni jam subest imago quæ sequitur. — 5 Remis agit et promovet. In fine versus supple : *retro referetur*. Quod qui non attendissent grammatici veteres *atque* explicarunt *statim*, ex XII Tabulis afferentes : *si in jus vocat, atque* [statim] *eat*. — 6 Deorsum properante. — 7 Sensus : Agricolis observanda sunt sidera æque diligenter atque navigantibus. *Arcturus*, maxima et splendidissima stella Bootæ sideris, et ortu et occasu suo procellas adducens. — 8 *Hædi*, stellæ duæ in brachio Aurigæ, quæ exorientes et aprili et septembri mensibus pessimam tempestatem portendunt. *Anguis*, septentrionale sidus inter Ursas. — 9 Vehentibus, præsentis notione. *Quibus* dativus pro : iis, a quibus. — 10 Pontus Euxinus et Hellespontus angustissimus inter Sestum et Abydum, notas urbes. Celebrabantur ostrea Abydi collecta. — 11 Hinc exponitur tempus sationis cuique satorum generi idoneum. Hordeum serendum est æquinoctii autumnali, sole in Libræ sidere posito. *Die*, genitivus. Proprie dictum est horas *pares* : nam Romani diem et noctem dividebant in duodenas horas, æquinoctii tantum tempore æquales, ceteris temporibus necessario inæquales. — 12 Inter diem et noctem ita dividit cœlum, ut medium teneat, in neutram partem inclinans. — 13 Imbrem quem adducit solstitium hibernum, aspera *bruma* ; contractum ex *breuma*, *brevima*, i. e. brevissima dies, extremo tempore anni ; nisi forte imber vocatur *extremus* ut finis ultimus illius sementis. — 14 Ceres sæpe fingebatur papaver tenens, quo somnum sibi et oblivionem raptæ filiæ olim paravisse credebatur. — 15 Tempus est serere, et quamprimum arare. — 16 Suspensa sunt in aere, pluviâ nondum descendente. — 17 *Medica* herba, nobis *luzerne*, a Medis Græciæ illata. *Putres*, quale est solum frigore et insequente sole resolutum. — 18 Nam milium quoque anno serendum est, dum Mediæ herbæ sementis una sufficiat in denos annos, auctore Plinio. — 19 Sidus Tauri, cui, ut victimis solemnibus, pocta tribuit *cornua aurata* ob lucidissimas stellas duas in extremis cornibus. *Annum* intellige rusticum, non civilem, qui in Capricorno incipit ; vere reclusâ terrâ (die 17 aprili) sol Taurum ingreditur. — 20 Canis sidus vel Sirius Tauro sibi opposito et minanti cornibus cedens, occidit quidem post tredecim dies, sed aliquamdiu ante, proxime solem posius, vix conspicitur, ut *cedere* Tauro advenienti videatur. — 21 Farra, quæ hiemis intemperiem melius sustinent quam alia genera frumenti. — 22 Et iis tantum frugibus quæ aristas ferunt (frumento, tritico, etc.) intentus eris et operam dabis.

Ante tibi[23] Eoæ Atlantides abscondantur,
Gnosiaque ardentis decedat stella[24] Coronæ,
Debita quam sulcis committas semina, quamque
Invitæ properes anni spem[25] credere terræ.
Multi ante occasum Maiæ[26] cœpere : sed illos
Exspectata seges vanis[27] elusit aristis.
Si[28] vero vicinamque seres vilemque phaselum,
Nec Pelusiacæ[29] curam aspernabere lentis,
Haud obscura cadens[30] mittet tibi signa Bootes :
Incipe, et ad medias sementem extende pruinas.
Idcirco[31] certis dimensum partibus orbem
Per[32] duodena regit mundi Sol aureus astra.
Quinque tenent cœlum Zonæ[33] ; quarū una corusco
Semper sole rubens[34], et torrida semper ab igni ;
Quam circum extremæ dextra lævaque trahuntur[35]
Cærulea glacie concretæ[36] atque imbribus atris ;
Has inter mediamque duæ mortalibus ægris[37]
Munere concessæ divûm ; et via secta per ambas[38],
Obliquus qua se signorum verteret ordo.
Mundus[39] ut ad Scythiam Rhipæasque arduus arces
Consurgit, premitur Libyæ devexus in[40] Austros.
Hic[41] vertex nobis semper sublimis ; at illum
Sub pedibus Styx atra videt Manesque profundi.
Maximus hic[42] flexu sinuoso elabitur Anguis
Circum perque dnas in morem fluminis Arctos,
Arctos Oceani metuentes æquore tingi[43].

23 Serendum est tibi exeunte mense octobri, et per novembrem. Junge : *antequam semina committas sulcis, abscondantur*, occidant matutinæ (ἠῷαι, ab ἠώς, aurora) Pleiades, Atlantis filiæ, cujus sideris occasus matutinus fit a die 20 octobri ad diem 8 novembrem, quo tempore exacto plane occidit. — 24 Sidus Coronæ, a corona Ariadnes, ex urbe Cretica Gnoso, ubi Minos pater regnabat, a Baccho inter sidera collocata. Occidit ea exeunte mense novembri. *Ardentis*, valde lucidæ. — 25 Semen unde speratur annuus proventus. *Invitæ*, siquidem nondum ad hoc paratæ. — 26

Pleiadum, quarum una est Maia. — 27 Inanibus, fallacibus. — 28 Legumina quædam ab ineunte novembri mense sunt serenda. Phaselus, nobis *haricot*, exigui pretii ob copiam. — 29 Lentis Ægyptiacæ, ab urbe Pelusio, ad occidentale ostium Nili sita. Similiter Martialis : *Accipe Niliacum, Pelusia munera, lentem.* — 30 Bootes sive Arctophylax sidus occidens die 31 octobri, aliis die 2 novembri. — 31 *Idcirco*, nimirum ut ex annuo solis per zodiacum decursu operis rustici partes definiri possint. — 32 Sol, singula deinceps astra zodiaci ingrediendo, et omnia pergrediendo, *per* ea regit orbem quoque anno; ultima notio inest distributivo *duodena*. Junge *astra mundi*, id est cœli. — 33 Cœli regiones, quibus subjectæ sunt terrestres zonæ. — 34 Ardens, ut de ferro candente. — 35 Ductæ, extensæ sunt. — 36 Habentes glaciem concretam ex aqua, cujus color dicitur *cæruleus* a poetis. Ex *concretæ* petenda notio generalior *densæ* : *et* densæ *imbribus atris*, ex atro, multis nubibus obducto cœlo defluentibus. — 37 Ægre, laboriose viventibus, miseris. — 38 Secta *per* ambas, ita ut eas media intercedat ; pro : inter ambas. Dicitur linea *ecliptica*, per cujus obliquitatem sidera zodiaci disposita sunt. — 39 Cœlum ut versus borealem regionem sublime erigi, *ita* versus australem deprimi videtur. *Arces*, poetis loca excelsa. *Rhipæi* montes in ora boreali Scythiæ, ultra Tanaim. — 40 Versus Austros Libyæ, australes partes mundi quas Libya tenet. — 41 Vertex sive *polus arcticus* semper in sublimi nobis et conspicuus est, at polus *antarcticus* sub pedibus nostris est, in antipodum cœlo. Quorum loco Virgilius habet Inferos et Manes, de quibus in Elysio degentibus alibi (*Æn.* VI, 641) dixit : *solemque suum, sua sidera norunt.* — 42 In polo arctico : ubi sidus Draconis, fluminis cursum sinuosum imitans, inter Ursam majorem et minorem positum, ultra utramque porrigitur (*elabitur*). — 43 Utpote semper in cœlo conspicuæ et nunquam occidentes : quod poetæ dicunt in mare descendere, Oceano lavari sive tingi.

Illic[44], ut perhibent, aut intempesta[45] silet nox,
Semper et obtenta[46] densantur nocte tenebræ;
Aut redit[47] a nobis Aurora diemque reducit;
Nosque ubi primus equis Oriens[48] afflavit anhelis,
Illic sera rubens accendit lumina Vesper[49].
Hinc[50] tempestates dubio prædiscere cœlo
Possumus, hinc messisque diem tempusque serendi,
Et quando infidum remis impellere marmor[51]
Conveniat, quando armatas[52] deducere classes,
Aut tempestivam silvis evertere pinum[53].

Nec frustra signorum obitus speculamur et ortus,
Temporibus parem[54] diversis quattuor annum.
Frigidus agricolam si quando continet[55] imber,
Multa[56], forent quæ mox cœlo properanda sereno,
Maturare datur: durum procudit[57] arator
Vomeris obtunsi dentem; cavat arbore lintres[58];
Aut pecori signum, aut numeros impressit[59] acervis.
Exacuunt alii vallos furcasque bicornes[60],
Atque Amerina[61] parant lentæ retinacula viti.
Nunc facilis rubea[62] texatur fiscina virga;
Nunc torrete igni fruges[63], nunc frangite saxo.
Quippe etiam festis quædam exercere diebus
Fas et jura[64] sinunt: rivos deducere[65] nulla
Religio vetuit, segeti prætendere sæpem,
Insidias avibus moliri, incendere vepres,
Balantumque gregem fluvio mersare salubri[66].
Sæpe oleo tardi costas agitator aselli[67],
Vilibus aut onerat pomis; lapidemque revertens

44 Sub polo antarctico. — 45 Nox, « quæ non habet tempus idoneum rebus gerendis. » *Macrob.* — 46 Sive obtensa, quasi passo velo. — 47 Venit quotidie ad eos. Aut enim sol ab occasu ad ortum remeabat per Oceanum borealem; ita semper nox apud antipodas: aut horum cœlum quotidie percurrebat sicuti nostrum. — 48 Sol primum oriens et curru evectus. Auram, quæ aspirare solet ortui solis, poeta tribuit flatui equorum recentium et impatienter anhelantium. — 49 Hesperus, vesperæ stella, oriens accendit sive adducit ruborem illum vespertinum (*sera*), quo cœlum tinguitur, quando sol occidit. — 50 Ex hoc solis per zodiacum decursu cognoscimus tempestates anni, etiam si quando dubia est cœli temperies. — 51 Mare, marmoris speciem præbens, Homero ἅλα μαρμαρέην. — 52 Instructas ad navigandum naves. — 53 Unum genus arboris de pluribus: ligna sive materiem tempestive cædere. — 54 Eo *parem*, quod tempora ejus sive tempestates diversæ æqualiter divisæ sunt et iisdem vicibus sibi succedunt. — 55 Domi tenet. — 56 Ei licet multa *maturare*, diligenter et accurate facere, quæ mox, redeunte cœlo sereno, properanter facienda essent. — 57 Cudendo acuit. *Obtunsi*, antique pro vulgari: obtusi. — 58 *Lintres* hoc loco sunt vasa lignea concava. *Cavat*, cavando (lignum) fabricat. — 59 *Impressit* proprie dictum de *signo* pecorum, improprie de acervis, quibus tabellas imponit indicantes quot sint modii: nisi liberius poeta *acervos* dixit saccos aut alia eorum receptacula. De perfecto vide p. 54, n. 51. — 60 Ad vites sustinendas; v. II, 359. — 61 Retinacula (vincula retinentia) ex salice, quæ multa provenit circa Ameriam, Umbriæ oppidum. — 62 Fiscina, quæ facile texitur ex flexili virga rubi. — 63 Ut facilius moli possent. *Saxo*, molari. — 64 Divina et humana jura. — 65 Facere ut defluant in prata vel agrum: de quo sic Macrobius: « *Deducere* nihil aliud est quam *detergere*: nam festis diebus rivos veteres sordidatos detergere licet, novos facere non licet. » Item quod sequitur, de sæpibus ruptis et reparandis intellige. — 66 *Salubri*: nam « cavetur in jure Pontificio, ut festis diebus purgandæ lanæ gratia oves lavare non liceat; liceat autem, si curatione scabies abigenda sit. » — 67 Rustici pauperes intelliguntur, quibus concessum erat festis diebus fruges suas in urbem portare et ex hac pecunia emere ipsis necessaria, velut lapidem molarem, picem.

Incusum[68] aut atræ massam picis urbe reportat.
Ipsa[69] dies alios alio dedit ordine Luna
Felices operum. Quintam fuge : pallidus[70] Orcus
Eumenidesque satæ ; tum partu Terra nefando
Cœumque Iapetumque[71] creat, sævumque Typhoea,
Et conjuratos cœlum rescindere fratres[72].
Ter sunt conati imponere Pelio[73] Ossam
Scilicet, atque Ossæ frondosum involvere[74] Olympū :
Ter pater exstructos disjecit fulmine montes.
Septima post decimam felix et ponere vitem,
Et prensos[75] domitare boves, et licia telæ
Addere[76] ; nona fugæ[77] melior, contraria furtis.
Multa adeo gelida melius se nocte dedere[78],
Aut quum sole novo terras irrorat Eous[79].
Nocte leves stipulæ, nocte arida prata
Tondentur ; noctes lentus[80] non deficit humor.
Et quidam[81] seros hiberni ad luminis ignes
Pervigilat, ferroque faces inspicat[82] acuto :
Interea, longum cantu solata[83] laborem,
Arguto conjux percurrit pectine[84] telas,
Aut dulcis musti Vulcano[85] decoquit humorem
Et foliis undam[86] tepidi despumat aheni.
At rubicunda Ceres[87] medio succiditur æstu,
Et medio tostas æstu terit area fruges.
Nudus[88] ara, sere nudus : hiems ignava[89] colono.
Frigoribus[90] parto agricolæ plerumque fruuntur,
Mutuaque inter se læti convivia curant.
Invitat genialis[91] hiems, curasque resolvit :
Ceu pressæ[92] quum jam portum tetigere carinæ,
Puppibus[93] et læti nautæ imposuere coronas.

68 Cudendo asperatum, ut sit idoneus ad molendum. — 69 Etiam Luna dat, id est lunæ cursus indicat dies felices ad opera rustica, alios alii rei aptos, et ordine vario : sed tu quintam (ab novilunio) diem vita, utpote infaustam. — 70 Supple ea etenim die *pall.* Pluto et Furiæ tum natæ ferebantur. Aliter Hesiodus, quintam diem *cujusque decadis* dicens. — 71 Titanes duos, ex Cœlo patre. *Typhoea* (*ea* contractis in unam syllabam), ex Tartaro patre. — 72 Gigantes. *Rescindere* proprie dicitur de *vallo* hostili. — 73 Elisio bis neglecta, ut supra in v. 221 et Ecl. III, not. 61. Arte rhythmorum poeta rem pingit etiam auribus, ut alibi sæpe, sed hic apertius. — 74 Olympum volvere in Ossam, volvendo ei imponere. Noti montes Thessaliæ. — 75 Captos in paseuis, ubi juvenci usque ad tertium ætatis annum libere vagabantur. — 76 Telæ sive staminibus annectere licia, quibus stamina vinciuntur jugo (*ensouple*). — 77 Nona dies, qua jam clara lucet luna, servis favet fugam tentantibus ; verum contraria est furibus qui tenebras quærunt. — 78 Nobis fere : *se présentent.* Nobilis est sententia Terentii : *Omnibus nobis ut res dant sese, ita magni atque humiles sumus.* — 79 Lucifer, stella matutina, ἑῷος ἀστήρ. — 80 Humor qui *lenta*, flexilia et molliora reddit quæ secantur ; arida enim sunt rigidiora. — 81 *Quidam*, τὶς græce, exprimit nostrum *plus d'un*, sunt qui... — 82 Tædas in spicæ formam cuspidatam incidit. — 83 Leniens. — 84 Radio stridulo, quo subtemen stamini infertur. — 85 Igne. Exponitur *defruti* fabricatio. Ultima syllaba versus coalescit cum sequenti : *humo-rem Et...* — 86 Mustum in coquendo undans despumabant foliis, haud dubie vitigineis, quia, si ligno attingeretur, saporem fumi attrahere putabatur. — 87 Seges matura. Columella : « Æqualiter flaventibus jam satis, antequam ex toto grana indurescant, *quum rubicundum colorem traxerunt*, messis facienda est. » *Succiditur*, secatur sub spicis, quæ, relictâ in agro stipulâ, corbibus in aream ferebantur. — 88 Id est, sola tunica, eaque succincta, indutus. — 89 Non autumno, sed hieme ignaviæ, inertiæ locus datur. — 90 Hieme. *Parto*, substantive : rebus (labore) partis sive paratis. — 91 Hiems qua genio indulgetur. — 92 Onustæ mercibus. — 93 Naves ex itinere reversæ coronari solebant floribus, in puppi præsertim, ubi deorum tutelarium imagines.

Sed tamen [94] et quernas glandes tū stringere tempus,
Et lauri baccas, oleamque, cruentaque [95] myrta;
Tum gruibus pedicas et retia ponere cervis,
Auritosque sequi [96] lepores; tum figere damas,
Stuppea torquentem Balearis verbera fundæ [97],
Quum nix alta jacet, glaciē quum flumina trudunt.
Quid tempestates autumni et sidera [98] dicam,
Atque, ubi jam breviorque dies et mollior [99] æstas,
Quæ [1] vigilanda viris? vel quum ruit [2] imbriferū ver,
Spicea jam campis quum messis inhorruit [3], et quum
Frumenta in viridi stipula lactentia [4] turgent?
Sæpe [5] ego, quum flavis messorem induceret arvis
Agricola et fragili jam stringeret [6] hordea culmo,
Omnia ventorum concurrere prœlia vidi,
Quæ gravidam [7] late segetem ab radicibus imis
Sublimem [8] expulsam eruerent; ita [9] turbine nigro
Ferret hiems [10] culmumque levem stipulasq; volantes.
Sæpe etiam immensū cœlo venit agmen aquarum [11],
Et fœdam glomerant [12] tempestatem imbribus atris
Collectæ ex alto nubes; ruit arduus æther [13],
Et pluvia ingenti sata læta boumque labores
Diluit; implentur fossæ, et cava [14] flumina crescunt
Cum sonitu, fervetque fretis spirantibus [15] æquor.
Ipse Pater, media nimborum in nocte, corusca
Fulmina molitur [16] dextra: quo maxima motu [17]
Terra tremit; fugere feræ, et mortalia corda
Per gentes [18] humilis stravit pavor: ille flagranti
Aut Athon, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia [19] telo
Dejicit; ingeminant [20] Austri et densissimus imber;
Nunc nemora ingenti vento, nunc littora plangunt.
Hoc metuens, cœli menses [21] et sidera serva;

94 Quamquam *ignava* alias est *hiems*. Glandes, cibum bobus et porcis; *quernas* additum fortasse, quod non eadem cura dignæ sint ilignææ et cerreæ. — 95 Rubicundi succi. Post *Tum* repete: tempus est. — 96 Insectari, θηράειν. — 97 Poetice pro: fundam stupeam, vel e stupa factam. Celeberrimi funditores in insulis Balearibus, ut in Creta sagittatores. — 98 Ad quorum ortus et occasus tempestatum tempora atque etiam causæ referebantur. — 99 Quando lenior et remissior est calor solis æstivi, adventante autumno. — 1 Quæ sint providenda. — 2 Ad finem festinat. — 3 Seges in culmos erecta stat. — 4 Succo lacteo plena. • Sane Varro in libris Divinarum rerum dicit deum esse *Lactantem*, qui se infundit segetibus, et eas facit lactescere. • *Servius*. — 5 Sensus: Interdum etiam media æstate ingruit tempestas turbida. — 6 *Stringere* satis proprie dictum de glandibus (ut supra v. 305), oleis, baccis, pomis, etc., hic audacius positum de spicis falce resecandis. — 7 Granis plenam, uberem. — 8 In altum, in aerem. Proprium dictu erat: erutam in sublime pellerent. — 9 Ac deinceps. *Nigro*, qui nigrante cœlo ingruit. — 10 Auferret, differret tempestas. — 11 Imbres densi et continui. — 12 Glomeratæ sive in unum coactæ tempestatem efficiunt; quocum jungi potest *ex alto*: verum melius intelligantur nubes collectæ ex mari, non tamquam ortæ ex vaporibus marinis, sed quia super Tyrrhenum mare vectæ, hinc venientes Italiæ cernuntur incumbere. — 13 *Ruere cœlum* dicebatur, quum vehementer pluebat. — 14 In cavatis alveis labentia. — 15 Et effervescit mare undis æstuantibus. Sæpe apud poetas *freta* et *vada* de aquis vel undis. *Spirare* eodem modo dictum *Æn.* X, 291: *Vada non spirant, nec fracta remurmurat unda*. — 16 Magna vi jactat. — 17 *Motu*, quo scilicet ex fulminibus affecta est; i. q. quibus commota terra. Observa præsenti subjuncta perfecta, notione eadem, de iis quæ solent fieri. — 18 Ubique gentium. — 19 *Athos* Macedoniæ, *Rhodope* Thraciæ, *Ceraunia* Epiri montes altissimi. *Dejicit*, cum aliqua hyperbole pro: ferit, particulas quidem dejiciens. — 20 Intransitive, item ut mox *plangunt*, plangorem sive sonitum edunt, resonant. — 21 Sic appellat *Zodiacum*. *Serva*, observa.

Frigida Saturni sese quo[22] stella receptet;
Quos ignis cœlo Cyllenius[23] erret in orbes.
In primis venerare deos, atque annua magnæ
Sacra refer[24] Cereri, lætis operatus[25] in herbis,
Extremæ sub casum hiemis, jam vere sereno.
Tum pingues agni, et tum mollissima[26] vina;
Tum somni dulces[27], densæque in montibus umbræ.
Cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret;
Cui tu lacte favos et miti dilue Baccho[28];
Terque novas circum felix[29] eat hostia fruges,
Omnis quam chorus et socii[30] comitentur ovantes,
Et Cererem clamore vocent in tecta[31]; neque ante
Falcem maturis quisquam supponat aristis
Quam[32] Cereri, torta redimitus tempora quercu,
Det motus incompositos[33] et carmina dicat.
Atque hæc[34] ut certis possemus discere signis,
Æstusque pluviasque, et agentes frigora ventos,
Ipse Pater statuit quid menstrua[35] Luna moneret,
Quo signo caderent[36] Austri, quid sæpe videntes
Agricolæ propius stabulis[37] armenta tenerent.
Continuo, ventis surgentibus, aut freta[38] ponti
Incipiunt agitata tumescere, et aridus[39] altis
Montibus audiri fragor, aut resonantia longe
Litora misceri[40], et nemorũ increbrescere murmur.
Jam sibi tum a curvis male[41] temperat unda carinis,
Quum medio celeres revolant ex æquore mergi,
Clamoremque ferunt ad litora[42], quumque marinæ
In sicco ludunt fulicæ; notasque[43] paludes
Deserit atque altam supra volat ardea nubem.
Sæpe etiam stellas, vento impendente, videbis
Præcipites cœlo labi, noctisque per umbram
Flammarum longos a tergo[44] albescere tractus;
Sæpe levem paleam et frondes volitare caducas,

22 Et observa cursum planetarum, velut *quo* se recipiat sive quo eat Saturnus, stella frigida, utpote a sole remotissima. Nimirum « Saturnus (ut est apud Serviuu) versans in Capricorno, facit gravissimas pluvias, præsertim Italiæ; in Scorpio, grandines. » — 23 Lucidissima stella dei in Cyllene, monte Arcadiæ, nati, Mercurius planeta, qui Græcis Στίλβων (Splendens), omnium præter lunam soli proximus. Poeta extremos modo planetarum nominavit: Saturnum, cui orbis maximus, quem revolvit prope triginta annorum spatio; Mercurium, qui suum 88 diebus peragit propere: quare hic *errare in orbes* et multos quasi vagus conficere dicitur, Saturnus vero lentus *se receptare* in aliquod sidus zodiaci. — 24 *Refer*, quippe redeuntia quotannis. — 25 Sacra operans, sacrificans. Dicit agrestia sollemnia *Ambarvalium*, de quibus v. *Ecl.* V, not. 57. Celebrabantur exeunte aprili. — 26 Mitissima, quæ, superiore anno condita, per hiemem exuerant asperitatem. — 27 In molli gramine. — 28 Vino. Lac, mel et vinum libabantur diis agrestibus. — 29 Hostia pura, grata diis, inde felicis ominis et bonum proventum portendens. — 30 Idem quod: chorus sociorum. — 31 Penes se; invocent ut ad se veniat munifica. — 32 Alterum festum, instante messe, circa diem longissimum Cereri celebrari solitum, quo *porca præcidanea* et vinum deæ offerebatur. Cui deæ operantes quernam coronam gestabant, in memoriam (ut fertur) antiqui victus ex glande, Cereris beneficio abrogati. — 33 Saltet rustice. Conferendi versus Horatiani, *Epist.* II, 1, 139 seqq. — 34 *Hæc*, quæ sequenti versu indicantur. — 35 Moneret menstruis motibus suis. — 36 Flare cessarent. *Quid videntes*, quo indicio moniti. — 37 Propius a stabulis, quam sunt consueta eorum pascua. Ne deprehenderentur tempestate imminente. — 38 Vide supra notam 15. — 39 Fragor qualis est lignorum aridorum, quum franguntur. — 40 Fluctibus allisis perturbari et impeti. — 41 Vix sibi temperat a navibus, quin eas invadat et obruat. — 42 Quæ magno clamore petunt. — 43 Quæ sunt consueta sedes ardeis. — 44 Tractus *a tergo*, id est caudæ instar sequentes corpus meteori.

Aut summa nantes in aqua colludere plumas.
At Boreæ de parte trucis quum fulminat, et quum
Eurique Zephyrique tonat domus[45], omnia plenis
Rura natant[46] fossis, atque omnis navita ponto
Humida vela legit[47]. Nunquâ imprudentibus[48] imber
Obfuit : aut illum surgentem vallibus imis
Aeriæ[49] fugere grues; aut bucula, cœlum
Suspiciens, patulis captavit naribus auras;
Aut arguta[50] lacus circumvolitavit hirundo;
Et veterem[51] in limo ranæ cecinere querelam.
Sæpius et tectis penetralibus[52] extulit ova
Angustum formica terens iter; et bibit ingens
Arcus[53]; et e pastu decedens agmine magno
Corvorum increpuit densis exercitus alis[54].
Jam varias pelagi volucres, et quæ Asia[55] circùm
Dulcibus in stagnis rimantur prata Caystri,
Certatim largos humeris infundere rores[56],
Nunc caput objectare fretis[57], nunc currere in undas
Et studio incassum[58] videas gestire lavandi.
Tum cornix plena pluviam vocat improba[59] voce,
Et sola in sicca secum[60] spatiatur arena.
Ne nocturna quidem carpentes pensa[61] puellæ
Nescivere hiemem, testa[62] quum ardente viderent
Scintillare oleum et putres concrescere fungos.

Nec minus ex imbri[63] soles et aperta serena
Prospicere et certis poteris cognoscere signis :
Nam neque tum stellis acies obtunsa[64] videtur,
Nec fratris[65] radiis obnoxia surgere Luna,
Tenuia nec lanæ per cœlum vellera[66] ferri;
Non tepidum ad solem pennas in litore pandunt
Dilectæ Thetidi[67] alcyones; non ore solutos
Immundi meminere sues jactare[68] maniplos :
At nebulæ magis ima petunt, campoque recumbunt;

45 Cœli regio unde hi venti spirant. Quando tonat ab omni cœli parte, tum vehementes imbres ingruunt. — 46 Inundantur. — 47 Colligit, contrahit. — 48 Nunquam factum est, ut imber noxius *imprudentes* opprimeret, id est non providentes: nam semper prænosci potest signis quæ jam monstrantur. — 49 Grues per aerem alte volantes surgentem tempestatem animadvertunt et fugiunt *vallibus imis*, id est in valles depressissimas sese recipientes. — 50 Garrula. — 51 Querelam quam olim rustici illi fundebant in Lycia; vide *Metamorphoseon* l. VI, v. 317 ad 381. — 52 E cellis subterraneis. — 53 Arcus cœli, Iris, quæ aquam trahere credebatur. — 54 Crebra et continua agitatione alarum. — 55 *Asia prata*, Ἄσιος λειμών Homeri, tractus paluster Lydiæ ad Caystrum flumen, quod hodie *Kitcheck-Meinder*, parvus Mæander; ibi antiquitus gregatim degebant cygni, in stagnis exundantis Caystri, herbas sub aqua *rimantes*, in pabulum sibi quærentes. — 56 Conferre juvabit quomodo hæc ante Virgilium extulerit Varro Atacinus : *Tum ticeat volucres pelagi tardæque paludis Cernere inexpleto studio certare lavandi, Et velut insolitum pennis infundere rorem.* — 57 Aquis immersare. — 58 Frustra, studio vano et ludicro, quippe vixdum immersæ statim emergunt. — 59 Vocat pervicaciter et vehementiore clamore; voce *plena*, pleno gutture emissa, crassa. — 60 *Sola secum*, expressum de græco αὐτὴ καθ' ἑαυτήν, non gregatim, ut corvi et cygni modo memorati. — 61 *Pensa* lanæ faciendæ. — 62 Lucerna testacea, fictili. Hæc omnia pluribus exposita a Theophrasto in libello *de Signis*. — 63 Post imbrem, imbri succedentes. *Aperta*, non obducta nubibus. — 64 Lumen obscuratum vaporibus. — 65 Solis. Luna ita oriens, ut occidentis solis radiis non sit obnoxia sive subjecta, id est, ut rubicundum inde colorem non trahat : qui color lunæ venti signum est, v. 431. — 66 Nubeculæ velut lanæ vellera per cœlum sparsæ. — 67 Secundum fabulam apud Ovidium, *Metamorph.* XI, v. 268 seqq. — 68 Junge *jactare solutos*, ita jactare, ut solvantur hi manipuli graminis, stramenti aut fœni.

Solis et occasum servans[69] de culmine summo
Nequicquam[70] seros exercet noctua cantus.
Apparet liquido[71] sublimis in aere Nisus,
Et pro purpureo pœnas dat Scylla capillo;
Quacumque illa levem fugiens secat æthera pennis,
Ecce inimicus, atrox, magno stridore per auras
Insequitur Nisus; qua se fert Nisus ad[72] auras,
Illa levem fugiens raptim secat æthera pennis.
Tum liquidas[73] corvi presso ter gutture voces
Aut quater ingeminant; et sæpe cubilibus altis,
Nescio qua præter solitum dulcedine læti,
Inter se in foliis[74] strepitant; juvat, imbribus actis,
Progeniem parvam dulcesque revisere nidos:
Haud equidem credo quia sit divinitus[75] illis
Ingenium, aut rerum[76] fato prudentia major;
Verum, ubi tempestas et cœli mobilis humor[77]
Mutavere vias[78] et Jupiter uvidus Austris [vat[79],
Densat, erant quæ rara modo, et quæ densa, rela-
Verturtur species[80] animorum, et pectora motus
Nunc alios, alios dum nubila ventus agebat,
Concipiunt: hinc ille avium concentus in agris,
Et lætæ pecudes, et ovantes gutture corvi.

Si vero solem ad rapidum lunasque[81] sequentes
Ordine respicies, nunquam te crastina fallet
Hora[82], neque insidiis noctis capiere[83] serenæ.
Luna, revertentes quum primum colligit ignes[84],
Si nigrum[85] obscuro comprenderit aera cornu,
Maximus agricolis pelagoque parabitur imber:
At si virgineum[86] suffuderit ore ruborem,
Ventus erit; vento semper rubet aurea Phœbe[87]
Sin ortu quarto[88] (namque is certissimus auctor)
Pura neque obtunsis per cœlum cornibus ibit,
Totus et ille dies, et qui nascentur ab illo
Exactum[89] ad mensem, pluvia ventisque carebunt,
Votaque servati solvent in litore nautæ
Glauco, et Panopeæ, et Inoo Melicertæ[90].

69 Observans noctem adventantem. — 70 Noctua *nequicquam*, frustra canere dicitur, quasi cantu suo, alias ominoso, sive malæ tempestatis nuntio, malam tempestatem retinere vel revocare velit. Nam noctua in imbre garrula, præsagit serenitatem; at sereno, tempestatem, » *Plin.* — 71 Limpido et puro. Haliæetus (aquila marina, tum cirin infesto volatu persequitur; quod poeta pluribus describit, mythicis nominibus usus, Nisi, regis Megarensis, purpureum capillum regno suo fatalem habentis, et Scyllæ filiæ, quæ patrem Minoi amato prodidit, secto et tradito capillo; hinc ille in haliætum mutatus, filia in cirin. Fabula narratur in *Metamorphosibus*, libri VIII initio. — 72 Sursum ad auras. — 73 Voces claras et minime raucas: nam rauco clamore corvorum præsagitur imber. *Presso* gutture, coarctato, quo cantus fit acutus. — 74 Inter folia arborum. *Actis*, abactis, pulsis. — 75 A diis inditum, divinum et divinandi facultate præditum. — 76 Prudentia in rebus judicandis major quam hominibus inesse solet. — 77 Aer humidus et mutabilis. — 78 Ita ut, ventis mutatis, nubes alio agantur. Jovi tribuuntur quæcumque fiunt in aere; conf. *Ecl.* VII, not. 59. Hinc aer ipse appellatur *Juppiter*. Austri venti, pluviam adducentes, aeris raritatem densant. — 79 Nubibus dispulsis. — 80 Dispositiones, ut nos loquimur. — 81 *Lunas* pluraii, de variis lunæ phasibus quas dicimus vocabulo græco. *Ordine*, deinceps. — 82 Dies; nam late patet vox *hora*. — 83 Decipieris. — 84 Lumen, splendorem. Quum primum renascentis lunæ cornua apparent. — 85 Si aerem non illuminatum complectitur cornu obscurato sive superiore sive inferiore. — 86 Apte de Diana innupta. — 87 Nitida Luna. — 88 Quarto die post noviluniun. — 89 Usque ad finem mensis. — 90 Glaucus et Melicertes, Inois filius, numi-

Sol quoque et exoriens, et quū se condet in undas,
Signa dabit; solem certissima signa sequuntur[91],
Et quæ mane refert, et quæ surgentibus astris[92].
Ille ubi nascentem maculis variaverit ortum[93]
Conditus in nubem, medioque refugerit[94] orbe,
Suspecti tibi sint[95] imbres: namque urget ab alto[96]
Arboribusque satisque Notus pecorique sinister[97].
Aut ubi sub lucem densa inter nubila sese
Diversi[98] rumpent radii, aut ubi pallida surget
Tithoni[99] croceum linquens Aurora cubile,
Heu! male tum mites defendet[1] pampinus uvas:
Tam multa in tectis crepitans salit horrida grando!
Hoc etiam[2], emenso quum jam decedit[3] Olympo,
Profuerit meminisse magis: nam sæpe videmus
Ipsius in vultu varios errare[4] colores:
Cæruleus pluviam denuntiat, igneus Euros[5];
Sin maculæ incipient rutilo immiscerier[6] igni,
Omnia tum pariter vento nimbisque[7] videbis
Fervere. Non illa quisquam me nocte per altum
Ire, neque ab terra moneat convellere funem[8].
At si, quum referetque diem condetque relatum[9],
Lucidus orbis erit, frustra terrebere nimbis,
Et claro[10] silvas cernes Aquilone moveri.
Denique, quid[11] vesper serus vehat, unde[12] serenas
Ventus agat nubes, quid cogitet[13] humidus Auster,
Sol tibi signa dabit. Solem quis dicere falsum[14]
Audeat? Ille etiam cæcos[15] instare tumultus
Sæpe monet, fraudemq[16] et operta tumescere bella.
Ille etiam exstincto miseratus Cæsare[17] Romam,
Quum caput obscura nitidum ferrugine[18] texit,
Impiaque æternam timuerunt sæcula[19] noctem.
Tempore quanquā illo tellus quoque et æquora ponti,
Obscœnæque[20] canes, importunæque volucres

na marina, de quibus Ovidius narrat in *Metamorph.* XIII, 898 seqq. et IV, 518 seqq. Panope sive Panopea, una ex Nereidibus. Non elidit*u*r in *Glauco*, et in *Panopeæ* corripitur *æ* ante *el*, græco more. — 91 Ex sole observato colliguntur. — 92 Vespere. — 93 Si primum oriens maculis infectus appareat. — 94 Media sui parte non splendeat, sed solo circulo extremo: quod vocabatur *Sol concavus*. — 95 Suspiceris imbres esse futuros. — 96 Ex æthere. Notus, ventus a meridie super Mediterraneum mare ingruens, pluviosus. — 97 Noxius. — 98 Radii singuli, non collecti, in diversas partes e nubibus erumpent. — 99 Auroræ maritus satis notus. — 1 Male defendet, imo non valebit defendere foliis uvas, quin grandinibus contundantur. — 2 Junge *etiam magis profuerit*. — 3 Sol. — 4 Oberrare, ferri, inesse. — 5 Ventos, in universum, quamquam unum modo nominat poetice. — 6 Antique pro *immisceri*. — 7 Imbribus. *Fervo*, *fervis* antiqui dicebant pro *ferveo*, *ferves*, quod significat etiam: vehementer agitari. — 8 Funem quo navis alligatur litori, retinaculum. — 9 Sol. Sensus: et mane et vesperi. — 10 Aquilone nubes fugante, cœlum clarum et serenum efficiente. — 11 Sol tibi significabit *quid* etc. — 12 A qua parte cœli. Nubes *serenæ* sunt quæ non solvuntur in imbres nec serenum esse cœlum impediunt. Quibus opponitur *humidus* Auster, atras et imbriferas nubes inducens. — 13 Quid acturus sit; venturusne sit, an non. — 14 Activa notione: fallentem, decipientem. — 15 Occultos adhuc. — 16 Insidias. — 17 Prodigia cædem Julii Cæsaris portendentia aut secuta et pro civilis belli præsagiis habita, præter Virgilium, cecinerunt Tibullus II, eleg. V, 74 seqq., et Ovidius, *Metamorph.* XV, 782 seqq.; commemorarunt etiam historiarum scriptores. — 18 Caligine. Inciderat defectus solis. — 19 Ejus ætatis homines facinorosi, vel patri non parcentes. — 20 Immundæ, quasi *cœno oblitæ*; ominosæ et ululatu suo mala portendentes. *Importunæ*, « in alienum sive non opportunum tempus ruentes, ut striges aut bubones, nocte gaudentes, per diem possent videri. » *Serv.*

Signa dabant. Quoties Cyclopum effervere in agros[21]
Vidimus undantem[22] ruptis fornacibus Ætnam,
Flammarumque globos liquefactaque volvere saxa[23]!
Armorum sonitum toto Germania cœlo
Audiit[24]; insolitis tremuerunt motibus Alpes.
Vox quoque per lucos vulgo[25] exaudita silentes
Ingens; et simulacra modis pallentia miris[26]
Visa sub obscurum noctis; pecudesque locutæ[27],
Infandum! Sistunt[28] amnes, terræque dehiscunt,
Et mœstū illacrimat templis ebur, æraque[29] sudant.
Proluit insano contorquens vortice silvas
Fluviorum[30] rex Eridanus, camposque per omnes
Cum stabulis armenta tulit. Nec[31] tempore eodem
Tristibus aut extis fibræ[32] apparere minaces,
Aut puteis manare cruor cessavit, et[33] altæ
Per noctem resonare lupis ululantibus urbes.
Non alias cœlo ceciderunt plura sereno
Fulgura, nec diri totics arsere cometæ.
Ergo inter sese paribus[34] concurrere telis
Romanas acies iterum videre Philippi[35];
Nec fuit[36] indignum Superis bis sanguine nostro
Emathiam et latos Hæmi[37] pinguescere campos.
Scilicet et tempus veniet quum finibus illis
Agricola, incurvo terram molitus aratro,
Exesa inveniet scabra robigine pila,
Aut gravibus rastris galeas pulsabit inanes,
Grandiaque[38] effossis mirabitur ossa sepulcris.
Di patrii, Indigetes[39], et Romule, Vestaque mater,
Quæ Tuscum[40] Tiberim et Romana palatia servas,

21 Cyclopum agri sunt qui cingunt Ætnam, in fabulis Vulcani et Cyclopum officinam. — 22 Exundantem; apud Servium Livius ait: *Tanta flamma, autè mortem Cæsaris, ex Ætna monte defluxit, ut non tantum vicinæ urbes, sed etiam Rhegina civitas afflueretur.* — 23 De *lava* ut nos vocamus, quæ indurescens in saxum redire videtur. — 24 Borealis auroræ spectra fingendo huic portento locum dederint. — 25 In multis passim locis, qui sunt diis sacri, ut deorum vox crederetur. — 26 Mortuorum umbræ. — 27 Tibullus: *fataque vocales præmonuisse boves.* — 28 Intransitive: consistunt. — 29 Statuæ deorum eburneæ, et æreæ fusæ. — 30 Scande *Fluviorum*, et attende versûs rhythmum violentiâm exprimentem. Eridanus sive Padus (*Pò*), Italiæ fluviorum maximus, et alios multos alveo suo excipiens. — 31 *Nec cessaverunt...* — 32 « *Fibras* dicit venas aliquas, quæ si apparebant in visceribus, malum omen erant. » *Serv.* — 33 Repete *non cessaverunt. Altæ*, mœnibus altis exstructæ. — 34 Telis *paribus*, ejusdem generis, quia Romani cum Romanis congrediebantur civili bello. — 35 Oppidum Thraciæ, ubi Bruti et Cassii partes magno prœlio victæ et exstinctæ. Vox *iterum* quamquam potest jungi cum *conferrere*, rectius refertur ad *viderunt*. Nam pugna qua Cæsar Pompeium devicit, pugnata est illa quidem ad Pharsalum, Thessaliæ oppidum, sed in iisdem *Emathiæ* campis, quo nomine antiquo, præter Thessaliam, Epirum quoque et partem Thraciæ complectebantur. Quare factum videtur ut *Philipporum* vocabulo Romani non raro utramque pugnam, et Pharsalicam et Philippicam, comprehenderent, sicut Petronius (*Bell. civ.* 110): *Cerno equidem geminis stratos jam cæde Philippos*, et alii. — 36 Visum est. — 37 *Hæmus*, montium series in Thracia, nobis *Balkan*. Hinc animadverte quo artificio Virgilius ex bellorum commemoratione subito et facile redierit in mediam rem rusticam. — 38 Ossa *grandia*, ut priscorum hominum: nam obtinuit apud veteres opinio, quovis labente sæculo homines fieri minores et debiliores. — 39 Dii *Indigetes* sunt Itali viri antiqui inter deos recepti aut dii in Italia nati, velut Janus, Picus, Faunus. Qui quidem omnes vocari poterant *patrii*, sed non omnes patrii erant *indigetes*, indigenæ. Illorum est Vesta, horum Quirinus. — 40 Tiberim in Etruria ortum. *Palatium*, olim Evandri domus in monte Palatino, nunc Augusti in eodem monte.

Hunc saltem everso [41] juvenem succurrere sæclo
Ne prohibete! Satis jam pridem sanguine nostro
Laomedonteæ [42] luimus perjuria Trojæ;
Jam pridem nobis cœli te regia, Cæsar,
Invidet [43], atque hominũ queritur curare triumphos;
Quippe ubi [44] fas versũ atq; nefas: tot bella per orbẽ,
Tam multæ scelerum facies; non ullus aratro [45]
Dignus honos; squalent abductis arva colonis,
Et curvæ rigidum falces conflantur in ensem.
Hinc movet Euphrates [46], illinc Germania bellum;
Vicinæ, ruptis inter se legibus [47], urbes
Arma ferunt; sævit toto Mars impius orbe:
Ut quum carceribus [48] sese effudere quadrigæ,
Addunt [49] in spatia, et frustra retinacula tendens [50]
Fertur equis auriga, neque audit currus [51] habenas.

41 Gravissime afflictis et fere perditis rebus humanis. Octavianus Augustus tum vicesimum octavum annum agebat. — 42 Perjuria commissa Trojæ, rege Laomedonte: is Apollinem et Neptunum, qui muros Trojæ extruxerant, nec multo post Herculem, qui Hesionen ejus filiam a ceto liberaverat, pacta mercede fraudavit perjurus: cujus sceleris pœnas dii non solum a Laomedonte, sed a toto ejus genere et a gente Romana inde prognata, perpetuo expetere credebantur. — 43 Deorum cœtui te additum cupiens; et queritur te curare triumphos ab hominibus oblatos, quum cœlestes agere possis. — 44 Apud quos, apud homines fas et nefas inter se confusa. — 45 Agriculturæ, per bellorum civilium longam immanitatem prope derelictæ. — 46 Euphratis accolas Parthos dicit, contra quos Antonius tum exercitum ducebat; ut Agrippa contra Gallos et Germanos rebellantes. — 47 Fœderibus, pactionibus, quibus inter se concorditer vixerant urbes Etruriæ, Galliæ Cisalpinæ et regionum superjacentium, quæ tunc arma contra Cæsarem sumpserant. — 48 Quibus coercebantur equi in extremitate Circi, antequam signum ineundi cursus daretur. Bellica tumultuatio orbis Romani comparatur cum certamine curruli, quo ipsi aurigæ abripiuntur ab equis ardentibus, quos semel emissos freno cohibere nequeunt. — 49 Intransitive, ut videtur, dictum: quadrigæ dant se in spatia (nobis *s'élancent*), sed sine exemplo alio. Incerta est hujus hemistichii et lectio et interpretatio. — 50 Frena adstringens aufertur. — 51 Equi currui juncti non parent habenis.



LIBER II.

Hactenus[1] arvorum cultus et sidera cœli ;
Nunc te, Bacche, canam, nec non silvestria[2] tecum
Virgulta, et prolem tarde crescentis[3] olivæ.
Huc[4], pater o Lenæe : tuis hîc[5] omnia plena
Muneribus ; tibi[6] pampineo gravidus autumno
Floret[7] ager, spumat plenis vindemia labris :
Huc, pater o Lenæe, veni ; nudataque[8] musto
Tinge novo mecum dereptis crura cothurnis[9].
Principio arboribus varia est natura creandis[10].
Namque aliæ, nullis hominum cogentibus, ipsæ
Sponte sua veniunt[11], camposque et flumina late
Curva[12] tenent : ut molle siler, lentæque genestæ,
Populus, et glauca[13] canentia fronde salicta.
Pars autem posito surgunt[14] de semine : ut altæ
Castaneæ, nemorumque[15] Jovi quæ maxima frondet
Æsculus, atque habitæ Graiis oracula[16] quercus.

1 Supple *cecini*, quod ex sequenti *canam* repetendum. — 2 *Virgulta*, id est taleas plantandas arborum silvestrium (non frugiferarum), ad quas seri quibusque implicari solent vites. Arborum frugiferarum modo, ut pomi, piri, inventor atque dator habebatur Bacchus. — 3 Utpote ex semine sive nucleo educatæ a veteribus : hinc fiebat ut, secundum Hesiodum, satori olivæ fructus videre nunquam contingeret, quippe vita prius defuncto. — 4 *Huc* veni, quod alteri membro additum. *Pater* (deorum appellatio honorifica, præsertim in precibus) *Lenæus*, a ληνός, torcular. — 5 *Hîc*, in his quæ canam. — 6 Per te, tuo beneficio. *Pampineus autumnus* dicitur proventus vindemialis autumni. Ultima in *gravidus* producta per accentum rhythmicum. — 7 Variis coloribus uvarum et frugum nitet. *Labra* vocantur vasa quibus infunditur mustum. — 8 Crura nudata ad calcandum uvas. *Mecum :* nam poetæ sæpe fingunt se facere quæ canunt. — 9 Quibus redimitus erat Bacchus, ut Diana, sed minus altis quam tragici. — 10 Procreandis. Vario modo arbores procreantur aut natura aut arte. — 11 Proveniunt. — 12 Sinuosa. *Siler molle* (i. e. flexile) videtur esse de ulicum genere, fortasse *l'osier*. Genestæ, nobis *genêt d'Espagne*. — 13 Fronde quæ virorem marinum refert, subtus alba. — 14 Pluralis usitatissimus post *pars*, etiam masculino genere. — 15 Inter arbores silvestres. Jovi sacræ arbores quæcumque sunt e quercuum genere. — 16 Quercus in Jovis luco Dodonæo, vocales et fatidicæ. Sic Ovidius : *glandem quercus, oracula prima, ferebant.*

Pullulat ab radice aliis densissima silva[17],
Ut cerasis, ulmisque; etiam Parnasia[18] laurus
Parva sub ingenti matris se subjicit[19] umbra.
Hos natura modos primum dedit; his genus omne
Silvarum fruticumque viret nemorumque sacrorum.
Sunt alii[20] quos ipse via sibi repperit usus.
Hic plantas tenero abscindens de corpore matrum[21]
Deposuit sulcis; hic[22] stirpes obruit arvo,
Quadrifidasque sudes, et acuto robore vallos;
Silvarumque aliæ[23] pressos propaginis arcus
Exspectant, et viva[24] sua plantaria terra;
Nil radicis egent aliæ, summumque[25] putator
Haud dubitat terræ referens[26] mandare cacumen.
Quin et caudicibus sectis[27] (mirabile dictu!)
Truditur e sicco radix oleagina ligno.
Et sæpe alterius ramos impune[28] videmus
Vertere in alterius, mutatamque[29] insita mala
Ferre pirum, et prunis lapidosa[30] rubescere corna.
Quare agite, o, proprios generatim[31] discite cultus,
Agricolæ, fructusque feros mollite colendo;
Neu segnes jaceant terræ: juvat[32] Ismara Baccho
Conserere, atque olea magnum vestire Taburnum.
Tuque ades, inceptumque una decurre[33] laborem,
O decus, o famæ merito pars maxima nostræ,
Mæcenas, pelagoque volans da vela[34] patenti.
Non ego cuncta meis amplecti versibus opto,

17 Stipites multi ex una radice — 18 Pulcherrima proveniens in Parnasso Phocidis monte, Apollini sacro. — 19 Succrescit; vide *Eclog.* X, not. 60. Parva laurus surgit ex eadem radice, sub matre arbore maximi ambitus. — 20 *Alii* modi. *Via*, ratione, methodo, arte. *Usus*, experientia, græco vocabulo *ta pratique*. — 21 Qui vocabantur *stolones*, a radice ablati vel avulsi. — 22 Alius. Altero hoc modo trunci sive vastiores rami ac taleæ aut in pali (*valli*, conf. I, 264) modum exacutæ, aut quadripartito fissæ, ita in terram infoduntur, ut paullum modo extent — 23 Aliæ arbores, ut proveniant, *exspectant* propagines, et necesse est ut incurvati rami (*arcus*) in terram deprimantur (*pressos*) sive demittantur in scrobem ad hoc factum. — 24 *Viva*, quippe eadem vita fruentia, cohærentia cum matre, non resecata, sed in *sua*, unde orta erant, terra manentia. — 25 *Summum cacumen*, virgam ex summo arboris cacumine recissam: quæ satio vocatur *ex surculo*. — 26 *Referens*, ut ex eadem enatum. Non præterennda (quamquam improbo) expositio alia: « Putator, qui ad arborem putandam exierat, proprie dicitur surculum *referre*. » — 27 Trunco oleæ in caudices consecto. « Fit hoc de oliva et myrto, quarum sicci stipites secantur usque ad medullam, et terræ infossi ex se arbores creant: quod sine dubio est mirandum. » *Serv.* — 28 Sine damno sui, imo cum utilitate. *Vertere*, neutraliter. Alia arbor in aliam sese convertere videtur per *insitionem* (nobis *greffe*), qua fit ut pirus ferat mala, cornus pruna. — 29 Pirum immutatam insitione mali, quam passa est. — 30 Corna (*cornouilles*) durissimum nucleum cohibentia. Hic in diversas partes discedunt præstantissimi interpretes Georgicorum: alteri explicant, et *corna*, id est cornos arbores rubescere prunis purpureis, quæ ferunt ipsis insita; alteri: prunis arboribus (dativo an ablativo capias, vix refert) ferri rubra corna ipsis insita. Hoc grammatica ratio commendat et prope imperat; sed cornorum insitionem unquam esse factam non persuadetur. — 31 Per singula genera; cultus singulis generibus proprios. — 32 Utile est. Terras nullas sinendas esse segnes, et proprio cultu quemque locum indigere, poeta docet exemplo duorum montium, qui segetem et arbores alias non ferrent, vini tamen et olivarum proventu nobilissimorum. *Ismarus*, plurali heteroclito *Ismara*, Thraciæ mons prope ostia Hebri, cujus vinum generosissimum, Maroneum, jam Homerus celebravit; *Taburnus*, mons asper in confinio Samnii, Campaniæ et Apuliæ; hodieque *Taburo*, oleis suis celeber. — 33 *Decurre* mecum, tanquam stadium, sive potius ut cursum maritimum, ob sequentia. Conf. I, 40. — 34 Expansis velis naviga *una* mecum (quod

Non [35], mihi si linguæ centum sint, oraque centum,
Ferrea vox : ades, et primi lege litoris [36] oram ;
In manibus [37] terræ : non hic te carmine ficto
Atque per ambages [38] et longa exorsa tenebo.
Sponte sua quæ se tollunt in luminis oras [39],
Infœcunda quidem, sed læta et fortia surgunt : [quis
Quippe solo natura [40] subest. Tamen hæc quoque, si
Inserat, aut scrobibus mandet mutata [41] subactis,
Exuerint [42] silvestrem animum, cultuque frequenti
In quascumque voces artes [43] haud tarda sequentur.
Nec non et sterilis [44], quæ stirpibus exit ab imis,
Hoc faciet, vacuos si sit digesta per agros :
Nunc [45] altæ frondes et rami matris opacant,
Crescentique adimunt fœtus [46], uruntque ferentem.
Jam, quæ seminibus jactis se sustulit arbos,
Tarda venit, seris factura nepotibus umbram [47] ;
Pomaque degenerant, succos oblita [48] priores,
Et turpes avibus prædam fert uva [49] racemos.
Scilicet omnibus est labor impendendus, et omnes
Cogendæ in sulcum [50], ac multa mercede domandæ [51].
Sed truncis oleæ melius, propagine vites
Respondent [52], solido Paphiæ de robore myrtus ;
Plantis [53] et duræ coryli nascuntur, et ingens
Fraxinus, Herculeæque arbos umbrosa coronæ [54],

ex præcedentibus et hic debet suppleri) in pelago, quod ad navigandum *patet*, extenditur. Pro *volans*, alacriter, in aliis est *volens*, propitius. — 35 Versus ex Homero translatus cum parte sequentis, *Iliad.* B. 488-9. — 36 *Litus legere* dicebantur qui navi oram maritimam sequebantur, non in latum mare evecti. In *oram primi litoris* habes abundantiam poetici sermonis; nam *primum litus* est ipsa *ora litoris*. Non vult poeta in altum pelagus rerum rusticarum evagari, non omnia persequi (quod immensi esset laboris), sed potiora tantum capita rei perstringere. — 37 *In manibus* esse dicuntur quæ sunt propinqua et in promptu. Igitur litus legenti *in manibus* sunt *terræ*, a quibus non digreditur. Sed poeta ea quæ statim subjicit, ad aliam sententiam retulit, quæ iisdem verbis exprimitur : *in manibus* tibi sunt *terræ*, ipsæ carminis mei argumentum, minime fictum, sed quod ante oculos positum sit, quod manu tangere queas. — 38 Per quas in epicis et dramaticis carminibus argumentum deducitur. *Exorsa*, cœpta, opus. *Tenebo*, detinebo. — 39 In lucem, in auras; Enniana locutio est. — 40 Naturalis vis et virtus inest solo, per quam tam læte proveniunt. — 41 Alio translata, transplantata in solum pastinando mollitum. Intellige de silvestribus arboribus insitionem passis, quod non prohibet particula *aut*. — 42 Exuere possunt et solent silvestrem naturam. — 43 Cultus artificiales. — 44 *Sterilis* arbor ab imo trunco surgens : sic vocat *stolones* ab radice arboris pullulantes ; qui avelluntur et loco, quem mater arbor tenet, ablati per locos *vacuos* et liberos *digeruntur*, ordine disponuntur. — 45 Ante eam translationem. — 46 Si est frugifera arbor, mater adhærenti stoloni adimit fructus proferendi facultatem, et succum subducendo desiccat naturâ suâ fœcundum, ita ut fructus ferre non possit. *Uro* item hyperbolice dictum vidimus I, v. 77 et 78. — 47 Confer quæ de olea dicta sunt supra not. 3. — 48 *Oblita*, ut de natura animata et mentis participe, pro : amittentia. — 49 *Uva* positum pro : vitis, quæ degenerans racemos fert malos, indignos qui colligantur, ut fiant avibus præda. Romani vites ex semine procreabant, insitione emendabant. — 50 Colligendæ et digerendæ *in sulcum* sive rectam seriem *scrobium subactarum*, quibus supra *mandari* jusserat. — 51 Multo sumptu in mercedem laborantium, igitur multo labore mitiores reddendæ et colendo emendandæ. — 52 *Respondent* labori, quem poeta commendat. Hoc rectius suppletur quam *votis agricolæ*, quod est I, 47. De *truncis* oleæ dictum supra not. 27, ibidemque de myrto. Paphiæ deæ Veneri sacra, item nascente ex parte trunci vel valido ramo (*solido robore*) in terram defosso. *Myrtus*, pluralis quartæ decl. — 53 Surculis plantatis. — 54 Populus alba, gr. ἀγειρωΐς, quam ab Acheronte Hercules reportavisse ferebatur, fronde ejus arboris coronatus, ut heroe auctore juvenes in gymnasiis certantes; confer *Ecl.* VII, not. 61.

Chaonique patris glandes[55]; etiam ardua palma
Nascitur[56], et casus abies visura marinos.
Inseritur vero[57] et nucis arbutus horrida fœtu,
Et steriles platani malos gessere valentes;
Castaneæ fagus[58], ornusque incanuit albo
Flore piri; glandemque sues[59] fregere sub ulmis.
Nec modus[60] inserere atq; oculos imponere simplex.
Nam qua se medio trudunt de cortice gemmæ[61]
Et tenues rumpunt tunicas[62], angustus in ipso
Fit nodo[63] sinus: huc aliena ex arbore germen
Includunt, udoque docent[64] inolescere libro.
Aut rursum enodes[65] trunci resecantur, et alte
Finditur[66] in solidum cuneis via; deinde feraces
Plantæ immittuntur: nec longū tempus[67], et ingens
Exiit ad cœlum ramis felicibus[68] arbos,
Miraturque novas frondes et non sua[69] poma.
Præterea genus haud unum[70] nec fortibus ulmis,
Nec salicī lotoque[71], nec Idæis cyparissis[72];
Nec pingues unam in faciem[73] nascuntur olivæ,
Orchades, et radii, et amara pausia bacca,
Pomaque[74] et Alcinoi silvæ; nec surculus idem
Crustumiis[75] Syriisque piris, gravibusque volemis.
Non eadem arboribus[76] pendet vindemia nostris
Quam Methymnæo[77] carpit de palmite Lesbos:
Sunt Thasiæ[78] vites; sunt et Mareotides albæ;
Pinguibus hæ terris habiles[79], levioribus illæ;
Et passo Psithia[80] utilior, tenuisque Lagcos,

55 Glandifera quercus dei Dodonæi in Chaonia, Jovis; vide supra I, 8, n. 10, et *Ecl.* IX, not. 12. — 56 Repete vocem *plantis*, a principio positam, ut per totam phrasim valeat. Abies navibus ædificandis adhiberi solita; ap. Græcos est ναυπηγήσιμος. — 57 Insitionis quinque exempla profert: nucis arbuto, mali platano, castaneæ fago, piri orno, et quercus ulmo insertarum. *Arbutus* (n. *arbousier*) *inseritur fœtu nucis*, nimirum juglandis. Quæ dicitur *horrida*, ob corticem asperum et hispidum. — 58 *Fagus* est pluralis quartæ declin. Supple verbum ex sequenti: *fagi* incanuerunt flore *castaneæ*. — 59 *Sues*, qui pastum agebantur in quercetis; vide infra v. 520. Pabulum bobus et suibus hac insitione quærebatur ex ulmis ubique obviis. — 60 Non unus modus, sed varii modi sunt inserendi et inoculandi. — 61 Ubi *gemmæ*, id est nova germina sive oculi erumpunt ex cortice. — 62 Librum sive tenuem corticem interiorem. — 63 In ipsa gemma vel oculo e cortice prorumpente et turgente in modum nodi: hanc gemmam agricola incidens et avellens facit *angustum sinum*, cavitatem in quam transfert germen quod inoculat. — 64 Poetice pro: efficiunt ut inolescant sive coalescant cum libro. — 65 Secantur trunci aut rami qua parte nullus est nodus. — 66 Findendo paratur via. — 67 Ut in prosa: *nec mora*. — 68 Fertilibus; conf. *Ecl.* V, not. 34. — 69 Quod humilius dictum a Calpurnio: *induit arbos Ignotus frondes et non gentilia poma*. — 70 Intellige de *speciebus* pluribus ejusdem generis arborum. — 71 *Lotoarbori*, nobis zizypho sive jujubæ. — 72 Cupressus, gr. κυπάρισσος, maxima copia provenichat in Ida, monte Cretæ insulæ. — 73 Non ita nascuntur, ut unam omnes faciem sive speciem habeant: est oliva *orchas*, vulgo *orelus*, rotunda, ovi specie; *radius*, oblonga in modum radii textorii; *pausia*, « cui plurimum carnis, » inquit Plinius. — 74 Dicendum erat NEC *poma* unam in faciem nascuntur; sed non ingrata negligentia. Alcinoi, Phæacum regis, horti et pomaria nobilitavit Homerus, *Odyssææ* cantu VII, 112 seqq. — 75 Crustumium sive Crustumerium Sabinorum oppidum ad confluentes Alliæ et Tiberis. Syria pirus vocabatur etiam Tarentina. *Volemi* sunt piri grandes quæ implent *volam* manūs. — 76 Quippe quibus « maritabantur » vites. Italicum vinum differt a græcis. — 77 Methymna, urbs Lesbi insulæ, vino clarae. — 78 Thasus insula ejusdem maris Ægæi, item vino clara. *Mareoticum* vinum, quod provenit circa Maream oppidum et Mareotidem paludem super Alexandriam, unde etiam Alexandrinum dictum. — 79 Aptæ. — 80 Psithia sive Psythia vitis unde di-

Tentatura pedes olim vincturaque linguam ;
Purpureæ, preciæque[81] ; et quo te carmine dicam,
Rhætica[82] ? nec cellis ideo contende Falernis.
Sunt et Aminææ[83] vites, firmissima vina,
Tmolius assurgit quibus[84] et rex ipse Phanæus ;
Argitisque[85] minor, cui non certaverit ulla
Aut tantum fluere[86] aut totidem durare per annos.
Non ego te, dis et mensis accepta secundis[87], [mis.
Transierim, Rhodia, [88], et tumidis, Bumaste, race-
Sed neque quã multæ species, nec nomina quæ sint,
Est numerus[89] ; neq enim numero comprendere refert :
Quem qui scire velit, Libyci velit æquoris idem
Discere quam multæ Zephyro turbentur arenæ ;
Aut, ubi navigiis violentior incidit Eurus,
Nosse quot Ionii[90] veniant ad littora fluctus.

Nec vero terræ ferre omnes omnia possunt.
Fluminibus salices, crassisque paludibus alni
Nascuntur, steriles saxosis montibus orni ;
Litora myrtetis lætissima[91] ; denique apertos
Bacchus[92] amat colles, Aquilonem et frigora taxi.
Aspice et extremis domitum[93] cultoribus orbem,
Eoasque[94] domos Arabum, pictosque Gelonos :
Divisæ arboribus patriæ. Sola India nigrum
Fert ebenum, solis est thurea virga Sabæis[95].
Quid tibi odorato referam sudantia[96] ligno
Balsamaque et baccas semper frondentis acanthi ?
Quid nemora Æthiopum molli canentia lana[97] ?
Velleraque ut[98] foliis depectant tenuia Seres ?

catur, ignotum ; *lugeam*, λάχνων, vertunt *leporariam*, et a colore leporino uvarum hæc vitis vocata putatur. Utraque convenit vino *passo*, quod ex passis uvis sive siccatis paratur ; ex utraque vinum inebrians valde ; hinc *tenuis* est, « penetrabilis, cito descendens in venas » Servio ; at alii de exiguis racemulis capiunt. — 81 Preciæ uvæ cito maturescebant (unde vocabulum ad *præcox* refertur), generosæ, ollis (ad conservandum) aptissimæ. — 82 Rhætica vitis in Veronensi agro colebatur, « Falernis tantum a Virgilio posthabita, » inquit Plinius ; et sic intellige quod sequitur. *Cellæ* vinariæ, in qua posito musto fit vinum. Ager Falernus in Campania. — 83 Aminææ, ab regione quadam agri Picentini, maxime prope Neapolin colebantur. *Firmissima* accipitur de diuturna et constanti fama vini Aminæi. — 84 Quibus Aminæis vitibus assurgendo honorem habet et ut inferior cedit *Tmolius*, Τμώλιος οἶνος, vinum ex Tmolo, monte Lydiæ ; item *rex*, id est primi ordinis vinum *Phanæum*, a Phanis, promontorio Chii insulæ. — 85 Vitis *Argitis* (sive Argiva, ex Argis Peloponnesi, sive ab ἀργός, *albus minor* ; nam species major in minore existimatione erat. — 86 Tanta copia fluere de torculari, tantum vini reddere. — 87 Post cœnam, in mensis secundis *(au dessert)*, diis libabantur vina generosa. — 88 Rhodi insulæ vitis. *Bumasti*, inquit Plinius, « tument *mammarum* (μαστῶν) modo », ut syllabam βου non pro genitivo (*vaccæ*) cepisse videatur, sed pro augente præfixo, ut in βούπαις, *grandis puer*. — 89 Numerari potest. *Neque enim*, paullo minus quam : neque sane. *Refert*, interest. — 90 *Ionii* maris. Junge *quot fluctus*. — 91 Invertit vulgare : myrteta lætissima in litoribus. — 92 Vitis. — 93 Subactum, cultum a cultoribus *extremis*, usque ad extremitatem, extremas partes orbis. Per totum hunc orbem videbis alias in aliis terris nasci arbores. — 94 Auroram (ἠώς) versus sitas sedes Arabum, Geloni, Sarmatiæ populus ultra Borysthenem incolens, cuti acu punctæ colores inurebant. — 95 Vide I, v. 57. *Virga*, arbustum thuriferum. — 96 Balsamum arbustum *Amyridi opobalsamum* L.) odoratum, cortice exsudans succum balsami sive opobalsamum. Soli Judææ proprium, ut Ægypto *acanthus* arbor, quam *Mimosam Niloticam* L. (nobis *acacia à la gomme*) esse putant ; hæc tamen siliquas fert, non baccas. — 97 Silvas arbustorum quæ vocant *gossypion* et *xylon*, nos *cotonnier*. — 98 Quid referam *ut*, id est quomodo Seres, gens Indica, de foliis pectine colligant vellera. Quod similiter dixit Plinius VI, 17 : *Seres, lanitio silvarum nobiles, perfusam*

aqua depectentes frondium canitiem. Nimirum credebantur, ante Justiniani imperatoris tempora, bombyces vermiculi in frondibus arborum texere sericum, quod Seres inde depecterent. Scande *tenvia.* Post *aut* repete *referam.* — 99 Pars Indiæ Oceano proxima, quæ est *sinus*, curvatura, incurvum litus extremi terrarum orbis, quem Oceanus ambit. Sic ex opposito apud Horatium: *Occidentis usque ad ultimum sinum.* Deinde strue: ubi nullæ sagittæ potuere jactu vincere vel superare *summum aerem arboris*, id est cacumen arboris in summum aerem altissime erectæ. Plinius eamdem famam refert VII, 2: *Arbores* in India *tantæ proceritatis traduntur, ut sagittis superari nequeant.* Unde apparet *arboris* apud Virgilium collective nec de uno genere dictum esse. — 1 Addit: quamquam gens Indorum est strenua sagittis, expedita ad sagittandum. — 2 Mali citrei, *citron*, quod, ut aurantiam, etiam Plinii ætate Media et Persis sokæ proferre credebantur. Poetice dictum pro: Media fert malum quod est tristi succo, quia vehementer acidum, et tardo sapore, qui quidem diu inhæret linguæ et palato, nec nisi tarde decedit. Idem tamen fructus est *felix*, id est saluber, salutem afferens, ut sequentia ostendunt. Strue: *quo non venit ullum auxilium præsentius*, magis promptum et efficax. — 3 *Infecerunt* veneno: quod satis indicatum mentione novercarum, quarum odia, fraudes, venena prope in proverbium abierant. Dele sequentem versum, male illatum ex lib. III, 283. *Verba noxia* magica carmina ab hoc loco prorsus sunt aliena. — 4 Abigit, ejicit. — 5 Specie. — 6 Esset. Indicativum in tali sententia nostra quoque lingua admittit, quando concitatius loquimur. *Labentia*, decidentia. — 7 Apprime, maxime. — 8 Curant. Plinius XII, 7: « Hujus grana Parthorum proceres inequuntat esculentis, commendandi halitus gratia. » — 9 Medorum terra ditissima arborum, earumque, ut modo vidimus, eximiarum. Cui poeta addit beatissimas regiones alias, Indiam atque Lydiam, cujus flumen Hermus, Pactolum recipiens, auri ramenta volvit. — 10 Caput Bactriæ sive Bactrianæ, regionis felicissimæ, quam Oxus perfluit. — 11 *Panchaia*, insula Arabiæ ab oriente objecta, thuris, myrrhæ aliorumque aromatum ferax, celebrabatur Euhemeri fabulis ab Ennio latine conversis; quo nomine ita tradito Virgilius ipsum Arabiam indicare voluisse videtur. *Pinguis*, id est fertilis, copiosa soli illius arenosi et soluti, quod amat thuris arbor, in eoque egregie provenit. — 12 Italiam: quam poeta comparat cum Colchide, clarissimæ uberitatis regione, sed quæ terribilia monstra protulit, qualia nunquam visa sunt in Italia. Notæ ex Argonauticis fabulæ de tauris ignivomis Æetæ, de segete armata ex dentibus draconis (*hydri*), narratæ Ovidio *Metamorph.* VII. — 13 Dativus pro: serendis dentibus sive ad serendos dentes, qui deinde ab Iasone *sati* sunt. Sic Virgilius non raro argutam breviloquentiam assequitur ex illa *callida junctura*, quam commendat Horatius. — 14 Nobile erat virum *Massicum*, quod fert Massicus mons Campaniæ.

Aut quos Oceano propior gerit India lucos,
Extremi sinus[99] orbis, ubi aera vincere summum
Arboris haud ullæ jactu potuere sagittæ?
Et gens illa quidem[1] sumptis non tarda pharetris.
Media fert tristes succos tardumque saporem
Felicis mali[2], quo non præsentius ullum
Pocula si quando sævæ infecere[3] novercæ,
[Miscueruntque herbas et non innoxia verba.]
Auxilium venit, ac membris agit[4] atra venena.
Ipsa ingens arbos, faciemque[5] simillima lauro;
Et, si non alium late jactaret odorem,
Laurus erat[6]; folia haud ullis labentia ventis;
Flos ad prima[7] tenax; animas et olentia Medi
Ora fovent[8] illo et senibus medicantur anhelis.
Sed neque Medorum silvæ[9] ditissima terra,
Nec pulcher Ganges, atque auro turbidus Hermus
Laudibus Italiæ certent; non Bactra[10], neque Indi,
Totaque thuriferis Panchaia[11] pinguis arenis.
Hæc loca[12] non tauri spirantes naribus ignem
Invertere satis[13] immanis dentibus hydri;
Nec galeis densisque virûm seges horruit hastis;
Sed gravidæ fruges et Bacchi Massicus humor[14]

Implevere; tenent oleæque armentaque læta.
Hinc bellator equus campo sese arduus infert;
Hinc albi, Clitumne[15], greges, et maxima taurus
Victima sæpe, tuo perfusi flumine sacro[16],
Romanos ad templa deûm duxere[17] triumphos.
Hic ver assiduum atque alienis[18] mensibus æstas;
Bis gravidæ pecudes, bis pomis utilis[19] arbos.
At rabidæ tigres absunt, et sæva leonum
Semina[20]; nec miseros fallunt aconita legentes;
Nec rapit[21] immensos orbes per humum, neque tanto
Squameus in spiram tractu se colligit anguis.
Adde tot egregias urbes, operumque laborem[22],
Tot congesta manu[23] præruptis oppida saxis,
Fluminaque antiquos subterlabentia[24] muros.
An mare quod supra[25], memorē, quodqe alluit infra?
Anne lacus tantos? te, Lari[26] maxime, teque,
Fluctibus et fremitu assurgens, Benace[27], marino?
An memorem portus[28] Lucrinoque addita claustra,
Atque indignatum magnis stridoribus æquor,
Julia qua[29] ponto longe sonat unda refuso,
Tyrrhenusque[30] fretis immittitur æstus Avernis?
Hæc eadem argenti rivos[31] ærisque metalla
Ostendit venis, atque auro plurima fluxit[32];
Hæc genus acre virûm, Marsos, pubemqe Sabellam[33],
Assuetumque malo[34] Ligurem, Volscosque verutos

15 Umbriæ fluvius, hodieque *Clitumno*, cujus ad ripas armenta et greges plurimi pascebant. « De eo autem fluvio, ut dicit Plinius, animalia quæ potaverint, albos fœtus creant. » *Serv.* Atque albis esse oportebat victimas superis diis mactandas. — 16 *Sacro*; legenda est junioris Plinii epistola octava libri VIII. — 17 *Sæpe duxere*, etenim præcedebant victimæ currum triumphatoris in Capitolium ascendentis. — 18 Qui non sunt æstatis menses, sed hiemis. — 19 Quæ vocabantur *bifera* arbores. — 20 Genera: ut Lucretius dixerat: *triste leonum Seminium*. Nec eos qui herbas colligunt in cibum, venenatæ plantæ (quale est aconitum) *fallunt*, id est imprudentibus se offerunt eosque *miseros* reddunt, morbis aut morte afficientes: tales plantas non alit Italia, neque item angues validos. — 21 Celerrime movet orbes, in quos sinuatur. *Neque tractu tanto*, quanto scilicet in regionibus aliis, quæ proferunt angues immanes, sed Italia modicos tantum et parvulos. — 22 Opera, ædificia magno cum labore constructa. — 23 Collecta materie manibus structa in rupibus. — 24 Præterlabentia imos muros sive pedem murorum antiquitus exstructorum: nam antiquitas originum honori erat et ambitiose celebrabatur. — 25 Mare *superum* sive Adriaticum; mare *inferum* sive Tyrrhenum, quæ Italiam alluunt. — 26 Lacus Larius, hodie *Lago di Como*, in agro Mediolanensi. — 27 Benacus, hodie *Lago di Garda*, per quem Mincius fluit, in agro Veronensi. — 28 Portum *Julium*, in sinu Puteolano constructum ab Octaviano et Agrippa: qui maximum aggerem, interjectum inter lacum Lucrinum et mare Tyrrhenum, et perfodit, quo naves ex mari intrare possent, et ita communivit, ut à fluctibus superari nequiret: hæc significat poeta verbis *claustra addita Lucrino*, et *æquor indignatum*, quod magno, sed impotenti stridore ostendit se indignari de vi sua jam victa et fracta. — 29 Qua parte unda *Julia*, id est unda Julii portus sonitum late exaudiendum edit *ponto* in ipsum *refuso*, in reductum locum immisso per fossam illam aggeris, ut quasi captivum sit mare in lacubus Lucrino et Averno. — 30 Et æstuans unda maris Tyrrheni immittitur ipsi lacui Averno, qui interius adjacebat Lucrino lacui, quocum Agrippa eum conjunxit, sic perficiens portum Julium. — 31 Copiam argenti, voce Lucretiana, qui dixit *argenti rivus et auri*. *Venis*, in venis terræ. — 32 Græcus modus dicendi (πολὺς ῥέων) de affluentia, abundantia. Italia autem *ostendit* (perfecto) tantummodo copiam argenti æriscque, et abundare comperta est auro, quia exercere metalla Italiæ senatusconsulto interdictum erat. — 33 Etiam ab Horatio et Livio laudatur virtus bellica Marsorum et Sabinorum, severæ disciplinæ innutritorum. — 34 Laboribus et ærumnis: nam saxosum et sterilem agrum colunt Ligures.

Extulit[35]; hæc Decios, Marios, magnosque Camillos,
Scipiadas[36] duros bello, et te, maxime Cæsar,
Qui nunc extremis Asiæ jam victor[37] in oris
Imbellem avertis Romanis arcibus Indum.
Salve, magna parens frugum, Saturnia tellus[38],
Magna virûm: tibi[39] res antiquæ laudis et artis
Ingredior, sanctos ausus recludere fontes[40],
Ascræumque[41] cano Romana per oppida carmen.

Nunc locus arvorum ingeniis[42]: quæ robora cuique,
Quis color, et quæ sit rebus natura ferendis[43].
Difficiles[44] primum terræ collesque maligni,
Tenuis ubi argilla et dumosis calculus arvis,
Palladia[45] gaudent silva vivacis olivæ.
Indicio est tractu surgens oleaster eodem
Plurimus[46], et strati baccis silvestribus agri.
At quæ pinguis humus dulcique uligine[47] læta,
Quique frequens herbis et fertilis ubere[48] campus,
Qualem sæpe cava montis convalle solemus
Despicere[49] (huc summis liquuntur[50] rupibus amnes
Felicemque trahunt limum); quique editus Austro[51],
Et filicem curvis invisam[52] pascit aratris:
Hic tibi prævalidas olim multoque fluentes
Sufficiet Baccho[53] vites; hic fertilis uvæ,
Hic laticis, qualem pateris libamus et auro[54],
Inflavit[55] quum pinguis ebur Tyrrhenus ad aras,
Lancibus et pandis fumantia[56] reddimus exta.
Sin armenta magis studium[57] vitulosque tueri,
Aut fœtus ovium, aut urentes culta[58] capellas,

35 Protulit, genuit. *Veruti*, veru sive veruto armati, telo brevi et angusto. — 36 Sic poetæ inde ab Ennio pro *Scipiones*, quod hoc genere versuum non admittitur. *Bello*, dativus: ad bellum. — 37 Octavianus tum (anno Urbis 724) victor ex Ægypto in Syriam transiverat, ubi ad Euphratem progressus ordinabat res Asiæ. *Indum imbellem* universe dictum de orientalibus populis, quos Occidens semper ut molles taxavit. Gentes aliquot illius regionis, ut Parthi, Antonio faverant. — 38 Ex antiquis nominibus Italiæ hoc est, ab antiquo rege eodemque deo satorum. — 39 In tuum honorem aggredior canere res quæ apud antiquos et laudi erant et studiose tractabantur. — 40 Fontes Musarum, ex quibus nemo Romanorum ante Virgilium hauserat carmina de re rustica: ipse hos fontes aperit primus. — 41 Hesiodeum; vide not. 67 *Ecl.* VI. Celebre vatis hujus carmen *Operum et Dierum*. — 42 Variæ naturæ soli explicandæ. *Robora*, vis, virtus. — 43 Dativus: ad quas res ferendas apta. — 44 Terræ non faciles ad largiendas fruges, parcæ; idemque est *maligni*, non benigni seu liberales. Scande *Tenuis*, quod additum, quia est etiam pinguis argilla. — 45 Minervæ donum eique sacrum esse olivam constat. De cujus vivacitate audi Plinium: *Firmissimæ ad vivendum oleæ, ut quas durare annis ducendis inter auctores conveniat. Gaudent*, favent, aptæ sunt oleis. — 46 Magnâ copiâ. *Baccis silvestribus*, baccis oleæ silvestris sive oleastri. — 47 *Uligo* est terræ humor naturalis, ex ea nunquam recedens. » *Serv.* — 48 Ubertate, proventu largo. — 49 *Despicere*, scilicet de monte modo dicto. — 50 In hanc vallem defluunt de cacuminibus. *Felicem*, fœcundantem. — 51 Versus Austrum, Austro expositus. — 52 Propter implexas inter se et late serpentes radices, aratrum impedientes et exstirpatu difficiles. — 53 Vino. *Sufficiet*, subministrabit, præbebit. — 54 Vini sive meri, quale libamus pateris aureis. De qua loquendi ratione poetica jam aliquoties monitum. — 55 In sacrificiis solemnibus, quando Etruscus tibicen inflat tibias eburneas. *Pinguis*, quippe epulis sacrificiorum constanter adhibitus; hinc et apud Catullum *obesus Etruscus*. — 56 Exta victimis statim extracta et adhuc fumantia diis offerimus. Explicatius in Æneide XII, 214: *In flammam jugulant pecudes, et viscera vivis Eripiunt, cumulantque oneratis lancibus aras*. — 57 *Studium* est tibi, studes. — 58 Nam caprarum morsus plantas vehementer lædit et facit ut exarescant, vide infra v. 378-9.

Saltus et saturi petito longinqua[59] Tarenti,
Et qualem infelix amisit Mantua campum[60],
Pascentem niveos herboso flumine[61] cycnos :
Non liquidi[62] gregibus fontes, non gramina desunt ;
Et quantum longis[63] carpent armenta diebus,
Exigua tantum gelidus ros nocte reponet.
Nigra ferc[64] et presso pinguis sub vomere terra,
Et cui putre solum (namq hoc imitamur[65] arando),
Optima frumentis : non ullo ex æquore[66] cernes
Plura domum tardis decedere[67] plaustra juvencis ;
Aut unde[68] iratus silvam devexit arator,
Et nemora evertit multos ignava per annos,
Antiquasque domos avium cum stirpibus imis
Eruit : illæ altum[69] nidis petiere relictis ;
At rudis enituit[70] impulso vomere campus.
Nam jejuna quidem clivosi glarea[71] ruris
Vix humiles apibus casias[72] roremque ministrat ;
Et[73] tophus scaber, et nigris exesa chelydris
Creta negant[74] alios æque serpentibus agros
Dulcem ferre cibum et curvas præbere latebras.
Quæ[75] tenuem exhalat nebulam fumosque volucres,
Et bibit humorē, et, quum vult, ex se ipsa remittit ;
Quæque suo semper viridis se gramine vestit,
Nec scabie et salsa[76] lædit robigine ferrum :
Illa tibi lætis intexet vitibus ulmos ;
Illa ferax oleo[77] est ; illam experiere colendo
Et facilem[78] pecori et patientem vomeris unci :
Talem dives arat Capua et vicina Vesevo[79]
Ora jugo, et vacuis Clanius[80] non æquus Acerris.
Nunc, quo quamq modo possis cognoscere, dicam.
Rara[81] sit an supra morem si densa requires,
Altera frumentis quoniam favet, altera Baccho,

59 Loca longinqua, agros longe remotos, et extremam in Italia sitos Tarenti uberrimi et omni proventuum genere abundantis. — 60 Ut narratum in argumentis Eclogarum I et IX. — 61 Mincio ; conf. *Egl.* IX, not. 26. — 62 Limpidi. Mox scande *dérunt*. — 63 Æstivis. Quos sequitur nox brevis. — 64 Plerumque est, vel esse solet, *optima* : videlicet quando impresso vomere cognoscitur esse pinguis et putris sive resoluta, tenera. — 65 Arando efficere studemus ut putre sit solum. — 66 Campo, arvo ; v. I, not. 52. — 67 Devehi a juvencis *tardis*, quia valde erunt onerata quæ trahunt plaustra. *Juvencis* dativo, græco more. — 68 Aut illa terra, ex qua eradicatam silvam devexit agricola : quod vocant *novale*. *Iratus* de bono solo silvis inutilibus et *ignavis* occupato. — 69 Aerem. — 70 Nam optima terra est (ut Plinius loquitur XVII, 3) *post vomerem nitescens*. — 71 Solum glareosum sive sabulosum, exile, siccum, eoque magis si clivosum rus est, ut pluviali aqua frui nequeat, statim delabente. — 72 Vid. *Ecl.* II, not. 46. *Rorem* marinum, hodieque *romarin*. — 73 Sensus trium versuum : « Terra tophacea et cretosa serpentibus omnium est aptissima. » Ita commendatam agricola haud dubie contemnet. *Scaber*, asper. *Chelydrus*, serpens venenosus et cutis durioris. — 74 Poetice nec sine suavi ironia ipsæ hæ terræ finguntur gloriari, se præ aliis terris omnibus dulcem cibum et domicilia præbere serpentibus. — 75 Hinc docetur, quod genus agri vinetis, olivetis, frumentis et pascuis sit æqualiter idoneum. Præsertim in *Campaniæ* solo observantur quæ poeta hic expenit. — 76 Robigine quæ ex salsedine nascitur. — 77 Dativus : ad oleum gignendum. — 78 Facile præbentem pabulum, benignum et quasi liberalem. *Patientem vomeris*, ad arandum et fruges colendas aptam. — 79 *Vesevo* (adjective) *jugo*, Vesuvio monti, qui poetis sæpe dicitur *Vesevus*. Cujus fœdas eruptiones non noverat Virgilius, quarum initium annus post C. N. 79. — 80 *Clanius* poetica libertate de accolis Clanii, Campaniæ fluvii, frequenti exundatione vicinis agris infesti, maxime Acerranis : unde incolis infrequens id oppidum. — 81 Strue : Si requires (utrum) rara sit, an nimis densa.

Densa magis Cereri, rarissima quæque Lyæo[82] :
Ante locum capies[83] oculis, alteque jubebis
In solido puteum demitti[84], omnemque repones
Rursus humū, et pedibus summas æquabis arenas[85].
Si deerunt[86], rarum, pecorique et vitibus almis
Aptius uber erit; sin in sua posse negabunt[87]
Ire loca et scrobibus superabit[88] terra repletis,
Spissus ager : glebas cunctantes[89] crassaque terga
Exspecta, et validis terram proscinde juvencis.
Salsa autem tellus, et quæ perhibetur amara,
Frugibus infelix (ea nec mansuescit arando,
Nec Baccho genus[90] aut pomis sua nomina servat),
Tale dabit specimen[91] : tu spisso vimine qualos
Colaque prælorum[92] fumosis deripe tectis;
Huc[93] ager ille malus dulcesque a fontibus undæ
Ad plenum[94] calcentur : aqua eluctabitur omnis
Scilicet, et grandes ibunt per vimina guttæ;
At sapor indicium faciet, manifestus et ora
Tristia tentantum[95] sensu torquebit amaror.
Pinguis item quæ sit tellus, hoc denique pacto
Discimus : haud unquam manibus[96] jactata fatiscit,
Sed picis in morem ad digitos lentescit habendo[97].
Humida majores herbas alit, ipsaque[98] justo
Lætior. Ah! nimium ne sit mihi fertilis illa,
Neu se prævalidam primis ostendat aristis[99] !
Quæ gravis est, ipso tacitam[1] se pondere prodit,
Quæque levis. Promptum est oculis prædiscere[2] nigrā,
Et quis cui color : at sceleratum[3] exquirere frigus
Difficile est; piceæ tantum taxique nocentes[4]
Interdum aut hederæ pandunt vestigia[5] nigræ.

His animadversis, terram multo ante[6] memento
Excoquere, et magnos[7] scrobibus concidere montes,
Antè supinatas Aquiloni ostendere[8] glebas,

82 Unum ex Bacchi nominibus. — 83 Eliges et designabis. — 84 Deprimi, in altum fodi. — 85 Æquabis summum hujus humi repositæ. Vidimus jam i, 105, 111, *arenas* non stricte accipi. — 86 *Si deerunt* arenæ, id est si terra illa effossa eum scrobem non ad summum replebit, tum *uber* sive solum fertile erit rarum. — 87 *Negabunt* arenæ se *posse ire in sua loca*, seu pristino spatio recipi : eadem libertate poetica quam superius annotavimus in not. 74. — 88 Supererit. — 89 Tenaces. *Terga* inter duos sulcos, porcas, de quibus v. I, not. 99. — 90 In ea et vites *degenerant;* neque pomorum species, quum degeneravere, idem nomen convenit. — 91 Documentum, probationem sui. — 92 Explicative : vimineos qualos, qui sunt cola prælis uvarum et olivarum supponi solita. Ea veteres ad fumum reponebant, ne humore aut vermibus corrumperentur. — 93 *Huc*, id est in hæc illatus *ager ille*, nimirum terra ex illo agro. — 94 Et aqua infusa *ad plenum*, usque dum plenum sit colum. *Eluctabitur*, per angustias ægre evadet. — 95 Gustantium. *Tristia*, reddita quidem tristia eo amarore, Lucretius de absinthio et centaurio : *fœda pertorquent ora sapore*. — 96 Inter manus jactata, ex altera in alteram. *Fatiscit*, solvitur; vid. I, 180. — 97 Tractando, dum quis eam tractat. — 98 *Ipsa*, per se, sua vi, sine stercore aut irrigatione per rivulos. *Lætus* proprie de plantis; ut sit : justo lætiores herbas producens. — 99 « Herbis surgentibus, quarum luxuries futuris frugibus nocet. » *Serv.* — 1 Non aliis experimentis quibus eam quasi loqui et suam naturam prodere cogas. — 2 Ante ullum experimentum discere. — 3 Noxium. — 4 Nam est « taxus noxio fructu; letale quippe baccis, in Hispania præcipue, venenum inest. » *Plinius.* — 5 Ducunt ad illud frigus cognoscendum, ejus indicia præbent. — 6 *Ante* quam vitem inseras. Excoquuntur sive macerantur terræ sole, pruinis, gelu; conf. I, 66. *Excoquere* breviter pro : excoqui sinere. — 7 *Magnos*, ut significetur totum collem, quantus pateat, crebris scrobibus incidendum esse. — 8 Ligonibus inversam terram exponere aquiloni vento, ad perflandum.

Quam lætum infodias vitis genus. Optima putri
Arva [9] solo; id venti curant, gelidæque pruinæ.
Et labefacta movens robustus jugera [10] fossor.
At si quos haud ulla viros [11] vigilantia fugit,
Ante locum similem [12] exquirunt, ubi prima paretur
Arboribus seges, et quo [13] mox digesta feratur,
Mutatam ignorent [14] subito ne semina matrem.
Quin etiam cœli regionem in cortice signant,
Ut, quo quæque modo steterit, qua parte calores
Austrinos [15] tulerit, quæ terga [16] obverterit axi,
Restituant: adeo [17] in teneris consuescere multū est.
Collibus [18] an plano melius sit ponere vitem,
Quære prius. Si pinguis agros metabere [19] campi,
Densa sere [20]: in denso non segnior ubere Bacchus:
Sin tumulis acclive solum [21] collesque supinos,
Indulge ordinibus [22]; nec secius omnis in unguem
Arboribus positis secto via limite [23] quadret.
Ut sæpe ingenti bello quum longa [24] cohortes
Explicuit legio, et campo stetit agmen aperto,
Directæque acies, ac late fluctuat [25] omnis
Ære renidenti tellus; necdum horrida miscent
Prœlia, sed dubius mediis Mars errat [26] in armis:
Omnia sint paribus numeris dimensa viarum;
Non animum modo uti pascat [27] prospectus inanem,
Sed quia non aliter vires dabit omnibus æquas

9 Arva quæ sunt solo putri, putria. *Id* (ut sint putria) efficiunt venti, etc. — 10 *Jugera* hic per metonymiam de terra vineæ accipias, ut modo *arva*, mox *seges* et alia nomina proprie ad agri culturam pertinentia. *Movens*, fodiens, pastinans. — 11 Viri omnem vigilantiam adhibentes, nihil negligentes, diligentissimi. — 12 Locum qui simile solum habeat. Ibi constituantur *seminaria* vitium, *vitiaria*, et aliarum arborum nam de utrisque hoc præceptum datur. — 13 Et locum, in quem mox transferatur ordine disposita: quod per voculam *et* laxius adjungitur præcedentibus:

refertur enim ad *locum similem* Et *quo mox feratur*. — 14 Ne *semina*, id est surculi translati, terram nutrientem, subito mutatam, ignotam sibi habeant, non agnoscant eique minus adsuescant. — 15 Ab Austro sive meridie venientes. — 16 Quam partem ab Austro aversam tanquam *tergum* obviam verterit, adversam habuerit *axi*, id est polo, septentrioni. Ea omnia ut *restituant* et eodem modo constituant in novo solo. — 17 Tanta est vis consuetudinis *in teneris* sive primis vitæ temporibus sumptæ: quod dicitur etiam *a teneris*, ut hic versus sæpe citatur. — 18 Vineam plantaturus, prius considera prædii tui naturam et quære, utrum in collibus an in plano melius ibi ponatur. — 19 Metaberis ad vineam instituendam. — 20 *Densa* semina *sere*, sere dense. Vinum non segnius provenit in dense consito agro, quem poeta ideo vocat *uber*. — 21 Repete *metabere*. — 22 Multum concede ordinibus, laxiores efficiens, largiora iis spatia præbens. *Nec secius arboribus*, nec minus quam arbores positæ *in unguem*, quasi ad unguem exacto ordine, perfecto ordine et accurate dispositæ: « locutione translata a marmoratiis, qui junctura lapidum admotis unguibus probant. » *Serv.* Ponebantur autem arbores *in quincuncem*, sic :·: æque ac legio Romana in acie, cujus comparationem hunc ordinem poeta mox illustrat. — 23 *Omnis via quadret secto limite*, omnes viæ inter singulos ordines vitium relictæ inter se congruant, limite ordines dirimente (qui est ipsa illa *via*) ad hunc modum secto sive per secturam instituto. Præcipit igitur poeta, ut vinea in quincuncem plantetur et ordines vitium viis separentur, quæ paria usquequaque intervalla inter eos relinquant; et post illatam comparationem repetit: *Omnia sint dimensa paribus numeris* vel æquali mensura *viarum*. — 24 *Longa*, qualis fit sese *explicando*. — 25 *Fluctuat* fulgore, coruscat dum moventur arma. — 26 Dum fortuna belli dubia est et incerta errat inter duas acies, nondum mixtas collisu. — 27 Delectet prospectus *inanis*: hoc exspectes, hoc dixisset scriptor vulgaris: at poeta epitheton ad ipsum animum refert, cui externæ speciei gratia quædam ad voluptatem capiendam sufficit, animum levem et vana rerum sectantem.

Terra, neque in vacuũ[28] poterunt se extendere rami.
Forsitan et scrobibus quæ sint fastigia[29] quæras.
Ausim vel tenui vitem committere sulco;
Altior[30] ac penitus terræ defigitur arbos,
Æsculus in primis, quæ quantum vertice ad auras
Ætherias, tantum radice in Tartara[31] tendit.
Ergo non hiemes illam, non flabra, neque imbres[32]
Convellunt: immota manet, multosque nepotes,
Multa virûm volvens[33] durando sæcula vincit;
Tum fortes late ramos et brachia tendens
Huc illuc, media ipsa[34] ingentem sustinet umbram.
Neve tibi ad solem vergant vineta cadentem;
Neve inter vites corylum[35] sere; neve flagella
Summa pete[36], aut summas defringe ex arbore plantas
(Tantus amor terræ!); neu ferro læde retunso
Semina[37]; neve olea silvestres insere truncos:
Nam sæpe incautis pastoribus excidit ignis,
Qui furtim pingui primum sub cortice[38] tectus
Robora comprendit, frondesque elapsus in altas
Ingentem cœlo[39] sonitum dedit: inde secutus
Per ramos victor perque alta cacumina regnat,
Et totum involvit flammis nemus, et ruit[40] atram
Ad cœlum picea crassus caligine[41] nubem;
Præsertim si tempestas a vertice[42] silvis
Incubuit, glomeratque ferens[43] incendia ventus.
Hoc ubi[44], non a stirpe valent, cæsæque reverti
Possunt atque ima similes revirescere terra;
Infelix superat[45] foliis oleaster amaris.
Nec[46] tibi tam prudens quisquã persuadeat auctor
Tellurem Borea rigidam spirante movere[47].
Rura gelu tum claudit hiems, nec semine jacto

— 28 In aerem liberum. — 29 Quæ altitudo, id est profunditas; vide not. 50 Eclogæ IV. — 30 Altius. — 31 In profundum terræ. Versus repetiti de quercu *Æn.* IV, 445-6. — 32 Torrentes ex imbribus collecti. — 33 *Volvi* de tempore dicitur ob sidera volventia, quibus indicatur. Strue: Æsculus durando vincit multos nepotes et multa virorum sæcula (nobis *generations*), ea *volvens* et alterum ex altero transigens. — 34 *Ipsa* oppositum *ramis*: truncus, qui est tanquam arbor ipsa, sustinens *umbram*, id est, frondes umbram late facientes. — 35 Alimenta viti auferentem radicibus late serpentibus. — 36 Ad plantandum noli petere, sive sumere, summa *flagella*, id est summos ramulos vitium, vel sarmentorum cacumina; neque etiam ex arbore decerpas ramulos summos ad inserendum. Sic Plinius quoque hæc intellexit, *Hist. nat.* XVII, c. 14: « Virgilius ex cacumine inseri vetat; certumque est, ab *humeris* arborum [quod paullo ante *medium* vocat] orientem æstivum spectantibus surculos petendos. » Ibi enim succus est copiosior et validior: quod Virgilius, ut poeta, terræ matris propinquitati tribuit. — 37 Surculos plantandos vel inserendos, qui acutissima falce recidendi sunt. Deinde vetat ne oleam inseras trunco silvestrium olearum sive oleastrorum. Nota duplicem structuram, *insero oleam oleastro* (dativo) et *olea* (ablativo) *insero oleastrum*, sententia eadem. — 38 *Cortice* oleæ, pinguis arboris. *Robora*, truncum. — 39 Ad cœlum. — 40 Active: volvit, agit. — 41 *Crassus caligine*, crassum et caliginosum fumum agens. — 42 Ex alto, de cœlo. — 43 Ventus incendia proferens vel latius ferens facit ut, correptis semper proximis arboribus, unum ingens incendium fiat. Hoc indicatur verbo *glomerat*; conf. I, 323, not. 12. — 44 *Hoc ubi*, supple *fit* vel *accidit*: tum oleæ non valent *a stirpe*, id est, radice et ima stirpe invalidæ sunt, non oleam jam, sed oleastrum gignentes: ita periit totum olivetum. *Cæsæ*, præciso sive acciso trunco partim combusto. *Que*, post *non*, est *neque*. — 45 Superest, superstes est. *Infelix*, infœcundus; contra oliva *felix*, *Æn.* VI, 230. — 46 Hinc poeta de tempore serendarum vitium præcipit. *Tam prudens*, scilicet ut hoc tibi persuadere possit. *Auctor* est qui consilium dat. — 47 *Movere* aratro, rastris, ligone, sarculo.

Concretam [48] patitur radicem affigere terræ.
Optima vinetis satio, quum vere rubenti [49]
Candida venit avis [50] longis invisa colubris,
Prima vel autumni sub frigora, quum rapidus Sol
Nondum hiemē [51] contingit equis, jam præterit æstas.
Ver adeo [52] frondi nemorum, ver utile silvis;
Vere tument terræ et genitalia semina poscunt.
Tum pater omnipotens fœcundis imbribus Æther [53]
Conjugis in gremium lætæ descendit, et omnes
Magnus alit, magno commixtus corpore [54], fœtus.
Avia tum resonant avibus virgulta canoris,
Et venerem certis repetunt armenta diebus [55];
Parturit almus ager, Zephyrique tepentibus auris
Laxant arva sinus; superat [56] tener omnibus humor;
Inque novos soles [57] audent se germina tuto
Credere; nec metuit surgentes pampinus Austros [58],
Aut actum cœlo magnis Aquilonibus imbrem [59];
Sed trudit gemmas, et frondes explicat omnes.
Non alios [60] prima crescentis origine mundi
Illuxisse dies, aliumve habuisse tenorem
Crediderim: ver illud erat, ver magnus agebat
Orbis, et hibernis parcebant flatibus [61] Euri,
Quum primæ lucem pecudes hausere, virumque
Terrea progenies duris [62] caput extulit arvis,
Immissæque feræ silvis, et sidera cœlo.
Nec res hunc teneræ [63] possent perferre laborem,
Si non tanta quies [64] iret frigusque caloremque
Inter, et exciperet [65] cœli indulgentia terras. [agros,

Quod superest, quæcumque premes [66] virgulta per
Sparge fimo pingui, et multa memor occule terra;
Aut lapidem bibulū [67] aut squalentes infode conchas:
Inter enim labentur aquæ, tenuisque subibit
Halitus, atque animos tollent [68] sata. Jamque reperti

48 Iliems non patitur radices surculorum; de surculis etenim positis intelligendum *semine jacto*, ut supra not. 14; concrescere cum terra eique affigi vel se affigere. Sed *affigere* quum non reperiatur usquam neutro sensu dictum, fortasse ita potius erit struendum: hiems *non patitur radicem affigere terræ* se *concretam* gelu. — 49 *Rubenti*, ob flores quos ver agit et aperit; sicut infra IV, 306 • ante veris adventum • exprimitur hisce: *Ante novis rubeant quam prata coloribus*. — 50 Ciconia, quam serpentes vorare constat. — 51 *Hiemem* hoc loco de zodiaci signis hiemalibus, quæ Sol hiemis tempore intrat. — 52 *Adeo* indicat sententiam augeri et amplificari iis quæ sequuntur. *Nemora* intellige de cultis arboribus et plantis. — 53 Pulchra fictio de connubio Jovis vel Ætheris cum Terra apud Æschylum primum invenitur: unde duxit Lucretius II, 251: *pereunt imbres, ubi eos pater Æther In gremium matris Terrai præcipitavit;* et ex hoc Virgilius. — 54 *Corpore* Terræ. — 55 *Certis diebus*, inter æquinoctium vernum et solstitium. — 56 Abundat. — 57 *In novos soles* (in lumen ipsis novum) prodire et *se* iis *credere*: brevitas virgiliana jam aliquoties observata. — 58 Vide not. 55 Eclogæ II. — 59 Frigidum imbrem. — 60 *Alios* ac vernos dies. Lactantius: • Non erant, inquiunt, in principio mundi hiems et æstas, sed perpetua temperies et *ver* æquabile. • Quam æquabilitatem statim exprimit vox *tenor*. — 61 Id est: non flabant; ut *Æn.* I, 257: *parce metu*, ne metue. — 62 Nondum cultu mitigatis. *Terrea*, quia primi homines e terra nati esse credebantur. — 63 *Res teneræ*, intellige novas frondes, gemmas, novas sata, etc. Laborem *hunc*, quem deinceps et diu experiuntur frigore, æstu, ventis, etc. — 64 Ipsum ver dicit, tempus quietum et securum, intercedens inter frigora hiemis et calores æstatis. — 65 Benigne tractaret, foveret clementia cœli. — 66 Quoscumque surculos deprimes, defiges in terra, plantabis. — 67 Lapidem arenarium, velut pumicem. *Infode* cum surculis. Deinde tmesis pro *interlabentur enim*. — 68 Poetice de vigore quo efflorescent.

Qui saxo super[69] atque ingentis pondere testæ
Urgerent : hoc effusos munimen ad[70] imbres ;
Hoc[71], ubi hiulca siti findit Canis æstifer arva.
Seminibus positis, superest diducere terram
Sæpius ad capita[72], et duros jactare bidentes ;
Aut presso exercere solum sub vomere, et ipsa
Flectere luctantes inter vineta[73] juvencos ;
Tum[74] læves calamos, et rasæ hastilia virgæ,
Fraxineasque aptare[75] sudes, furcasque valentes,
Viribus eniti quarum et contemnere ventos
Adsuescant, summasque sequi tabulata[76] per ulmos.
Ac dum prima novis adolescit frondibus ætas,
Parcendum teneris ; et dum se lætus ad auras
Palmes agit, laxis per purum[77] immissus habenis,
Ipsa[78] acie nondum falcis tentanda, sed uncis
Carpendæ manibus frondes, interque legendæ[79].
Inde ubi jam validis amplexæ stirpibus ulmos
Exierint[80], tum stringe comas, tum brachia tonde :
Antè reformidant ferrum ; tum denique dura
Exerce imperia, et ramos compesce fluentes[81].
Texendæ sæpes etiam, et pecus omne tenendum[82].
Præcipue dum frons tenera imprudensque[83] laborum :
Cui, super[84] indignas hiemes solemque potentem,
Silvestres uri[85] assidue capræque sequaces
Illudunt[86] ; pascuntur oves avidæque juvencæ.
Frigora nec tantum cana concreta[87] pruina,
Aut gravis incumbens scopulis[88] arentibus æstas,
Quantum illi nocuere greges, durique venenum
Dentis, et admorso signata in stirpe cicatrix.
Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris
Cæditur, et veteres[89] ineunt proscenia ludi,

69 Adverbium : desuper. *Atque* non dictum pro *aut*, sed struendum : reperti sunt qui saxo urgerent (surculos) et (qui) testâ (urgerent). — 70 Adversus. — 71 *Hoc*, repete *est munimen*. *Canis*, Sirius, sidus canicularium dicrum. *Hiulca*, epitheton ductum ex eo quod verbo (*findit*) exprimitur, ut sæpe apud poetas. — 72 Ad extrema plantæ, circa radicem. Sic et Cato, eadem voce usus : *Circum capita addito stercus; circum capita sarrito.* — 73 Inter ordines vitium. Nam « ubi lætissimo solo (Columella inquit) vitis amplo incremento consurgit, more novalium terra transversis adversisque sulcis proscindatur. » — 74 *Tum* (repete *superest*) *aptare cal.*, etc. Quæ vocatur *pedatio* et *jugatio* vitium. — 75 Ita ut convenit apparare. — 76 *Tabulata* dicuntur rami ulmorum ita accisi, ut in iis quasi per tabulata (*etages*) vites gradatim altius altiusque ascendant. Post hæc poeta præcipit de *putatione* seu *pampinatione*. — 77 *Purum*, neutro : per aerem ; ut *in vacuum*, supra not. 28. *Laxis* sive laxatis *habenis*, id est celeriter, metaphora ab equitatione petita. — 78 *Ipsa*, videlicet *prima ætas* illa, id est teneræ frondes. — 79 Per intervalla legendæ sive decerpendæ, ita ut magna pars relinquatur. — 80 In altum se sustulerint. *Comas*, frondes ; *brachia*, ramulos e pampino protensos. — 81 Luxuriantes. — 82 Continendum, arcendum a vinea. — 83 Dum tenera est adhuc et ignara atque impatiens rerum, quibuscum ei confligendum erit, noxiarum. Confer notam 63. — 84 Præter. *Indigna* dicuntur quæ quis immerito patitur : proinde dura, sæva. — 85 « *Uri* (inquit Macrobius) Gallica vox est, qua feri boves significantur. » Vulgo dicti bubali, hodieque Italis *bufali*, non confundendi cum uris illis Hercyniæ silvæ, quos narrat Cæsar. *Sequaces*, quæ sequi solent res sapore jucundas, hinc vitibus insidiantes. — 86 Officiunt, nocent, adjuncta petulantiæ notione. *Pascuntur* eam (frondem) *oves* ; nam hoc casu solet Virgilius. — 87 Frigora *concreta* dicuntur per eum morem, quo poetæ tanquam epitheta rebus tribuunt effectus earum, ut *pallida mors*, *tarda senectus*, etc. : sic frigus, quod efficit ut ex humore pruina concrescat, ipsum dicitur *concretum pruina*. — 88 Saxis sive cautibus collium. — 89 Veteres ludi eunt in *proscenia* (scenæ partem anteriorem, in quam prodibant actores), id est, intro-

Præmiaque ingeniis pagos et compita circum[90]
Thesidæ posuere, atque inter pocula læti
Mollibus in pratis unctos saluere per utres[91].
Nec non Ausonii[92], Troja gens missa, coloni
Versibus incomptis[93] ludunt risuque soluto,
Oraque corticibus sumunt horrenda[94] cavatis,
Et te, Bacche, vocant per carmina læta, tibique
Oscilla[95] ex alta suspendunt mollia pinu.
Hinc omnis largo pubescit[96] vinea fœtu;
Complentur vallesque cavæ, saltusque profundi,
Et quocumque deus circum caput egit[97] honestum.
Ergo rite suum Baccho dicemus honorem[98]
Carminibus patriis, lancesque[99] et liba feremus;
Et ductus cornu stabit sacer hircus ad aram,
Pinguiaque in verubus torrebimus exta colurnis[1].

Est etiam ille labor curandis vitibus alter, [nis.
Cui nunquam exhausti[2] satis est: namque omne quotan-
Terque quaterque solum scindendum, glebaque versis[3]
Æternum frangenda bidentibus; omne levandum
Fronde nemus[4]. Redit agricolis labor actus[5] in orbem,
Atque in se sua per vestigia volvitur annus.
Ac jam olim, seras posuit[6] quum vinea frondes,
Frigidus et silvis Aquilo decussit honorem[7],
Jam tum acer curas venientem extendit in annum
Rusticus, et curvo Saturni dente[8] relictam
Persequitur vitem attondens, fingitque[9] putando.
Primus humum fodito, primus devecta[10] cremato
Sarmenta, et vallos primus sub tecta referto;
Postremus metito. Bis vitibus ingruit umbra[11];

ducuntur in scenam ludi antiquitus instituti, ludi scenici, qui τραγῳδία dicti, ab ᾠδή, *cantus*, et τράγος, *caper*, vel ob immolatum eo festo caprum, vel quia caper in præmium cedebat poetæ victori; etenim *Carmine* hic *tragico vitem certavit ob hircum*, ut Horatius ait. — 90 Olim ruri post vindemiam Dionysiis ruralibus et Lenæis (torcularium festo) illi ludi agebantur a poetis, qui pagos circumibant et in compitis plaustra pro scena statuebant. *Thesidæ*, Thesei filii et posteri, Attici. — 91 Eorundem Dionysiorum ruralium ludus, ἀσκωλιασμός dictus, ab ἀσκός, *uter*: quo saliebant uno pede *per utres*, id est deinceps in utres plures, inflatos atque oleo unctos. Cadentes risus sequebatur. — 92 *Coloni* (id est homines rustici) *Ausonii*, Italici, ab antiquo nomine Italiæ, sed hic ob insequentem appositionem de Latinis et Romanis intelligendum. — 93 Impolitis, rudibus. — 94 Personas sive larvas prægrandes, e cortice factas. — 95 *Oscilla* (larvulæ) sunt imaguncula caput Bacchi referentes; *mollia*, contractum ex *mobilia*, quæ ex arboribus suspensa per auram huc atque illuc converterentur: unde fœcunditatis omen campis quos aspiciebant oscilla. De quibus multa apud Servium. — 96 Adolescit, floret, exuberat. *Complentur* fœtu, ubere fructu. — 97 Circumegit et convertit caput oscillo expressum. *Honestum*, formosum. — 98 Laudes debitas. — 99 *Lances* quæ *saturæ* vocantur, variarum frugum primitiis onustas. — 1 *Colurnis* per metathesin pro *corulnis*, quod insuavioris soni: ex corulo vel corylo factis. — 2 • *Exhausti*, exhaustionis, finitionis; quod quia asperum visum est, ait *exhausti*. • *Serv.* Labor qui nunquam satis exhauriri potest. — 3 Bidentibus inversis, ita ut utaris aversa parte bidentis sive tergo, quod dentes non habet. — 4 *Nemus* de vinea, frondibus quasi exoneranda, putanda. — 5 Labor peractus redit, mox denuo agendus, ut in orbe revolvimur in eundem locum; quod statim disertius exponit. *Annus*, id est annua opera, quasi sua semper vestigia legens, circulo in se ipse agitur et usque redintegratur. — 6 Deposuit, amisit. — 7 Decus, ornatum, de frondibus. — 8 Falce, quam gestans ab artificibus fingebatur Saturnus. *Relictam*, frondibus jam nudatam. — 9 Formal, talem efficit qualis esse debet. — 10 Resecta et ex vinea ablata, ut supra v. 207 : *unde silvam* (cæsam) *devexit arator*. *Valli* sunt pedamenta, quibus vites alligatæ fuerant. — 11 Igitur bis in anno pampinandum, vere et autumno.

Bis segetem densis obducunt sentibus herbæ [12] :
Durus uterque labor. Laudato [13] ingentia rura ;
Exiguum colito. Nec non etiam aspera rusci [14]
Vimina per silvam, et ripis fluvialis arundo
Cæditur, incultique exercet [15] cura salicti.
Jam vinctæ vites; jam falcem arbusta [16] reponunt ;
Jam canit effectos extremus [17] vinitor antes :
Sollicitanda [18] tamen tellus, pulvisque movendus [19],
Et jam maturis metuendus Juppiter [20] uvis.
Contra non ulla est oleis cultura ; neque illæ
Procurvam exspectant falcem rastrosque tenaces [21],
Quum semel hæserunt [22] arvis, aurasque tulerunt ;
Ipsa satis [23] tellus, quum dente recluditur unco,
Sufficit humorem, et gravidas, quum vomere, fruges.
Hôc [24] pinguem et placitam Paci nutritor olivam.
Poma [25] quoqe, ut primum truncos sensere valentes
Et vires habuere suas, ad sidera raptim
Vi propria nituntur, opisque haud indiga nostræ.
Nec minus interea fœtu nemus omne [26] gravescit,
Sanguineisque inculta rubent aviaria [27] baccis.
Tondentur cytisi ; tædas silva alta ministrat,
Pascunturque [28] ignes nocturni et lumina fundunt.
Et [29] dubitant homines serere atqe impendere curam !
Quid majora sequar [30] ? Salices, humilesque genestæ,
Aut illæ pecori frondem, aut pastoribus umbras
Sufficiunt, sæpemque satis et pabula melli [31].
Et juvat undantem buxo spectare Cytorum [32],
Naryciæque [33] picis lucos ; juvat arva videre
Non rastris hominum, non ulli obnoxia curæ [34].
Ipsæ Caucasio steriles in vertice silvæ,
Quas animosi Euri assidue franguntque feruntque [35],

12 Igitur bis est runcandum. — 13 *Laudato*, ut Hesiodus v. 643 αἰνεῖν : utrumque verbum honestam recusationem exprimit, ut alias *Benigne* (sc. facis)! Quod præceptum commendat et Columella : *Nec dubiumest*, ait, *quin minus reddat magnus ager non recte cultus quam angustus eximie* (repete *cultus*). — 14 Nos *houssons* sive *houx*. Supple *cæduntur*, ad vincula quibus alligentur vites et arbusta. — 15 *Exercet* vinitorem ; nam colligendæ et in virgas cædendæ sunt salices, per se *incultæ*, sine cultu provenientes. — 16 *Arbusta* jam putata, *falcem reponunt*, proprie vinitorem sinunt reponere falcem. — 17 *Extremus* dicitur ut ad extremos fines vineæ progressus vites putando et vinciendo. *Effecti antes*, ordines vitium quasi elaborati, quibus adhibendus labor jam est perfectus et ad finem adductus. — 18 Iterum tamen fodienda. — 19 Quæ vocatur *pulveratio*. — 20 Aer, cœli temperies. — 21 *Tenaces*, quia telluri immissi glebas secum trahunt. Sic fere Servius ; sed melius alii : assiduos rastros, assiduum eorum usum, qualem vites requirunt. — 22 E seminario transplantatæ radices fixerunt in agro. *Auras*, ventos. — 23 Dativus : arboribus, oleis. *Dente unco*, bidente. Post *vomere* repetas *recluditur*. Nam arabantur oliveta. — 24 Propterea. *Nutritor* antique dictum pro : nutrito, ut docet Priscianus. Oliva notum insigne pacis ; vide *Æn.* VIII, 116. — 25 *Poma* hic de arboribus, quæ vulgo *pomi*, ut *corna* vidimus v. 34 pro *corni*. — 26 Silvestres arbores. — 27 « Secreta nemorum, quæ aves frequentant. *Baccas* autem rubras, accipimus poma silvestria. » *Serv.* — 28 Dici poterat : tædas, *unde* pascuntur ignes ; sed poeta liberum esse maluit alterum membrum. — 29 In talibus eadem vocula nos quoque utimur cum vi. Similis versus *Æn.* VI, 807. — 30 Persequar, enumerem. Quid majores arbores recenseam, quum etiam minores suum habeant usum ? quem jam exponit. *Genestæ*, v. initio n. 12. — 31 Apibus in mel. — 32 Montis Paphlagoniæ nomen, ad Pontum Euxinum, buxo abundantis. — 33 *Naryx* sive *Naryeium*, Locrorum Opuntiorum oppidum : unde olim deducta colonia *Locros* in Bruttiorum agro condidit. Celebratur *pix Bruttia*, quam poeta indicat doctius. *Arva*, nimirum silvis consita. — 34 « Non debitricia, nihil labori nostro debentia. » *Serv.* — 35 Differunt, decussos ramulos

Dant alios aliæ fœtus[36], dant utile lignum,
Navigiis pinos, domibus cedrumque cupressosque.
Hinc[37] radios trivere rotis, hinc tympana plaustris
Agricolæ, et pandas ratibus posuere carinas.
Viminibus salices fœcundæ, frondibus[38] ulmi;
At myrtus validis hastilibus et bona[39] bello
Cornus; Ituræos[40] taxi torquentur in arcus.
Nec[41] tiliæ læves aut torno rasile buxum
Non formam accipiunt ferroque cavantur acuto;
Nec non et torrentem undam levis innatat alnus[42],
Missa Pado; nec non et apes examina condunt
Corticibusque cavis[43] vitiosæque ilicis alveo.
Quid memorandum æque Baccheia dona[44] tulerunt?
Bacchus et ad culpam causas dedit; ille furentes
Centauros[45] leto domuit, Rhœtumque Pholumque,
Et magno Hylæum Lapithis cratere minantem.

O fortunatos nimium, sua si bona norint,
Agricolas! quibus ipsa[46], procul discordibus armis,
Fundit humo facilem victum justissima[47] tellus.
Si non ingentem foribus domus alta superbis[48]
Mane salutantum[49] totis vomit ædibus undam;
Nec varios inhiant[50] pulchra testudine postes,
Illusasque auro[51] vestes, Ephyræïaque æra[52];
Alba neque Assyrio[53] fucatur lana veneno,

et frondes autumnales. — 36 Usus ex se, ut alibi *fructus*. — 37 Ex his arboribus. *Terere*, atterendo ac tornando conficere, tornare. Perfecta jam observavimus dici de rebus quæ solent fieri; conf. I, 49, n. 51. *Tympana* vocantur rotæ ex solidis tabulis compactæ, sine radiis; v. I, 163, n. 66. — 38 Bobus jucundo et utili cibo. — 39 Utilis ad bellum est et myrtus et cornus, valida hastilia præbentes in jacula, pila, hastas. — 40 Arcus præstantes dicit *Ituræos*, de Palæstinæ regione, quam ultra Jordanem tenebant Arabes latrones famosi, sagittis timendi. — 41 Junge *nec non tiliæ*, etiam tiliæ et buxum tornari et scalpi possunt. — 42 Vide p. 57, n. 42, *Innato* cum accusativo sæpius apud Virgilium. *Missa Pado* (dativus), de navalibus missa in Padum. — 43 Varro: *Optimæ alvi sunt corticeæ*. — 44 Vites quid nobis præstant quod cum his arborum usibus variis comparari possit? Nihilominus assidua cura coluntur vites, negliguntur arbores utilissimæ, propemodum sponte nascentes! Quam negligentiam quo gravius accuset, poeta subjicit ingentia mala quæ attulit vinum tam studiose cultum. — 45 Centauros ebrietate in furorem actos et cum Lapithis immaniter pugnantes in nuptiis Pirithoi cum Hippodamia: narrat Ovidius, *Metamorph.* XII, 210 seqq. Verum a spectaculo tam fœdo poeta vultum cito avertit ad rusticæ vitæ felicitatem, quam eximie pingit. — 46 Sponte, lubens volensque *fundit humo*, affluentem et copiosum præbet ex humo victum, qui facile paratur. Atque ipsis diis tribuitur *facilis vita*, apud Homerum: ῥεῖα ζώοντες. — 47 *Justissima*, quippe quæ creditum (semen) cum fœnore reddere solet. — 48 Ut apud Horatium *superba civium potentiorum limina*. *Foribus* junge cum *vomit*; additum præterea *totis ædibus* indicat multitudinem salutantium, quibus totæ ædes implentur. De qua memorabilis locus Senecæ *de Benef.* VI, 34: « Ad quemcumque istorum veneris, quorum salutatio urbem concutit, scito, etiamsi animadverteris obsessos ingenti frequentia vicos, et commeantium in utramque partem catervis itinera compressa, tamen venire te in locum hominibus plenum, amicis vacuum. » — 49 Primo mane, nonnunquam ante ortam auroram, clientes patronos suos salutatum ibant. — 50 Non cupiunt agricolæ habere postes sive fores domuum variegatos opere testudineo. Horatius: *Cur invidendis postibus... moliar atrium?* — 51 Vestes stragulas quibus *illusum* est aurum, id est auro pictas (*brodés en or*): *ludere* autem dicitur de artificibus animo suo et imaginationi indulgentibus et fingentibus quæ placeant. — 52 Vasa ex ære Corinthio, quod in summo pretio habebatur: ab *Ephyra*, antiquo nomine Corinthi. — 53 *Assyrius* sæpe apud poetas dictum pro *Syrius*; Syria rursus complectebatur Phœnicen: ut *Assyrium venenum* sit purpura Phœnicia. « *Veneni* autem nomine (inquit Gaius jurisconsultus) omne continetur, quod adhibitum ejus naturam, cui est adhibitum, mutat; quod Græci φάρμακον dicunt. »

Nec casia[54] liquidi corrumpitur usus olivi :
At[55] secura quies et nescia fallere[56] vita,
Dives opum variarum[57], at latis otia fundis,
Speluncæ, vivique[58] lacus, at frigida Tempe,
Mugitusque boum, mollesque[59] sub arbore somni
Non absunt. Illic saltus ac lustra ferarum,
Et patiens operum exiguoque assueta juventus,
Sacra deûm[60], sanctique patres; extrema per illos
Justitia excedens terris[61] vestigia fecit.
Me[62] vero primum dulces ante omnia Musæ,
Quarum sacra fero[63] ingenti percussus amore,
Accipiant, cœlique vias et sidera[64] monstrent,
Defectus solis varios, lunæque labores[65];
Unde tremor terris; qua vi maria alta tumescant
Objicibus[66] ruptis, rursusque in se ipsa residant;
Quid[67] tantum Oceano properent se tingere soles
Hiberni, vel quæ[68] tardis mora noctibus obstet.
Sin, has ne possim naturæ accedere[69] partes,
Frigidus[70] obstiterit circum præcordia sanguis,
Rura mihi et rigui placeant in vallibus amnes;
Flumina amem silvasque inglorius. O ubi[71] campi
Spercheosque[72], et virginibus bacchata[73] Lacænis
Taygeta! o qui[74] me gelidis in vallibus Hæmi
Sistat, et ingenti ramorum protegat umbra!
Felix qui potuit rerum cognoscere causas,

54 Non illa casia, de qua *Ecl.* II, not. 46, sed frutex arabicus [Laurus Cassia L.. cinnamomi species], cujus odoratum corticem unguentarii admiscebant oleo, quo rustici uti malebant *liquido*, limpido et puro. — 55 *At* EST agricolis etc. Verbum quinto abhinc versu positum est, *non absunt*. — 56 Vita tuta, imprævisis casibus non obnoxia; ut est vita potentium. — 57 Refer ad varietatem fructuum terræ; *latis* autem ad prospectum per apertos campos late patentem, qui angustus est in urbibus: non cogitandum enim de *latifundiis* quæ vocantur. — 58 Lacus perennes, naturales, non arte facti, quales nonnunquam operose fodiuntur a potentibus. *Tempe* plurali græco, Τέμπη, Thessaliæ illa vallis amœnissima, Peneo irrigata, nomen dedit locis ei similibus. — 59 Conf. *Eclog.* VII, not. 45. — 60 Ruri sunt *sacra deorum* eo nomine digna, quippe quæ caste et pure colantur; et patres *sancti*, quos rustici debita veneratione prosequuntur. — 61 Vide notam 6 Eclogæ IV. Dudum aulas et palatia potentium reliquerat, sed morabatur apud rusticos. — 62 Accipiant me Musæ, quibus me trado et consecro. Musæ mihi dulces præ omnibus rebus, omnium dulcissimæ: sic enim jubet ordo vocabulorum, non: *Ante omnia accipiant me*, quod alioqui satis indicatum voce *primum*. Neutro [*ante omnia*] ne offendaris, compara similia: « *nihil* mihi hoc homine dulcius, » et « dulcissime *rerum*. » — 63 Sacra deorum fert *sacerdos*. — 64 Id est, siderum cursum in cœlo. — 65 Defectus. — 66 Ob versum pro *objicibus*, molibus quæ mare cohibent. Dicit accessum et recessum [fluxum et refluxum] maris æstuantis. — 67 Quæ causa sit variæ dierum noctiumque per annum mensuræ. Quare sol cujusque diei per hiemem tantopere properet se tingere Oceano, id est occidere; vide I, 216, not. 43. — 68 Vel quæ mora obstet noctibus quin adveniant, quando sunt tardæ vel quando tarde adveniunt: quod fit æstate. Hæc omnia *philosophi* quærere solebant, quorum choro ut per Musarum favorem accedere possit, exoptat Virgilius. Tum pergit: Sin autem ad hæc cognoscenda sim ingenio haud satis subtili, rus solum mihi placeat! — 69 Assequi, attingere. — 70 Ingenium tardum et hebes *obstiterit*, *ne possim* etc. Poeta sententiam antiquo philosophemate Empedoclis involvit, animum esse censentis in sanguine cordi suffuso τὸ μέρος περιπλόῳον: qui quo sit frigidior, eo tardiora esse ingenia. — 71 Desiderantis exclamatio. — 72 Sive *Spercheus*, Thessaliæ campis suis claræ fluvius ad radices Œtæ montis labens. — 73 Passive: in quibus virgines Lacænæ bacchari, orgia Bacchi celebrare solent. *Taygeta*, pluralis a τὸ Ταΰγετον, quo nomine est montium altorum series ex Arcadia per totam Laconiam usque ad mare procurrentium. — 74 Vividius quam: o utinam me aliquis ete, *Hæmi*, v. I, 492, n. 37. *Gelidus* apud poetas non raro de frigore amœno.

Atque metus[75] omnes et inexorabile fatum
Subjecit pedibus, strepitumque Acherontis avari[76]!
Fortunatus et ille, deos qui novit agrestes,
Panaque, Silvanumque senem, Nymphasque sorores:
Illum non populi fasces[77], non purpura regum
Flexit, et infidos[78] agitans discordia fratres,
Aut conjurato[79] descendens Dacus ab Istro,
Non res Romanæ perituraque regna[80]; neque ille
Aut doluit[81] miseras inopem, aut invidit habenti.
Quos rami fructus, quos ipsa volentia rura
Sponte[82] tulere sua, carpsit; nec ferrea[83] jura,
Insanumque[84] forum, aut populi tabularia vidit.
Sollicitant[85] alii remis freta cæca, ruuntque
In ferrum, penetrant aulas et limina regum:
Hic[86] petit excidiis urbem miserosque Penates,
Ut gemma[87] bibat et Sarrano indormiat ostro;
Condit opes alius, defossoque incubat auro;

— 75 Metus ex falsis opinionibus et superstitionibus natos. — 76 Insatiabilis, omnia absorbentis. Intellige mortis metum. Beatus est philosophus : sed beatus etiam agricola. — 77 Magistratus majores, quos dat populus. Mox *flexit*, id est flectere (movere) solet, ut aliquoties diximus. — 78 Nihil ista curat rusticus, neque discordium inter fratres infidos, super qua tum multus ser-

mo erat in Urbe. Intelliguntur Phraates et Tiridates consanguinei (sic capiendum *fratres*), de Parthico regno armis inter se certantes : de quibus sic narrat Justinus XLII, 5. « Phraates victoriâ (de Antonio) insolentior redditus, quum multa crudeliter consuleret, in exsilium a populo suo pellitur..... Hoc absente regem Parthi Tiridatem constituerant : qui, audito adventu Scytharum (Phraatem reducentium), cum magna amicorum manu ad Cæsarem (Augustum), in Hispania bellum tunc temporis gerentem, profugit, obsidem Cæsari minimum filium Phraatis ferens, quem negligentius custoditum rapuerat. Quo cognito, Phraates legatos statim ad Cæsarem mittit, servum suum Tiridatem et filium remitti sibi postulat. Cæsar, et legatione Phraatis audita et Tiridatis postulatis cognitis, qui et ipse restitui in regnum postulabat; neque Tiridatem dediturum se Parthis dixit, neque adversus Parthos Tiridati auxilia daturum. Ne tamen per omnia nihil a Cæsare obtentum videretur, et Phraati filium sine pretio remisit, et Tiridati, quoad manere apud Romanos vellet, opulentum sumptum præbere jussit. Post hæc, quum in Syriam ad componendum Orientis statum venisset [*vide supra* v. 171, n. 37], metum Phraati incussit, ne bellum Parthiæ vellet inferre. » Ex his apparet in Urbe multis sermonibus jactatam fuisse discordiam illam longinquam, etiam Horatio memoratam in *Odis*, I, 26. — 79 Daci, ad sinistram ripam Istri sive Danubii in montibus habitantes, fluvium glacie obductum sæpe transibant et Romanis subjectam regionem vicinam populabantur, auxiliantibus accolis Istri; hinc *conjurato Istro*, de illis populis, qui cum Dacis conjuraverant et arma sociabant contra Romanos. — 80 Recte hæc a postremis editoribus in unum conjuncta : agricola non curat bella Romanorum cum exteris, quorum regna his armis destruuntur, pereunt, et deinceps peribunt. — 81 In modica, sed constanti fortuna constitutus agricola semper habet quantum requiritur ad vitam sustentandam : itaque ignota rure et inopia illa, qua misera plebs in urbe laborat, et invidia, quæ ex cupiditate et avaritia nascitur. *Habenti*, absolute dictum : diviti. — 82 Observa poetam per tria vocabula insistentem notioni eidem, utpote gravissimæ et rusticam vitam esse omnium *innocentissimam* demonstranti. — 83 Rigida, inflexibilia. — 84 Forum insano clamore litigantium perstrepens. In *tabulario* publico (quod Romæ erat in atrio [templi] Libertatis) servabantur tabulæ redemptionum, quibus populus publicanis concedebat jus suum in vectigalia, portoria, pascua, etc. : hæc enim colligebantur per publicanos, qui a populo conduxerant. Ista igitur *tabularia* nunquam vidit agricola : adeo est *procul negotiis!* — 85 Sensus : Alii expeditiones in longinquas terras faciunt, regna eversuri, *Cæca*, plena casuum incertorum, periculorum improviso accidentium. — 86 Alius in sua urbe bellum civile excitat, ut in fastuosa superbiat luxuria. — 87 Poculo ex magna gemma facto; immensi, ut apparet, pretii. *Sarrano*, Tyrio, de antiquo nomine urbis *Sarra*, « a pisce quodam, qui illic abundat, quem lingua sua *sar* appellant. » *Serv.* Utrumque nomen ex hebraico *Tsor*.

Hic[88] stupet attonitus rostris; hunc[89] plausus hiantem
Per cuneos geminatus enim[90] plebisque patrumque
Corripuit: gaudent[91] perfusi sanguine fratrum,
Exsilioque domos et dulcia limina mutant,
Atque alio patriam quærunt sub sole jacentem.
Agricola incurvo terram dimovit aratro:
Hic anni labor[92]; hinc patriam parvosque nepotes
Sustinet, hinc armenta boum meritosque juvencos.
Nec requies quin[93] aut pomis exuberet annus,
Aut fœtu pecorum, aut Cerealis mergite[94] culmi.
Proventuque oneret sulcos atque horrea vincat[95].
Venit[96] hiems: teritur Sicyonia bacca trapetis:
Glande sues læti[97] redeunt; dant arbuta silvæ:
Et varios ponit[98] fœtus autumnus, et alte
Mitis in apricis coquitur vindemia saxis.
Interea dulces pendent circum oscula[99] nati;
Casta pudicitiam servat domus; ubera vaccæ
Lactea demittunt, pinguesque in gramine læto
Inter se adversis luctantur cornibus hædi.
Ipse[1] dies agitat festos, fususque per herbam,
Ignis ubi in medio[2] et socii cratera coronant,
Te, libans, Lenæe, vocat, pecorisque magistris
Velocis jaculi certamina ponit[3] in ulmo:
Corporaque agresti nudant[4] prædura palæstræ
Hanc olim veterès vitam coluere Sabini[5],
Hanc Remus et frater; sic[6] fortis Etruria crevit
Scilicet, et rerum facta est pulcherrima Roma,
Septemque una sibi muro circumdedit arces[7].
Ante etiam sceptrum Dictæi[8] regis, et ante
Impia[9] quam cæsis gens est epulata juvencis,

— 88 Alius abripitur summa admiratione eloquentiæ forensis, quæ ex *Rostris* auditur. — 89 Alius plausu populi in theatris dato capitur et cupit haberi gratiosus apud populum. *Hiantem*, quali ore excipit delectabilem plausum, cuiinhiat quem, ipso conspecto, *plebs et patres*, plebeii et patricii *per cuneos*, sive cuneatim, sedentes in theatro dant et geminant. Sic *populus frequens lætum theatris* TER *crepuit sonum* Mæcenati, apud Horat. II, *od.* 17. — 90 *Enim* per delicatam ironiam adjunctum voci *geminatus* idem fere sonat quod scilicet, videlicet, ut facile cogitaveris, ut par erat; sed (sicut dictum) delicatius. — 91 In urbe (quod tota series orationis docet) homines *gaudent perfusi*, græca syntaxi pro *perfundi*: qui furor sceleris et parricidii prorsus ignotus rusticis; itemque exsilia, quibus nihil frequentius erat in tot subitis conversionibus rerum publicarum. — 92 Annuum opus agricolæ. *Patriam*, omnes cives. — 93 Id est: semper. — 94 *Merges* est manipulus spicarum mergis (furculis messoriis) comprehensus. — 95 Superet, excedat horrea, utpote non satis capacia: conf. I, 49, n. 51. — 96 Verte: *vient-il*. Non raro sic poetæ, omisso *si* vel *quum*. Oliva dicitur *bacca Sicyonia*, a copia et præstantia olearum agri Sicyonii, Achaiæ urbis, non longe dissitæ a Corintho. — 97 Satiati. Quamquam alii jungunt: *redeunt* (a) *glande*, ex silvis a glandium pastu. *Arbuta*, vide not. 83 Eclogæ III. — 98 Deponit, ut supra not. 6, humi ponit, de pomis maturis ex arbore decidentibus. — 99 Circum ora osculantia sive osculantium parentum. — 1 Dominus prædii, ad quem procuratio sollemnium pertinebat: ille suis præest in festis rusticis, quorum unum describit poeta, quod peracta vindemia in honorem Bacchi celebrabatur. *Festis*, stratus. — 2 *In medio*, ubi posita ara. *Socii* operis rustici craterem vini *coronant*, fronde et floribus redimiunt. *Lenæe*, vide initio libri, n. 4. — 3 Instituit *in ulmo*, cui affixum est quod certantes jaculo petere debent. — 4 *Nudant* socii, pecoris magistri *Palæstræ*, ad palæstram sive luctam ineundam. — 5 De quibus conf. Horat. *Od.* III, 6, postremis strophis; plura autem de prisca illa vita vide in *Æn.* IX, 603 seqq. — 6 Per agricolturam Etrusci potentes facti sunt. *Rerum*, omnium quæ exstant. — 7 Montes, colles; vide I, 240, n. 39. — 8 Ante imperium Jovis, in Dicte monte Cretæ nati. — 9 Et antequam homines carnibus vescerentur, inpri-

Aureus[10] hanc vitam in terris Saturnus agebat;
Necdum etiam audierant inflari classica[11], necdum
Impositos duris crepitare[12] incudibus enses.
Sed nos immensum spatiis confecimus æquor[13];
Et jam tempus equûm fumantia solvere[14] colla.

mis *impia* cæso bove: nam bovis tanta fuit apud antiquos veneratio, ut tam capitale esset bovem necuisse quam civem, ut loquitur Columella in præfat. libri VI. — 10 Saturnus per aureum sub ipso ævum, de quo multa in Ecloga IV. — 11 Classica cani inflatâ tubâ aut buccinâ. — 12 *Crepitare* dum procuduntur. — 13 Campum immensum percucurrimus; figurate de carmine copiosi argumenti. — 14 *Solvere* jugo, de jugo eximere colla, et ipsos equos quieti dare.

LIBER III

Te quoque, magna Pales[1], et te, memorande, canemus,
Pastor ab Amphryso[2]; vos, silvæ amnesque Lycæi[3].
Cetera, quæ vacuas[4] tenuissent carmine mentes,
Omnia jam vulgata: quis aut Eurysthea[5] durum,
Aut illaudati[6] nescit Busiridis aras?
Cui non dictus Hylas puer[7], et Latonia Delos,
Hippodameque[8], humeroque Pelops insignis eburno,
Acer equis? Tentanda via est, qua me quoque possim
Tollere humo, victorque virûm volitare per ora[9].
Primus ego in patriam[10] mecum, modo vita supersit,
Aonio[11] rediens deducam vertice Musas;
Primus Idumæas[12] referam tibi, Mantua, palmas;
Et viridi in campo templum de marmore ponam
Propter aquam[13], tardis ingens ubi flexibus errat

1 Dea ruris, de qua vide not. 28 Eclogæ V, ibidemque not. 29 de *Apolline* Νομίῳ s. *Pascuo*. — 2 *Ab Amphryso* idem est quod *Amphrysius*, sicut apud Ovidium *ales ab Indis* pro *Indica*. Ad Amphrysi, Thessaliæ fluvii, ripas Apollo boves Admeti regis paverat, quæ satis nota fabula est. *Vos*, repete *canemus*. — 3 Montis Arcadiæ, qui Pani deo sacer; confer *Ecl.* X, n. 13. — 4 Otiosas. Pleraque materies carminum ab aliis jam præoccupata est. — 5 Mycenarum regem, qui Herculi duodecim labores imperavit. — 6 « *Illaudatus* (inquit A. Gellius) est quasi *illaudabilis* et *inominabilis*, qui neque mentione aut memoria ulla dignus, neque unquam memorandus est », Homero οὐκ ὀνομαστός, crudelissimus ille rex Ægypti, Neptuni filius, qui advenas omnes mactabat. — 7 Vide *Ecl.* VI, not. 43. *Cui*, a quo, et *dicere*, canere, poetis in frequenti usu. Delus insula vaga ante partum Latonæ. — 8 Hippodame vel Hippodamia, OEnomai regis Pisæ in Elide filia. Pelopem Tantalus pater diis epulandum apposuerat: quo animadverso Jupiter eum vitæ restituit et humerum, jam a Cerere absumptum, ex ebore refecit; vid. Ovid. *Metamorph.* VI, 403-411. Idem Pelops, *acer equis*, quadrigis certavit cum OEnomao et victor duxit Hippodamiam. — 9 Veteris Ennii hemistichium: *volito vivu' per ora virûm. Victor*, « effector propositi et voti. » *Serv.* — 10 Mantuam. Sensus: primus ego Mantuanorum ero poeta. — 11 A *vertice Aonio*, monte Helicone in Bœotia; vide not. 63 Eclogæ VI. — 12 Idume sive Idumæa, regio meridionalis Palæstinæ, et tota Palæstina palmis abundat. — 13 Prope sive ad aquam, Mincium; vide *Ecl.* VII, 12 sq., not. 11, et *Ecl.* I, not. 47. Qui victores ex ludis sollemnibus palmas referebant in patriam, sæpe aram, sacellum, templum ponebant deo, cu-

Mincius et tenera prætexit arundine ripas.
In medio mihi Cæsar[14] erit, templumque tenebit.
Illi[15] victor ego et Tyrio conspectus in ostro
Centum quadrijugos agitabo ad flumina[16] currus;
Cuncta[17] mihi, Alpheum linquens lucosque Molorchi,
Cursibus et crudo[18] decernet Græcia cæstu:
Ipse, caput tonsæ foliis ornatus olivæ,
Dona[19] feram. Jam[20] nunc sollemnes ducere pompas
Ad delubra juvat, cæsosque videre juvencos:
Vel[21] scena ut versis discedat frontibus, utque
Purpurea intexti tollant[22] aulæa Britanni.
In foribus[23] pugnam ex auro solidoque elephanto
Gangaridûm[24] faciam, victorisque arma Quirini:
Atque hic[25] undantem bello magnumque fluentem
Nilum, ac navali[26] surgentes ære columnas:
Addam urbes Asiæ domitas, pulsumque Niphaten[27],
Fidentemque fuga[28] Parthum versisque sagittis,
Et duo rapta manu diverso[29] ex hoste tropæa.

jus numini propitio tribuebant victoriam suam. Ejusmodi nunc honorem Virgilius vovet Cæsari Augusto. — 14 Statua Cæsaris. — 15 In illius honorem ego *victor*, qui carminis palmam et gloriam in patriam retulerim, ludos curules edam, in quibus centum quadrigæ mittentur. Ipse poeta ludis præsidebit purpurea veste conspicuus: intelligitur toga prætexta, qua induti magistratus Romani ludis præsidebant. — 16 In campis quos Mincius perlabitur. Centenarius autem numerus frequens in rebus sacris, ad quas pertinent certamina sollemnia. — 17 Construe: *cuncta Græcia decernet mihi*, in meis ludis decertabit, relinquens suos ludos Olympiacos et Nemeæos. Alpheus fluvius Olympiam præterlabitur. *Molorchus* pastor olim Herculem hospitio excepisse fertur, quum interempto leone Nemeæo ludos Nemeæos vel institueret vel instauraret: hinc poeta lucum, in quo Nemeæa celebrabantur, illius nomine indicat. — 18 Cæstu e corio crudo facto. — 19 *Dona* diis *feram*, sacra faciam. Sacrificantes autem oleagineam coronam gestabant, quod etiamnum cernitur in anaglyphis. *Tonsæ*, « comptæ, minutis foliis compositæ (post detonsa sive decerpta majora folia). » *Serv.* — 20 Sensus: Jam nunc inire ludos juvat. Solebant autem, antequam ludi Circenses inirentur, deorum signa ex Capitolio feretris in Circum deferri *pompâ sollemni*. — 21 *Vel* videre *ut* (quomodo *scena* vertatur ad ostendendas binas partes oppositas. Loquitur de ludis scenicis, agendis in scena *versatili*, quæ primum anticam partem sive *frontem* exhibet; deinde, ubi procedente fabula mutatio loci fit necessaria, machinâ convertitur, ut hæc scena *discedat* et pars postica, *frons* nova, spectatoribus obvertatur. — 22 Peracto ludo scenico aulæum non, ut apud nos, demittebatur, sed sursum *tollebatur*, in ima parte, non in superiore fixum. Intextæ autem erant aulæis imagines populorum devictorum, vel quos Romani pro devictis habebant, ut Britannos, qui tum ab Augusto per legatos pacem petiverant. Hæ imagines, dum tollebatur aulæum, sensim in conspectum venientes et sese erigentes, ipsæ tollere aulæum videbantur; ita graphice dictum *tollant Britanni*, quocum confer Ovidianos versus in *Metamorph.* III, 111-114. — 23 *In foribus* templi in Augusti honorem condendi. *Elephanto*, ebore. — 24 *Gangaridarum*, gentis Indicæ ad ostia Gangis fluvii: quo nomine, extremorum uno, in universum Orientis populos indicat, ut II, 172, n. 37, nomine *Indorum*. *Quirinum* vero appellat Augustum tanquam Romulum alterum alterumque Urbis conditorem: nomen ab Senatu ei oblatum. — 25 *Atque hic*, nimirum in altera forium parte, in altera valva, faciam Nilum undantem *bello*, quippe in quo Antonius et Cleopatra acre bellum parabant. *Magnum fluentem* græco more dictum, πολὺν ῥέοντα, magna aquarum copia profluentem. — 26 Ære ex æreis rostris navium in illo bello captarum, « quibus conflatis quattuor effecit columnas, quæ postea a Domitiano in Capitolio sunt locatæ. » *Serv.* Alii vero scholiastæ intelligunt columnas *rostratas*, rostris ornatas. — 27 Niphates, mons Armeniæ, ad Armenios significandos. — 28 Satis notum strategema Parthorum, qui, simulata primum fuga, hostem incaute sequentem subito *versi* sagittis obruebant. — 29 Ex *hoste diverso*, ex hostibus diversas, id est oppositas, contrarias orbis partes incolentibus, Orientem et Occidentem.

Bisque triumphatas[30] utroque ab litore gentes.
Stabunt et Parii[31] lapides, spirantia signa.
Assaraci[32] proles, demissæque ab Jove gentis
Nomina, Trosq parens, et Trojæ Cynthius[33] auctor.
Invidia[34] infelix Furias amnemque severum
Cocyti metuet, tortosque Ixionis angues[35]
Immanemque rotam, et non exsuperabile[36] saxum.
Interea[37] Dryadum silvas saltusque sequamur
Intactos[38], tua, Mæcenas, haud mollia jussa.
Te sine[39] nil altum mens inchoat. En age, segnes
Rumpe moras : vocat ingenti clamore Cithæron[40],
Taygetiq[41] canes, domitrixq Epidaurus[42] equorum ;
Et vox assensu[43] nemorum ingeminata remugit.
Mox tamen ardentes accingar[44] dicere pugnas
Cæsaris, et nomen fama tot ferre per annos,
Tithoni prima quot[45] abest ab origine Cæsar.

Seu quis, Olympiacæ miratus[46] præmia palmæ,
Pascit equos, seu quis fortes ad aratra juvencos,
Corpora præcipue matrum legat[47]. Optima torvæ
Forma bovis, cui turpe[48] caput, cui plurima cervix,

30 De quibus bis est triumphatum, bis in triumpho ductas. Sic Cleopatra (apud Livium) dicebat : *Ego non triumphabor. Utroque litore* Oceani tellurem cingentis, orientali et occidentali ; litore utriusque Oceani, orientalis et occidentalis. Binæ victoriæ ex utroque hoste reportatæ, scil. in Oriente, Antonius profligatus, inde Parthorum quasi deditio, qui signa olim Romanis erepta ultro reddiderant ; et in Occidente, Cantabri Hispaniæ populus, primum victi, deinde rebelles per novam expeditionem plane domiti ; fortasse etiam Britanni intelliguntur, armorum Romanorum terrore solo perculsi et pacem petentes. — 31 Statuæ ex Pario marmore fictæ. *Spirantia*, quasi viventia, heroas illos tanquam viventes exprimentia. — 32 Assaracus, filius Trois, qui ipse ex Dardano Jovis filio ortus. Ab his per Ascanium sive *Iulum* Æneæ natum gens Julia, in quam adoptatus erat Octavianus, originem suam derivabat. — 33 Apollo ad Cynthi montis radices in Delo natus, qui cum Neptuno muros Trojanæ arcis condidit (v. I, 502, n. 42), eo minus hic præteriri poterat, quod Augusti deus tutelaris atque adeo pater esse credebatur. — 34 In eodem templo Invidia (picta potius quam ficta) ponetur in Tartarum proturbata : quo symbolo indicantur adversariorum in Augustum odia et civiles improborum hominum tumultus, quibus compressis nunc justæ vindictæ et supplicii terror imminet. Notum est Furias habitare Tartarum, in quo fluvius Cocytus (κωκυτός, ejulatus), ad quem severe vindicatur in noxios. — 35 *Angues*, « quibus religatus ad rotam est, postquam illicitos Junonis petivit amplexus. » *Serv.* — 36 Saxum quod Sisyphus *superare* non potest, ob insitam quippe vim elabendi et de vertice montis decurrendi luctam et laborem usque renovans volventi. — 37 *Interea*, dum adveniet tempus condendi hujus templi, persequar carmen rusticum. — 38 *Intactos*, quod nullus Romanorum poeta ante Virgilium hoc argumentum attigerat. Cui sententiæ, more Græcis usitatiore, additur appositio : quæ sunt tua jussa non facilia perfectu, rem difficilem imponentia. — 39 Sine te. Igitur ades mihi. Verum sequentibus ipse se poeta alloquitur et instigat. — 40 Bœotiæ mons, et Bacchi orgiis sacris et pascuis uberibus celeber. — 41 Taygetus, Laconiæ mons (v. II, 488, n. 72), in quo Spartana juventus venationi vacabat. Canum quoque venaticorum, quos Laconia ferebat præstantissimos, curam poeta exponet v. 404 seqq. — 42 Argolidis oppidum, ad Saronicum sinum, equis nobile ; jam Homero Argolis est ἱππόβοτος. — 43 *Assensu nemorum*, pulchre dictum de voce a nemoribus reddita et repercussa, de vocis *imagine*, quomodo Latini dicunt ἠχώ. — 44 Me parabo ad dicendas, dicere aggrediar. Promittit poema epicum in honorem Augusti, fortasse ipsam Æneidem, in qua laus ejus non raro celebrata. — 45 *Quot* annis ipse *Cæsar abest* a prima origine gentis Juliæ ; vide not. 32. Tithonus, Auroræ maritus (I, 447), Laomedontis filius sive (ut alii) frater ex Troe prognato. — 46 *Mirari* non raro est studio alicujus rei captum eam persequi, studere alicui rei. *Miratus*, ut alia similia, præsentis significatione. — 47 Matres eligat, formam corporis spectans. *Torvæ*, quæ sit torvis oculis. — 48 Non pulchrum, non decorum concinnitate partium :

Et crurum tenus a mento palearia pendent ;
Tum longo nullus lateri modus[49] ; omnia magna,
Pes etiam ; et camuris[50] hirtæ sub cornibus aures.
Nec mihi displiceat[51] maculis insignis et albo ;
Aut juga detractans[52], interdumque aspera cornu[53],
Et faciem tauro propior ; quæque ardua tota,
Et gradiens ima verrit vestigia cauda.
Ætas Lucinam justosque pati[54] hymenæos
Desinit ante decem, post quattuor incipit annos :
Cetera nec fœturæ habilis, nec fortis aratris.
Interea, superat[55] gregibus dum læta juventas,
Solve[56] mares ; mitte in venerem pecuaria primus,
Atque aliam ex alia generando suffice[57] prolem.
Optima quæque[58] dies miseris mortalibus ævi
Prima fugit : subeunt morbi, tristisque senectus,
Et labor[59], et duræ rapit inclementia mortis.
Semper erunt quarum[60] mutari corpora malis :
Semper enim refice[61] ; ac, ne post[62] amissa requiras,
Anteveni, et sobolem armento sortire[63] quotannis.
Nec non et pecori est idem[64] delectus equino.
Tu modo, quos[64] in spem statuis submittere gentis,
Præcipuum jam inde a teneris impende laborem.
Continuo[65] pecoris generosi pullus in arvis
Altius ingreditur, et mollia[66] crura reponit :
Primus et ire viam et fluvios tentare minaces
Audet, et ignoto sese committere ponti[67],
Nec vanos horret strepitus. Illi ardua cervix,
Argutumque[68] caput, brevis alvus, obesaque terga ;
Luxuriatque[69] toris animosum pectus. Honesti
Spadices[70], glaucique ; color deterrimus albis
Et gilvo[71]. Tum, si qua sonum procul arma dedere,

requiritur enim frons lata, et ea quæ subsunt reducta. *Plurima*, longa atque crassa. — 49 Sit ei latus perlongum, valde porrectum. — 50 *Camura* cornua sunt introrsum conversa. Diversis cornibus boves dicebantur *patuli*. — 51 Sed potius valde placeat : hoc enim exprimitur. *Maculis insignis et albo*, divisim dictum pro *maculis albis* in nigro rufove corpore), sicut *pateris libamus et auro*, etc. — 52 Antique pro *detrectans*. — 53 Cornu petens, petulca. *Faciem*, hellenismo dictum pro *facie* ; conf. not. 54 Eclogæ I. — 54 Poetice exprimitur ætas patiendi admissuram et partum, satis ad hæc matura. Temporis quidem ordo inversus est. *Lucina* ante *hymenæos*), sed res potior et utilis

agricolæ recte posita primo loco. De prosodia vide not. 51 Eclogæ VI. — 55 Dum abunde est, abundat juventas vaccis : hoc enim significat *gregibus*, ut *Ecl.* VII, 7, caper est *vir gregis* ; nam longe maxima parte greges constant feminis pecudibus. — 56 *Solve*, liberos dimitte ad ineundum. *Pecuaria*, greges pecudum, pecora. *Primus*, prompte, ante vicinos, ut II, 408, et proxime *prima fugit*, cito fugit. — 57 Substitue. — 58 Omnis dies optima ævi, de juventute dictum. *Dies* feminine collectivum est. — 59 Ærumnosa et difficilis vita, mala vitæ. — 60 Matres parum idoneæ, quas cum aliis permutari præstet. — 61 Semper enim reficiendæ sunt, ideoque *refice*, novas in earum locum substitue. — 62 Adverbium. Ne postea cum desiderio sentias damnum. — 63 Quotannis elige ex nova sobole aptas quæ admittantur armento ad fœturam. — 64 Laborem impende iis *quos* etc. *Submittere*, suffiicere, substituere equis admissariis quos dicas emeritis. *Gentis*, gregis ; conf. not. 16 Eclogæ I. — 65 Statim ex incessu patet generositas pulli. — 66 Mobilia ut II, 389, n. 95, quæ facile flectuntur, non rigida. *Reponit* humi ante sublata. — 67 Nam pontes transire reformidant equi segniores. — 68 Caput concinnum et vividum, breve, non magnum. — 69 Læte abundat, sive, ut ait Columella, « latum et musculorum toris numerosum pectus. » *Honesti*, in honore habentur. — 70 Spadicis palmæ colore, subrutili, postea *phœniciati* dicti, Varroni *badii*, unde nostrum *bai*. *Glauci*, subcærulei. — 71 Nobis *isabelle*.

Stare loco nescit[72], micat auribus, et tremit artus,
Collectumque[73] fremens volvit sub naribus ignem.
Densa juba, et dextro jactata recumbit in armo;
At duplex[74] agitur per lumbos spina; cavatque
Tellurem et solido graviter sonat ungula cornu.
Talis Amyclæi[75] domitus Pollucis habenis
Cyllarus, et, quorum Graii meminere poetæ,
Martis equi bijuges, et magni currus Achilli[76].
Talis et ipse jubam cervice effudit equina
Conjugis adventu pernix Saturnus[77], et altum
Pelion hinnitu fugiens implevit acuto. [annis
Hunc quoque, ubi aut morbo gravis, aut jam segnior
Deficit, abde domo[78], nec turpi ignosce senectæ:
Frigidus in venerem senior, frustraque laborem
Ingratū trahit[79]; et, si quando ad prœlia ventū est,
Ut quondam in stipulis[80] magnus sine viribus ignis,
Incassum furit[81]. Ergo animos ævumque notabis
Præcipue: hinc alias artes[82], prolemque parentum,
Et quis cuique dolor victo, quæ gloria palmæ.
Nonne vides, quum[83] præcipiti certamine campum
Corripuere, ruuntque effusi carcere[84] currus,
Quum spes arrectæ juvenum[85], exsultantiaq haurit
Corda pavor pulsans? illi instant[86] verbere torto,
Et proni dant[87] lora; volat vi fervidus axis:
Jamque humiles, jamque elati sublime[88] videntur
Aera per vacuum ferri, atque assurgere in auras;
Nec mora, nec requies: at fulvæ nimbus arenæ
Tollitur; humescunt spumis flatuque sequentum[89]:
Tantus amor laudum, tantæ est victoria curæ!
Primus Erichthonius[90] currus et quattuor ausus

72 Non potest. *Et tremit artus* pro *artubus*, illo hellenismo, quem sæpe vidimus. — 73 *Ignem*, id est ferventem anhelitum; ardentis et acris animi indicem, intus *collectum* et subinde erumpentem: sic dicitur *colligere iram, rabiem, sitim*, quæ sensim suboriuntur usque dum magis magisque sentiantur et emicent. — 74 Spina quæ duplicis speciem videnti aut sensum tangenti præbet, lata et crassa, in medio paullum subsidens. *Per lumbos*, per dorsum inter lumbos. — 75 Pollucis nati Amyclis, urbe Laconiæ, quam regebat Tyndarus, pater Ledæ, matris Dioscurorum. Apud alios poetas Castor Ἱπποδάμος, seu equorum dominator, insidet Cyllaro, a Neptuno dato. — 76 Genitivus a forma dorica Ἀχίλλης. Virgilius respicit Homerum, *Iliad.* O. 119: Π, 148 seqq. — 77 « Dum cum amata Philyra (Oceani filia) coiret, Opis ejus uxor advenit: cujus præsentiam veritus, se in equum convertit. Exinde natus est Chiron, dimidia parte homo, dimidia equus. » *Serv. Pelion*, montem Thessaliæ equis claræ. — 78 Ab armentis removens, et ignosce senectuti non turpi. — 79 *Laborem* veneris non jam tantum, quantum juniori, *gratum trahit*, lente, non alacriter perficit. *Prœlia* de eadem venere dictum. — 80 Quæ, desectis aristis, exuruntur in agris. *Quondam* et *olim* de rebus quæ fieri solent, quas poetæ narrare malunt ut rem gestam. — 81 Verbum in re venerea usitatum. Totus hic locus et dicendi et munerorum arte maxime admirabilis. — 82 Virtutes equi, generositatem et laudis sensum cupidinemque. *Prolem parentum* dicit quod nobis est *race*, genus a parentibus electis per prolem descendens. — 83 *Nonne vides* eos, *quum* etc., idem quod: Nonne vides *ut* vel quomodo corripiant sive corripientes etc. *Corripere* sive *rapere* campum dicuntur qui rapidissime percurrunt. — 84 Carceribus, vide in fine libri I, not. 3. — 85 Qui auriganter. Eorum corda, vehementi motu salientia, metus ne vincantur pulsat excitata palpitatione et *haurit*, exhaurit, vacua reddit sanguine, cujus liberum meatum interturbat: unde pavor, metus *exsanguis* apud poetas. — 86 *Instant* equis, eos impellunt flagello. — 87 Laxant habenas. *Vi*, magno impetu. — 88 Adverbialiter, ut in *Ecloga* IX, versu 29. — 89 Tam prope accesserunt et urgent! — 90 Antiquus rex Athenarum, successor Amphictyonis; quem fabula draco-

Jungere equos, rapidusque rotis insistere victor.
Frena Pelethronii[91] Lapithæ gyrosque dedere
Impositi dorso, atque equitem docuere sub armis
Insultare[92] solo, et gressus glomerare superbos.
Æquus uterque labor[93]; æque juvenemque magistri
Exquirunt, calidumque animis et cursibus acrem,
Quamvis sæpe fuga versos ille[94] egerit hostes,
Et patriam Epirum[95] referat, fortesque Mycenas,
Neptunique ipsa[96] deducat origine gentem.

His animadversis instant[97] sub tempus, et omnes
Impendunt curas denso distendere pingui[98]
Quem legere ducem et pecori dixere[99] maritum;
Florentesque[1] secant herbas, fluviosque ministrant,
Farraque, ne blando nequeat superesse[2] labori,
Invalidique patrum referant jejunia nati.
Ipsa[3] autem macie tenuant armenta volentes;
Atque ubi concubitus primos[4] jam nota voluptas
Sollicitat, frondesque negant, et fontibus arcent;
Sæpe etiam cursu quatiunt[5] et sole fatigant,
Quum graviter tunsis gemit area[6] frugibus, et quum
Surgentem ad Zephyrum paleæ jactantur inanes.
Hoc faciunt, nimio ne luxu obtunsior usus
Sit genitali arvo[7], et sulcos oblimet inertes;
Sed rapiat sitiens venerem interiusque recondat.

Rursus cura patrum cadere[8], et succedere matrum
Incipit. Exactis gravidæ quum mensibus errant[9],
Non illas gravibus quisquam juga ducere plaustris,
Non saltu superare viam sit passus, et[10] acri
Carpere prata fuga, fluviosque innare rapaces.

nis sive anguis pedibus fingit : « quam pedum fœditatem ut tegeret, junctis equis, usus est curru. » *Serv.* Quadrigas invenisse iisque in Minervæ festo decertasse narratur. — 91 Lapithæ habitantes in Pelethronio saltu montis Pelii (vide not. 77). Apud Plinium VII, 56, nomine *Pelethronius* est vir qui *frenos stratlaque equorum* invenerit. *Dedere*, tradidere, docuere *gyros*, quomodo in gyrum sive orbem flectendus sit equus a sessore. — 92 Hæc *equi* sunt, quanquam de *equite* dixit poeta, libertate eadem qua Horatius in *Epod.* XVI, 12 : *Urbem* (urbis destructæ solum) EQUES *sonante verberabit ungula*. Equi *glomerant* gressus, « quando crura anteriora reducunt et in arcum replicant, dum posteriora tenduntur. » — 93 *Uterque labor*, et cursus sub auriga vel equite, quem modo descripsit, et admissuræ, ad quam post breve episodium poeta redit. *Æque*, ad utrumque laborem æqualiter *magistri* pecoris *exquirunt* equum *juvenem*. — 94 *Ille*, equus alter nunc senior. *Fuga* ipsis illatâ ; vulgo : in fugam versos. — 95 Vide I, 59, n. 61. Mycenæ, Agamemnonis regia, antiqua urbs Argolidis, de qua vide supra not. 42. — 96 Atque adeo genus deducat ab origine *Neptuni*, id est ex Neptuno, a Neptuno tanquam primo generis auctore, sicut celebratissimus Adrasti equus Arion, ex Neptuno et Cerere in equos conversis prognatus. — 97 *Instant* magistri pecoris, attenti et diligentes sunt appropinquante tempore admissuræ. — 98 *Pingue* est substantivum : pinguedine *densa*, « non laxa, quod quibusdam potionibus per fraudem agasones facere consueverunt. » *Serv.* — 99 Designavere. — 1 Nitentes et succi plenas. *Fluvios*, potum aquæ vivæ. — 2 Ut possit sufficere. Deinde supple NEVE *referant*, in se ostendant, repræsentent. — 3 Post illa : *Quem legere ducem* PECORI, poeta pergit : *Ipsa autem armenta*, pecus ipsum, feminas (supra not. 55), magistri data opera extenuant. — 4 *Ubi primos* pro vulgari *ubi primum*, simul ac. *Voluptas*, vide not. 63 Eclogæ II. — 5 Agitant, conficiunt. — 6 Vide I, 298. *Gemit* ut de re animata : pressa laborat. — 7 Ne partes genitales per obesitatem nimis obtusæ sint ad usum. *Arvum*, *sulci* materni, græcis poetis solita metaphora. *Oblimet*, quasi limo obducat atque ita reddat inertes. — 8 Omitti, negligi incipit. — 9 Laborum immunes vagantur. Tunc ne sinantur *ducere* sive trahere *juga* ad movenda plaustra gravia : sic intellige dativum *plaustris*.— 10 Repete *non*

Saltibus in vacuis[11] pascunt et plena secundum
Flumina, muscus ubi et viridissima gramine ripa,
Speluncæque tegant, et saxea procubet[12] umbra.
Est lucos Silari[13] circa ilicibusque virentem
Plurimus Alburnum volitans, cui nomen asilo
Romanum est, *œstron*[14] Graii vertere vocantes,
Asper, acerba sonans[15]; quo tota exterrita silvis
Diffugiunt armenta; furit mugitibus æther
Concussus, silvæque, et sicci ripa Tanagri[16].
Hoc quondam monstro horribiles exercuit iras
Inachiæ[17] Juno pestem meditata juvencæ.
Hunc quoque (nam mediis fervoribus acrior instat)
Arcebis gravido pecori; armentaque pasces
Sole recens orto, aut noctem ducentibus[18] astris.

Post partum cura in vitulos traducitur omnis;
Continuoque notas et nomina gentis[19] inurunt,
Et quos aut pecori malint submittere habendo[20],
Aut aris servare sacros, aut scindere terram
Et campum horrentem[21] fractis invertere glebis.
Cetera pascuntur virides armenta per herbas.
Tu quos ad studium atque usum formabis agrestem,
Jam vitulos hortare[22], viamque insiste domandi,
Dum faciles animi juvenum, dum mobilis ætas.
Ac primum laxos tenui de vimine circlos[23]
Cervici subnecte; dehinc, ubi libera colla
Servitio assuerint, ipsis[24] e torquibus aptos
Junge pares, et coge gradum conferre juvencos;
Atque illis jam sæpe rotæ ducantur inanes[25]
Per terram, et summo vestigia pulvere signent;
Post valido nitens sub pondere faginus axis
Instrepat, et junctos temo trahat æreus orbes[26].
Interea pubi indomitæ[27] non gramina tantum,
Nec vescas[28] salicum frondes, ulvamque palustrem,
Sed frumenta manu carpes sata[29]; nec tibi fœtæ,
More patrum[30], nivea implebunt multralia vaccæ.

sit passus, ut prata pervagentur celeri cursu; non sinendæ sunt cito currere. Notus usus verbi *carpere* de spatiis permetiendis, sicut *carpo viam*, etc. *Innare*, vide II, 451, n. 42. — 11 Patentibus et apertis, ubi saxa nulla neque alia obstacula. *Pascunt* eas pastores. *Plena* flumina, ne nimis inclinentur ad potum, ut Servius observat. — 12 Longe extendatur umbra quam profundit saxum. — 13 *Silarus*, Lucaniæ fluvius, qui nunc *Selo*, juxtaque eum mons Alburnus. Infra, *volitans* est pro substantivo, ut *volantes* IV, 16, de apibus. — 14 Οἶστρος, etiam *tabanus* dictus, unde nostrum *taon*. *Verterunt vocantes*, mutato nomine vocant. — 15 Acerbum edens sonum. — 16 *Tanagrus*, torrens qui se effundit in Silarum, hodie *Negro*, æstate plerumque siccus. — 17 Inachia juvenca, Io, Inachi filia, in vaccam mutata; Ovid. *Met.* I, 588 seqq. *Pestem*, perniciem. — 18 Adducentibus. — 19 Generis. Deinde post *Et* supple: notas inurunt quibus indicetur *quos* etc. — 20 Vide I, not. 5. *Submittere*, vide supra not. 61. — 21 Asperum, incultum. His destinati vituli separatim habentur aut domi aut suis in pascuis; ceteri, unde hac tantum quæritur aut carnes, pascuntur promiscue. — 22 Instituc, doce. *Viam insiste*, ingredere rationem, suscipe curam domandi. — 23 Circulos, qui mox *torques*; quo matura adsuescant sentire jugum. — 24 Iisdem quos modo *circlos* dixit. — 25 Plaustra vacua, quorum proinde vestigia leviter impressa pulveri. — 26 Rotas, plaustrum. *Æreus*, ære vinctus, munitus. — 27 Vitulis nondum domitis. — 28 Exiles, tenues, parum succi habentes. *Ulva palustris*, nobis *feluque flottante*. — 29 Herbas novellæ segetis. — 30 Qui inconsulto matribus vitulos alentibus lac subducebant mulgendo; sicut in Lelega III, v. 30, vitula *bis venit ad mulctram, binos alit ubere fœtus*.

Sed tota in dulces consument ubera natos.
Sin ad bella magis studium[31] turmasque feroces,
Aut Alphea rotis prælabi[32] flumina Pisæ,
Et Jovis in luco[33] currus agitare volantes,
Primus equi labor est[34] animos atque arma videre
Bellantum, lituosque pati, tractuque gementem[35]
Ferre rotam, et stabulo frenos audire sonantes[36];
Tum magis atque magis blandis gaudere magistri
Laudibus, et plausæ sonitum cervicis[37] amare.
Atque hæc jam primo depulsus ab ubere matris
Audeat[38], inque vicem det mollibus ora capistris
Invalidus etiamque[39] tremens, etiam inscius ævi.
At, tribus exactis, ubi quarta acceperit[40] æstas,
Carpere[41] mox gyrum incipiat gradibusque sonare
Compositis[42], sinuetque alterna volumina crurum,
Sitque laboranti similis[43]: tum cursibus auras
Tum vocet[44], ac per aperta volans, ceu liber habenis,
Æquora, vix summa vestigia ponat arena:
Qualis Hyperboreis[45] Aquilo quum densus ab oris
Incubuit, Scythiæque hiemes[46] atque arida differt
Nubila; tum segetes altæ campique natantes[47]
Lenibus horrescunt flabris, summæque sonorem
Dant silvæ, longique urgent[48] ad litora fluctus:
Ille volat, simul arva fuga, simul æquora verrens.
Hic[49] vel ad Elei metas et maxima campi
Sudabit spatia, et spumas aget ore cruentas;
Belgica vel molli melius feret esseda[50] collo.
Tum demum crassa magnum farragine[51] corpus
Crescere jam domitis sinito: namque ante domandi[52]

31 *Sin* tibi est *studium magis* sive potius *ad bella* formare equos: quod est supplendum ex superioribus, v. 163, *Tu quos ad usum formabis agrestem*. — 32 *Prælabi* græca structura infinitivi est pro ut prælabaris, i. e. præterlabaris sive prætervoles quadrigis in certamine Olympico fluvium Alpheum (de quo vide 179, n. 17) prope Pisam urbem. — 33 Ibidem situs Altis, lucus Jovis, in quo erat stadium. — 34 Ante omnia adsuefaciendus est equus *videre* etc. — 35 Stridentem dum trahitur. — 36 Quibus tintinnabula affixa erant vel alia crepitantia. — 37 Quod *palpare* dicitur. — 38 Audacter faciat pullus, non timidus ad strepitum et tactum magistri. *Et invicem*, alterna vice hæc facienda: modo strepitus ille, modo mollis capistratio. — 39 Et etiamnum tremens. *Inscius ævi*, nondum conscius ætatis et virium suarum; « nondum habens ab annis fiduciam. » *Serv.* — 40 *Acceperit* pullum, ut *Ecl.* VIII, 39: Duodecimus *tam me jam acceperat annus*; v. not. 36. — 41 plurimis tamen legitur *accesserit*. — 42 Agere; vide præcedentem not. 10. — 43 Ungula sonante incedere gradibus in numerum factis. *Alterna*, alternis, alterum post alterum crus sinuans. — 43 Et propter cohibitum arte impetum et propter difficultatem incessus numerosi. — 44 Provocet, in certamen vocet. Repetiti *tum* vis et gratia facile sentitur. *Æquora* jam supra aliquoties de campis. — 45 Ab oris borealibus mundi, in quibus fabula posuit Hyperboreos. *Densus*, vehemens, tanquam densiore sive magis condensata aura ingruens. — 46 Tempestates. Nubila *arida*, quæ sunt sine pluviis, quas Aquilo ventus dispellit, unde *siccus* alibi dictus. — 47 Segetes undantes, fluctuantes. *Lenia flabra* non per se tribuuntur Aquiloni, sed talia sunt in segetibus multo lenius et longe tenuiore strepitu agitatis, quam arbores silvarum, quæ *sonorem dant* eodem vento tremefactæ. — 48 Intransitive, ut I, 443: impellunt se et protrudunt. *Longi*, e longinquo provoluti. *Ille*, Aquilo. *Fuga*, motu celerrimo. — 49 Equus ita educatus. *Elei campi*, Olympiæ; vide I, 59, n. 64. — 50 *Esseda*, currus bellici ex quibus Galli, Belgæ et Britanni pugnabant, ut ex Cæsare constat. *Molli*, non resistenti, vel, ut Servius, domito. — 51 *Farrago* « appellatur id quod ex pluribus satis (farre, hordeo, viciis, leguminibus) pabuli causa datur jumentis. » *Festus*. — 52 Si farraginem præbueris, antequam domare inceperis. *Prensi*, vide I, 285, n. 75.

Ingentes tollent animos, prensique negabunt
Verbera lenta[53] pati et duris parere lupatis.
Sed non ullâ magis vires industria firmat
Quam venerem et cæci[54] stimulos avertere amoris,
Sive boum, sive est cui gratior usus equorum.
Atque ideo tauros procul atque in sola relegant
Pascua, post montē oppositū[55] et trans flumina lata;
Aut intus clausos satura ad præsepia servant.
Carpit enim vires paulatim uritque[56] videndo
Femina, nec nemorum patitur meminisse nec herbæ.
Dulcibus illa quidem illecebris et[57] sæpe superbos
Cornibus inter se subigit decernere amantes.
Pascitur in magna Sila[58] formosa juvenca:
Illi alternantes multa vi prœlia miscent
Vulneribus crebris: lavit[59] ater corpora sanguis,
Versaque in obnixos urgentur cornua vasto
Cum gemitu; reboant silvæque et longus Olympus[60].
Nec mos bellantes una stabulare[61]; sed alter
Victus abit, longeque ignotis exsulat oris,
Multa[62] gemens ignominiam plagasque superbi
Victoris, tum quos amisit inultus amores;
Et stabula adspectans[63] regnis excessit avitis.
Ergo omni cura vires exercet, et inter
Dura jacet pernox instrato[64] saxa cubili,
Frondibus hirsutis et carice[65] pastus acuta:
Et tentat sese, atque irasci in cornua[66] discit
Arboris obnixus trunco, ventosque lacessit[67]
Ictibus, et sparsa ad pugnam proludit arena.
Post, ubi collectum robur viresque refectæ,
Signa movet[68], præcepsque oblitum fertur in hostem.
Fluctus uti medio cœpit quum albescere[69] ponto,
Longius ex altoque sinum trahit[70]; utque, volutus
Ad terras, immane sonat per saxa, neque ipso
Monte[71] minor procumbit; at ima exæstuat unda
Vorticibus, nigramque alte subjectat[72] arenam.
Omne adeo[73] genus in terris hominumque ferarumque,

53 Lentis virgis vel flagellis inflicta. — 54 Occulti, intus sævientis. — 55 Objectum, qui impediat conspectum vaccarum. *Satura*, plena. — 56 Vacca consumit, extenuat taurum eo quod taurus ipsam videt. — 57 Etiam pugnare cogit inter se: hoc est enim *decernere*. — 58 *Sila*, mons et silva Apennini apud Bruttios, hodieque dicta *la Sila*. Versus nonnullis haud temere de interpolatione suspectus. Confer ejusdem rei picturam in *Æneide* XII, 715 seqq. — 59 Antique pro *lavat*, tinguit, perfundit. — 60 Longe remotum, altum cœlum. — 61 Neutraliter: in iisdem stabulis versari, degere. — 62 Multum. — 63 Respiciens, retorquens oculos in illa stabula quæ invitus relinquit. Perfectum *excessit* aptissimum ad sequentia. — 64 Cubili non strato, in nudo solo. — 65 Vid. *Ecl.* III, n. 20. — 66 In prœlia cornibus incunda; cornua quippe ipsi sunt instrumentum iræ explendæ. Bene comparantur cum locutione *irasci in cornua* τοῦρος ἐις κέρας θυμούμενος apud Euripidem in *Bacchis* 742. — 67 Aerem ferit, quod dicitur *ventilare*: ventilant autem gladiatores in *prolusione* pugnæ: ad quam mox respicitur, illata imagine luctatorum, qui pulvere se conspergunt antequam ineant certamen. — 68 Proprie *signa movent* milites ex castris in aciem progredientes. — 69 Surgere: albescunt enim oborta spuma undæ surgentes. Poeta hac imagine pingit vim de longinquo et contempto in immensum excrescentem. — 70 Colligit vim sive copiam aquæ in speciem sinus se provolventis. — 71 Non minor *ipso* illo monte qui ei objicitur, id est *saxis* sive scopulis modo dictis. — 72 Sursum jactat. Sic a Lucretio mare dicitur *saxaque subjectare et arenæ tollere nimbos*. — 73 Conf. I, 24. Extremum — *que* initio sequentis versus elidituri.

Et genus æquorcum, pecudes, pictæque volucres,
In furias ignemque ruunt : amor omnibus idem.
Tempore non alio catulorum oblita læna
Sævior erravit[74] campis; nec funera[75] vulgo
Tam multa informes ursi stragemque dedere
Per silvas; tum sævus aper, tum pessima tigris.
Heu ! male tum Libyæ solis erratur in agris.
Nonne vides ut tota tremor pertentet equorum
Corpora, si tantum notas odor[76] attulit auras ?
Ac neque eos jam frena virûm, neque verbera sæva,
Non scopuli rupesque cavæ, atque objecta retardant
Flumina, correptos unda torquentia montes[77].
Ipse ruit dentesque Sabellicus[78] exacuit sus,
Et pede prosubigit terram, fricat arbore costas,
Atque hinc atque illinc humeros ad vulnera durat.
Quid[79] juvenis, magnum cui versat in ossibus ignem
Durus amor ? Nempe abruptis[80] turbata procellis
Nocte natat cæca serus freta; quem super ingens
Porta tonat cœli[81], et scopulis illisa reclamant
Æquora; nec miseri possunt[82] revocare parentes,
Nec moritura supèr crudeli funere virgo.
Quid[83] lynces Bacchi variæ, et genus acre luporum
Atque canum ? quid, quæ imbelles dant prœlia cervi ?
Scilicet ante omnes furor est insignis equarum;
Et mentem[84] Venus ipsa dedit, quo tempore Glauci
Potniades[85] malis membra absumpsere quadrigæ.
Illas ducit amor trans Gargara[86], transque sonantem
Ascanium; superant montes, et flumina tranant :
Continuoque, avidis ubi subdita flamma medullis,
(Vere magis, quia vere calor redit ossibus[87],) illæ
Ore omnes versæ in Zephyrum stant rupibus altis,

74 Tum efferatissima est, non tamen, ut alias, quo catulos suos defendat. De usu perfecti in talibus jam sæpius monitum. — 75 *Funera dedere*, cædes edidere. *Informes*, vastos; quo sensu Valerius Flaccus IV, 245, Amyco tribuit *spatiosa pectoris ossa, horrendosque toros* INFORMIBUS *artus*. — 76 Si odoratus vel olfactus equo attulit sensum auarum quas equæ prurientes emittunt. — 77 *Montes* Silius (IV, 522) imitando explicat: *magno fragore Avulsum montis vovit latus*. — 78 Aper in latis atque densis silvis Sabellorum sive Sabinorum. Plinius VIII, 78 : « Suum ferarum maribus in coitu plurima asperitas. Tum inter se dimicant, indurantes attritu arborum costas, lutoque se tergorantes ». — 79 Quid facit juvenis? nonne similia? — 80 Pernatat freta turbata procellis *abruptis*, abrupte et redeunte impetu ruentibus. *Cæca*, tenebricosa. Leandri nota historia respicitur, Hellespontum tramantis ad Hero. — 81 Cœlo, tanquam solido et concamerato, vetusti poetæ tribuebant *portas*, per quas dii descenderent, et fulmina ac tonitrua demitterentur. *Reclamant*, sonitum reddunt. — 82 Tantus est amoris furor, ut nec parentum memoria Leandrum ab incepto revocare possit, nec ipsa virgo *insuper* moritura morte acerbissima (ut Dido quoque dicitur *moritura crudeli funere*, *Æn.* IV, 308). Sic capiendum *super*, adverbium, non præpositio. — 83 Breviter pro : *Quid* dicam ut tum insaniant *lynces* etc.? Vix opus est ut de his dicam, quum longe insignius sit exemplum equarum : *Scilicet ante omnes* etc. Lynces fulvæ, inspersis maculis. Bacchi currum trahere fingebantur. — 84 Hanc *mentem*, hanc indolem animorum. — 85 *Potniæ*, vicus Bœotiæ, non longe a Thebis, in quo equas alebat Glaucus, Sisyphi filius, cujus fabula varie narratur. Secundum eos quos Virgilius sequitur, equas suas Glaucus, ut celerrimæ essent in certamine curuli, a coitu arcebat; sed illæ in ludis funebribus Peliæ, furore a Venere injecto, ipsum dominum dilaniarunt. *Quadrigæ* de ipsis equabus. *Malis*, maxillis. — 86 Vide I, 103, n. 7. *Ascanius*, lacus et fluvius Bithyniæ, sub Olympo monte. — 87 *Ossibus*, quibus inclusa medulla, quæ caloris sedes habebatur : hinc de homine deficiente : *calor ossa reliquit*, et similia multa in Æneide.

Exceptantque leves auras; et sæpe sine ullis
Conjugiis vento gravidæ[88] (mirabile dictu!)
Saxa per et scopulos et depressas[89] convalles
Diffugiunt, non, Eure, tuos[90], neque Solis ad ortus,
In Borean Caurumque, aut unde nigerrimus Auster
Nascitur et pluvio contristat frigore cœlum.
Hinc demŭ[91], hippomanes vero quod nomine dicunt
Pastores, lentum destillat ab inguine virus;
Hippomanes, quod sæpe malæ legere novercæ[92],
Miscueruntque[93] herbas et non innoxia verba.
Sed fugit interea, fugit irreparabile tempus,
Singula dum capti circumvectamur[94] amore.
Hoc satis[95] armentis: superat pars altera curæ,
Lanigeros agitare[96] greges hirtasque capellas.
Hic[97] labor; hinc laudem fortes sperate coloni.
Nec sum animi dubius, verbis ea vincere[98] magnum
Quam sit, et angustis[99] hunc addere rebus honorem:
Sed me Parnasi deserta per ardua[1] dulcis
Raptat amor; juvat ire jugis, qua[2] nulla priorum
Castaliam molli devertitur orbita clivo.
Nunc, veneranda Pales[3], magno nunc ore sonandum.
Incipiens stabulis edico[4] in mollibus herbam
Carpere oves, dum mox frondosa reducitur æstas;
Et multa duram stipula filicumque maniplis
Sternere subter humum, glacies ne frigida lædat
Molle pecus, scabiemque ferat[5] turpesque podagras.

88 Plinius VIII, 67: « Constat in Lusitania circa Olisiponem oppidum et Tagum amnem equas Favonio flanti obversas animalem concipere spiritum, idque partum fieri, et gigni pernicissimum. » — 89 Humiles. Observa artem rhythmicam. — 90 Non ad ortus vel Euri (ex oriente flantis) vel solis, SED in septemtrionem et meridiem: vocis sonus paulo elatior est vicarius particulæ. Caurus sive Corus ventus « flat ab occasu solstitiali atque occidentali latere septemtrionis. » *Plin.* De Austro nubes nigras et pluviam adducente vide I, v. 462, n. 12. Paulo aliter Aristoteli equæ vento gravidæ « currunt neque ad ortum neque ad occasum, sed ad septemtrionem aut meridiem. » — 91 Hinc demum fit, ut ab inguine equæ destillet illud virus, quod pastores dicunt *hippomanes*, nomine quod naturæ rei accurate respondet, quippe ductum ab ἵππος, *equus*, et μαίνω, *in furorem ago*. Particulâ *demum*, restrictiva ut loquimur sive excludente id quod est diversum, usus est Virgilius propter eos qui hippomanes aut caruncularum in fronte pulli recens editi aut plantæ adeo genus esse statuebant. *Virus*, humor acer. — 92 Constat venefica et sagas hippomane uti consuevisse ad philtra. Quare poeta, novercas dicens, putandus est cogitavisse de Phædra, noverca Hippolyti, quem perdite amabat. *Malæ*, impiæ. — 93 Et hippomani admiscuerunt herbas vim magicam habentes (conf. *Ecl.* VIII, 95 seqq.) atque *noxia verba*, magica carmina, incantationes. — 94 Undique perlustramus, pertractamus, horum *amore* propter jucunditatem *capti*. — 95 Sufficit. *Superat*, superest. — 96 Pastum agere, pascere. In hac cura, quæ est præcipua, intelligenda gregum cura omnis. — 97 In hac re labor vester positus esto. — 98 Secundum hæc Lucretii: *Et quam difficile id mihi sit pervincere dictis*; facere ut res verbis pareat et orationi se det commode explicandam. — 99 Et tenuibus rebus addere dignitatem et verborum ornatum, qui a poeta requiritur. — 1 Per ea cacumina Parnassi, quæ adhuc *deserta* sunt, nulli poetæ latino accessa ante ipsum, qui primus rem rusticam cecinit. — 2 Ubi nulla orbita sive vestigium nullum priorum poetarum devertit se vel deflectit, et ducit ad Castaliam, fontem Parnassi quem vates bibunt. *Molli*, facili ad ingrediendum, non aspero aut præcipiti. — 3 Vide not. 28 Eclogæ V. *Magno*, quia, ut modo dictum, *angustis addendus rebus honor* per poesin. — 4 *Edico* proprie dicitur de decretis et legibus. Per hiemem pecudes tenendæ in stabulis *mollibus*, quod mox ipse poeta explicat. — 5 Afferat. Podagræ *turpes*, ut quæ pedes pecudum deformant tuberibus: morbi genus, quod proprio nomine dicitur *clavus*.

Post, hinc digressus, jubeo frondentia capris
Arbuta sufficere[6], et fluvios præbere recentes.
Et stabula a ventis[7] hiberno opponere soli
Ad medium conversa diem, quum frigidus olim[8]
Jam cadit extremoque irrorat Aquarius anno.
Hæ quoque non cura nobis leviore[9] tuendæ,
Nec minor usus erit, quamvis Milesia magno
Vellera mutentur[10] Tyrios incocta rubores;
Densior hinc[11] soboles, hinc largi copia lactis:
Quam magis exhausto spumaverit ubere mulctra,
Læta magis pressis manabunt flumina mammis.
Nec minus interea barbas incanaque[12] menta
Cinyphii tondent hirci, setasque comantes,
Usum in castrorum, et miseris velamina nautis.
Pascuntur[13] vero silvas et summa Lycæi,
Horrentesque rubos, et amantes ardua dumos:
Atque ipsæ memores redeunt in tecta, suosque
Ducunt, et gravido superant[14] vix ubere limen.
Ergo omni studio glaciem ventosque nivales,
Quo minus[15] est illis curæ mortalis egestas,
Avertes; victumque feres et virgea lætus
Pabula, nec tota claudes fœnilia bruma[16].

At vero Zephyris quum læta vocantibus[17] æstas
In saltus utrumque gregem atque in pascua mittet,
Luciferi primo[18] cum sidere frigida rura
Carpamus, dum mane novum, dum gramina canent,
Et ros in tenera pecori gratissimus herba.
Inde, ubi quarta[19] sitim cœli collegerit hora
Et cantu querulæ rumpent[20] arbusta cicadæ,
Ad puteos aut alta greges ad stagna jubeto
Currentem ilignis potare canalibus[21] undam;

6 Abunde subministrare. *Fluvios recentes*, aquam vivam. — 7 Aversa a ventis, a regione unde flant venti. — 8 Jam monitum supra quomodo *olim* et *quondam* dicantur in rebus quæ fieri solent. Poeta hac expitmit *extremam* hiemem, ut demonstret quousque illa quam præcipit cura sit adhibenda caprís. *Aquarius*, signum Zodiaci, occidit (*cadit*) Februario, mense medio, ad finem anni rustici a vere incipientis (vide I, v. 18 et 64), qui ipse erat *antiquus* annus romanus, a kalendis Martiis incipiens. *Irrorat*, pluvias immittit. — 9 *Non leviore* quam omnes. — 10 *Magno* pretio *mutentur*, vendantur vellera Milesiæ lanæ, quæ mollissima et præstantissima habebatur: quare coloribus pretiosissimis, qualis est Tyria purpura, ipsa potissimum inficiebatur. *Incocta rubores*, cui incocti, coquendo immissi sunt rubores. — 11 Copiosior ex capris. Quas quo sæpius mulgeas, eo plus lactis affluet. — 12 Valde cana. Hircus *Cinyphius* dictus a flumine Libyæ inter utramque Syrtim, in ora nunc Tripolitana, qui olim *Cinyps*, nunc quoque *Cinifo*. Ejus regionis hirci conspicui erant villis prælongis, unde conficiebantur cilicia in usum militum et nautarum, in infido mari miseram vitam ducentium. — 13 Deponenti, quo Virgilius uti solet, ut alii *depascor*. *Lycæi*, vide *Ecl.* X, n. 15, n. 13. — 14 Vix possunt transire. — 15 Frigus a capris avertes eo magis, quo minus *illis est egestas curæ* humanæ, id est, quo minus illæ in ceteris rebus egent cura ab hominibus præstanda. — 16 Interdum etiam per hiemem fœnum iis appone. — 17 Invitantibus. — 18 Stella matutina primum orta: vide *Ecl.* VIII, 17. *Rura carpamus*, teramus pedibus rura, petamus rura, eo deducentes gregem. Confer supra 142, n. 10. Aliter Servius: « rura carpere cogamus animalia, » non profundus. — 19 Hora quarta *cœli*, cœlo et solis decursu indicata, ab exorto sole: qua sitim contraxerunt pecora, quod poetice ad ipsam horam refertur. — 20 *Rumpent* cum hyperbola dictum: multo et assiduo cantu ferient, personabunt, ad meridiem, quo cicadæ solæ, tacentibus tum avibus, strepunt et *queruntur* potius quam canunt, eumdem usque repetentes sonum. — 21 Quos jam videmus in *Genesi* XXX, 38 seqq.

Æstibus at mediis umbrosam exquirere vallem,
Sicubi magna Jovis[22] antiquo robore quercus
Ingentes tendat ramos, aut sicubi nigrum
Ilicibus crebris sacra nemus accubet[23] umbra;
Tum tenues dare[24] rursus aquas, et pascere rursus
Solis ad occasum, quum frigidus aera vesper
Temperat, et saltus reficit jam roscida[25] luna,
Litoraque alcyonen resonant, acalanthida dumi.

Quid tibi pastores Libyæ, quid pascua versu
Prosequar, et raris habitata mapalia[26] tectis?
Sæpe diem noctemque et totum ex ordine[27] mensem
Pascitur itque pecus longa in deserta sine ullis
Hospitiis: tantum campi jacet! Omnia secum
Armentarius Afer agit, tectumque Laremque,
Armaq, Amyclæumq canem[28], Cressamq pharetram:
Non secus ac[29] patriis acer Romanus in armis
Injusto sub fasce viam quum carpit, et hosti[30]
Ante exspectatum positis stat in agmine castris.

At non[31], qua Scythiæ gentes, Mæotiaque unda,
Turbidus et torquens[32] flaventes Ister arenas,
Quaque redit[33] mediũ Rhodope porrecta sub axem.
Illic clausa tenent stabulis armenta; neque ullæ
Aut herbæ campo apparent, aut arbore frondes;
Sed jacet aggeribus niveis informis et alto
Terra gelu late, septemque assurgit[34] in ulnas:
Semper hiems, semper spirantes frigora Cauri.
Tum sol pallentes haud unquam discutit umbras,
Nec quum invectus equis altũ petit æthera, nec quum
Præcipitem Oceani rubro[35] lavit æquore currum.
Concrescunt subitæ currenti in flumine crustæ,
Undaque jam tergo ferratos sustinet orbes[36],
Puppibus illa prius, patulis nunc hospita plaustris;
Æraque dissiliunt vulgo, vestesque rigescunt

22 Conf. II, 15, n. 15. — 23 *Accubare* et *cubare*, quod verbum proprie dicitur de ipsa umbra, poeta transtulit ad densam silvam quæ præbet umbram: nimirum in his quatuor versibus *umbræ* notio principatum tenet. — 24 *Dare*, scilicet *jubeo*: jubentis enim sive præcipientis partes per hæc omnia agit poeta. *Tenues*, liquidas, limpidas. — 25 Rorem antiqui lunæ atque stellis attribuebant. *Alcyonen*, v. 1, 398. n. 67. *Acalanthis* et *acanthis* græce quæ latine *carduelis*; quæ avis, quantum equidem scio, haud canit noctu: inde videntur veteres interpretes apud Servium *lusciniam* intellexisse. — 26 *Mapalia*, Africorum tuguria, Sallustio « cohonga, incurvis lateribus tecta, quasi navium carinæ », Catoni « quasi cortes rotundæ ». *Habitata raris tectis*, ita habitata, ut tecta præbeant rara et cassæ per longa demum intervalla conspiciantur; ornatius pro nudo *rara mapalia*. Ceterum jam apud Homerum celebrantur pascua Libyæ. — 27 Deinceps. — 28 Canem Laconicum (ab Amyclis urbe, de qua 89, n. 75), id est optimum: et arcum sagittasque Creticas, item a præstantia, non Creta advectas. — 29 Non aliter ac miles Romanus, qui omnia secum agit, cibum, arma, tectum: lege Ciceronem in *Tuscul.* II, 16, 37. *Injusto sub fasce* intellige ut *iniquo pondere rastros*, I, 164, n. 68. — 30 Antequam hosti sive ab hoste hoc sit exspectatum. — 31 *At non* ita pascitur *qua* (ubi *Scythæ* etc. — 32 Et turbide torquens, ut alibi *magnus fluens Nilus*, magna copia aquæ fluens. *Ister*, Danubius. — 33 Et ubi Rhodope (vid. *Ecl.* VI, not. 28) magis magisque recedit a nostris regionibus, sese porrigens usque sub ipsum polum septemtrionalem. — 34 *Assurgit* per nivem accumulatam. *Cauri*, vid. 278, not. 90. — 35 Rubescente per solem occidentem. Quod annotandum erat propter eos qui persuadere studuerunt a Virgilio Rubrum mare aliquod etiam in Occidente poni. — 36 Rotas plaustrorum (ut 173, n. 26), quæ poeta vocat *patula*, patentia, non tecta ut naves tabulato. Quamquam alii intelligunt lata, ampla; quod minus probamus.

Indutæ, cæduntque securibus humida vina,
Et totæ solidam in glaciem vertere[37] lacunæ,
Stiriaque implexis induruit horrida barbis.
Interea toto non secius[38] aere ningit:
Intereunt pecudes: stant circumfusa pruinis
Corpora magna boum[39], confertoque agmine cervi
Torpent mole nova, et summis vix cornibus exstant.
Hos non immissis canibus, non cassibus ullis,
Puniceæve agitant pavidos formidine[40] pennæ:
Sed frustra oppositum trudentes pectore montem[41]
Cominus obtruncant ferro, graviterque rudentes
Cædunt, et magno læti clamore reportant.
Ipsi in defossis specubus secura sub alta
Otia agunt terra, congestaque robora totasque
Advolvere focis ulmos, ignique dedere.
Hic noctem[42] ludo ducunt, et pocula læti
Fermento atque acidis imitantur vitea sorbis[43].
Talis Hyperboreo Septem subjecta Trioni[44]
Gens effrena virûm Rhipæo tunditur Euro,
Et pecudum fulvis velatur corpora setis.

Si tibi lanitium curæ, primum aspera silva,
Lappæque tribulique[45] absint; fuge pabula læta;
Continuoque greges villis lege mollibus albos.
Illum[46] autem, quamvis aries sit candidus ipse,
Nigra subest udo tantum cui lingua palato,
Rejice, ne maculis infuscet vellera pullis[47]
Nascentum, plenoque alium circumspice campo.
Munere[48] sic niveo lanæ, si credere dignum est,
Pan, deus Arcadiæ, captam te, Luna, fefellit[49],

37 Neutraliter: se verterunt, et solent verti. — 38 *Non secius*, non minus, sed vi eadem quam sævum est frigus, tam multæ sunt nives. — 39 *Boum*, nimirum qui plaustra trahunt; nam armentarii boves tum sunt in stabulis. De *stant* v. not. 52 *Ecl.* VII. — 40 *Formido* quid sit ita explicat Seneca: « Maximos ferarum greges *linea pennis distincta* continet atque in insidias agit, ab effectu dicta *formido*. » Eâ claudebatur pars silvæ, in qua venatio fiebat. Similiter in *Æn.* XII, 750: *Cervum puniceæ septum formidine pennæ*. — 41 Nivis magnam molem, quam superare tentant frustra. *Trudentes* est accusativus; *rudentes* est verbum, non substantivum. — 42 *Noctem*, dies ob caliginem nocti similes. — 43 *Fermento et sorbis* pro: fermentatis sorbis, per hendiadyn jam aliquoties annotatam. Pocula *vitea*, de vite, vini. — 44 *Septemtrio*, sideris nomen, etiam Plaustri vocati, e septem stellis constantis, *septemtrionibus* sive bubus a terenda terra sic dictis secundum Varronem. *Hyperboreo*, vid. 196, n. 45. *Rhipæo*, vid. 1, 240, n. 39. *Euro* proprie potest intelligi, si de Rhipæis montibus etiam in Asiam porrectis cogites, unde Scythis ille ventus ab oriente flare poterat. — 45 Quibus vellera diripiuntur et ipsæ oves, præsertim molliores, velut Tarentinæ, post tonsuram in scabiei periculum incidunt; vide infra 444. Deinde Philargyrius scholiasta: « *Læta* pascua *solocem* lanam faciunt, hoc est minutam, duram atque hirsutam. » Etiam Columella ovium circa Parmam et Mutinam in *macris* campis stabulantium lanam pretiosiorem esse testatur. — 46 *Illum* arietem rejice, *quamvis sit candidus, cui nigra lingua* etc. Substantivum non demonstrativo pronomini adjectum, sed, ut non raro fit, relativo membro subsequenti insertum. *Ipse* autem intelligitur de *toto*, quando partis mentio injicitur in eadem phrasi. — 47 Nigris. Deinde *pleno campo* de grege campum implente, ut nos quotidie loquimur in re bellica. — 48 *Munere* accipiendum sensu latiore quo *munus* dicitur quidquid aptum est ad gratiam atque amorem conciliandum: hoc munere niveæ lanæ. — 49 In candidissimum arietem mutatus Pan Lunam, tanto splendore delinitam, in nemoris recessum pellexit. Nisi quidem fabulam, ex deperditis *Georgicis* Nicandri Colophonii petitam, Philargyrius retulit accuratius, qui sic: « Pan quum Lunæ amore flagraret, ut illi formosus videretur, niveis velleribus se circumdedit, atque ita deam illexit. » Servius et Probus aperte aberrant.

In nemora alta vocans : nec tu aspernata vocantem.
At cui lactis amor, cytisum lotosque[50] frequentes
Ipse manu salsasque ferat præsepibus herbas.
Hinc et amant fluvios magis, et magis ubera tendunt,
Et salis occultum referunt in lacte saporem.
Multi jam excretos prohibent[51] a matribus hædos,
Primaque[52] ferratis præfigunt ora capistris.
Quod surgente die mulsere horisque diurnis,
Nocte premunt[53] ; quod jam tenebris et sole cadente,
Sub lucem exportans calathis[54] adit oppida pastor ;
Aut parco[55] sale contingunt, hiemique reponunt.
Nec tibi cura canum fuerit postrema ; sed una
Veloces Spartæ catulos[56] acremque Molossum
Pasce sero pingui : nunquam custodibus illis
Nocturnum stabulis furem, incursusque luporum,
Aut impacatos a tergo[57] horrebis Iberos.
Sæpe etiam cursu timidos agitabis onagros,
Et canibus leporem, canibus venabere damas ;
Sæpe volutabris pulsos silvestribus apros
Latratu turbabis agens[58], montesque per altos
Ingentem clamore premes ad retia cervum.
Disce[59] et odoratam stabulis accendere cedrum,
Galbaneoque[60] agitare graves nidore chelydros.
Sæpe sub immotis præsepibus aut mala tactu
Vipera delituit, cœlumque[61] exterrita fugit ;
Aut tecto assuetus coluber succedere et umbræ,
Pestis acerba boum, pecoriqueaspergere[62] virus,
Fovit humum. Cape saxa manu, cape robora, pastor,
Tollentemque[63] minas et sibila colla tumentem
Dejice. Jamque fuga timidum caput abdidit alte[64],
Quum medii nexus extremæque agmina[65] caudæ
Solvuntur, tardosque trahit sinus ultimus orbes.
Est etiam ille malus Calabris in saltibus anguis[66],
Squamea convolvens sublato pectore terga,
Atque notis longam maculosus grandibus alvum,

50 Qui nunc in re herbaria *trifolium melilotus*. Herbas *salsas*, non natura, sed sale conspersas vel mixtas. — 51 Hædos ita prohibent a matribus, ut eos *excernant*, secernant et separent, in peculiaria pascua agant. *Jam* (quod est transeuntis ad aliam rem, ut alibi *porro*) ne jungas cum *excretos*. — 52 Et, quando non prohibent, *prima ora* ; id est anteriorem partem oris, *capistris præfigunt*, instruunt præfixis capistris. — 53 Coagulatum premunt in caseum ; vide notam 34 Eclogæ I. Et mox repete *mulsere*. — 54 *Calathi* hic quoque vasa sunt, ut *Ecl.* V, not. 58, non vimínea texta ; nam aperte de lacte sermo est, non de caseo. — 55 Modico sale recentem caseum conspergunt. — 56 Vide 345, notam 28. *Molossi* canes, ex Epiro, grandes. — 57 Insidiantes. Præedones vocat *Iberos impacatos*, quia Iberiæ pars nondum ab Romanis domita et pacata latrociniis infamis erat. Eosdem memoravit Varro libro I *de re rustica*, cap. 16 : *Multos agros egregios*, inquit, *excolere non expedit propter latrocinia vicinorum, ut in Hispania prope Lusitaniam.* — 58 Persequens. *Premes*, urgendo, instando ages. — 59 Sequuntur præcepta de cavendis animalibus noxiis. *Cedrum*, haud dubie juniperum oxycedrum. — 60 *Galbanum* est resina arbusti Syriaci, dicti *Bubon Galbanum L.* De chelydris conf. II, 214, n. 73. *Graves*, molestas, periculum afferentes gregi. Alii explicant : graveolentes. — 61 Lucem, incidentem ei motis præsepibus. — 62 Repete *assuetus*. Locum *fovere* dicuntur qui assidue in eo et diu morantur, ut avis *nidum fovet* : ex hac consuetudine poeta posuit etiam de animali frigido. — 63 Sublato capite minantem et tumentem collo sibilos edente ; noto hellenismo, de quo *Ecl.* II, n. 3. — 64 In terræ latebris. — 65 Sic *Æn.* V, 90, draco *agmine longo serpens*. *Tardos*, morantes, ultimo loco terram subeuntes. — 66 Dictus *chersydrus* (in terra, χέρσῳ, itidem ut in aqua, ὕδατι vel ὕδατι, vivens) sive *dryinus*.

Qui, dum amnes ulli rumpuntur[67] fontibus, et dum
Vere madent udo terræ ac pluvialibus Austris,
Stagna colit; ripisque habitans, hic piscibus atram
Improbus ingluviem[68] ranisque loquacibus explet.
Postquam exusta palus, terræque ardore dehiscunt[69],
Exsilit in siccum, et flammantia lumina torquens
Sævit agris, asperque siti atque exterritus[70] æstu.
Ne mihi tum molles sub dio carpere somnos,
Neu dorso[71] nemoris libeat jacuisse per herbas,
Quum positis novus exuviis nitidusque juventa
Volvitur, aut catulos tectis aut ova relinquens,
Arduus[72] ad solem, et linguis micat ore trisulcis.

Morborum quoque te causas et signa docebo.
Turpis[73] oves tentat scabies, ubi frigidus imber
Altius ad vivum persedit[74], et horrida cano
Bruma gelu; vel quum tonsis illotus adhæsit
Sudor, et hirsuti secuerunt corpora vepres.
Dulcibus idcirco fluviis pecus omne magistri
Perfundunt, udisque aries in gurgite villis
Mersatur, missusque secundo defluit amni;
Aut tonsum tristi[75] contingunt corpus amurca,
Et spumas miscent argenti, et sulfura viva,
Idæasque[76] pices, et pingues unguine ceras,
Scillamque[77], elleborosque graves, nigrumque bitumen.
Non tamen ulla magis præsens fortuna[78] laborum est,
Quam si quis ferro potuit rescindere summum
Ulceris os: alitur vitium, vivitque tegendo,
Dum medicas adhibere manus ad vulnera pastor
Abnegat[79], aut meliora deos sedet omina poscens.
Quin etiam, ima dolor balantum lapsus ad ossa
Quum furit, atque artus depascitur arida febris,
Profuit incensos æstus avertere, et inter
Ima ferire pedis salientem sanguine venam;
Bisaltæ[80] quo more solent, acerque Gelonus,
Quum fugit[81] in Rhodopen atque in deserta Getarum,
Et lac concretum cum sanguine potat equino.

Quam[82] procul aut molli succedere sæpius umbræ
Videris, aut summas carpentem ignavius herbas,
Extremamque sequi, aut medio procumbere campo
Pascentem, et seræ solam decedere nocti[83]:

67 Prorumpunt se, erumpunt. — 68 Ventrem. Proprie est prolobus (*jabot*) avium. — 69 Fissæ aperiunt rimas. — 70 Exagitatus, in furorem actus. Sallustius, *Jug.* c. 89: *Natura serpentium, ipsa perniciosa, siti magis quam alia re accenditur.* — 71 Montis partes vocabulis ab humano corpore ductis designari sat notum. — 72 Volvitur capite sublato. — 73 Qua turpes aspectu fiunt. — 74 Ita penetravit, ut vivum insideat. — 75 Amara, ut I, 75, n. 77. Hæc de ovibus scabie jam tentatis. *Spuma argenti*, technico vocabulo *lithargyrus, argyritis*. — 76 Idææ pinus, de monte Phrygiæ, picem præbebant optimam. — 77 Maritimam scillam. *Graves*, graveolentes. — 78 Nullum præsentius et efficacius est auxilium hujus mali. — 79 Recte observatum, *abnegat* esse desperantis auxilium, *sedet* esse ignavi. *Omina* vel signa, malum abire et bonum accedere indicantia. — 80 Thraciæ populus ad ripas Strymonis fluvii (hodie *Strama*) incolens. *Geloni*, vide II, 115, n. 96. — 81 *Fugit* refero ad Romanorum famam et victorias, quas fugiendo Bisaltæ recedunt in Rhodopen. Ab altera parte Geloni nomades descendunt in *deserta Getarum* sive Getarum solitudinem, quæ extenditur inter Danubium et Tyram sive Danastrum (hodie *Dniester*). Apud Tartaros harum regionum incolas victus idem etiamnum perstare dicitur. — 82 Continuo macta eam ovem *quam* etc. Umbræ *molli*, in qua molliter ei est, quam petit sibi jucundam. — 83 Vide notam 76 Eclogæ VIII.

Jam poeta non redit ad inchoatam structuram, *Quam* ovem *videris* etc., nec subjungit HANC *continuo occide*, sed liberius pergit : (eam) *culpam ferro compesce*, tale initium mali (ut omne malum ex aliqua *culpa* emergere solet) coërce et resecа ferro sive cultro. — 84 Gregis multitudinem, quæ sibi non præcavet. — 85 Adducens procellas et imbres. *Creber* etiam de denso dicebatur. *Ruit æquore*, ruit, irruit a mari, ex qua regione (ut jam alibi diximus) procellæ pluviæque in Italiam ingruunt. — 86 *Æstiva* de ipsis gregibus per *æstiva* (quod de pascuis dixit Plinius) pascentibus, sicut supra v. 390 *campo*, not. 47. *Spem*, vide *Ecl.* I, not. 16; *gentem*, supra v. 73, n. 64. — 87 *Sciat* (scire poterit hoc, nimirum morbis perire stirpitus greges totos. *Aerias*, altas, ut *Ecl.* I, n. 57. *Castella in tumulis*, villæ et vici in montibus siti per Noricum, ab Alpibus supra Adriaticum mare ad Danubium protensum, inter Vindeliciam et Pannoniam. — 88 Timavus (de quo v. not. 5 *Ecl.* VIII) alluit fines lapydum, gentis Illyrici. — 89 Tanto tempore post. Sed ignoratur hodie quando Norieum afflixerit illa clades Virgilii ingenio nobilitata. Quocum conferendus Lucretius VI, 1136 seqq. — 90 Aeris vitio, intemperie. Item *tempestas* de aeris temperie dictum. — 91 Tota vi æstûs autumnalis. Nam apud Romanos Augusti mensis dies undecimus autumni primus habebatur. — 92 Quod græca voce *miasma* aeris vocamus. — 93 *Ignea sitis*, æstus, febris ardens cum siti, acta per omnes venas iisque inhærens, artus *adduxerat*, id est contraxerat, ut Ovidius: *macies adduxerat artus*. — 94 Humores corrupti, tabum. Qui *liquor* ossa omnia *in se trahebat*, solvebat et colliquefaciebat, ut et ipsa in humorem tabidum abirent. — 95 In medio sacrificio. Capiti et oculis victimæ circumdabatur *infula*, ne refugeret illa sacrificuli cultrum : quæ infula vitta alba, utrimque ad aures dependente, vinciebatur. — 96 Fibris vel extis ex ea victima sive ejus victimæ. — 97 *Responsa* de rebus futuris aut voluntate deorum, quæ exprimi credebantur varia conditione extorum sive fibrarum (conf. I, 484, n. 32), haruspici sive extispici (*vati*, evolvendæ. In quibus si qua pars deesset aut corrupta esset, *mutata exta* dicebantur. — 98 Cultri *suppositi* jugulo : nam ex ritu sacro subter jugulum culter adigebatur. — 99 Sanguine exiguo, pauco, eoque corrupto. — 1 Passim. *Dulces*, quia vita est dulcis.

Continuo culpam ferro compesce, priusquam
Dira per incautum serpant contagia vulgus[84].
Non tam creber, agens hiemem[85], ruit æquore turbo
Quam multæ pecudum pestes : nec singula morbi
Corpora corripiunt, sed tota æstiva[86] repente,
Spemque gregemque simul, cunctamque ab origine gentem.
Tum sciat[87], aerias Alpes et Norica si quis
Castella in tumulis et lapydis[88] arva Timavi
Nunc quoque post tanto[89] videat, desertaque regna
Pastorum et longe saltus lateque vacantes.

Hic quondam morbo cœli[90] miseranda coorta est
Tempestas, totoque autumni[91] incanduit æstu,
Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum,
Corrupitque lacus, infecit pabula tabo[92].
Nec via mortis erat simplex ; sed ubi ignea venis
Omnibus acta[93] sitis miseros adduxerat artus,
Rursus abundabat fluidus liquor[94], omniaque in se
Ossa minutatim morbo collapsa trahebat.
Sæpe in honore deûm[95] medio stans hostia ad aram,
Lanea dum nivea circumdatur infula vitta,
Inter cunctantes cecidit moribunda ministros ;
Aut si quam ferro mactaverat ante sacerdos,
Inde[96] neque impositis ardent altaria fibris,
Nec responsa[97] potest consultus reddere vates ;
Ac vix suppositi[98] tinguuntur sanguine cultri,
Summaque jejuna sanie[99] infuscatur arena.
Hinc lætis vituli vulgo[1] moriuntur in herbis,
Et dulces animas plena ad præsepia reddunt ;
Hinc canibus blandis rabies venit, et quatit ægros

Tussis anhela sues, ac faucibus angit obesis[2].
Labitur, infelix studiorum[3] atque immemor herbæ,
Victor equus, fontesque avertitur[4], et pede terram
Crebra ferit; demissæ aures; incertus ibidem[5]
Sudor, et ille quidem morituris frigidus; aret
Pellis, et ad tactum tractanti[6] dura resistit.
Hæc ante exitium primis dant signa diebus;
Sin in processu cœpit crudescere morbus,
Tum vero ardentes oculi atque attractus ab alto[7]
Spiritus, interdum gemitu gravis; imaque longo
Ilia singultu tendunt; it naribus[8] ater
Sanguis, et obsessas[9] fauces premit aspera lingua.
Profuit inserto latices infundere cornu
Lenæos[10]: ea visa salus morientibus una.
Mox erat hoc ipsum exitio, furiisque[11] refecti
Ardebant, ipsique suos, jam morte sub ægra,
(Di meliora piis[12], erroremque hostibus illum!)
Discissos nudis[13] laniabant dentibus artus.
Ecce autem duro fumans[14] sub vomere taurus
Concidit, et mixtum spumis vomit ore cruorem,
Extremosque ciet gemitus. It tristis arator,
Mœrentem abjungens fraterna[15] morte juvencum,
Atque opere in medio defixa relinquit aratra.
Non umbræ altorum nemorum, non mollia possunt
Prata movere animum[16], non qui per saxa volutus
Purior electro[17] campum petit amnis: at ima
Solvuntur[18] latera, atque oculos stupor urget inertes,
Ad terramque fluit devexo pondere cervix.
Quid labor aut benefacta[19] juvant? quid vomere terras
Invertisse graves? Atqui[20] non Massica Bacchi
Munera, non illis epulæ nocuere repostæ[21]:
Frondibus et victu pascuntur simplicis herbæ;
Pocula sunt fontes liquidi atque exercita[22] cursu
Flumina; nec somnos abrumpit cura salubres.
Tempore non alio[23] dicunt regionibus illis

2 Dicit *anginam*, ἀγχόνην, morbum suibus peculiarem. — 3 Similiter supra dictum *felix operum*, 1, 277: cui nihil prosunt studia sua, ars et victoriæ repertatæ. — 4 Aversatur; detrectat potum. *Crebra*, neutrum plurale ex hellenismo, pro: crebro. — 5 Circa easdem aures; de capitis sudore. *Incertus*, pervices accedens et recedens. — 6 Manu tangenti. — 7 Ex imo pectore. — 8 Secundum Lucretium: *Corruptus sanguis expletis naaribus ibat*, v. 1202. — 9 *Obsessus* vel asperitudine inflammatæ et tumentis linguæ, vel ulceribus, ut est apud Lucretium: *ulceribus vocis via septa coibat*, v. 1146. — 10 Latices Bacchi, vinum; vide II initio, n. 4. — 11 Novo furore incalescebant quos vinum refecerat. — 12 Supple *dent. Errorem*, mentis alienationem, furorem illum, quo correpti illi se ipsi dilaniabant. — 13 Dentibus nudatis post diducta labia, more ringentium canum et hominum furiosorum. — 14 Æstuans, sudans in labore arandi. — 15 Fratris, sodalis mortem. *Defixa*, terræ infixa. — 16 *Animum* boum ægrorum, quos jam nihil delectat. — 17 *Electro* metallo, non succino. « Sicut electrum defæcatius est metallis omnibus, ita et currens aqua ceteris purior » *Serv.* — 18 Flaccescunt. — 19 Beneficia quæ boves aratores in homines conferunt. — 20 Atqui boum hæc mala non debentur luxuriei et deliciis, quibus homines mala in se arcessunt. De *Massico* vino vide II, 143, n. 14. — 21 Epulæ lautissimæ, ex iis quæ diu in cella penuaria *repostta* ad luxuriosam cœnam depromuntur. Sic *repostum Cæcubum* apud Horatium *Epod.* IX, 1. — 22 Flumina quæ semper labuntur, exercentur motu perpetuo. — 23 Tum factum esse dicunt quod alio tempore nullo contigit in illis regionibus pecorosissimis, ut penuria esset vaccarum candidarum. *Quæsitas* esse idem fere sonat quod: quærendas fuisse, ob raritatem et inveniendi difficultatem; desideratas esse, defuisse.

Quæsitas ad sacra boves Junonis [24], et uris
Imparibus ductos alta ad donaria [25] currus.
Ergo ægre rastris terram rimantur, et ipsis
Unguibus infodiunt fruges [26], montesque per altos
Contenta cervice trahunt stridentia plaustra.
Non lupus insidias [27] explorat ovilia circum,
Nec gregibus nocturnus obambulat : acrior illum
Cura domat [28] ; timidi damæ cervique fugaces
Nunc interque canes et circum tecta vagantur.
Jam maris immensi prolem et genus omne natantum
Litore in extremo, ceu naufraga corpora, fluctus
Proluit ; insolitæ [29] fugiunt in flumina phocæ.
Interit et curvis [30] frustra defensa latebris
Vipera, et attoniti squamis adstantibus [31] hydri.
Ipsis est aer avibus non æquus, et illæ
Præcipites alta vitam sub nube relinquunt.
Præterea jam nec mutari pabula refert,
Quæsitæque nocent artes [32] ; cessere magistri,
Phillyrides [33] Chiron, Amythaoniusque Melampus.
Sævit et in lucem Stygiis emissa tenebris
Pallida Tisiphone [34] Morbos agit antè Metumque,
Inque dies avidum surgens caput altius effert.
Balatu pecorum et crebris mugitibus amnes
Arentesque [35] sonant ripæ collesque supini.
Jamque catervatim dat [36] stragem atque aggerat ipsis
In stabulis turpi dilapsa cadavera tabo,
Donec humo tegere ac foveis abscondere discunt [37].
Nam neque erat coriis usus, nec viscera quisquam
Aut undis abolere [38] potest, aut vincere [39] flamma ;
Ne tondere quidem morbo illuvieque peresa
Vellera, nec telas [40] possunt attingere putres :
Verum etiam invisos [41] si quis tentarat amictus,
Ardentes papulæ atque immundus olentia sudor
Membra sequebatur [42] ; nec longo deinde moranti
Tempore contactos artus sacer ignis [43] edebat.

24 Sacerdos Junonis in templum deæ vehebatur curru vaccis *niveis* juncto. Tum vero necessitas erat ut contra ritum et indecore sacer currus traheretur a bovibus imparibus. De *uris* vide II, 374, not 85. — 25 Ad locum ubi donaria alte exstructa sunt (dicti græce θησαυροί), id est templum. — 26 Semina. — 27 Loca insidiis apta, sive modos quibus struat insidias. — 28 Nempe cura morbi, quo et ipse et reliquæ bestiæ, adeoque pisces correpti sunt. — 29 Non solitæ id facere ; nam in mari degunt. — 30 Sinuosis sub terra. — 31 Stantibus et erectis, horrentibus ; ut in equis *pellis dura* et tangenti *resistens*, supra v. 502. — 32 Remedia arte exquisita. *Cessere* morbo, neque arte sua contra eum stare ausi sunt *magistri* pecoris, etiam peritissimi rei medicæ, quales Chiro et Melampus. Lucretius : *mussabat tacito medicina timore*, v. 1177. — 33 Doctissimus filius Philyræ ; vide p. 96, n. 77. Prima syllaba producta more græco ob duas breves insequentes. Amythaonis filius Melampus sanitati restituit Prœtidas, de quibus vide *Ecl.* VI, not. 47. — 34 Furiarum una, *avida* mortis. *Antè*, ante se. — 35 Ripæ fluminum quæ æstu prope exaruerunt. — 36 Edit Tisiphone. — 37 *Discunt* homines, ut inhibendæ pestis modum ; prius enim cadavera non statim humaverant, usum aliquem ex iis sperantes, quem nullum esse mox intellexere. — 38 Abluendo purgare et tetrum odorem abigere. *Viscera*, carnes. — 39 Mollire, coquere. Carnes quippe illæ durescebant coquendo. — 40 *Telas*, nimirum si quis tamen morticina totonderat et ex lana telam confecerat ; sive brevius : *telas*, si quas inde confecerint, attingere non possunt, utpote *putres* et statim dilabentes. Subaudienda sententia attentum lectorem effugere non potest. — 41 Amictus *invisos*, utpote miseras reliquias pecudum amissarum. — 42 Per singula membra ibat, in omnia membra se diffundebat. — 43 Morbus cancro carbunculove similis, nobis *feu Saint-Antoine* ; de quo Celsus V, 28, § 4.

LIBER IV.

PROTINUS[1] aerii mellis cœlestia dona
Exsequar. Hanc etiam, Mæcenas, aspice partem.
Admiranda tibi levium spectacula rerum,
Magnanimosque duces, totiusque ordine[2] gentis
Mores et studia, et populos, et prœlia dicam.
In tenui labor; at tenuis non gloria, si quem
Numina læva[3] sinunt, auditque vocatus Apollo.
Principio sedes apibus statioque petenda,
Quo[4] neque sit ventis aditus (nam pabula venti
Ferre domum prohibent), neque[5] oves hædique petulci
Floribus insultent, aut errans bucula campo
Decutiat rorem, et surgentes atterat herbas.
Absint et picti[6] squalentia terga lacerti
Pinguibus a stabulis, meropesque, aliæque volucres,

1 Hinc, deinceps canam mellificium. De epithetis quæ melli tribuuntur et de veterum opinione legendus est Plinius, XI, 42, unde aliqua excerpimus : « Venit mel ex *aere*, et maxime siderum exortu,... sublucanis temporibus. Itaque tum prima aurora folia arborum melle roscida inveniuntur (confer I, 131, n. 37)... Sive ille est cœli sudor, sive quædam siderum saliva, sive purgantis se aeris succus, utinam esset et purus ac liquidus, et suæ naturæ, qualis defluit primo: nunc vero e tanta cadens altitudine, multumque, dum venit, sordescens, et obvio terræ halitu infectus, præterea e fronde ac pabulis potus, et in utericulos congestus apum,... ad hæc succo florum corruptus, et alveis maceratus, totiesque mutatus, magnam tamen *cœlestis* naturæ voluptatem affert. » Ita Plinius. — 2 Ex ordine (ut III, 341), aliud post aliud. — 3 Si quem hoc assequi sinunt numina *læva*, id est invida, adversa; si non impediunt poetam dii adversi, et si exauditur ab Apolline (et Pastorali, Νομίῳ, et Musageta) invocato. Non prætereunda quæ A. Gellius his versibus ascripsit, *Noct. Att.* V, 12 : « Virgilium quoque aiunt, *multæ antiquitatis hominem sine ostentationis odio peritum*, numina læva in Georgicis deprecari, significantem quandam vim esse hujusce modi deorum in lædendo magis quam in juvando potentem. » Alii, diversum in modum, *læva* ex augurali disciplina explicabant : prospera, ut est *Æn.* II, 693 : *Intonuit lævum*, de fausto omine. — 4 Talis in quam... — 5 *Neque* ubi, vel et ubi non *aves* etc. — 6 Lacerti squalida terga habentes picta, maculosa, vel, ut Ovidius loquitur, *variis stellati corpora gutlis* : unde vocata *stellionum* species. *Stabula* de alvearibus etiam in

prosa dixit Celsus apud Columellam, qui de lacerto : *is velut custos vestibulo prodeuntibus inhians apibus affert exitium.* — 7 Et hirundo, pectore fere rubro, qui color ex fabula deducitur : Procnen suis manibus filium jugulasse, deinde in hirundinem esse versam ; *nec adhuc* (addit Ovidius *Met.* VI, 669 *de pectore cædis Effugere notæ, signataque sanguine pluma est.* — 8 Vasta et inania reddunt cæde. *Volantes*, apes ; vide III, 147, n. 13. — 9 *Nidi* poetice de pullis, ut *Æn.* XII, 475, ubi hirundo *legit nidis loquacibus esca.* — 10 *Vestibulum* alvearium sive apiarii ; conf. not. 6. — 11 Pro : quum primum, ut jam aliquoties dictum. *Rex* et βασιλεύς de *regina* apium apud antiquos omnes, qui sexum ejus ignorabant, præter anonymum ab Aristotele memoratum. Vere *suo*, « sibi grato et aptissimo », recte explicat Servius, sicut navem ferre dicuntur venti *sui*, etc. — 12 Decedendo in alium locum vitare calorem ; conf. *Ecl.* VIII, not. 76. — 13 Et examina *obvia*, advenientia arbor *teneat* apud se, excipiat hospitio in frondibus suis. — 14 *In medium* humorem sive stagni sive rivi. Substantivum, ut sæpe fit, interjecto membro assutum. — 15 *Sparserit* sive asperserit imbre, irrorarit. *Neptuno*, aquæ, quæ apiculis est tanquam altum mare. Vehementis Eurі jam sæpius meminit poeta. — 16 Circum *hæc*, hos fontes et rivos, hæc stagna. *Casiæ*, vide not. 46 Eclogæ II. *Thymbra*, species nostræ *sarriette*. — 17 *Ipsa* alvearia ; structum ut modo in not. 14. Omnium optima habebantur quæ ex suberis cortice consuta essent. *Cavatis*, ita dispositis ut cavum efficiant. — 18 Resolvit liquefaciendo. — 19 Scande *tenuia*. *Fuco et floribus* disjunctim dictum pro : fuco florum sive ex floribus, more poetarum jam aliquoties memorato. *Fucum* dicit florum succum viscosum, quo oblinunt apes rimas alvearium ut fuco homines faciei rugas. — 20 Est *propolis* hodieque dicta, de qua Plinius : « E vitium populorumque gummi (lit) propolis, crassioris jam materiæ, additis floribus (i. e. succo ex floribus collecto), nondum tamen cera, sed favorum stabilimentum, qua omnes frigoris aut injuriæ aditus obstruuntur. » — 21 Vide III, 450, not. 76. *Servant*, paratum habent. — 22 Domum habent, habitant ; vide III, 420, not. 62. *Penitus*, in penitis sive intimis, intus. *Pumex* apud poetas de quibusvis saxis cavernosis.

Et[7] manibus Procne pectus signata cruentis :
Omnia nam late vastant[8], ipsasque volantes
Ore ferunt, dulcem nidis[9] immittibus escam.
At liquidi fontes et stagna virentia musco
Adsint, et tenuis fugiens per gramina rivus,
Palmaque vestibulum[10] aut ingens olcaster inumbret :
Ut, quum prima[11] novi ducent examina reges
Vere suo, ludetque favis emissa juventus,
Vicina invitet decedere ripa calori[12],
Obviaque[13] hospitiis teneat frondentibus arbos.
In medium[14], seu stabit iners, seu profluet humor,
Transversas salices et grandia conjice saxa,
Pontibus ut crebris possint consistere, et alas
Pandere ad æstivum solem, si forte morantes
Sparserit[15] aut præceps Neptuno immerserit Eurus.
Hæc circum[16] casiæ virides, et olentia late
Serpylla, et graviter spirantis copia thymbræ
Floreat, irriguumque bibant violaria fontem.
Ipsa[17] autem, seu corticibus tibi suta cavatis
Seu lento fuerint alvearia vimine texta,
Angustos habeant aditus : nam frigore mella
Cogit hiems, eademque calor liquefacta remittit[18].
Utraque vis apibus pariter metuenda ; neque illæ
Nequicquam in tectis certatim tenuia[19] cerà
Spiramenta linunt, fucoque et floribus oras
Explent, collectumque hæc ipsa ad munera gluten[20]
Et visco et Phrygiæ servant pice lentius Idæ[21].
Sæpe etiam effossis (si vera est fama) latebris
Sub terra fovere larem[22], penitusque repertæ
Pumicibusque cavis, exesæque arboris antro.

Tu tamen [23] e lævi rimosa cubilia limo
Unge fovens [24] circum, et raras superinjice frondes.
Neu propius tectis taxum [25] sine; neve rubentes
Ure foco cancros [26]; altæ neu crede paludi,
Aut [27] ubi odor cœni gravis, aut ubi concava pulsu [28]
Saxa sonant, vocisque offensa resultat imago.

Quod superest [29], ubi pulsâ hiemem Sol aureus egit
Sub terras [30], cœlumque æstiva luce reclusit,
Illæ continuo saltus silvasque peragrant,
Purpureosque metunt [31] flores, et flumina libant
Summa leves. Hinc nescio qua dulcedine lætæ,
Progeniem nidosque fovent [32]; hinc arte recentes
Excudunt ceras, et mella tenacia fingunt.
Hinc ubi jam emissum caveis [33] ad sidera cœli
Nare per æstatem liquidam [34] suspexeris agmen,
Obscuramque trahi vento mirabere nubem,
Contemplator: aquas dulces et frondea semper
Tecta [35] petunt. Huc tu jussos adsperge sapores,
Trita melisphylla [36], et cerinthæ ignobile gramen;
Tinnitusque cie et Matris [37] quate cymbala circum:
Ipsæ consident medicatis [38] sedibus; ipsæ
Intima more suo sese in cunabula condent.

Sin autem ad pugnam exierint (nam sæpe duobus
Regibus [39] incessit magno discordia motu),
Continuoque animos vulgi et trepidantia [40] bello
Corda licet longe præsciscere: namque morantes
Martius ille æris rauci canor [41] increpat, et vox

23 Monet poeta apiarium, ut sua quoque opera adjuvet diligentiam apum. Limo *lævi*, ita subacto ut sit lubricus tactu, non asper. — 24 Ita fovens apes, et calorem continens. — 25 Vide *Ecl.* IX, not. 28. — 26 Cancri urebantur quorundam ad morborum curam, unde odor gravissimus, quem arceri studiose ab alvearibus præcipit poeta, item ut alios odores tetros. — 27 *Aut* alii loco *ubi* est etc.: in talibus locis non ponenda alvearia. — 28 *Pulsu* sive impulsu aeris repercussi, vel *offensi*, allisi solido: quod poeta cum *resultat* junxit, relatum ad *vocis imaginem*, ut latine plerumque dicitur echo, ἠχώ. De ipsa re audi Plinium: « Inimica est apibus et echo, resultanti sono, qui pavidas alterno pulset ictu. » — 29 Lucretiana formula transeundi ad aliam partem argumenti, jam adhibita II, 346. — 30 Hiems credebatur per æstatem depulsa esse in interiora terræ, quippe tum frigidiora aere; atque æstas vicissim ibidem sese condere per hiemem, qua subterranea et putei profundi aliquem calorem servant. Cœlum *reclusit*, antea clausum aspectui, nubibus ac nimbis obductum. — 31 Metunt ut agricolæ; alibi *carpunt*. — 32 Fœtus suos curant, conf. n. 9, et cum præcedentibus conf. I, 412. — 33 Alveis, metonymice ob similitudinem *cavearum* theatri. — 34 Per serenum aerem æstivum. *Nare* de volatu, *nubes* de examine apum etiam apud alios poetas. — 35 Arborem. *Huc*, in hanc arborem; ne ulterius procedat examen. — 36 Nostram *melisse*. *Cerinthæ*. scilicet majoris vel asperæ, pervulgarem herbam, *le grand mélinet*. — 37 *Matris* deûm, Cybeles, cujus nota sunt orgia magno strepitu cymbalorum et tympanorum celebrata. — 38 Sedibus quæ vim illarum herbarum imbuerunt vel fricatione, vel succo asperso, vel suffiendo: nam varia in his præcipiuntur. — 39 Vide not. 11. Frustra quæras apodosin ad *Sin autem exierint* referendam. *Pugnæ* mentione poeta quasi abripitur in ipsam pugnam, quam statim magnifice describit, inchoatæ per particulam conditionalem orationis oblitus. Penultimo demum versu hujus sectionis (v. 86) subjicit: *Hæc certamina pulveris exigui jactu* comprimuntur: quæ ita respondent illis *Sin ad pugnam exierint*, ut logice pro altero membro vel apodosi eorum verborum possint haberi. — 40 *Trepidantia*, « alacritate pugnandi, non timore. » Sic Servius recte; nam *trepidare* dicitur de festinatione. Sed dubium est, *bello* utrum sit dativus pro « ad bellum, » an ablativus pro: cupiditate, ardore belli. — 41 His verbis ab re militari petitis et similibus in sequenti versu indicatur minax illud murmur apum, quod *bombum* dicunt Latini. Etiam Varro quasi *tubæ* quemdam

sonitum in his audire videbatur. — 42 Festinantes, properæ; vid. 40. *Coruscant* per frequentem et rapidum motum earum, micant. Non inepte Servius : « quemadmodum scuta milites commovent. » — 43 Quod apes facere videntur pariter ac muscæ. *Aptant lacertos* petitum est a pugilibus, qui ante certamen explorant vires, jactant brachia, ut ille in *Æn.* V, 376, *alterna jactat Brachia protendens, et verberat ictibus auras. Prætoria*, vocabulum castrense, de cellulis regum, multo quam ceteræ majoribus. — 44 Conveniunt. — 45 Cœlum sudum sive apricum verni temporis, et aerem ab omni parte patentem, non clausum nebulis aut nubibus : is aer ipsis est pro *campo* pugnæ. — 46 Reges, præ ceteris apibus insignes

Auditur fractos sonitus imitata tubarum ;
Tum trepidæ [42] inter se coeunt, pennisque coruscant,
Spiculaque exacuunt rostris [43], aptantque lacertos,
Et circa regem atque ipsa ad prætoria densæ
Miscentur [44], magnisque vocant clamoribus hostem.
Ergo ubi ver nactæ sudum [45] camposque patentes,
Erumpunt portis : concurritur ; æthere in alto
Fit sonitus : magnum mixtæ glomerantur in orbem.
Præcipitesque cadunt : non densior aere grando,
Nec de concussa tantum pluit ilice glandis.
Ipsi [46] per medias acies, insignibus alis,
Ingentes animos angusto in pectore versant.
Usque adeo obnixi non cedere, dum gravis [47] aut hos
Aut hos versa fuga victor dare terga subegit.
Hi motus animorum atque hæc certamina tanta
Pulveris exigui jactu compressa quiescunt [48].

Verum ubi ductores acie revocaveris ambo,
Deterior [49] qui visus, eum, ne prodigus obsit,
Dede neci : melior vacua sine regnet in aula.
Alter erit maculis auro squalentibus [50] ardens
(Nam duo sunt genera) : hic melior, insignis et ore [51].
Et rutilis clarus squamis ; ille horridus alter
Desidia [52], latamque trahens inglorius alvum.
Ut binæ regum facies, ità [53] corpora plebis :
Namque aliæ turpes horrent [54], ceu pulvere ab alto
Quum venit et sicco terram spuit ore viator
Aridus ; elucent aliæ et fulgore coruscant,
Ardentes [55] auro et paribus lita corpora guttis.
Hæc potior soboles ; hinc cœli tempore certo [56]
Dulcia mella premes, nec tantum dulcia, quantum
Et liquida [57], et durum Bacchi domitura saporem.
At quum incerta volant cœloque [58] examina ludunt,

— 47 Victor *gravis*, graviter urgens, opprimens. — 48 Plinius : *Hæc dimicatio injectu pulveris aut fumo tota discutitur.* — 49 *Deterior*, non inferior pugnâ (quæ statim debet interpellari, sed indolis deterioris, cujus signa mox indicantur. *Prodigus*, mella consumens inutiliter. *Vacua* altero rege, jam libera. — 50 Tanquam auro obducto fulgentibus. — 51 Facie, adeoque tota forma. Ultima vocis *melior* producta in arsi. — 52 Ille alter est *horridus*, incultus et turpi aspectu, quales sunt qui per desidiam et ignaviam cultum corporis negligunt. *Inglorius*, adeo ut obesi nimis milites a ducibus increpari non erubescant. — 53 *Ità* bina sive duorum generum sunt *corpora* ceterarum apum. — 54 Horrida quadam asperitate sunt, similes homini ex æstiva via pulvere undique obtecto, qui spuit *terram*, sputum plurimo pulvere terræ mixtum exspuit. — 55 Fulgentes. *Lita*, illita, inducta maculis item aureis. — 56 Vere et autumno. *Premes*, promendo eliquabis. — 57 Limpida, pura. *Bacchi*, vini. Veteres vino, præsertim vetera et austeriora, melle condiebant : unde pretiosissimum illud *mulsum* Romanorum. — 58 In aere, per aerem. Tecta *frigida*, eo ipso quòd ab apibus destitutum est alvearium.

Contemnuntque favos et frigida tecta relinquunt.
Instabiles animos ludo prohibebis[59] inani.
Nec magnus prohibere labor : tu regibus alas
Eripe ; non illis quisquam[60] cunctantibus altum
Ire iter aut castris audebit vellere signa.
Invitent[61] croceis halantes floribus horti,
Et custos furum atque avium cum falce saliqua
Hellespontiaci[62] servet tutela Priapi.
Ipse thymum pinosque[63] ferens de montibus altis
Tecta serat late circum, cui talia curæ ;
Ipse labore manum duro terat ; ipse feraces
Figat humo plantas, et amicos irriget[64] imbres.
Atque equidem, extremo ni jam sub fine laborum[65]
Vela traham et terris festinem advertere proram,
Forsitan et, pingues[66] hortos quæ cura colendi
Ornaret, canerem, biferique rosaria Pæsti[67] ;
Quoque modo potis gauderent intuba[68] rivis,
Et virides apio ripæ ; tortusque per herbam
Cresceret in ventrem cucumis ; nec sera[69] comantem
Narcissum aut flexi tacuissem vimen acanthi,
Pallentesque hederas, et amantes litora myrtos.
Namque sub Œbaliæ[70] memini me turribus altis,
Qua niger humectat flaventia culta Galæsus[71],
Corycium[72] vidisse senem, cui pauca relicti

59 Futurum itidem ut nostra linguâ ponitur in consilio aut præcepto. *Ludo*, vago volatu. — 60 *Non quisquam*, nemo, ut de subjectis, aut de militibus. *Altum iter*, de volatu. Nullæ apes aut evolabunt ad ludum, aut ad bellum exibunt. Milites in aciem prodeuntes vellebant signa militaria ante prætorium terræ infixa. — 61 *Invitent* apes ad manendum atque retineant *horti* plantati in propinquo : in quibus statui solebat signum Priapi, dei hortorum tutelaris. ab Horatio quoque dicti *furum aviumque Maxima formido*. — 62 Priapus Lampsaci, oppido ad Hellespontum sito, in primis colebatur. « Hortis præesse dicitur propter eorum fœcunditatem : nam quum alia terra semel aliquid creet, horti nunquam sine fructu sunt. » *Serv.* — 63 Conf. *Ecl.* VII, not. 64. Deinde strue : *serat circum tecta*, alvearia. *Cui* (sunt) refer ad *Ipse*. — 64 *Imbres irriget* plantis, aquâ de fonte aut rivo petitâ eas irriget tanquam imbre quem amant. Eadem constructio verbi *irrigo* in *Æn.* I, 694 : *Venus Ascanio placidam per membra quietem Irrigat*, et apud Catonem : *amurcam irrigare ad arbores*. — 65 Poematis hujus ad finem properarem. *Vela traham*, id est contraham, quod faciunt nautæ portum intraturi, solis tum remis utentes. Iidem terræ, cui appropinquant, adversam habent proram, puppim relictæ. — 66 Qui sunt solo pingui, fertiles. — 67 *Pæstum* sive Posidonia, Lucaniæ oppidum, hodie *Pesti* vicus, rosariis suis inclaruit, quæ ob eximiam illius cœli clementiam bis anno rosas ferebant, vere atque autumno. Argumentum a Virgilio relictum, sive potius delibatum versibus paucis, sed illustribus, Columella modeste nec ἀμούσως tractavit libro decimo Rei Rusticæ : *de cultu hortorum*. — 68 Intuba sativa, nobis *endives*, non intuba erratica (*chicorée amère*), libro I memorata, v. 120. *Gaudeo* satis frequenter cum perfecti participio jungitur. Perge : et quomodo *ripæ* rivulorum, qui hortum irrigant, gauderent *apio*, inde virides. Est *l'ache de marais*, cujus species est qui apud nos colitur *céleri*. — 69 *Sera* (neutro plurali) pro : sero. Intellige narcissi species serotinam regionum meridionalium, novembri mense atque adeo decembri florentem. De *acantho* conf. *Ecl.* III, not. 45, de *pallenti* hedera ibidem not. 38. — 70 *Œbalia* urbs vel arx, Tarentum, colonia Lacedæmoniorum, qui a vetere rege Œbalo *Œbalii* appellantur. — 71 Galæsus fluvius, hodieque *Galaso*, quinque millibus passuum a Tarento labens inter flavas segetes, unde *niger* adspectu, etiam ob profunditatem. — 72 Ciliciæ (cui Cyprus objecta) urbs est *Corycus*, hodie *Cureo* : Cilices autem sollertissimi habebantur hortorum cultores atque artis *topiariæ* scientissimi. Sed hic excerpenda sunt docta scholia veterum interpretum. Servius : « Tangit historiam memoratam a Suetonio. Pompeius enim victis piratis Cilicibus partim ibidem, partim in Græcia, partim *in Calabria* agros dedit. Male

autem quidam *Coryciam* proprium esse asseruerunt nomen, quum sit appellativum hominis qui more Corycio hortos excoluit. Quod etiam Plinii testimonio comprobatur. • Ac Probus hæc narrat ex historiarum aliquo scriptore : • Pompeius quum oppugnaret piratas, remigibus eorum promisit agros, si vicisset eorum adjutorio. Quorum proditione victor, Tarentinorum agros veteranis divisit, et quicquid derrimum fuit, id remigibus Cilicibus) dedit. • — 73 *Ruris relicti* ab agrimensoribus nec intra limites recepti, quod culturæ ineptum esse videretur et sterili natura. — 74 Quæ non fieret fertilis *juvencis*, id est juvencorum sive boum labore, aratione. — 75 Neque fieret ager qui ferret segetem sive herbas pecoribus opportunas in pabulum, denique vitibus colendis aptus. Etiam *Ecl.* IX, 48, *seges* de ipso agro consito dictum. — 76 Olus *rarum*, non densum, sed per intervalla et ordines plantatum in *dumis*, loco dumoso, dumos ferenti. — 77 Solo figens, plantans ; vide II, 346, n. 66. Papaver *vescum*, vesca et valde tenuia grana habens. — 78 Regales divitias sibi videbatur habere. — 79 Sic *beatus* rusticus Horatii *dapes inemptas apparat*. — 80 Carpebat ; infinitivo qui dicitur narrationis. — 81 Vide notam 51 Eclogæ VI. Hyacinthus nobis *lis martagon*. *Tondebat*, carpebat, *comam*, folia et florem. — 82 Apibus gravidis aut jam enixis partum (nam utrumque significat *fœtus*), nova progenie apum. *Abundare*, abundabat, ut 80. Tilia et pinus hortensis gratæ apibus. — 83 Sententia : Quot flores arbor ostenderat vere, totidem poma ferebat autumno. Poeta arborem florentem dicit *se induere pomis*, scilicet futuris, quæ ventura nuntiantur floribus. — 84 Hi tres versus accipi solent de transplantatione arborum *jam adultarum* : de qua non est cogitandum. Commemorat poeta arbores olim a Corycio, nunc sene, ordinibus dispositas, quas ipse post longum tempus videbat adultas. Ille igitur, dum hortum instruebat, *in versum* sive versus et ordines (de quibus vide II, 277 seqq.) *distulit* sive disposuit ulmos *seras*, tarde crescentes et sero adolescentes. — 85 *Spino* qui nobis *prunier sauvage* pruna inserebantur. — 86 Spatio nimis angusto. *Aliis*, vide not. 67. — 87 Indidit. *Naturæ*, plurali, de variis dotibus naturæ ; similique sensu alia substantiva abstracta pluralem habent. *Mercede* adjunctum est pronomini relativo, quod præcedere debebat, sic : Jupiter apibus dedit naturas admirabiles, quæ sunt merces, pro qua illæ paverunt ipsum infantem. Apum ingenium stupendum est merces alimoniæ Jovi infanti datæ sive potius *dandæ* ! Observes hic Numen mundi et mythicum deum memorabiliter collisos. — 88 Noti Curetes, Cybeles sacerdotes, vagitum Jovis recens nati cymbalis et armorum collisorum strepitu celantes Saturnum devoraturum, in antro Dictæ montis Cretæ. *Quæ, quamvis non dedeceant poetam, summatim tamen et uno*

Jugera ruris [73] erant ; nec fertilis illa juvencis [74],
Nec pecori opportuna seges [75], nec commoda Baccho.
Hic rarum [76] tamen in dumis olus, albaque circum
Lilia verbenasque premens [77], vescumque papaver,
Regum æquabat opes animo [78] ; seraque revertens
Nocte domum, dapibus mensas onerabat inemptis [79].
Primus vere rosam atque autumno carpere [80] poma :
Et, quum tristis hiems etiamnum frigore saxa
Rumperet et glacie cursus frenaret aquarum,
Ille comam mollis jam tondebat hyacinthi [81],
Æstatem increpitans seram Zephyrosque morantes.
Ergo apibus fœtis [82] idem atque examine multo
Primus abundare, et spumantia cogere pressis
Mella favis ; illi tiliæ atque uberrima pinus ;
Quotque [83] in flore novo pomis se fertilis arbos
Induerat, totidem autumno matura tenebat.
Ille etiam seras [84] in versum distulit ulmos,
Eduramque pirum, et spinos [85] jam pruna ferentes,
Jamque ministrantem platanum potantibus umbras.
Verum hæc ipse equidem, spatiis exclusus iniquis [86],
Prætereo atque aliis post commemoranda relinquo.

Nunc age, naturas apibus quas Jupiter ipse
Addidit [87], expediam, pro qua mercede, canoros
Curetum [88] sonitus crepitantiaque æra secutæ,

Dictæo cœli Regem pavere sub antro.
Solæ communes natos, consortia[89] tecta
Urbis habent, magnisque agitant sub legibus ævum,
Et patriam solæ et certos novere penates;
Venturæque hiemis memores, æstate laborem
Experiuntur, et in medium quæsita[90] reponunt.
Namque aliæ victu invigilant, et fœdere pacto[91]
Exercentur agris; pars intra sæpta domorum
Narcissi lacrimam[92] et lentum de cortice gluten
Prima favis ponunt fundamina, deinde tenaces
Suspendunt ceras; aliæ spem gentis, adultos
Educunt fœtus; aliæ purissima mella
Stipant, et liquido distendunt[93] nectare cellas.
Sunt quibus ad portas cecidit custodia sorti[94];
Inque vicem speculantur aquas et nubila cœli;
Aut onera accipiunt venientum; aut, agmine facto,
Ignavum fucos pecus[95] a præsepibus arcent.
Fervet[96] opus, redolentque thymo fragrantia mella:
Ac veluti lentis[97] Cyclopes fulmina massis
Quum properant, alii taurinis follibus auras
Accipiunt redduntque, alii stridentia tinguunt
Æra lacu; gemit impositis[98] incudibus Ætna;
Illi inter sese magna vi brachia tollunt
In numerum[99], versantque tenaci forcipe ferrum:
Non aliter (si parva licet componere magnis)
Cecropias[1] innatus apes amor urget habendi,
Munere quamque suo. Grandævis oppida curæ,
Et munire favos, et dædala[2] fingere tecta:
At fessæ multa referunt se nocte minores,
Crura thymo plenæ; pascuntur et arbuta passim,
Et glaucas[3] salices, casiamque, crocumque rubentem,
Et pinguem tiliam, et ferrugineos hyacinthos.

tantum modo versiculo leviter attigit Virgilius, et sic multa alia, subactissimo ubique judicio usus, quod non fugit Columellam, cujus sunt citata verba. *Secutæ*: namque « gaudent apes plausu et tinnitu æris, eoque convocantur, » inquit Plinius. — 89 Quæ communi sorte et possessione tenentur. — 90 Vide I, 127, not. 35. *Victu* dativus: victui. — 91 Certa lege constituta, qua munera inter se partiuntur. *Exercentur*, laborant. — 92 Humorem quem imus florum calyx exsudat. Sed *gluten* appellat resinam. *Fundamina* de propoli; vide not. 20. — 93 Repleant, sed ornatius dictum, ut in Eclogis *lacte distendi* de uberibus. — 94 *Cecidit sorti*, in sortem, ita cecidit ut custodia sit earum sors. Alii *sorti* habent pro ablativo; at hac forma alibi nusquam utitur Virgilius. *Aquas*, imbrem futurum. — 95 Fucos, qui sunt ignavum pecus. De his Columella: « Est genus amplioris incrementi, simillimum apis, sed sine industria favis assidens. Nam neque alimenta congerit, et ab aliis invecta consumit. Veruntamen ad procreationem sobolis conferre aliquid hi fuci videntur, insidentes seminibus (i. e. ovis), quibus apes figurantur. Itaque ad fovendam et educandam novam prolem familiarius admittuntur. Exclusis deinde pullis extra tecta proturbantur », fere exeunte mense julio. — 96 Cum fervore, ardore agitur. — 97 Massis *lentis*, ferri lenti, quod duci et cudi potest. *Properant*, properanter conficiunt. — 98 Incudibus *impositis* non Ætnæ, sed basibus suis, quas Homerus dicit ἀκμόβετα, Vulcani officinam describens in *Iliad*. Σ, 476: ὄφρεν ἐν ἀκμοβέτῳ μέγαν ἄκμονα. Sequentes versus sæpe laudati de arte rhythmica, qua res auri pingitur. — 99 Numerose, in rhythmum, ut *Ecl.* VI, n. 25. — 1 Apes Atticas, a Cecrope rege antiquissimo Atticæ; ita autem dicuntur ob Hymettum montem, thymi feracissimum et abundantem apibus mel eximium inde cogentibus. *Urget*, impellit ad industriam et operis fervorem similem Cyclopibus. *Amor habendi*, acquirendi studium. — 2 Mira arte constructa. — 3 Vide II, not. 13.

Omnibus una quies operum, labor omnibus unus.
Mane ruunt[4] portis; nusquam mora; rursus easdem
Vesper ubi e pastu tandem decedere campis
Admonuit, tum tecta petunt, tum corpora curant:
Fit sonitus mussantque[5] oras et limina circum.
Post, ubi jam thalamis se composuere[6], siletur
In noctem, fessosque sopor suus[7] occupat artus.
Nec vero a stabulis, pluvia impendente, recedunt
Longius, aut credunt cœlo[8] adventantibus Euris:
Sed circum tutæ[9] sub mœnibus urbis aquantur.
Excursusque breves tentant; et sæpe lapillos,
Ut cymbæ instabiles fluctu jactante saburram,
Tollunt: his sese per inania[10] nubila librant.
Illum adeo placuisse apibus mirabere morem,
Quod nec concubitu[11] indulgent, nec corpora segnes
In venerem solvunt, aut fœtus nixibus edunt:
Verum ipsæ[12] e foliis natos et suavibus herbis
Ore legunt; ipsæ regem parvosque Quirites
Sufficiunt, aulasque et cerea regna refingunt[13].
[Sæpe etiam duris errando in cotibus alas
Attrivere, ultroque animam sub fasce[14] dedere:
Tantus amor florum et generandi gloria mellis!]
Ergo ipsas quamvis angusti terminus ævi
Excipiat (neque enim plus[15] septima ducitur æstas),
At genus immortale manet, multosque per annos
Stat fortuna domus, et avi numerantur avorum.
Præterea regem non sic[16] Ægyptus et ingens
Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaspes[17]
Observant. Rege incolumi, mens omnibus una est;
Amisso, rupere[18] fidem, constructaque mella
Diripuere ipsæ, et crates solvêre favorum.
Ille operum custos; illum admirantur[19], et omnes
Circumstant fremitu denso, stipantque frequentes,
Et sæpe attollunt humeris, et corpora bello
Objectant[20], pulchramque petunt per vulnera mortem.
His quidam signis, atque hæc exempla secuti,
Esse apibus partem divinæ mentis et haustus

4 Prorumpunt. — 5 Murmurant, fremunt. — 6 In cellis corpora ad quietem capiendam composuerunt, ut Dido *se aureæ composuit sponda*, Æn. I, 698. — 7 *Suus*, tanquam debitus fessis, et multo labore diurno paratus. — 8 Cœlo adhuc sereno fidem non habent, quando venturos præsentiunt Euros. — 9 *Tutæ* propinquitate alvearium. — 10 *Inane* dicebatur omne quod sine corpore esse videtur, ut aer, nubes, umbræ mortuorum. — 11 Dativus. *Segnes* more poetico positum est de effectu actionis quam verbum exprimit, ut apud Horatium : *imbres hispidos manant in agros*, i. e. agros ISDE hispidos. Sic hoc loco *segnes*. — 12 Solæ, nullo mare utentes. Multi veterum putabant ex floribus legi apes novellas. *Quirites*, cives. — 13 Alvearia novâ sobole implent. Sequuntur tres versus Virgilio poeta dignissimi, sed prorsus alieno loco positi. Nonnulli superioribus eos inserebant, post illa quidem : *his sese per inania nubila librant*, v. 196 : non satis commode. — 14 Onere pabuli et mellis quæ afferunt. *Gloria*, studium rei laudabilis. — 15 *Plus* quam *septima ætas* api *ducitur*, vivitur. Plinius : *Apum vita, septenis annis universa.* — 16 *Non sic*, ut apes, *observant*, colunt, venerantur gentes regum suorum colentissimæ et quæ alium quemcunque statum civitatis ignorant præter monarchicum. — 17 Indiæ fluvius est Hydaspes (hodie *le Djelem*), qui in Paropamiso, Medorum monte, oritur : unde *Medus*. — 18 Perfecta, ut sæpius observatum, in re quæ certis temporibus solet fieri. — 19 Venerantur, ut græcum θαυμάζω. — 20 Sua corpora pro illo objectant armis hostilibus.

Ætherios[21] dixere : Deum namque ire per omnes
Terrasque tractusque maris, cœlumque profundum[22] :
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque sibi tenues nascentem arcessere vitas ;
Scilicet huc reddi[23] deinde ac resoluta referri
Omnia ; nec morti esse locum ; sed viva volare
Sideris in numerum[24], atque alto succedere cœlo.

Si quando sedem angustam servataque mella
Thesauris relines[25], prius haustu sparsus aquarum
Ora fove[26], fumosque manu prætende[27] sequaces.
Illis ira modum supra est[28], læsæque venenum
Morsibus[29] inspirant, et spicula cæca relinquunt
Affixæ venis, animasque in vulnere ponunt.
Bis gravidos cogunt[30] fœtus ; duo tempora messis,
Taygete simul[31] os terris ostendit honestum
Plias et Oceani spretos pede reppulit amnes.
Aut eadem[32] sidus fugiens ubi Piscis aquosi
Tristior hibernas cœlo descendit in undas.

Sin duram metues hiemem, parcesque futuro[33],
Contunsosque animos et res miserabere fractas :
At[34] suffire thymo, cerasque recidere inanes
Quis dubitet ? nam sæpe favos ignotus adedit
Stellio[35], et lucifugis congesta cubilia blattis.

21 Spiritum ex æthere cœlesti haustum. Deinde respicitur ad dogma veterum philosophorum de divina *anima mundi*. — 22 Vide *Ecl.* IV, not. 50. *Hinc*, ex hac anima mundi. Vitas *tenues*, utpote ex tenui et subtili æthere. — 23 In æthereum redire et resolvi omnes animas animalium. — 24 Sursum volare inter sidera, et tanquam in numerum sideritm venire. *Sideris* collective dictum, ut *corpus* in his Lucretii I, 437 : *Corporis augebit numerum*, id est, inter corpora referetur. — 25 *Relini* proprie dicuntur amphoræ et dolia pice oblita; hic de aperiendis alveis apum, propoli atque ceræ oblitis. — 26 Os tuum cura, aquæ haustu spargens eluæ et purga. Nam fœtor oris apibus est ingratissimus. Quare Columella curatori earum præcipit « ut abstineat redolentibus esculentis, ut sunt salsamenta, itemque fœtentibus acrimoniis allii vel cepparum et similium rerum. » Male Servius, quem multi sequuntur, hæc ita explicavit : « spargendo aquam ore, imitare pluviam. » — 27 Ante te tene eremia vel alia quæ emittunt fumum *sequacem*, sequentem et penetrantem eo quo velis. Hinc ordo versuum turbatus in editionibus omnibus præter Delillianam et nostram ; tres sequentes male legebantur post illum, *Tristior hibernas* etc., v. 235. — 28 In mellatione ira apibus supra modum, summopere exardescit. — 29 Ictibus aculeorum. *Cæca*, occulta, ob parvitatem latentia. *Affixæ*, poetice translato ad apes quod proprie de spiculo dicitur. *In vulnere*, dum inferunt vulnus. — 30 Apium curatores *bis* anno *cogunt*, colligunt *fœtus gravidos*, fructum ex plenis melle alveis; nam *fœtus* a poetis dicitur de omni genere provéntus. *Messis*, mellationis. — 31 Simul ac. Hæc tempora, ver extremum et autumnum extremum, poeta indicat ortu et occasu Pleiadum sideris. Oritur die XXII aprilis. *Plias* sive Pleias una de septem sororibus est Taygete, quæ os *honestum*, pulchrum, terris ostendens *pede reppulit* horizontem, quod faciunt qui se elevant et in altum enituntur. Horizon indicatur *Oceani amnibus* sive fluentis perpetuo motu oram terræ cingentibus, unde emergere videntur orientia sidera; quos annes Taygete infra se reliquit tanquam contemnens. — 32 Occidunt Pleiades die VIII novembri, et fugere videntur Piscium sidus, quod hiberno tempore per totam noctem conspicitur. *Aquosi* respicit ad imbres hiemales; vide not. 53 Eclogæ X. Ipsa autem Plias tum *tristior*, cœlo pluvio, et ipsis aquis Oceani, eam excepturis, ingruente hieme frigidis. — 33 Consules futuræ per hiemem conditioni apum, relinquendo eis mel quod parcum collegerant ob iniquitatem æstatis: hoc indicant sequenti versu animi apum dejecti et *res fractæ*, misera conditio substantiæ suæ ; ut JCti loquuntur. Sic Damasippus Horatianus : *res mea Janum Ad medium fracta est*. — 34 *At quis dubitet suffire* etc., id est, non tamen dubitandum sive hæsitandum est, quin thymo suffiantur alvearia, ad exigenda animalia apibus infesta, et inanes cellæ recidantur, in quibus illa solent delitescere. — 35 Scande *stellio* ; de quo vide initio libri

Immunisque[36] sedens aliena ad pabula fucus;
Aut asper crabro[37] imparibus se immiscuit armis,
Aut dirum, tineæ, genus, aut invisa Minervæ[38]
Laxos in foribus suspendit aranea casses.
Quo magis exhaustæ fuerint[39], hòc acrius omnes
Incumbent generis lapsi sarcire ruinas,
Complebuntque foros[40], et floribus horrea texent.
Si vero (quoniam casus apibus quoque nostros[41]
Vita tulit) tristi languebunt corpora morbo,
Quod jam non dubiis poteris cognoscere signis:
Continuo[42] est ægris alius color; horrida vultum
Deformat macies; tum corpora luce carentum[43]
Exportant tectis, et tristia funera ducunt;
Aut illæ pedibus connexæ[44] ad limina pendent;
Aut intus clausis cunctantur in ædibus, omnes
Ignavæque fame et contracto frigore[45] pigræ.
Tum sonus auditur gravior, tractimque[46] susurrant.
Frigidus ut quondam silvis immurmurat Auster,
Ut mare sollicitum[47] stridet refluentibus undis,
Æstuat ut clausis rapidus fornacibus ignis.
Hic jam galbaneos[48] suadebo incendere odores,
Mellaque arundineis inferre canalibus, ultro
Hortantem et fessas ad pabula nota vocantem.
Proderit et tunsum[49] gallæ admiscere saporem,
Arentesque rosas, aut igni pinguia[50] multo
Defruta, vel Psithia passos de vite racemos,
Cecropiumque[51] thymum, et grave olentia centaurea.
Est etiam flos in pratis, cui nomen amello[52]
Fecere agricolæ, facilis quærentibus herba:
Namque uno ingentem tollit de cespite[53] silvam,
Aureus ipse[54]; sed in foliis, quæ plurima circum
Funduntur, violæ sublucet purpura nigræ;

not. 6. *Ignotus*, latens. Item favos adederunt *cubitia* in eos *congesta* a *blattis*, ut nos quoque dicimus arborem exedi *nidis* erucarum. Blatta (Linnæo *phalæna tinea mellonella*) per noctem medo vagatur, *lucifuga*. — 36 Fucus qui nulla munera explet; vide supra notam 95. — 37 Qui nostris *le freton*, apibus major et valentior corpore. — 38 Aranea *invisa Minervæ*, ut superba olim rivalis ejus, Arachne, cujus metamorphosin narrat Ovidius lib. VI, ab initio. — 39 *Exhaustæ* apes *fuerint* melle subducto, eo *acrius* etc. *Lapsi*, ad inopiam redacti. — 40 Favos in alveis; proprie *fori* sunt in theatris, ut *cavea* supra not. 33. *Floribus*, succo et polline florum. — 41 Vita attulit, afferre solet, sicut hominibus. Agit de morbis apium. — 42 Persequitur *signa* morborum, suspensâ structurâ quam per *Si vero languebunt* modo inceperat: nam his verbis quod logice vel grammatice respondeat membrum alterum, post undecim demum versus subjicitur: *Hic jam suadebo incendere* etc. Similem structuram supra vidimus, v. 67, nota 39. — 43 Mortuarum apum. — 44 Pedibus cujusque inter se nexis vel implicatis: qui est habitus insectorum mortuorum. — 45 Pigræ frigore quo *contracta* cernuntur: unde poetice frigus ipsum dicitur *contractum*, sicut *pallida mors*, *tarda senectus*, etc., quia mortui pallent, senes tardi sunt. — 46 Jugiter, continuo susurro. De Austro confer III, 278-9. — 47 Sollicitatum, excitatum, commotum. *Refluentibus*, ad litus allisis et inde rejectis. — 48 Vide III, 415, n. 60. — 49 Saporem gallæ tunsæ vel tusæ, quæ adstringentem vim habet. — 50 Defrutum (vinum dulce et coctum) valde incoctum, ut pingue et olei simile sit. De *Psithia* vide II, 93, not. 80. — 51 Vide supra notam 1. *Centaureum* majus, ob amarorem *fel terræ* dictum, nobis etiam *le Rhapontic*. — 52 Græcis *Aster Atticus*, unde Linnæo Aster Amellus, aliis Aster atticus cæruleus vulgaris. — 53 Ex una radice cespitosa, fibris inter se cespitis in modum implexa, edit culmos plurimos. — 54 Flos ipse (quod dicimus *la corolle*) est flavus, sed folia calycis ritu eum cingentia sunt eo genere coloris purpurei, quo nitet viola nigra (nostra *violette*).

Sæpe deûm nexis[55] ornatæ torquibus aræ;
Asper in ore sapor; tonsis[56] in vallibus illum
Pastores et curva legunt prope flumina Mellæ[57].
Hujus odorato radices incoque Baccho[58],
Pabulaque in foribus plenis adpone canistris.

Sed si quem proles subito defecerit omnis,
Nec, genus unde novæ stirpis[59] revocetur, habebit,
Tempus et[60] Arcadii memoranda inventa magistri
Pandere, quoque modo cæsis jam sæpe juvencis
Insincerus[61] apes tulerit cruor. Altius omnem
Expediam, prima repetens ab origine, famam.
Nam qua Pellæi gens fortunata Canopi[62]
Accolit effuso stagnantem flumine Nilum,
Et circum pictis vehitur sua rura phaselis[63];
Quaque pharetratæ vicinia Persidis[64] urget,
[Et[65] viridem Ægyptum nigra fœcundat arena,
Et diversa ruens septem discurrit in ora
Usque coloratis amnis devexus ab Indis[66];]
Omnis[67] in hac certam regio jacit arte salutem.
Exiguus primum, atque ipsos contractus[68] ad usus,
Eligitur locus: hunc angustique imbrice tecti[69]
Parietibusque premunt arctis, et quattuor adduntˌ
Quattuor a ventis, obliqua luce fenestras[70].
Tum vitulus, bima[71] curvans jam cornua fronte,
Quæritur: huic geminæ nares et spiritus oris
Multa reluctanti obstruitur, plagisque perempto
Tunsa per integram solvuntur[72] viscera pellem.
Sic positum in clauso linquunt, et ramea[73] costis
Subjiciunt fragmenta, thymum, casiasque recentes.
Hoc geritur[74] Zephyris primum impellentibus undas,
Ante novis rubeant quam prata coloribus, ante

55 Sertis *nexis* ex hoc amello. — 56 *Tonsis* significatu præsentis: vallibus quæ tondentur sive dum tondentur et depascuntur a pecudibus. Sunt qui explicent: post messem. — 57 Fluvius Mantuano agro vicinus, in Brenno monte oriens, Brixiam præterfluens. Inde ducitur nomen *amelli*, ad Mellam copiosissimi. — 58 *Vetus Aminæum vinum* præcipitur a Columella. — 59 Genus a nova stirpe oriundum. — 60 Tum convenit ut aperiam etiam Arcadii magistri memorabile inventum, Aristæi, de quo Justinus: « Ferunt Aristæum in Arcadia late regnasse, eumque primum et apium et mellis usum et lactis ad coagula hominibus tradidisse, solstitialesque ortus sideris invenisse primum (XIII, cap. 7 extr.). » — 61 Sanguis ex putredine corruptus. Veteres credebant insecta generari ex animalibus putrescentibus, apes ex bove, alia ex aliis. — 62 Ægypti inferioris urbs Canopus, non longe dissita ab Alexandria, hinc audacius ipsa quoque *Pellæa*, id est Macedonica, dicta, a Pella urbe Macedonum regum sede. Nisi referre malis ad Macedonicam prosapiam regum, quibus Canopus quoque subjectus erat, quam ad propinquitatem Alexandriæ. — 63 Naviculis levibus, a phaseli forma dictis. — 64 *Persæ* a poetis ævi Augustei appellari solent Parthi, sagittatores timendi (conf. III, 31, n. 28): qui *Syriam* Ægypto vicinam infestabant: unde ipsa Ægyptus dici poterat *urgeri Persidis vicinia*. — 65 Alii tres versus non suo loco positi et tenorem sententiæ interrumpentes. *Arena* intelligendum de limo quem recedens Nilus relinquit, non flavam arenam, ut alii fluvii exundantes, sed *nigram*. — 66 Sic sæpe vocantur Æthiopes. — 67 Omnis quæ dicta est regio, Ægyptus inferior sive Delta, in hac arte Aristæi ponit fiduciam salutis, spem certam sic apes reparatum iri. — 68 Coarctatus. — 69 Tecto angusto ex imbricibus lecto. Pronuntia *Parjetibus. Premunt*, coangustant. — 70 Fenestras sua positione obliqua præbentes lucem obliquam et modicam. — 71 Cui bienni cornua jam curvari incipiunt. — 72 Tundendo comminuuntur viscera, ita tamen, ut pellis maneat integra. — 73 Ramorum fragmenta, rames fractos. — 74 Hoc fit prime initio veris.

Garrula quam tignis nidum suspendat hirundo.
Interea teneris tepefactus in ossibus humor
Æstuat [75]; et visenda modis animalia miris,
Trunca pedum [76] primo, mox et stridentia pennis,
Miscentur, tenuemque magis magis aera carpunt [77]:
Donec, ut æstivis effusus nubibus imber,
Erupere, aut ut nervo pulsante sagittæ,
Prima leves ineunt si quando prœlia Parthi.

Quis deus hanc, Musæ, quis nobis extudit artem?
Unde nova ingressus [78] hominum experientia cepit?
Pastor Aristæus, fugiens Peneia Tempe [79],
Amissis, ut fama, apibus morboque fameque,
Tristis ad extremi sacrum caput [80] adstitit amnis.
Multa querens, atque hac affatus voce parentem:
« Mater, Cyrene mater, quæ gurgitis hujus
Ima tenes, quid me præclara stirpe deorum
(Si modo, quem perhibes [81], pater est Thymbræus Apollo)
Invisum fatis genuisti? aut quo tibi nostri [pollo
Pulsus amor? quid me cœlum [82] sperare jubebas?
En etiam hunc ipsum vitæ mortalis honorem,
Quem mihi vix frugum et pecudum custodia sollers
Omnia tentanti extuderat [83], te matre, relinquo.
Quin age, et ipsa manu felices [84] erue silvas;
Fer stabulis inimicum ignem, atque interfice [85] messes,
Ure sata, et validam in vites molire bipennem,
Tanta meæ si te ceperunt tædia laudis. »

At mater sonitum thalamo sub fluminis alti
Sensit. Eam circum Milesia [86] vellera Nymphæ
Carpebant, hyali [87] saturo fucata colore,
Drymoque, Xanthoque, Ligeaque, Phyllodoceque,
Cæsariem effusæ [88] nitidam per candida colla:
Nesæe, Spioque, Thaliaque, Cymodoceque,
Cydippeque, et flava Lycorias, altera virgo,
Altera tum primos Lucinæ [89] experta labores;
Clioque, et Beroe soror, Oceanitides [90] ambæ,
Ambæ auro, pictis incinctæ pellibus ambæ,

75 Fermentescit. *Animalia ætres vivants* facta, procreata *modis miris*. — 76 Græca syntaxi pro : trunca pedibus. — 77 Per aerem viam faciunt et volant : vide de usu verbi *carpo* in spatiis notam ad III, vers. 142, p. 98. Insequentibus imaginibus indicatur densissimum examen. — 78 *Ingressus cepit*, exordia sumpsit. processit. — 79 Conf. II, 469, n. 58. Ovidius : *Tempe, per quæ Peneus, ab imo Effusus Pindo, spumosis volvitur undis*. — 80 Ad fontem Penei, *sacrum*, utpote dei fluvialis sedem et regiam. Ibi commorabatur Cyrene nympha, Penei filia, vel secundum alios neptis. — 81 *Quem* patrem esse meum *perhibes*. Confer Justin. XIII, 7. Troadis oppidum *Thymbra*, templo et cultu Apollinis nobile. — 82 Sortem et honorem deorum. — 83 Magno cum labore meo paraverat. *Te matre*, quum te habeam matrem, semideam, quæ prohibere hoc et possis et debeas. — 84 Frugiferarum arborum arbusta in seminariis : de quo sensu vocis *felix* jam dictum. Homericum est *inimicus ignis*, δῆϊον πῦρ. — 85 Perime, perde. E perdito libro Ciceronis affertur : *herbas arescere et interfici*. — 86 Milesiæ lanæ ; vide III, 306, n. 10. Virgilius Cyrenen facit texentem cum Nymphis, ut Homerus reginas ævi heroici. — 87 Vellera hyalino sive vitreo, viridi colore saturata : quo colore vel cæruleo erant vestes deorum fluvialium et marinorum. Longum esset dicere de nominibus Nympharum quæ sequuntur. Similes catalogos ut vocant habes apud Homerum, *Iliad.* Σ, 38-49, et Hesiodum, *Theogoniæ* 243-262. — 88 Quibus cæsaries effusa erat per colla ; noto hellenismo. — 89 Vide III, 60, n. 54. — 90 Oceani filiæ. *Pictis*, variis, ut erant nebrides, quas recte hic intelligit Servius. *Incinctæ auro*, aurea zona. Gerebant hæ Nymphæ venaticum habitum.

Atque Ephyre, atque Opis, et Asia[91] Deïopea,
Et tandem positis[92] velox Arethusa sagittis.
Inter quas curam Clymene[93] narrabat inanem
Vulcani, Martisque dolos et dulcia furta,
Aque Chao[94] densos divûm numerabat amores.
Carmine quo captæ dum fusis mollia pensa
Devolvunt, iterum maternas impulit aures
Luctus Aristæi, vitreisque[95] sedilibus omnes
Obstipuere : sed ante alias Arethusa sorores
Prospiciens summa flavum caput extulit unda,
Et procul[96] : « O gemitu non frustra exterrita tanto,
Cyrene soror, ipse tibi, tua maxima cura[97],
Tristis Aristæus Penei genitoris ad undam
Stat lacrimans, et te crudelem nomine dicit[98], »
Huic percussa nova mentem formidine mater.
« Duc age, duc ad nos; fas illi limina divûm
Tangere, » ait. Simul alta jubet discedere late
Flumina, qua juvenis gressus inferret : at illum
Curvata in montis faciem[99] circumstetit unda,
Accipitque sinu vasto, misitque sub amnem.
Jamque domum mirans genitricis et humida regna,
Speluncisque lacus [1] clausos, lucosque sonantes,
Ibat, et ingenti motu stupefactus aquarum,
Omnia sub magna labentia flumina terra
Spectabat diversa locis, Phasimque, Lycumque [2].
Et caput, unde altus primum se erumpit Enipeus,
Unde pater Tiberinus, et unde Aniena [3] fluenta,
Saxosusque sonans [4] Hypanis, Mysusque Caïcus,
Et gemina auratus [5] taurino cornua vultu
Eridanus, quo non alius per pinguia culta
In mare purpureum [6] violentior effluit amnis.

91 Ex Lydiæ tractu illo qui *Asium pratum* vocabatur; vid. 1, 383, n. 55. — 92 Venatrix enim fuerat Arethusa antequam Naias. — 93 Oceani filia. Omnibus nota fabula de adulterio Veneris et Martis, ex Homero, *Odysseæ* Θ, 266 seqq. *Curam*, studium deprehendendi furti. — 94 Inde a prima mundi origine. Hisce Nymphæ opus lætæ fallebant. — 95 Naïadibus poetæ fere omnes dant antra *vitrea*. Mox *sorores*, quandoquidem cunctæ sunt numina aquarum. — 96 *Et*, conspecto Aristæo, dixit *procul*, ex longinquiore loco quam solent ii qui colloquuntur; vide notam 15 Eclogæ VI. — 97 Vide *Ecl.* 1, not. 56. *Penei* pronuntiandum cum synizesi, syllabis duabus. — 98 Nominat. — 99 Speciem.

Mittere aliquem dicitur locus qui transitur. — 1 *Lacus*, unde fontes sursum emergunt et scaturiunt in terra. Jam poeta non Penei fluminis regiam describit, sed immensam illam cavernam, *magnos* (ut dicit Lucanus) *cavæ compagis hiatus*, unde omnes fluvii in diversa loca terræ effunduntur. Quam cavernam, cunctorum fluminum originem, nec Plato est dedignatus, qui de ea exponit in *Phædone*, p. 111 et 112. Subterraneo huic tractui, tanti ambitus, etiam *lucos* poeta affingit, quales habentur in mirabili et profundissimo *antro Corycio* apud Pomponium Melam I, 13. — 2 *Phasis* fluvius Colchidis, *Lycus* Bithyniæ, in Pontum Euxinum uterque exundans; *Enipeus* Thessaliæ, hodie dictus *Sarissa*. Poetæ *rumpere* et *erumpere* dicunt etiam active; ut I, 446, n. 98. — 3 Adjectivum fictum e genitivo *Anienis*. Anio, hodie *Teverone*, Latium et Sabinum disterminat. — 4 « Ob saxa sonans, » Philargyrius, recte. Debilius alii et sententia et sono, *Saxosumque*. Hypanis, Sarmatiæ Europææ fluvius, hodie *Bog*. In Mysia oritur Caïcus, hodie *Girmasti* et *Chiay*, in mare Ægæum fluens. — 5 Et Eridanus sive Padus, tauri vultu, auratis cornibus, ob auri ramenta, ut videtur, quæ volvebat Padus. Fingebantur autem fluvii, præsertim impetuosi, qualis est Padus, vel taurina figura, vel humana cum capite vel cornibus certe tauri; de qua re scitu digna narrat Ælianus *Var. Hist.* II, 33. — 6 *Purpureum* et πορφύρεον Homero semper de commoto mari, quod purpurascit agitatum, velut irruente fluvio.

Postquam est in thalami pendentia pumice [7] tecta
Perventum, et nati fletus cognovit inanes [8]
Cyrene, manibus liquidos dant ordine fontes [9]
Germanæ, tonsisque ferunt mantelia villis [10];
Pars epulis onerant mensas, et plena reponunt [11]
Pocula; Panchæis [12] adolescunt ignibus aræ.
Et mater, « Cape Mæonii [13] carchesia Bacchi:
Oceano libemus, » ait. Simul ipsa precatur
Oceanumque patrem rerum [14], Nymphasque sorores
Centum quæ silvas, centum quæ flumina servant.
Ter liquido ardentem perfudit nectare Vestam [15],
Ter flamma ad summum tecti subjecta [16] reluxit.
Omine quo firmans animum, sic incipit ipsa :
« Est in Carpathio [17] Neptuni gurgite vates,
Cæruleus Proteus, magnum qui piscibus æquor
Et juncto bipedum curru [18] metitur equorum.
Hic nunc Emathiæ [19] portus patriamque revisit
Pallenen; hunc et Nymphæ veneramur, et ipse
Grandævus Nereus; novit namque omnia vates,
Quæ sunt, quæ fuerunt, quæ mox ventura trahuntur [20]:
Quippe ita Neptuno visum est, immania cujus
Armenta et turpes [21] pascit sub gurgite phocas.
Hic tibi, nate, prius vinclis capiendus, ut omnem
Expediat morbi causam, eventusque secundet [22].
Nam sine vi non ulla dabit præcepta, neque illum
Orando flectes; vim duram et vincula capto
Tende [23]: doli circum hæc demum frangentur inanes.
Ipsa ego te, medios quum sol accenderit æstus,
Quum sitiunt herbæ, et pecori jam gratior umbra est,
In secreta [24] senis ducam, quo fessus ab undis
Se recipit, facile ut somno aggrediare jacentem.

7 In tecta, quæ constant ex pumice pendenti; in antrum saxis exesis fornicatum. — 8 Dolorem levi de causa susceptum, et cui facilis ac parata esset medicina. — 9 Sicut ævo heroico aqua ad lavandum ministrabatur advenienti hospiti. — 10 Lintea veterum pileraque *lanuginem* habebant, ut Plinius significat; mantelia etiam lintea, quibus loti detergebantur, vulgo villosa erant. — 11 Pocula *reponunt*, de iis poculis quibus fit libatio in mensa *secunda*, posteaquam prima, item poculis instructa, fuerat sublata; conf. *Æn.* VIII, 175. — 12 Thure Arabico accenso; vide II, 139, not. 11. De verbi *adolescunt* usu in re sacra conf. notam 58 Eclogæ VIII. — 13 Vini Lydii, ut ille *Tmolius*, II, 98, n. 84. Mæonia, vetus nomen Lydiæ. *Carchesium* erat « poculum procerum, circa mediam partem compressum, ansatum mediocriter, ansis a summo ad infimum pertinentibus. » *Macrob.* — 14 Patrem naturæ universæ, detracto humore emorientis. — 15 Ignem; proprie de foci igne. — 16 Se subjiciens, sursum jaciens, erigens, emicans; conf. III, 241, n. 72. Quod fausti ominis erat in sacrificio. — 17 *Carpathium mare* a Carpatho insula, inter Rhodum et Cretam sita (hodie *Scarpanto*), extenditur versus Ægyptum, in cujus insula Pharo Proteus habitat apud Homerum, ex quo adumbrata sunt quæ sequuntur, *Odyss.* Δ, 384-461. — 18 Mare pervehitur *piscibus et juncto curru equorum*, oratio poetice variata pro: curru juncto *piscibus et equis*, postremum autem disjuncte sive per hendiadyn dictum pro : *hippopotamis*, equis marinis qui sunt ex parte pisces. — 19 Thessaliæ; vide I, 492, n. 35. *Pallene*, pars Macedoniæ in modum peninsulæ procurrens in mare Ægæum. Hic olim regnaverat Proteus, antequam in Ægyptum concederet; quo pertinentes fabulas habes apud Philargyrium. — 20 Succedunt, non interrupta continuitate temporis. — 21 Deformes. — 22 Quod apibus male accederat, mutet in melius, monstrando videlicet morbi causam et remedium. — 23 Intende, injice. *Circum hæc*, quum hæc facies, quum vim et vincula adhibebis. Nisi potius ex verbo *frangentur* quædam seopuli notio elicienda est, ut doli dicantur frangi circa hæc tanquam undæ maris circa scopulum. — 24 Sedem secretam, recessum.

Verum ubi correptum manibus vinclisque tenebis,
Tum variæ eludent species atque ora ferarum :
Fiet enim subito sus horridus, atraque[25] tigris,
Squamosusque draco, et fulva cervice leæna ;
Aut acrem flammæ sonitum dabit, atque ita vinclis
Excidet, aut in aquas tenues dilapsus abibit.
Sed quanto ille magis formas se vertet in omnes,
Tanto, nate, magis contende tenacia vincla,
Donec talis erit mutato corpore, qualem
Videris, incepto tegeret[26] quum lumina somno. »

Hæc ait, et liquidum ambrosiæ diffundit odorem,
Quo totum nati corpus perduxit[27] : at illi
Dulcis compositis spiravit crinibus aura,
Atque habilis[28] membris venit vigor. Est specus ingens
Exesi latere in montis, quo plurima vento
Cogitur[29] inque sinus scindit sese unda reductos,
Deprensis[30] olim statio tutissima nautis :
Intus se vasti Proteus tegit objice[31] saxi.
Hic juvenem in latebris aversum a lumine Nympha
Collocat : ipsa procul nebulis obscura resistit[32].
Jam rapidus, torrens sitientes Sirius[33] Indos,
Ardebat cœlo, et medium sol igneus orbem
Hauserat[34] ; arebant herbæ, et cava flumina siccis
Faucibus[35] ad limum radii tepefacta coquebant :
Quum Proteus consueta petens e fluctibus antra
Ibat : eum[36] vasti circum gens humida ponti
Exsultans rorem late dispersit amarum.
Sternunt se somno[37] diversæ in litore phocæ :
Ipse, velut stabuli custos in montibus olim,
Vesper ubi e pastu vitulos ad tecta reducit,
Auditisque lupos acuunt[38] balatibus agni,
Considit scopulo medius, numerumque recenset.
Cujus Aristæo quoniam est oblata facultas[39],
Vix defessa senem passus componere membra,
Cum clamore ruit magno, manicisque jacentem
Occupat[40]. Ille, suæ contra non immemor artis,
Omnia transformat sese in miracula rerum,
Ignemque, horribilemque feram, fluviumque liquentem.
Verum ubi nulla fugam reperit fallacia, victus
In sese[41] redit, atque hominis tandem ore locutus :

25 Dira, sæva. Mox mirum est dici *lœnam* (apud Homerum, v. 456, est λέων ἠυγένειος, *leo jubatus*) ejusque cervicem, ob jubam, qua carere lœnas constat. — 26 Clauderet. — 27 Induxit, perunxit, infecit. — 28 Vigor reddens habilem, rebus gerendis idoneum, fortem. — 29 Colligitur appulsa. *Sinus reducti* videntur intelligi recessus interiores illius antri ; quamquam diversâ sententiâ leguntur ea verba in *Æneide* I. 161, ubi vide notanda. — 30 *Deprensis* tempestate, ut Horatius : *in patenti* PRENSUS *Ægæo*. *Olim*, quando hoc evenit ; de iis quæ pro re nata solent fieri. — 31 Objice, objectu ; vide II, 480, n. 66. — 32 Restat, non procedens longius, nebulis circumfusa et obscurata. — 33 Canicula, maxime omnium urens meridionalium plagarum populos, ut Æthiopes, quos *Indos* vocari supra vidimus. — 34 Confecerat iter per mediam partem cœlestis orbis. *Hauriro* poetæ dicunt de

laboribus exantlandis sive exhauriendis. — 35 *Fauces* poeta appellat alveos, *limum* autem, fundum fluviorum. — 36 Struc : circa eum. *Amarum*, ob aquæ marinæ gustum. — 37 Dativus : ad somnum (capiendum). *Diversæ*, in diversis locis. *Olim*, vide not. 30. — 38 Irritant, avidiores reddunt. — 39 Prehendendi facilitas, opportunitas. *Componere*, vide supra 189, not. 6. — 40 Vincit antequam ille sibi consulere posset. — 41 In propriam ipsi formam.

« Nam quis [42] te, juvenum confidentissime, nostras
Jussit adire domos? quidve hinc [43] petis?» inquit. At ille:
« Scis, Proteu, scis ipse; nec [44] te fallere quidquā:
Sed tu desine velle [45]. Deûm præcepta secuti
Venimus, hinc lapsis quæsitum oracula rebus.»
Tantum effatus. Ad hæc vates vi denique multa
Ardentes oculos intorsit lumine glauco,
Et graviter frendens, sic fatis [46] ora resolvit:
« Non te nullius [47] exercent numinis iræ;
Magna luis commissa: tibi has miserabilis Orpheus
Haudquaquam ob meritum [48] pœnas, ni fata resistant,
Suscitat, et rapta [49] graviter pro conjuge sævit.
Illa quidem, dum te fugeret per flumina [50] præceps,
Immanem ante pedes hydrum, moritura puella,
Servantem ripas alta non vidit in herba.
At chorus æqualis [51] Dryadum clamore supremos
Implerunt montes; flerunt Rhodopeïæ arces [52],
Altaque Pangæa, et Rhesi Mavortia tellus,
Atque Getæ [53], atque Hebrus, et Actias Orithyia.
Ipse, cava solans ægrum testudine [54] amorem,
Te, dulcis conjux, te solo in litore secum,
Te veniente die, te decedente canebat.
Tænarias [55] etiam fauces, alta ostia Ditis,
Et caligantem nigra formidine [56] lucum
Ingressus, Manesque adiit, regemque tremendum.
Nescia quæ humanis precibus mansuescere corda.
At cantu commotæ Erebi de sedibus imis
Umbræ ibant tenues simulacraque luce carentum [57]
Quam multa in foliis avium se millia condunt,
Vesper ubi aut hibernus agit [58] de montibus imber,
Matres atque viri, defunctaque corpora vitâ
Magnanimûm heroum, pueri innuptæque puellæ,
Impositique rogis juvenes ante ora parentum;
Quos circûm limus niger, et deformis arundo
Cocyti [59], tardaque palus inamabilis unda
Alligat, et novies Styx interfusa coercet.

42 Quisnam. — 43 A me. — 44 Nec potest fieri, ut quis te fallat in re ulla; altero accusativo ad græcum morem (vid. posito. — 45 *Velle* me fallere. — 46 Dativus : ad fata edenda). — 47 *Non nullius*, alicujus. Ultima syllaba producta in principe cæsura hexametri. *Exercent*, vexant, persequuntur. — 48 Immerito miserabilis Orpheus: sic enim est construendum. Fortasse *Pœnas* scribendum, unciali litera, de Furiis ultricibus. *Ni fata resistant*, nisi tibi sit in fatis vel divinitus evenit ut diræ illæ et pœnæ abs te avertantur. — 49 Erepta, mortua. — 50 Intelligendus est Hebrus, Thraciæ fluvius, qui recipit OEagrum fluvium, Orphei patrem. *Puella*, vid. notam 46 Eclogæ VI. — 51 Æqualium, ejusdem ætatis. — 52 Vertices, cacumina montium Rhodopes (vide not. 28 Ecl. VI). Sic *Rhipæas arces*, libro I, 240, not. 39. *Pangæa*, genere neutro secundum græcum Παγγαῖον ὄρος, Pangæus, item mons Thraciæ, quæ vocatur *tellus Rhesi*, regis illius ad Trojam occisi (vide *Æn.* I, 469 seqq., Marti sacra. — 53 Vide III, 462, n. 81. Orithyia, Boreæ venti uxor, filia Erechthei Athenarum regis, unde *Actias* sive Attica : vide not. 24 Eclogæ II. Quo nomine omnis regio borealis comprehenditur. — 54 Lyra, a Mercurio primum e testudine facta. — 55 Tænari, Laconicæ promontorii, specus profundissimus in ipsum Orcum patere existimabatur, et esse ibi aditum ad *Ditem*, Plutonem. *Alta*, profunda; vide not. 50 Eclogæ IV. — 56 Tenebris formidolosis. — 57 Vide v. 255, n. 43. Tam multa, *quam m.* — 58 *Agit* eas. — 59 Vide III, 38, n. 34. *Inamabilis* idem est quod detestabilis et invisa, ex græco usu adjectivi negantis. *Alligat*, cohibet, nec patitur abire ex Orco. *Interfusa*, inter terram et Erebum, quem Styx novies ambire credebatur.

Quin ipsæ stupuere domus atque intima Leti[60]
Tartara, cæruleosque implexæ[61] crinibus angues
Eumenides; tenuitque[62] inhians tria Cerberus ora,
Atque Ixionii vento[63] rota constitit orbis.
Jamque pedem referens[64] casus evaserat omnes,
Redditaque Eurydice superas veniebat ad auras,
Pone sequens (namque hanc[65] dederat Proserpina legem),
Quum subita incautum dementia cepit amantem,
Ignoscenda quidem, scirent si ignoscere Manes:
Restitit, Eurydicenque suam, jam luce sub ipsa,
Immemor[66], heu! victusque animi respexit. Ibi omnis
Effusus[67] labor, atque immitis rupta tyranni
Fœdera, terque fragor stagnis auditus Avernis[68].
Illa, « Quis et me, inquit, miseram, et te perdidit, Orpheu,
Quis tantus furor[69]? En iterum crudelia retro [pheu,
Fata vocant, conditque natantia[70] lumina somnus.
Jamque vale: feror ingenti circumdata nocte,
Invalidasque tibi tendens, heu! non tua, palmas. »
Dixit, et ex oculis subito, ceu fumus in auras
Commixtus tenues, fugit diversa[71]; neque illum
Prensantem nequicquam umbras et multa volentem
Dicere, præterea vidit; nec portitor Orci
Amplius objectam passus transire paludem.
Quid faceret? quo se rapta bis conjuge ferret?
Quo fletu Manes, qua Numina voce moveret?
Illa quidem Stygia nabat jam frigida cymba.
Septem illum totos perhibent ex ordine[72] menses
Rupe sub aeria, deserti ad Strymonis[73] undam,
Flevisse, et gelidis hæc[74] evolvisse sub antris,
Mulcentem tigres, et agentem carmine quercus:
Qualis populea mœrens Philomela sub umbra
Amissos queritur fœtus, quos durus arator
Observans nido implumes detraxit: at illa
Flet noctem, ramoque sedens miserabile carmen

60 Domus Leti et *intima Tartara*, interiora loca Tartari, ubi Letum sedem suam habet. — 61 Furiæ, quarum crinibus angues sunt implexi. — 62 Continuit, quominus latraret aut corriperet, sed hiabat tantum. — 63 *Rota Ixionii orbis*, id est rotatio sive circumactio rotæ (*orbis*), cui Ixion erat illigatus, constitit *vento*, per ventum, qui quidem agere rotam cessabat, ac si ipse quoque Orphei cantu esset delinitus. *Orbes* de rotis jam supra vidimus; *rota* de rotatione sæpius ap. Propertium; conferas etiam *Æn.* VI, 748. — 64 Rediens ex Orco. — 65 *Hanc legem*, conditionem, ut pone sequeretur Orpheum, non visa ei. — 66 *Immemor* conditionis. *Animi* pro: animo, per hellenismum quem in hoc vocabulo etiam prosæ scriptores setantur, ut *captus animi*, *sollicitus animi*, et similia. — 67 Irritus. *Immitis*, sævi; vide supra n. 59. Poetis *tyrannus* idem qui rex. *Fœdera*, lex, conditio a Plutone imposita. — 68 Avernus lacus Campaniæ (de quo II, 161, n. 30), secundum Varronem dictus quod aquæ densis operte silvis adeo putentes olim fuerint, ut supervollantes aves odore gravi exanimatæ decciderent, ἄορνος (sine ave), ex quo *Avernus*: indidem Orci quædam ostia ibi esse credebantur, atque poetæ sic vocare Orcum consueverunt, et adjective *Averna*, infernæ. — 69 Intemperantia, dementia. — 70 Oculos incerto motu fluitantes, ut paullo ante somnum aut mortem. — 71 Fugit in partem diversam, oppositam, retro. *Prenso*, prehendere conor. *Umbras*, umbram Eurydices. — 72 Deinceps, continuos. — 73 Vide I, 120, n. 25. *Aeria*, ut *aerias Alpes*, III, 474, n. 87. — 74 *Hæc*, casus suos. *Evolvisse*, explicasse, narrasse carminibus. Acutuli ridebunt *tigres* etiam ab Horatio bis memoratas in laude Orphei Thracis. Quibus occinendum est illud Socratis: In poesi qui fallitur sapientior eo qui non fallitur.

Integrat, et mœstis late loca questibus implet.
Nulla venus, non ulli animum flexere hymenæi.
Solus Hyperboreas[75] glacies, Tanaimque nivalem,
Arvaque Rhipæis numquam viduata pruinis
Lustrabat, raptam Eurydicen atque irrita Ditis
Dona querens. Spretæ Ciconum quo munere[76] matres,
Inter sacra deûm nocturnique[77] orgia Bacchi,
Discerptum latos juvenem sparsere per agros.
Tum quoque marmorea[78] caput a cervice revulsum
Gurgite quum medio portans OEagrius[79] Hebrus
Volveret, Eurydicen vox ipsa et frigida lingua,
Ah miseram Eurydicen! anima fugiente vocabat:
Eurydicen toto referebant flumine ripæ. »

Hæc Proteus; et se jactu dedit æquor in altum,
Quaque dedit[80], spumantem undam sub vertice torsit.
At non Cyrene[81]; namque ultro affata timentem:
« Nate, licet tristes animo deponere curas.
Hæc omnis morbi causa; hinc miserabile Nymphæ,
Cum quibus illa[82] choros lucis agitabat in altis,
Exitium misere apibus. Tu munera supplex
Tende[83], petens pacem, et faciles venerare Napæas:
Namque dabunt veniam votis, irasque remittent.
Sed, modus orandi qui sit, prius ordine dicam.
Quattuor eximios præstanti corpore tauros,
Qui tibi nunc viridis depascunt summa Lycæi[84],
Delige, et intacta[85] totidem cervice juvencas.
Quattuor his aras alta[86] ad delubra dearum
Constitue, et sacrum jugulis demitte[87] cruorem.
Corporaque ipsa boum frondoso desere luco.
Post, ubi nona suos Aurora ostenderit ortus,
Inferias Orphei[88] Lethæa papavera mittes,
Et nigram mactabis ovem, lucumque revises:
Placatam[89] Eurydicen vitula venerabere cæsa. »

Haud mora: continuo matris præcepta facessit.
Ad delubra venit; monstratas excitat[90] aras;
Quattuor eximios præstanti corpore tauros

75 Vide III, 196, n. 45. Tanaïs, Scythiæ flumen, *le Don. Rhipæis*, vide I, 240, n. 39. — 76 Honore quo mortuam Eurydicen Orpheus afficiebat indesinenter lacrimis, carminibus, cœlibatu. De voce *munus* confer III, 391, not. 48. *Spretæ*, repudiatæ mulieres nobiles (ita Servius explicat *matres*) Ciconum, populi Thracici, circa Hebrum incolentis. — 77 Cujus orgia noctu celebrabantur. *Juvenes* etiam vulgo vocatos fuisse constat illos qui quadragesimum quintum annum nondum excesserant; sed deæ filius cogitandus est etiam provectiore ætate non amittens juventutem. — 78 Candida. — 79 Thracicus fluvius, ab OEagro dictus, antiquo rege Thraciæ, Orphei patre; confer etiam supra not. 50. — 80 Quo loco se *dedit* in altum mare, ibi submersus undam in orbem circumagendo quasi torsit, ipse *sub vertice*, tectus vertice sive vortice quem unda efficiebat. Nam *vertex* virgiliana orthographia est in utraque significatione. — 81 Supple: ita fecit, scilicet non deseruit Aristæum, ut Proteus modo, nec consilii inopem destituit. — 82 Eurydice. — 83 Protende, porrige, offer. *Napææ*, saltuum et convallium silvosarum (quæ græce νάπαι: Nymphæ. *Faciles*, placabiles. — 84 Montis in Arcadia ubi Aristæus armenta habebat; vide notam 60 ad versum 283. — 85 *Intactâ* jugo *cervice*, nondum sub jugum missas. — 86 Delubra *alta*, quippe ad quæ gradibus adscendebatur. — 87 Ex jugulis hic ut defluat. — 88 Vide de hac forma not. 51 Eclogæ IV. *Lethæa*, vide I, 78, n. 81. — 89 Felicem sacrificii futuri eventum nuntiare mater properat, incipiens ipsa voce *placatam*: quæ hoc sacrificio tibi erit placata. — 90 Erigit, constituit. Hinc homerice eosdem versus repetit Virgilius: et decet hunc locum simplicitas antiqua.

Ducit, et intacta totidem cervice juvencas.
Post, ubi nona suos Aurora induxerat ortus,
Inferias Orphei mittit, lucumque revisit.
Hic vero subitum ac dictu mirabile monstrum
Aspiciunt[91], liquefacta boum per viscera toto
Stridere apes utero et ruptis effervere[92] costis,
Immensasque trahi nubes[93], jamque arbore summa
Conflucre et lentis uvam demittere[94] ramis.

Hæc super arvorum cultu pecorumque canebam[95]
Et super arboribus, Cæsar dum magnus ad altum
Fulminat[96] Euphraten bello, victorque volentes
Per populos dat jura[97], viamque affectat Olympo.
Illo Virgilium me tempore dulcis alebat
Parthenope[98], studiis florentem ignobilis oti;
Carmina qui lusi pastorum, audaxque juventa,
Tityre[99], te patulæ cecini sub tegmine fagi.

91 *Aspiciunt* Aristæus cum comitibus et ministris. — 92 Ferventer evolare. — 93 *Nubes* apium, vide v. 60, n. 34. — 94 In uvæ formam pendere a ramis flexilibus. — 95 *Canebam*, imperfecto, quo in epistolis suis Romanos uti constat loquentes de tempore inter scribendum præsenti. Non cogitandum est de illis Plinii *«pendentibus titulis*, *ut* APELLES FACIEBAT, *tanquam inchoata semper arte et imperfecta*.» — 96 Eadem imagine Scipiones Virgilio sunt *fulmina belli*. Idem bellum Asiaticum memoratur II, 171, n. 37, finitum anno Urbis 724. — 97 Leges imponit populis volentibus, ultro se submittentibus. *Affectat*, init, viam *Olympo* (dativus), ad Olympum, ad astra. — 98 Antiquum nomen Neapolis urbis, ab Sirene ibi sepulta. *Florere* aliqua re dicuntur qui copia ejus abundant. *Ignobilis*, inglorii (ut dixit II, 486), longe diversi a vita publica quæ honores affert. — 99 *Bucolica* indicat primæ Eclogæ vocibus primis.

PUBLII

VIRGILII MARONIS

ÆNEIDOS

LIBER I.

ARMA virumque[1] cano, Trojæ qui primus[2] ab oris
Italiam, fato[3] profugus, Laviniaque venit
Litora; multum ille et terris jactatus et alto
Vi Superûm[4], sævæ memorem Junonis ob iram;
Multa quoque et bello passus, dum conderet[5] urbem,
Inferretque deos Latio: genus unde[6] Latinum,

1 Bella cano et ipsum virum qui Troja venit in Italiam; cujus esse illa bella, per se patet. Non est hendiadys: Cano bella *viri*, qui etc., sed Æneas ipse arguetum carminis significatur. Principio positum *arma* statim a limine indicat immutatam poesin virgilianam et genus novum. — 2 Primùm, prisco tempore, olim. Nam in temporis notatione adjectivis uti pro adverbiis amant poetæ; uti mox v. 24 Juno dicitur bellum ad Trojam gessisse *prima*, id est primum, antea, olim. — 3 « Bene addidit *fato*, ne videatur aut causa criminis patriam deseruisse, aut novi imperii cupiditate. » *Serv.* Nec Numinis summi interventus vel ipso initio poterat sileri. *Lavinia* (scande *Lavinja*) *litora*, in Latii oram ubi postea condidit Lavinium oppidum: quibus definitur generaliter dictum *Italiam*. — 4 Potentia deorum sive divina, scilicet Junonis. De plurali, quanquam proprie intelligitur dea una, vide observata in not. 47 Eclogæ IV. Mox exponet poeta quid excitaverit Junonis iram *memorem* acceptæ injuriæ. — 5 Dum condere volebat urbem et Penates Trojanos in Latio constituere. — 6 Quo factum est ut Aborigines cum Trojanis æquati, communi nomine Latinorum sint comprehensi, et Alba sit condita ab Ascanio Æneæ filio, ex cujus posteris Romæ urbis conditores ortum habuerunt.

Albanique patres [7], atque altæ mœnia Romæ.
Musa, mihi causas memora, quo numine [8] læso,
Quidve dolens regina deûm tot volvere [9] casus
Insignem pietate virum, tot adire labores
Impulerit. Tantæne [10] animis cœlestibus iræ?
Urbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni,
Carthago, Italiam contra [11] Tiberinaque longe
Ostia, dives opum, studiisque asperrima belli;
Quam Juno fertur terris magis omnibus unam [12]
Posthabita coluisse Samo. Hic illius arma,
Hic currus fuit; hoc [13] regnum dea gentibus esse,
Si qua fata sinant, jam tum tenditque fovetque [14].
Progeniem sed enim [15] Trojano a sanguine duci
Audierat, Tyrias [16] olim quæ verteret arces;
Hinc [17] populum late regem, belloque superbum,
Venturum excidio [18] Libyæ: sic volvere Parcas.
Id metuens veterisque memor Saturnia [19] belli,
Prima [20] quod ad Trojam pro caris gesserat Argis:
Necdum etiam causæ irarum sævique dolores
Exciderant animo; manet alta mente repostum [21]
Judicium Paridis, spretæque injuria formæ,
Et genus invisum [22], et rapti Ganymedis honores:
His accensa super [23], jactatos æquore toto
Troas, reliquias Danaûm [24] atque immitis Achilli,
Arcebat longe Latio; multosque per annos
Errabant acti fatis [25] maria omnia circum.
Tantæ molis erat Romanam condere gentem!

7 Albanos antiquos illos et Romanorum patres. Sic malim quam : senatores et primores Albanorum. — 8 Qua voluntate divina (Junonis) neglecta; qua offensâ in deam commissâ; quo facto contra numen ejus. Confertur II, 123 : *quæ sint ea numina divûm*, id est voluntas deorum oraculo significata. — 9 Impulerit, coegerit adire sive subire tot casus tanquam circulo quodam et orbe continuo excipientes sese, casuum vicissitudinem infinitam ut orbis circumvolutus. — 10 Nimia etenim ira est quæ pietatis non habet considerationem. Sic Servius. — 11 E regione Italiæ et ostiorum Tiberis, sed longe dissita. — 12 *Etenim* auget vim comparativi præcedentis, ut in prosa superlativi : « unus omnium maxime. » Carthagini dea etiam Samon posthabebat, sedem sibi delectissimam. Nam *colere* dicuntur dii terras vel urbes, quæ præcipue ipsis sunt cordi. — 13 Hanc urbem. *Regnum*, imperii sedem, caput imperii. — 14 *Fovet* animo et cogitatione, meditatur, studet. — 15 Neutrius particulæ vis negligenda, verum ita expediendа : « *Sed* metuebat Carthagini [quod mox subditur : *Id metuens* etc., v. 23]; audierat *enim* in fatis esse ut posteri Trojanorum eam olim everterent. » — 16 Arces Carthaginis, a Tyriis colonis conditas. — 17 Ex hac progenie sive posteritate Trojanorum ortum. *Late regem*, regnantem sive regnaturum. — 18 Dativus : in excidium Carthaginis et totius provinciæ. *Volvere*, moliri volvendo sive regendo continuam vicissitudinem temporum. — 19 Observante Servio, « Virgilius ubicumque Jovi vel Junoni Saturni nomen adjungit, causas iis crudelitatis adnectit. » Bellum, quanquam tum modo gestum, *vetus* dicitur respectu diuturnæ inde et in longum ævum protractæ iræ. — 20 Vide not. 2. *Argi*, Argos, Agamemnonis regnum, non necesse est ut de Argivorum gente dictum putetur. Hinc interrupta structura post quattuor versus resumitur et finitur : *his* (parenthetice dictis) *accensa, Troas arcebat Latio.* — 21 Repositum. — 22 Trojanum genus Junoni invisum et exosum, propter Dardanum. Jovis ex Electra pellice filium (vide VIII, 134 seqq.), unde Trojanorum origo. Etiam Ganymedes, pincerna et delicatus Jovis, erat Trojanus, Trois regis filius; vide Ovid. *Metam.* X, 143 seqq. — 23 Insuper. — 24 Græcorum : quos Græci et sævissimus eorum Achilles reliquerant vivos. *Achilli* genitivus, ex forma dorica et æolica Ἀχίλλης ducendus. — 25 *Fatis*, quæ Juno iniqua ipsis imposuerat; quomodo VIII, 292, Hercules dicitur mala perpessus *fatis Junonis iniquæ*.

Vix [26] e conspectu Siculæ telluris in altum
Vela dabant læti et spumas salis [27] ære ruebant,
Quum Juno, æternum servans sub pectore vulnus,
Hæc secum [28] : « Mene incepto desistere victam,
Nec posse Italia Teucrorum [29] avertere regem?
Quippe [30] vetor fatis. Pallasne exurere [31] classem
Argivûm, atque ipsos potuit submergere ponto,
Unius ob noxam [32] et furias Ajacis Oilei?
Ipsa [33], Jovis rapidum jaculata e nubibus ignem,
Disjecitque rates, evertitque æquora ventis;
Illum exspirantem transfixo pectore flammas [34]
Turbine corripuit, scopuloque infixit acuto [35]:
Ast ego, quæ divûm incedo [36] regina, Jovisque
Et soror et conjux, una cum gente tot annos
Bella gero. Et quisquam numen Junonis adorat
Præterea [37], aut supplex aris imponet honorem? »

Talia flammato secum dea corde volutans,
Nimborum in patriam, loca fœta furentibus Austris,
Æoliam [38] venit. Hic vasto rex Æolus antro
Luctantes [39] ventos tempestatesque sonoras
Imperio premit [40] ac vinclis et carcere frenat.
Illi indignantes magno cum murmure montis
Circum claustra [41] fremunt; celsa sedet Æolus arce
Sceptra tenens, mollitque animos [42] et temperat iras;
Ni faciat, maria ac terras cœlumque profundum [43]
Quippe ferant rapidi secum verrantque per auras.
Sed Pater omnipotens speluncis abdidit atris,
Hoc metuens, molemque et [44] montes insuper altos
Imposuit; regemque dedit, qui fœdere certo [45]

[26] Sicut Homerus in Odyssea, Virgilius statim in medias res abripit lectorem, secundo libro et tertio ipsum Æneam introducturus narrantem quæ præcesserunt illum ex Sicilia discessum. — 27 Maris, ἁλός. *Ære*, navibus æratis. *Ruebant*, transitive: ruere faciebant, sulcabant. — 28 *Hæc secum* agit, animo volutat. Notus usus infinitivi in interrogationibus quas indignatio aut violenter commotus animus expressit. — 29 Trojanorum. — 30 *Quippe* non raro servit ironiæ. *Vetor*, vetatur mihi, prohibeor; ut habes apud Ciceronem : *Acta agimus* : *quod* VETAMUR *veteri proverbio*. Hinc stimulat iram memoriâ Minervæ injuriam illatam gnaviter et feliciter ultæ.

dum ipsa, regina dearum, Trojanorum contumelias patitur inulta. — 31 Cœlesti igni comburere. — 32 Ob vim in ipso Minervæ templo et in conspectu deæ allatam Cassandræ. *Furias*, insanam libidinem. — 33 « Bene *ipsa* : dulcis enim est propria manu quæsita vindicta. Unde plus dolet Juno alienis se viribus uti, ut Æoli. » *Serv.* — 34 Sic Lucretius VI, 391 : *Faciunt* (de cœlo jacientes ignem), *icti flammas ut fulguris halent Pectore perfixo*. Et imitati Virgilium Statius : *exspiravitque receptum fulmen*, Claudianusque : *spirat inexhaustum flagranti pectore sulphur* (fulmen). — 35 Inter Gyras petras, in Icario mari, prope Myconum insulam. — 36 « *Incedere* proprie est nobilium personarum : cum gravitate ambulare. » *Serv.*, aptis hunc usum exemplis probans. — 37 Junge *adorat præterea*, id est adorabit. *Honor* vel *honores* sæpe vocantur thura, libamina, victimæ diis in honorem oblatæ. — 38 Quæ est una ex septem vel novem insulis vulcaniis, ad septemtrionale litus Siciliæ sitis, fortasse Lipara, major ceteris. — 39 Erumpere semper nitentes. Modulationem rhythmicam versuum virgilianorum, rebus ipsis semper mirifice aptam, lectores advertunto ipsi, haud demonstrabilem in his notularum angustiis, ut jam dictum *Ecl.* V, not. 19. — 40 Comprimit, coercet. — 41 Spiracula clausa. — 42 Impetus ventorum et furores. — 43 Vide not. 50 Eclogæ IV. *Quippe*, utique, haud dubie. Lucretius : *Venti mare, terras, denique nubila cœli Verrunt ac subito vexantia turbine raptant*. — 44 *Et* explicativum : molem, quæ constat montibus altis, molem montium altorum. Quod in poeta frequentissimum, semel monuisse sufficit. *Insuper*, supra, ὑπερθεν : superimposuit. — 45 Lege certa et constanti, constituto modo; vide *Georg.* I, 60, not. 63. *Pre-*

mere, retrahere, inhibere. Epitheton *laxas* effectum verbi sequentis exprimit (vide *Georg.* IV, 198, not. 11): *dare habenas*, quæ inde sunt laxæ. Eodemque modo post quinque versus *submersas obrue puppes* est naves undis obrue, ut sint submersæ. Sed apparet talem juncturam, perusitatam poetis, non posse admitti, nisi actionem prompte sequatur effectus. — 46 Placare, mitigare. — 47 Immitte, injice violentiam ad impetum. Redi ad notam 45. — 48 Dissipa in diversas partes Trojanos navigantes, dispelle eos per tempestatem. — 49 Supple : hanc tibi. *Propriam*, perpetuam, perpetuo matrimonii vinculo junctam; vide not. 31 Eclogæ VII. Donatus : « Plus est *dico* quam *do*. *Dicatur* perpetuo; *datur* ad tempus. » — 50 *Contra*, vicissim dixit, respondit. *Tuus* est *labor*, vulgo : tuum est.

Et premere et laxas sciret dare jussus habenas.
Ad quem tum Juno supplex his vocibus usa est :
« Æole (namque tibi divum pater atque hominum rex
Et mulcere [46] dedit fluctus et tollere vento),
Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat æquor,
Ilium in Italiam portans victosque Penates :
Incute [47] vim ventis, submersasque obrue puppes;
Aut age diversos [48], et disjice corpora ponto.
Sunt mihi bis septem præstanti corpore Nymphæ,
Quarum quæ forma pulcherrima, Deiopea,
Connubio [49] jungam stabili, propriamque dicabo,
Omnes ut tecum meritis pro talibus annos
Exigat, et pulchra faciat te prole parentem. »
Æolus hæc contra [50] : « Tuus, o regina, quid optes
Explorare labor; mihi jussa capessere fas est.
Tu mihi, quodcumque hoc regni [51], tu sceptra Jovemque
Concilias; tu das epulis accumbere divum [52],
Nimborumque facis tempestatumque potentem. »
Hæc ubi dicta, cavum conversa cuspide [53] montem
Impulit in latus [54]; ac venti, velut agmine facto,
Quà data porta, ruunt et terras turbine perflant.
Incubuere mari, totumque a sedibus imis
Una Eurusque Notusque ruunt [55], creberque procellis
Africus [56], et vastos volvunt ad litora fluctus.
Insequitur clamorque virum stridorque rudentum.
Eripiunt subito nubes cœlumque diemque
Teucrorum ex oculis; ponto nox incubat atra.
Intonuere poli, et crebris micat ignibus æther :
Præsentemque viris intentant [57] omnia mortem.
Extemplo Æneæ solvuntur frigore [58] membra;
Ingemit, et duplices tendens ad sidera palmas,
Talia voce refert : « O terque quaterque beati,
Quis ante ora patrum, Trojæ sub mœnibus altis,
Contigit oppetere [59]! o Danaûm fortissime gentis
Tydide [60]! mene Iliacis occumbere campis

— 51 Modeste pro : regnum hoc in ventos. *Concilias*, tuâ in me gratiâ, tuo favore parasti mihi hoc regnum et Jovem reddidisti volentem propitium. Sed præsenti poeta loquitur, quia durant hi honores, continuo beneficio Junonis. Sic capiendi loci virgiliani, non rari, in quibus est præsens loco perfecti. — 52 « Hoc est : tu me deum facis. Duplici enim ratione divinos honores meremur, dearum conjugio, et convivio deorum. Unde est in Bucolicis (*Ecl.* IV, fine) : *Nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.* » *Serv.* — 53 Hastæ, quam pro sceptro gestabat, ut et alii dii, parte inferiore, græce σαυρωτῆρι. Sic apud Ovidium Minerva *pulsat extrema cuspide postes Invidiæ*. — 54 Verius hoc quam *in latere*, quomodo loqueretur scriptor vulgaris. *Agmen facere* proprie dicuntur milites qui densis ordinibus confertim pergunt ad iter vel in prœlium. — 55 Transitive : eruunt. — 56 Ventus de Africa flans seu Libya, unde græce λίψ, λιβός. — 57 Minantur. — 58 Pavore frigoris sensum inducente. Livius Andronicus in Odyssea : *Igitur demum Ulixi cor frixit præ pavore*. — 59 Obire mortem. — 60 Diomedes, Tydei fi-

Non potuisse tuaque animam hanc effundere dextra,
Sævus ubi Æacidæ[61] telo jacet Hector, ubi ingens
Sarpedon[62], ubi tot Simois correpta sub undis
Scuta virûm galeasque et fortia corpora volvit? »

Talia jactanti[63] stridens Aquilone procella
Velum adversa[64] ferit, fluctusque ad sidera tollit.
Franguntur remi; tum prora avertit[65], et undis
Dat latus: insequitur cumulo[66] præruptus aquæ mons.
Hi[67] summo in fluctu pendent; his unda dehiscens
Terram inter fluctus aperit; furit æstus arenis[68].
Tres Notus abreptas in saxa latentia torquet;
(Saxa vocant Itali mediis quæ in fluctibus Aras[69],
Dorsum immane mari summo[70];) tres Eurus ab alto
In brevia[71] et syrtes urget, miserabile visu!
Illiditque vadis, atque aggere cingit arenæ.
Unam, quæ Lycios[72] fidumque vehebat Orontem,
Ipsius ante oculos ingens a vertice[73] pontus
In puppim ferit: excutitur[74] pronusque magister
Volvitur in caput: ast illam ter fluctus ibidem
Torquet agens circum, et rapidus vorat æquore ver-
Apparent rari nantes in gurgite vasto, [tex[75].
Arma[76] virûm, tabulæque, et Troïa gaza per undas.
Jam validam Ilionei navem, jam fortis Achatæ,
Et qua vectus Abas, et qua grandævus Aletes,
Vicit hiems[77]; laxis laterum compagibus omnes
Accipiunt inimicum imbrem[78], rimisque fatiscunt.

Interea magno misceri murmure pontum
Emissamque hiemem sensit Neptunus et imis
Stagna[79] refusa vadis, graviter commotus; et alto
Prospiciens, summa placidum caput extulit unda.
Disjectam Æneæ toto videt æquore classem,
Fluctibus oppressos Troas cœlique ruina[80].

lius, quocum Æneas ad Trojam pugna congressus, a Venere matre mörti ereptus est; vide *Iliad.* E, 289 seqq. De syntaxi sequentium cf. not. 28. — 61 Achillis, Æaci nepotis. *Jacet*, gr. κεῖται, dejectus est, occubuit. In *sævus* non est sævitiæ notio: est acer, bellicosus. — 62 Jovis filius, rex Lyciorum, a Patroclo interfectus, quod multis narratur in *Iliadis* lib. XVI. *Simois*, Troadis fluvius seu torrens potius, sed ab Homero nobilitatus. — 63 Verba sæpius fundenti; ut *Eclog.* II, not. 5. *Stridens Aquilone*, ab aquilone immissa cum stridore. — 64 Ex adverso, a prora veniens. — 65 Neutraliter: avertit se sive avertitur in obliquum, ut jam non prora, sed latus navis fluctibus obvertatur. — 66 Magna mole aquæ cumulata. — 67

Nautæ in navibus. — 68 In fundo maris. — 69 Struendum puto *Quæ saxa in mediis fl. Itali vocant A.* Sunt Ægimuri insulæ, hodie *Zowamoore*, de quibus Plinius: *Contra Carthaginis sinum* triginta fere millibus pass a portu *sunt duæ Ægimuri aræ, scopuli vertus quam insulæ.* — 70 Usque ad superficiem maris eminens. — 71 Substantivum: vada, loca vadosa, item ut *syrtes*, sic scribendum, non *Syrtes* Libyæ, de quibus hoc loco non cogitandum. — 72 Lycii Trojæ ad auxilium venerant; qui mortuo rege suo Pandaro Æneam secuti sunt. *Serv.* Orontes fictus esse a Virgilio videtur. — 73 Desuper. *Ingens pontus*, fluctus maximus, ut totum mare insurrexisse videretur. — 74 *Magister* navis sive gubernator excutitur de puppi, ubi gubernaculum tenebat. Vide VI, 334. *Illam*, navem. — 75 Quod *vortex* scribi solet; vide *Georg.* IV, 529, n. 80. — 76 Nimirum clipei crationibus textis, coriaceæ galeæ (conf. supra v. 101). — 77 Tempestas. — 78 *Imber* de aqua marina jam aliquoties diverat Lucretius, et Ennius in hoc fragmento: *ratibusque fremebat Imber Neptuni. Fatiscunt*, hiant, aperiuntur, solvuntur. — 79 Profundum mare (quod tere semper *stagnat*, unde sic vocatum a poeta, ex imo fundo emotum esse. *Alto*, ex alto mari. Mox observa deum, quanquam *graviter commotum*, tamen *placido* ore et tranquillo fingi: quod est majestatis divinæ. — 80 Procella et imbribus de cœlo vel ex aere affatim delapsis.

Nec latuere doli fratrem Junonis et iræ.
Eurũ ad se Zephyrumq; vocat; dehinc[81] talia fatur :
« Tantane vos generis[82] tenuit fiducia vestri?
Jam cœlum terramque meo sine numine[83], Venti,
Miscere et tantas audetis tollere moles[84]?
Quos ego... Sed motos præstat componere fluctus.
Post[85] mihi non simili pœna commissa luetis.
Maturate fugam, regique hæc dicite vestro :
Non illi imperium pelagi sævumque[86] tridentem,
Sed mihi sorte datum. Tenet ille immania saxa,
Vestras, Eure[87], domos : illa se jactet in aula
Æolus, et clauso ventorum carcere regnet[88]. »
Sic ait, et dicto citius tumida æquora placat,
Collectasque fugat nubes, solemque reducit.
Cymothoe[89], simul et Triton adnixus, acuto
Detrudunt naves scopulo; levat[90] ipse tridenti,
Et vastas aperit syrtes[91], et temperat æquor,
Atque rotis summas levibus perlabitur undas.
Ac veluti[92] magno in populo quum sæpe coorta est
Seditio, sævitque animis ignobile vulgus;
Jamque faces et saxa volant, furor arma ministrat :
Tum, pietate gravem ac meritis si forte virum quem
Conspexere, silent, arrectisque auribus adstant;
Ille regit dictis animos, et pectora mulcet :
Sic cunctus pelagi cecidit[93] fragor, æquora postquã
Prospiciens genitor[94], cœloque invectus aperto,
Flectit equos, curruque[95] volans dat lora secundo.
Defessi Æneadæ, quæ proxima litora, cursu[96]
Contendunt petere, et Libyæ vertuntur ad oras.
Est[97] in secessu longo locus : insula portum
Efficit objectu laterum[98], quibus omnis ab alto
Frangitur inque sinus scindit sese unda reductos[99]

81 Lege contractum in syllabam unam. — 82 *Generis* a Titanibus derivati. • Astræus, unus de Titanibus, qui contra deos arma sumpserunt, cum Aurora concubuit; unde nati sunt Venti, secundum Hesiodum (*Theog.* 378). • *Serv.* — 83 Voluntate, auctoritate divina; cf. not. 8. — 84 *Moles* aquarum, fluctus. Sequuntur minæ Ventis intentatæ, sed statim inhibitæ per aposiopesin, propitio et favente Trojanis deo properante ad opem ferendam. — 85 *Post*, in posterum si tale quid committetis. *Non simili*, sed graviore. — 86 *Sævum*, acris et severi imperii insigne. — 87 Eurus primum vocatus (v. 131) proxime Neptuno stetisse censendus est, et hinc pro omnibus nominatur. Similiter lib. IX, 525. • Irascentium est, uti proprio nomine, ut Terentius in Andria : *Ego te in pistrinum, Dave, dedam.* • Serv. — 88 Regem agat, pro rege se gerat. — 89 Nereidum una. *Triton*, Neptuni filius, patri ad mandata esse solet. — 90 *Levat* naves scopulo. — 91 Viam per arenosa vada facit, ut naves hærentes expedire se possint. *Temperat*, placat, sedat. — 92 Strue : *ac veluti quum seditio in* etc. *Sæpe* ita interpositum ut solet parenthetica locutio (*ut sæpe fit*). Nova est comparatio, dum contrariam, seditionis cum mari ventis agitato, ante Virgilium multi usurparint. — 93 Concidit, desiit. — 94 *Genitor*, ut sæpissime *pater*, dei appellatio est honorifica. *Aperto*, non amplius nubibus obducto, sereno. — 95 Hæc ita struas : *et lora dat*, habenas laxat equis, *volans curru secundo*, quem quasi ventus secundus impellit, curru celeri, veloci. Paullo impeditior est alia ratio, qua *curru* pro dativo habetur. — 96 Citata navigatione. — 97 Poeta describit tractum litoris Africi remotum et infrequentem, sive (ut Servius) sinum secretum, cui prætensa insula maris impetum arcet et navibus tutissimam stationem præbet. — 98 Lateribus terræ continenti e regione positis et quasi prætextis. Deinde jungas *omnis ab alto unda*, fluctus maris. — 99 Allisa his unda scindit se et dissolvitur in orbes semper longius se reducentes vel recedentes. Sic enim undæ allisæ longo tractu retrorsum agi sensimque dissolvi conspiciuntur.

Hinc atque hinc [1] vastæ rupes geminique minantur
In cœlum scopuli, quorum sub vertice late
Æquora tuta [2] silent; tum silvis scena coruscis
Desuper horrentique atrum nemus imminet [3] umbra;
Fronte sub adversa [4] scopulis pendentibus antrum;
Intus aquæ dulces, vivoque [5] sedilia saxo,
Nympharum domus. Hic fessas non vincula [6] naves
Ulla tenent, unco non alligat ancora morsu.
Huc septem Æneas collectis navibus omni
Ex numero subit; ac magno telluris amore [7]
Egressi, optata potiuntur Troes arena,
Et sale tabentes [8] artus in litore ponunt.
Ac primum silici scintillam excudit Achates,
Suscepitque ignem foliis, atque arida circum
Nutrimenta dedit, rapuitque [9] in fomite flammam.
Tum Cererem [10] corruptam undis Cerealiaque arma
Expediunt fessi rerum [11], frugesque receptas
Et torrere [12] parant flammis et frangere saxo.

Æneas scopulum interea conscendit et omnem
Prospectum late pelago petit [13], Anthea si quem
Jactatum vento videat, Phrygiasque [14] biremes,
Aut Capyn, aut celsis in puppibus [15] arma Caici.
Navem in conspectu nullam [16]; tres litore cervos
Prospicit errantes; hos tota armenta sequuntur
A tergo, et longum per valles pascitur agmen.
Constitit hic, arcumque manu celeresque sagittas
Corripuit, fidus quæ tela [17] gerebat Achates,
Ductoresque ipsos primum, capita alta ferentes
Cornibus arboreis [18], sternit; tum vulgus et omnem
Miscet agens [19] telis nemora inter frondea turbam.
Nec prius absistit quam septem ingentia victor

1 Ab utroque latere sive cornu litoris hujus introrsum reducti. *Gemini*, duo. *Minantur*, eminent. — 2 A ventorum impetu defensa. Ille autem mons recedebat in modum *scenæ* theatralis et sinum efficiebat (confer infra v. 310 seq.), instructus silvis *desuper coruscantibus*, ex superiore loco tremula luce micantibus dum ventus agitat folia. — 3 In summo est nemus *atrum*, obscurum ex umbra arborum *horrentium*, id est dense stantium (conf. not. 52 Eclogæ VII); sic intelligenda *horrens umbra*, umbra ex arboribus rectis et densis; sed *viridis umbra*, ex viridantibus circa fontem, *Ecl.* IX, not. 19; et rursum alia est *saxea umbra*, *Georg.* III, 145, n. 12. De discrimine *silvæ* et *nemoris* Servius ita: « *Nemus* est composita multitudo arborum, *silva* diffusa. » — 4 In anteriore parte montis, opposita sinui recedenti vel *scenæ*, est antrum rupe superimpendente effectum. — 5 Nativo, non arte sic elaborato. — 6 Hic ut quiescant naves, non est opus retinaculis sive rudentibus eas litori alligantibus, neque ancoris. Morsu *unco*, ancoræ uncæ. — 7 Soli attingendi cupiditate. *Arena*, de litore. — 8 Sordibus aquæ marinæ madidos. — 9 Flammam *rapuit*, rapido motu et celeri vibratione excitavit ex scintillæ susceptæ igniculo. *Fomes* est manipulus aridæ frondis vel stipulæ. — 10 Fruges. *Cerealia arma*, instrumenta (v. *Georg.* I, 160, n. 62) ad pinsendas fruges et conficiendum panem: molas manuales sive mortaria, alveos, etc. — 11 Ut apud Horatium *lassus maris et viarum*: fessi rebus quas perpessi erant. 12 Vide *Georg.* I, 267, n. 66. — 13 Prospectum quærit, capit, prospectat quantum licet per omne pelagus, si forte videat aliquem sociorum, qui amissi credebantur, velut Antheum aut Capyn. Quod arguta brevitate expressum. — 14 Trojanas. — 15 *Puppibus*, « quia navigantium militum mos est in puppibus arma religare. » *Serv.* Intellige *arma* de scuto, cujus insigne Æneas eminus dignoscere poterat. — 16 Supple: habet. Sed animadverte hic formam exclamationum in re valde tristi, quæ accusativo casu efferuntur. — 17 « *Telum* dictum, quod in longinquum mittitur. a græco τῆλε. » *Gaius.* — 18 Arborum ramosarum similibus; conf. *Ecl.* VII, 30. Nisi potius exprimitur: ingentibus, ut XII, 888. — 19 Agit in fugam promiscuam.

Corpora fundat humi et numerū cū navibus æquet[20].
Hinc portum petit, et socios partitur in omnes.
Vina[21] bonus quæ deinde cadis onerarat Acestes
Litore Trinacrio[22], dederatque abeuntibus heros,
Dividit, et dictis mœrentia pectora mulcet :
« O socii (neque enim ignari sumus ante[23] malorū),
O passi graviora, dabit deus his quoque finem.
Vos et Scyllæam rabiem penitusque sonantes
Accēstis[24] scopulos; vos et Cyclopia saxa
Experti : revocate animos, mœstumque timorem
Mittite; forsan et hæc olim meminisse juvabit.
Per varios casus, per tot discrimina rerum,
Tendimus in Latium, sedes ubi fata quietas
Ostendunt : illic fas regna resurgere Trojæ.
Durate, et vosmet rebus servate secundis. »
Talia voce refert; curisque ingentibus æger
Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem.
Illi se prædæ[25] accingunt dapibusque futuris :
Tergora deripiunt costis, et viscera nudant :
Pars[26] in frusta secant, verubusq; trementia figunt:
Litore ahena[27] locant alii, flammasque ministrant.
Tum victu revocant vires, fusique per herbam
Implentur veteris Bacchi pinguisque ferinæ[28].
Postquam exempta fames epulis, mensæq; remotæ[29],
Amissos longo socios sermone requirunt[30],
Spemque metumque inter dubii, seu vivere credant,
Sive extrema pati[31], nec jam exaudire vocatos.
Præcipue pius Æneas nunc acris Oronti[32],
Nunc Amyci casum gemit et crudelia secum
Fata Lyci, fortemque Gyan, fortemque Cloanthum.
Et jam finis erat[33], quum Juppiter æthere summo
Despiciens mare velivolum[34] terrasque jacentes,

20 « Necessitatis enim est hæc venatio, non voluptatis : hinc definivit numerum. » *Serv.* — 21 Strue : *deinde dividit vina, quæ bonus Acestes* etc. *Vina onerare cadis* est vina ut onus inferre, infundere cadis; pro vulgari : cados onerare vino, quod sensu idem est, sed ad rationem grammaticam prorsus diversum. — 22 In litore Siciliæ, quæ *Trinacria* dicebatur a tribus promontoriis (τριῶν ἄκρων), latine *triquetra*, triangularis. Ibi *Acestes*, aliis *Ægestes* Trojanus condiderat urbem Ægestam sive Segestam, haud longe a Drepani portu, quo classis Æneæ delata fuerat; vide infra III, 707. — 23 Id est τῶν πρὶν κακῶν. — 24 Accessistis ad scopulos in interioribus adeo recessibus et antris sonantes, ubi incolit Scylla rabiosa; vide III, 555 seqq. *Cyclopia saxa*, saxosum litus ad Ætnam, Cyclopum sedem. — 25 Ut ex præda oblata parent dapes. Mox *viscera* intellige « quicquid sub corio est. Unde dicta *visceratio*, carnis distributio. » *Serv.* — 26 Hanc vocem sequi solet pluralis. *Trementia*, palpitantia. — 27 « *Ahena*, quibus utebantur non ad elixandas carnes, sed ad lavandos se ante epulas. Heroicis enim temporibus carne non vescebantur elixa. » *Serv. Ministrant*, afferunt, subjiciunt ignem ahenis. — 28 *Ferinæ* carnis, sæpe tribus in adjectivis omissum. — 29 Notum veteribus apponi solitas mensas cum dapibus, deinde removeri aut tolli, ut succederent mensæ *secundæ*. Hic impropriæ dictum de fine cœnæ discumbentium per herbam. — 30 Desiderium eorum declarant. — 31 Mori, atque adeo jam mortuos esse : quod poeta sic expressit ad morem *conclamandi* defunctos respiciens; quibus ter magna voce vocatis nec exaudientibus, ter dicebatur *vale*. Conf. III, 68. — 32 Orontis, ut *Achilli*, v. 30, not. 24. Mox junge *secum gemit*. — 33 *Finis erat* horum sermonum. — 34 In quo vela volant; vox a Livio Andronico sumpta, qui dixerat : *Permensus ponti maria alta, velivola*. Ennio autem dictæ *naves velivolæ*. Ætheri opponuntur terræ *jacentes*, infra positæ et porrectæ. Populi *lati*, latas regiones occupantes. Particula *sic*, ante dicta resumens, post participium posita ut in græcis οὕτως, ἔτι (*ita*).

Litoraque et latos populos, sic vertice cœli
Constitit, et Libyæ defixit lumina regnis.
Atque illum tales[35] jactantem pectore curas
Tristior et lacrimis oculos suffusa[36] nitentes
Alloquitur Venus : « O qui res hominumque deûmque
Æternis regis imperiis, et fulmine terres,
Quid meus Æneas in te committere tantum,
Quid Troes potuere, quibus tot funera passis
Cunctus ob Italiam[37] terrarum clauditur orbis?
Certe hinc Romanos olim, volventibus[38] annis,
Hinc fore ductores, revocato[39] a sanguine Teucri,
Qui mare, qui terras omni ditione[40] tenerent,
Pollicitus : quæ te, genitor, sententia vertit?
Hoc[41] equidem occasum Trojæ tristesque ruinas
Solabar, fatis contraria fata rependens[42] :
Nunc eadem fortuna viros tot casibus actos
Insequitur. Quem das finem, rex magne, laborum?
Antenor[43] potuit, mediis elapsus Achivis,
Illyricos penetrare sinus atque intima tutus
Regna Liburnorum[44], et fontem superare Timavi,
Unde per ora novem vasto cum murmure montis
It mare proruptum[45] et pelago premit arva sonanti.
Hic[46] tamen ille urbem Patavi sedesque locavit
Teucrorum, et genti nomen[47] dedit, armaque fixit
Troïa; nunc placida compostus[48] pace quiescit :
Nos, tua progenies, cœli quibus annuis arcem,
Navibus (infandum!) amissis, unius ob iram
Prodimur[49], atque Italis longe disjungimur oris.
Hic pietatis honos? sic nos in sceptra[50] reponis? »
Olli[51] subridens hominum sator atque deorum,
Vultu quo cœlum tempestatesque serenat,

35 *Tales*, quales consentaneum erat eum animo concepisse Trojanorum miseros casus contemplantem. — 36 Hellenismo jam sæpe memorato : oculos suffusos habens lacrimis. Scite Servius : « Dicendo *nitentes* expressit nimiam etiam in lacrimis pulchritudinem. » — 37 Ne ad Italiam pervenire possint. — 38 Intransitive (ut *Georg.* I, 163, n. 66) : dum anni alter post alterum circumvolvuntur (cf. *Georg.* II, 402, n. 5), περιπλομένων sive περιτελλομένων ἐνιαυτῶν Homero. — 39 Quasi resuscitato, instaurato. Teucer erat Scamandri fluvii et Idææ nymphæ filius, Troadis rex primus, quamquam aliæ fabulæ Dardanum ponunt, Scamandrum et Teucrum Cretâ adducentes. — 40 Summa potestate. Post *pollicitus*, ut lit in

oratione commota, mutatur constructio. — 41 His promissis. *Solabar*, lenibam dolorem animo conceptum ex occasu Trojæ. — 42 Compensans : tristibus his fatis opponens ut ἀντίθετον fata *contraria*, felicia, quæ exspectabam. — 43 Antenor, Æsyetæ filius, senex Trojanus, Priamo familiarissimus, Troja et ipse profugus, potuit ille in Italiam penetrare, et condere urbem : Æneæ non conceditur. — 44 Gentis Illyricæ. De Timavo vide not. 5 Eclogæ VIII. *Ora*, de fontibus Timavi. — 45 Exit maxima copia aquæ et latissimus, tanquam mare *proruptum*, se prorumpens, cum magna vi fluctuum erumpens ex monte. Atque arva illa *premit*, operit, inundat *pelago*, undarum copia pelago simili. — 46 *Hic*, quo ille, superato Timavo, pervenerat. Patavium, hodieque *Padova* sive *Padoue*. Non negligendum *tamen*, cui tenuis inest ironia : ille *saltem* certam sedem invenit, urbem condidit, etc., ille cui nihil fatis promissum. *Teucrorum*, Trojanorum; v. not. 39. — 47 *Nomen*, nimirum *Henetorum*, qui postea Veneti, ductum ab Henetis Paphlagoniæ, Antenoris comitibus, post amissum ducem suum Pylæmenem. Vide Livium I, 1. Arma *fixit*, affixit, suspendit templorum et domuum parietibus : quod fiebat bello finito et otio pacis parto. — 48 Compositus, sepultus. — 49 Per fraudes perdimur. Observa perituram fuisse horum vim omnem, si Venus dixisset « *Junonis* ». — 50 In regnum Italiæ promissum et debitum : quæ notio inest particulæ *re*. — 51 Antique pro *illi*.

Oscula libavit[52] natæ ; dehinc talia fatur :
« Parce metu[53], Cytherea : manent immota tuorum
Fata tibi : cernes urbem et promissa Lavini
Mœnia, sublimemque feres ad sidera cœli
Magnanimum[54] Ænean ; neque me sententia vertit.
Hic tibi (fabor enim, quando hæc te cura remordet,
Longius et volvens[55] fatorum arcana movebo)
Bellum ingens geret Italia, populosque feroces
Contundet, moresque[56] viris et mœnia ponet,
Tertia dum Latio regnantem viderit æstas,
Ternaque[57] transierint Rutulis hiberna subactis.
At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo[58]
Additur (Ilus erat, dum res stetit[59] Ilia regno),
Triginta magnos volvendis mensibus orbes
Imperio explebit, regnumque ab sede Lavini
Transferet, et Longam multa vi muniet Albam.
Hic jam ter centum totos regnabitur annos
Gente sub Hectorea[60], donec regina sacerdos
Marte gravis[61] geminam partu dabit Ilia prolem.
Inde lupæ fulvo nutricis tegmine lætus[62]
Romulus excipiet[63] gentem et Mavortia condet
Mœnia, Romanosque suo de nomine dicet.
His ego nec metas rerum[64] nec tempora pono ;
Imperium sine fine dedi. Quin aspera Juno,
Quæ mare nunc terrasque metu[65] cœlumque fatigat,
Consilia in melius referet, mecumque fovebit
Romanos, rerum dominos, gentemque togatam[66].
Sic placitum. Veniet lustris labentibus ætas,
Quum domus Assaraci[67] Phthiam clarasque Mycenas
Servitio premet, ac victis dominabitur Argis.
Nascetur pulchra Trojanus origine Cæsar[68],
Imperium Oceano, famam qui terminet astris,
Julius, a magno demissum nomen Iulo.
Hunc tu olim cœlo, spoliis Orientis onustum[69],
Accipies secura[70] ; vocabitur hic quoque votis.

52 Libando, leviter attingendo sumpsit, quasi delibavit. Nisi præstat *oscula* de venustis labellis intelligi, ut est apud Horatium : *dulcia barbare lædentem oscula* (Od. I, 13). — 53 Dativus. — 54 Animosum, fortem. — 55 Evolvens, quasi volumen libri. *Movebo*, proferam. — 56 Leges et jura constituet. — 57 Sic poetæ pro *tria* : tres hiemes. *Rutulis* est dativus. — 58 *Iuli* nomen, inauditum antiquis, ab *Julia* gente vel in ejus gratiam inventum, ad originem ex Venere asserendam. Servius : « Historiæ hoc habet fides : Ascanium et Mezentium singulari certamine dimicasse ; et occiso Mezentio, Ascanium, sicut *C. Julius Cæsar* scribit, *Iulum* cœptum vocari, a primæ barbæ lanugine (quam ἴουλον Græci dicunt), quæ ei tempore victoriæ nascebatur. » — 59 *Stetit regno*, ita stetit ut regnum esset, incolumi civitate et regno. *Magnos orbes*, intellige annos ; nam menses quoque circumvolvuntur, sed orbibus minoribus. — 60 Pro : Trojana, ut est etiam V, 120. *Regina*, regis filia, Rhea Silvia, poetis dicta Ilia. — 61 Ex Marte gravida. *Dabit*, edet. — 62 Lubenter gerens cassidem ex pelle lupina factam. Conf. VII, 688. Sic apud Propertium Romuli *galea* est *hirsutis compta* LUPINA *jubis*. — 63 Accipiet regendam gentem Trojæ oriundam. Non argutandum est hic, nec poscenda ἀκρίβεια consulto neglecta. — 64 Terminos imperii. — 65 *Metu*, quem incutere satagit. *Fatigat*, exagitat, exercet. — 66 Nimirum uni gentium omnium toga uti concessum erat Romanæ, adeo ut exulibus cum aqua et igni etiam togæ usu interdictum esset. — 67 Qui filius Trois, Æneæ proavus ; v. *Georg.* III, 35, n. 32. Renascens Troja Græciæ, nunc victricis, evadet domina. *Phthia*, Thessaliæ urbs, patria Achillis ; Mycenis (in Peloponneso) regnabat Agamemnon, Argis Diomedes. — 68 *Cæsar* Augustus. — 69 Vide *Georg.* III, 26 et seqq. — 70 *Secura*, scilicet placatâ tum Junone nec ullo deûm intercedente. *Voc.*, invocabitur.

Aspera tum positis mitescent sæcula bellis ;
Cana [71] Fides, et Vesta, Remo cum fratre Quirinus,
Jura dabunt ; diræ ferro et compagibus arctis
Claudentur Belli portæ [72] : Furor impius intus
Sæva sedens super arma, et centum vinctus ahenis
Post tergum nodis, fremet horridus ore cruento. »

Hæc ait, et Maia genitum [73] demittit ab alto,
Ut terræ, utque novæ pateant Carthaginis arces
Hospitio Teucris ; ne fati nescia Dido
Finibus arceret. Volat ille per æra magnum
Remigio alarum [74], ac Libyæ citus adstitit oris.
Et jam jussa facit ; ponuntque ferocia Pœni
Corda, volente deo ; in primis regina quietum
Accipit in Teucros animum mentemque benignam.

At pius Æneas, per noctem plurima volvens [75],
Ut primum lux alma data est, exire locosque
Explorare novos, quas vento accesserit oras,
Qui teneant (nam inculta videt), hominesne feræne.
Quærere constituit, sociisque exacta [76] referre.
Classem in convexo nemorum [77], sub rupe cavata,
Arboribus clausam circùm atq̃ horrentibus umbris [78]
Occulit ; ipse uno graditur comitatus Achate,
Bina manu lato crispans [79] hastilia ferro.
Cui mater media sese tulit obvia silva,
Virginis os habitumque gerens, et virginis arma
Spartanæ [80], vel qualis equos Threïssa fatigat
Harpalyce, volucremq̃ fuga [81] prævertitur Hebrum.
Namq̃ humeris de more habilem [82] suspenderat arcum
Venatrix, dederatque comam diffundere ventis,
Nuda genu [83], nodoque sinus collecta fluentes. [rum
Ac prior, « Heus, inquit, juvenes, monstrate mea-
Vidistis si quam hic errantem forte sororum,
Succinctam pharetra [84] et maculosæ tegmine lyncis,
Aut spumantis apri cursum clamore prementem [85], »

Sic Venus ; et Veneris contra sic filius orsus :
« Nulla tuarum audita mihi neque visa sororum,
O [86] — quā te memorē, virgo ? namq̃ haud tibi vultus

71 Prisca, antiqua, qualis majorum fuit. Non intelligitur *Fides albo velata panno*, quod dixit Horatius. *Vesta* est Romanorum patria dea sanctissima, quæ focum imperii habebatur. Neque frustra addit *Remo cum fratre*, ut restituta cogitetur antiquissimi temporis integritas et innocentia, qualis fuit ante necem Remi. — 72 Ennium imitatus ita appellavit Jani templum, in bellicosa gente nunquam non apertum, quod per tot sæcula Augustus clausit tertium, pacem agente imperio. In hoc claustro pulchre fingitur sedere vinctus et fremens *Furor impius* civilium bellorum, quibus Augustus imposuit finem. — 73 Mercurium. — 74 Hoc recte vocatum ab grammaticis « translatio reciproca. » — 75 *Volvens* animo. — 76 Diligenter explorata. — 77 In loco convexo per rupem silvis consitam. — 78 Vide ad vers. 165, not. 3. — 79 Vibrans, quassans. Heroes binas hastas gerere solebant. — 80 Arma virginis vel Spartanæ sive Lacænæ (quæ virgines venationi operam dabant) vel Thraciæ (quæ equitatui). Est græca forma Θῳῤῥᾶσα, Θῳῤῥᾶσσα. *Fatigat*, vide supra notam 65. Harpalyce, filia Harpalyci, regis Amymnæorum, populi Thracici. De quibus fabulas antiquas cognoscere potes ex Servio. — 81 Velocitate. Hebro flumini (vide not. 52 Eclogæ X) a pluribus poetis tribuitur cursus rapidus et concitatus. — 82 Qui facile haberi sive geri potest. — 83 Explicatur ab Ovidio (*Metam.* X, 536) : « Nuda genu, *vestem ritu succincta Dianæ*, » quod in statuis vel anaglyphis deæ cernitur. De syntaxi græca jam sæpe monitum. *Sinus* vestis. — 84 Gerentem pharetram et pellem lyncis cingulo adstrictas sibi, cinctùs ope indutas. De quo habitu conf. *Georg.* IV, 342, n. 90. — 85 Urgentem, persequentem. — 86 Vocativum subjecturus hæret

Mortalis, nec vox hominem sonat : o, dea certe :
An Phœbi soror ? an Nympharum sanguinis una ?
Sis felix, nostrumque leves, quæcumque[87], laborē,
Et, quo sub cœlo tandem, quibus orbis in oris
Jactemur, doceas; ignari hominumque locorumque
Erramus, vento huc, vastis et fluctibus acti :
Multa[88] tibi ante aras nostra cadet hostia dextrâ. »

Tum Venus : « Haud equidē tali me dignor honore :
Virginibus Tyriis mos est gestare pharetram,
Purpureoque alte suras vincire cothurno[89].
Punica regna vides, Tyrios et Agenoris[90] urbem ;
Sed fines Libyci ; genus intractabile[91] bello.
Imperium Dido Tyria regit urbe profecta,
Germanum[92] fugiens. Longa est injuria, longæ
Ambages ; sed summa sequar fastigia rerum.
Huic conjux Sychæus erat, ditissimus agri
Phœnicum[93], et magno miseræ dilectus amore ;
Cui pater[94] intactam dederat, primisque jugarat
Ominibus. Sed regna Tyri germanus habebat
Pygmalion, scelere ante alios[95] immanior omnes.
Quos inter medius venit[96] furor. Ille Sychæum
Impius ante aras, atque auri cæcus[97] amore,
Clam ferro incautum superat, securus amorum
Germanæ ; factumque diu celavit, et ægram,
Multa malus simulans, vana spe lusit amantem.
Ipsa sed in somnis inhumati venit imago
Conjugis ; ora modis attollens pallida miris,
Crudeles aras[98] trajectaque pectora ferro
Nudavit, cæcumque domûs scelus omne retexit.
Tum celerare fugam patriaque excedere suadet,
Auxiliumque viæ[99] veteres tellure recludit
Thesauros, ignotum argenti pondus et auri.
His commota fugam Dido sociosque parabat.
Conveniunt quibus aut odium crudele[1] tyranni,
Aut metus acer erat : naves, quæ forte paratæ,
Corripiunt, onerantque auro : portantur avari
Pygmalionis opes pelago ; dux femina facti.
Devenere locos ubi nunc ingentia cernis
Mœnia, surgentemque novæ Carthaginis arcem ;
Mercatique solum, facti de nomine Byrsam[2],

Æneas et ambigit. — 87 *Quæcumque* es. — 88 Vide not. 33 Eclogæ I. — 89 Vide not. 32 Eclogæ VII. — 90 « Agenor, Neptuni et Libyæ filius, rex Phœnices, (et pater Europæ,) de cujus genere originem Dido ducebat. » *Servius*. *Fines*, regio, terra. — 91 Indomitum, invictum. Palpat hic Romulidas. — 92 Pygmalionem fratrem. Narrationem rei habes apud Justinum, XVIII, c. 4 et 5. *Longa* relatu. — 93 Superlativo jungendum, non præcedenti vocabulo. — 94 Belus. *Primis ominibus*, primis nuptiis ; etenim captatis auguriis fiebant nuptiæ. — 95 Verbis *ante alios* et *præ aliis* sæpe augetur vis superlativi, rarius comparativi, in quo vulgaris ablativus sic variatus. — 96 Inter Pygmalionem et Sychæum intercessit acris inimicitia. — 97 Occæcatus, mentem abreptus. *Superat*, opprimit, necat. *Securus*, non curans affectum sororis. — 98 Scelus crudele ad aras commissum *patefecit* sive *detexit* : quod supplendum ex sequenti verbo *nudavit* ; hoc autem poeta proximo substantivo accommodavit. *Cæcum*, occultum. — 99 Qui thesauri sint auxilium viæ. Est appositio. *Recludit*, effodit e terra. — 1 Atrox, sævum, acre. — 2 Βύρσα græce est detracta pellis, *taurinum tergus* tergoris, quod poetæ etiam *tergum* dicunt. Arx Carthaginis, in media urbe sita, Phœnicum lingua vocabatur *Bosra* id est, munimentum), græco ori convenientius *borsa* ; unde Byrsæ nomen, et historiola haud illepida hinc

Taurino quantum possent circumdare tergo.
Sed vos qui tandem ? quibus aut venistis ab oris ?
Quove tenetis[3] iter ? » Quærenti talibus ille
Suspirans, imoque trahens a pectore vocem :
« O dea, si prima repetens ab origine pergam,
Et vacet annales nostrorum audire laborum,
Antè[4] diem clauso componet Vesper Olympo.
Nos Troja antiqua (si vestras forte per aures
Trojæ nomen iit) diversa per æquora vectos
Forte sua Libycis tempestas appulit oris.
Sum pius Æneas, raptos[5] qui ex hoste Penates
Classe veho mecum, fama super æthera notus.
Italiam quæro patriam[6] et genus ab Jove summo.
Bis denis Phrygium conscendi[7] navibus æquor,
Matre dea monstrante viam, data fata[8] secutus :
Vix septem convulsæ undis Euroque supersunt.
Ipse ignotus, egens, Libyæ deserta peragro,
Europa atque Asia pulsus. » Nec plura querentem
Passa[9] Venus medio sic interfata dolore est : [ras
« Quisquis es, haud, credo, invisus Cœlestibus au-
Vitales carpis[10], Tyriam qui adveneris urbem.
Perge modo, atque hinc te reginæ ad limina perfer.
Namque tibi reduces socios classemque relatam
Nuntio et in tutum versis Aquilonibus[11] actam,
Ni frustra augurium vani[12] docuere parentes.
Aspice bis senos lætantes agmine[13] cycnos,
Ætheria quos lapsa plaga Jovis ales aperto
Turbabat cœlo ; nunc terras ordine longo
Aut capere[14], aut captas jam despectare videntur.
Ut reduces illi ludunt stridentibus alis,
Et cœtu cinxere[15] polum, cantusque dedere,
Haud aliter puppesque tuæ pubesque tuorum

enata, ut tot aliæ quas pepererunt nomina. — 3 Dirigitis. *Talibus* verbis respondit. — 4 Antequam hoc peregerim, *Vesper*, Hesperus (vid. not. 85 Eclogæ VI) diem *componet*, id est tanquam fessum tradet quieti ; ut in lectulo cubans homo dicitur *se componere*, infra v. 698. Nocte autem adveniente cœlum quasi *claudi*tur tenebris prætentis. Servius : « Poetæ dicunt cœlum per noctem claudi, aperiri per diem. » — 5 Ereptos ex urbe ab hostibus devastata. *Pius* in patrem, patriam et præsertim deos. — 6 *Patriam :* nam poeta sequitur eos qui Dardanum, Jovis ex Electra filium, in Etruria natum narravere : « unde quum sibi proposuisset sedes exteras petere, profectus, contracta in Troade juventute, Dardaniam urbem condidit, a qua Trojanorum origo crevit. » *Serv.* Quæro Italiam quæ mihi est patria et origo gentis meæ, ubi genus meum ab Jove descendit. — 7 *Æquor Phrygium* (Hellespontum) *conscendi*, poetice, quum proprie conscendantur naves. — 8 Oracula, de quibus infra III, 89 seqq., 151 seqq. De Venere viæ duce memorabilem locum Varronis adscripsit Servius, ex libro II *Rerum divinarum :* « Ex quo de Troja est « egressus Æneas, Veneris eum per diem cotidie stellam vidisse, donec ad Lau- « rentem agrum veniret, in quo eam non vidit ulterius : quare et terras cognovit « esse fatales. » — 9 *Querentem passa* græco more dictum pro *queri*. Nisi sic struas : *et interfata est querentem, non passa* eum *plura* queri. — 10 Lucretiana locutio. *Qui* subjunctivo sequente fere sonat : quandoquidem, quia. — 11 « Speciem pro genere posuit : mutatis ventis. » *S.* — 12 Quorum scientia inanis ; decepti decipientesque. — 13 Læti quod rursus in unum agmen compositi volant, paulo ante dissipati ab aquila impetum in eos faciente. Cœlo *aperto*, patenti, libero, ut nihil ibi persequenti obstaret. — 14 Eligere, designare locos, ubi considere placeat. *Capere* pertinet ad extremos illius *ordinis longi*, *captas jam despectare* ad primos, qui prope jam attigerunt locum captum. — 15 *Cinxere*, nimirum volatu in orbem facto. *Polum* poetæ dicunt cœlum vel aerem. Cantus autem avientio comparationem jam propius deflecit ad nautas, qui lætos cantus edere solent portum

Aut portum tenet, aut pleno subit ostia velo.
Perge modo, et qua te ducit via, dirige gressum.»
Dixit, et avertens[16] rosea cervice refulsit,
Ambrosiæque[17] comæ divinum vertice odorem
Spiravere; pedes vestis defluxit ad imos,
Et vera incessu patuit dea[18]. Ille ubi matrem
Agnovit, tali fugientem est voce secutus:
« Quid natum toties, crudelis tu quoque, falsis
Ludis imaginibus? cur dextræ jungere dextram
Non datur, ac veras[19] audire et reddere voces? »
Talibus incusat, gressumque ad mœnia tendit.
At Venus obscuro gradientes aere sæpsit,
Et multo nebulæ circum dea fudit amictu,
Cernere ne quis eos, neu quis contingere posset,
Molirive moram, aut veniendi poscere causas.
Ipsa Paphum[20] sublimis abit, sedesque revisit
Læta suas, ubi templum illi, centumque Sabæo
Thure calent aræ, sertisque recentibus halant.

Corripuere viam interea, qua semita monstrat.
Jamque ascendebant collem qui plurimus[21] urbi
Imminet, adversasque aspectat desuper arces.
Miratur molem Æneas, magalia[22] quondam,
Miratur portas, strepitumque et strata viarum.
Instant[23] ardentes Tyrii: pars ducere muros,
Molirique arcem, et manibus subvolvere saxa:
Pars optare[24] locum tecto, et concludere sulco.
[Jura[25] magistratusque legunt, sanctumque senatū.]
Hic portus alii effodiunt; hic alta theatris
Fundamenta locant alii, immanesque columnas
Rupibus excidunt, scenis decora alta futuris.
Qualis apes æstate nova[26] per florea rura
Exercet sub sole labor, quum gentis adultos
Educunt fœtus, aut quum liquentia mella
Stipant et dulci distendunt nectare cellas,
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto
Ignavum fucos pecus a præsepibus arcent:
Fervet opus, redolentque thymo fragrantia mella.
« O fortunati, quorum jam mœnia surgunt! »
Æneas ait, et fastigia suspicit urbis.
Infert se sæptus nebula (mirabile dictu!)
Per medios, miscetque viris, neque cernitur ulli.

propinquum petentes. — 16 *Avertens se*, ut v. 104, n. 65. — 17 Ambrosia delibutæ, qua et unguntur dii. *Vertice*, a vertice. — 18 Sine elisione, ob distinctionem majorem, ut *Ecl.* II, not. 49. Deorum incessus velatui quam meatui similior ex Homero notus. — 19 *Veras*, ita ut tu mecum loquaris ut filio, ego tecum ut matre. Mox Servius: « *Incusare* proprie est superiorem arguere, *accusare* vero vel parem vel inferiorem. » — 20 Cypri urbem Veneri sacram. *Sabæo*, vide *Georg.* I, 57, n. 58. — 21 Maximus, longus, ut *Georg.* III, 52. — 22 Quæ *magalia* in *Georg.* III, 340, ubi v. not. 26. Isidorus: « *Magalia*, ædificia Numidarum agrestium oblonga, ... dicta quasi *magalia*, quia *magar* Punici novam villam dicunt. » — 23 *Instant* operi. Sequuntur infinitivi, non hinc pendentes, sed narrativi. — 24 Eligere. *Sulco*, fossa facta, ad ponenda fundamenta. — 25 Jura *constituunt* et magistratus eligunt; dictum per zeugma, quo verbum ultimo solum substantivo exacte aptatum est, ad cetera autem generalior aliqua notio suppleri debet, quæ ex eodem verbo elicitur; conf. præcedentem notam 98. Accedo iis qui versum hunc insititium judicant. — 26 Incipiente æstate. Sequentes versus sex petiti sunt prope integri ex *Georgicon* libro IV, 162-169, ubi v. not. 93 seqq.

Lucus in urbe fuit media, lætissimus[27] umbræ,
Quo primum jactati undis et turbine Pœni
Effodere loco signum[28], quod regia Juno
Monstrarat, caput acris equi : sic nam fore bello
Egregiam et facilem victu[29] per sæcula gentem.
Hic templum Junoni ingens Sidonia Dido
Condebat, donis opulentum et numine[30] divæ,
Ærea cui gradibus surgebant limina, nexæque
Ære trabes[31], foribus cardo stridebat ahenis.
Hoc[32] primum in luco nova res oblata timorem
Leniit; hic primum Æneas sperare salutem
Ausus et afflictis melius confidere rebus.
Namque, sub ingenti lustrat dum singula templo,
Reginam opperiens, dum, quæ fortuna sit urbi,
Artificumque manus inter se[33] operumque laborem
Miratur, videt Iliacas ex ordine pugnas,
Bellaque jam fama totum vulgata per orbem,
Atriden, Priamumque, et sævum ambobus[34] Achillen.
Constitit, et lacrimans, « Quis jam locus, inquit, Achate,
Quæ regio in terris nostri non plena laboris? En Priamus! Sunt hic etiam sua præmia laudi[35];
Sunt lacrimæ rerum, et mentem mortalia tangunt.
Solve metus : feret hæc aliquam tibi fama salutem. »
Sic ait, atque animum pictura pascit inani[36],
Multa gemens, largoque humectat flumine vultum.
Namque videbat uti bellantes Pergama circum
Hac fugerent Graii, premeret Trojana juventus;
Hac Phryges[37], instaret curru cristatus Achilles.
Nec procul hinc Rhesi niveis tentoria velis
Agnoscit lacrimans, primo[38] quæ prodita somno
Tydides multa vastabat cæde cruentus,
Ardentesque avertit equos in castra, prius quam
Pabula gustassent Trojæ Xanthumque[39] bibissent.
Parte alia fugiens amissis Troilus[40] armis,

27 Adjectivum *lætus*, cui copiæ et affluentiæ notio inest (vide notam primam in *Georgica* 1), inde cum genitivo potest construi. Probus ex Sallustio attulit : *frugum pabulique lætus ager*. De portento quod jam refertur plenius narravit Justinus XVIII, c. 5. Junge *quo loco*. — 28 Rem quæ in signum sive omen erat. *Sic nam*, per hoc omen. — 29 Supinum : quæ sit facile victura, ob rerum omnium affluentiam et prosperitatem. — 30 Potentiâ deæ : quæ sane princeps opulentia templi. — 31 Postes forium. Servius : « Multi *nixæ* legunt, non *nexæ*. » Utrumque commode explicatur. — 32 *Hoc*, in quo conditum erat illud templum. — 33 *Inter se* comparans vel comparatas : quæ notio quodammodo inest præpositioni *inter*. (At hic in consensum trahor a Peerlkampio, qui scribit *inter se*... MIRANTUR, Æneas et Achates, addens : « Nemo, comitem habens, solus secum miratur. ») *Manus*, opera, picturas, ut græce quoque dicitur τεῦχος. Sunt qui de variis artificum *stylis* cogitent quos tum Æneas judicaverit! *Operum laborem* de æde ipsa intellige, ut *Georg.* II, 155, not. 22. — 34 *Ambobus*, utrisque quæ dictæ sunt partibus; sic capiendum *ambo*, non de personis. Agamemnoni sævus Achilles in ira illa, quam Homerus reddidit æternam. — 35 Rebus laudabiliter gestis, virtuti. Lacrimæ *rerum*, passive : fusæ de rebus, propter res dignas quæ defleantur. Sic II, 784 : *Lacrimas dilectæ pelle Creusæ*, quas fundis de Creusa. *Mortalia*, res humanæ. — 36 *Inani*, quippe non ipsas res, sed umbram modo et imaginem rerum repræsentante. — 37 *Phryges* fugerent. — 38 Somno *primo*, quem Rhesus prima nocte, postquam ad Trojam venit, capiebat. Ceterum potest etiam simpliciter accipi de eo quem nos quoque dicimus primum somnum; conf. II, 268; VIII, 407. *Tydides*, Diomedes. Nota sunt ex pulcherrimo cantu decimo *Iliadis*. — 39 Qui vulgari nomine Scamander. — 40 Priami filius. *Armis*, clipeo; nam hastam tenebat.

Infelix puer atque impar congressus Achilli,
Fertur[41] equis, curruque hæret resupinus inani,
Lora tenens tamen : huic cervixque comæque trahuntur
Per terram, et versa pulvis inscribitur[42] hasta.
Interea[43] ad templum non æquæ Palladis ibant
Crinibus Iliades passis, peplumque ferebant,
Suppliciter[44] tristes et tunsæ pectora palmis ;
Diva solo fixos oculos aversa tenebat.
Ter[45] circum Iliacos raptaverat Hectora muros,
Exanimumque auro corpus vendebat Achilles.
Tum vero ingentem gemitum dat[46] pectore ab imo,
Ut spolia, ut currus, utque ipsum corpus amici,
Tendentemque manus Priamum conspexit inermes.
Se quoque principibus permixtum agnovit Achivis,
Eoasque[47] acies et nigri Memnonis arma.
Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis[48]
Penthesilea furens, mediisque in millibus ardet,
Aurea subnectens exsertæ[49] cingula mammæ,
Bellatrix, audetque viris concurrere virgo.

Hæc dum Dardanio Æneæ miranda videntur[50],
Dum stupet obtutuque hæret defixus in uno,
Regina ad templum, forma pulcherima Dido,
Incessit, magna juvenum stipante caterva.
Qualis in Eurotæ[51] ripis aut per juga Cynthi
Exercet Diana choros, quam mille secutæ [tram
Hinc atque hinc glomerantur Oreades[52] : illa phare-
Fert humero, gradiensque deas supereminet omnes ;
Latonæ tacitum pertentant gaudia pectus :
Talis erat Dido, talem se læta ferebat
Per medios, instans operi regnisque futuris.
Tum foribus divæ, a media testudine[53] templi,
Sæpta armis solioque alte subnixa resedit.
Jura dabat legesque viris, operumque laborem
Partibus æquabat justis, aut sorte trahebat :
Quum subito Æneas concursu accedere magno
Anthea Sergestumque videt, fortemque Cloanthum,

41 Aufertur ab equis, postquam excideret curru, pedibus inter lora impeditus. — 42 Notatur sulcis quasi scriptura cortici aut ceræ impressa. — 43 *Interea* non spectat ad gestæ rei tempus : nam Troili interitus evenerat multo ante tempora *Iliadis*, ex cujus cantu sexto sumpta pictura sequens, v. 269-312. At in picto pariete matronæ Trojanæ revera supplicem pompam ducebant, *dum* ab alia parte Troilus fatum obibat. — 44 Supplicantium modo. — 45 Ex ultimo cantu *Iliadis* sumpta quæ hinc per quinque versus describuntur ; sed in primo versu poeta Euripidem sequitur, *Andromach.* v. 105 et 106, sive Ennium in cognomine tragœdia, non Homerum, apud quem Achilles vivum Hectorem ter fugat circum Trojanos muros, mortuum ter raptat circa tumulum Patrocli. — 46 *Dat*, edit Æneas. — 47 Vide *Georg.* II, 115, n. 94. Auroræ ex Tithono filius Memnon Trojanis auxilio venit cum Æthiopibus ex Oriente. Venerunt etiam Amazones, duce regina Penthesilea ; de quarum gestis narravit Quintus Smyrnæus *Posthomericorum* libro I, de Memnone libro II. — 48 « Scutis brevissimis in modum lunæ jam mediæ. » *Serv.* — 49 « Nudatæ (mammæ dextræ) : nudant enim quam adusserunt mammam. » *S.* — 50 Conspiciuntur ab Ænea. — 51 Vide not. 79 Eclogæ VI, et ibid. not. 3 de Cynthio. — 52 Ὀρειάδες, nymphæ montium, qui græce ὄρη. — 53 Dido resedit in vestibulo, ab ea parte quæ respondet mediæ testudini templi, sive in loco vestibuli qui est e regione mediæ testudinis. Quid sit *testudo*, explicat Varro apud Servium et L. L. V, 161 : « In ædibus locus patulus relinquebatur sub divo ; qui si non erat relictus, sed contectus erat, appellabatur *testudo*, a testudinis similitudine. » Inseruimus *a* versui qui et veteribus

Teucrorumque alios, ater quos æquore turbo
Dispulerat, penitusque alias avexerat[54] oras.
Obstipuit simul ipse, simul percussus Achates
Lætitiaque metuque : avidi conjungere dextras
Ardebant; sed res animos incognita[55] turbat.
Dissimulant, et nube cava speculantur amicti,
Quæ fortuna viris, classem quo litore linquant[56],
Quid veniant : cunctis nam lecti navibus ibant
Orantes veniam[57] et templum clamore petebant.
Postquam introgressi, et coram data copia fandi,
Maximus[58] Ilioneus placido sic pectore cœpit :
« O regina, novam cui condere Juppiter urbem
Justitiaque dedit gentes frenare superbas,
Troes te miseri, ventis maria omnia vecti[59],
Oramus : prohibe infandos[60] a navibus ignes,
Parce pio generi, et propius res aspice nostras!
Non nos aut ferro Libycos populare[61] Penates
Venimus, aut raptas ad litora vertere prædas :
Non ea vis[62] animo, nec tanta superbia victis.
Est locus, Hesperiam Graii cognomine dicunt,
Terra antiqua, potens armis atque ubere[63] glebæ;
OEnotri[64] coluere viri : nunc fama, minores
Italiam dixisse ducis[65] de nomine gentem.
Hic[66] cursus fuit :
Quum subito assurgens fluctu nimbosus Orion[67]
In vada cæca tulit, penitusque procacibus Austris
Perque undas, superante salo, perque invia saxa
Dispulit; huc pauci vestris adnavimus oris. [rem
Quod genus hoc hominū? quæve hunc tā barbara mo-
Permittit patria? hospitio prohibemur arenæ[68];
Bella cient, primaque vetant consistere terra.
Si genus humanum et mortalia temnitis arma,
At sperate deos memores fandi atque nefandi[69].
Rex erat Æneas nobis, quo justior alter
Nec pietate fuit nec bello major et armis :
Quem si fata virum servant, si vescitur aura

grammaticis et editoribus plurimum negotii fecit. — 54 *In oras.* — 55 *Res incognita*, participium loco substantivi positum : ignoratio rei; quod ignorabant quid res esset, quæ causa et illorum adventus et Phœnicum concursus. — 56 Relictam habeant. — 57 Propitiam voluntatem, benevolentiam, ut l. IV, 435. *Clamore*, cum clamore multitudinis eos stipantis. — 58 *Maximus* et ætate et dignitate. — 59 Navibus pervecti, ut supra v. 67 *navigat æquor*, item transitive. — 60 Qui contra fas jusque gentium inferrentur. Conf. not. 69. — 61 Vastare. « *Populare*, antique : nam veteres et *populo* et *populor* dicebant. Nunc tantum *populor* dicimus; illud penitus de usu recessit. » *Serv.* — 62 *Vis*, audacia. *Superbia*, insolentia. — 63 Vide not. 48 in *Georg.* II, 185. — 64 Οἰνωτροι, ab OEnotro Arcadiæ rege dicti, qui olim coloniam Pelasgorum in Bruttium duxisse fertur : unde poetis etiam tota Italia dicta *OEnotria*. — 65 *Ducis*, Itali, de quo fabulas inter se perdiversas, vide apud Servium. — 66 *Hic*, in hanc quam dixi terram directus; exquisitius dictum quam *huc*. Primus est versuum quinquaginta quattuor, quos imperfectos reliquit Virgilius, explendos in ultima recensione carminis, quam fata ei non concesserunt. — 67 Id est : mare oriente Orione turbatum procellis : nam hoc sidus oriens aut occidens acres tempestates adducit. *Cæca*, abdita, latentia. *Procacibus*, vehementibus, qui Horatio *protervi*. — 68 Litoris. « Litus enim jure gentium commune omnibus fuit. Cicero in Rosciana : *Num quid est tam commune quam spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus ejectis?* Unde ostenduntur crudeles qui etiam communibus prohibent. » *Serv.* Mox *prima terra*, de eodem litore. — 69 Genitivi substantivorum indeclinabilium *fas* et *nefas*.

Ætheria[70], neque adhuc crudelibus occubat umbris.
Non metus, officio ne te certasse priorem
Pœniteat. Sunt et Siculis regionibus urbes[71]
Arvaque, Trojanoque a sanguine clarus Acestes.
Quassatam ventis liceat subducere classem,
Et silvis aptare trabes[72], et stringere remos;
Si datur Italiam, sociis et rege recepto,
Tendere, ut Italiam læti Latiumque petamus:
Sin absumpta salus, et te, pater optime Teucrûm,
Pontus habet Libyæ, nec spes jam restat Iuli,
At freta Sicaniæ saltem, sedesque paratas,
Unde huc advecti, regemque petamus Acesten. »
Talibus Ilioneus: cuncti simul ore fremebant[73]
Dardanidæ.

Tum breviter Dido, vultum demissa[74], profatur:
« Solvite corde metum, Teucri, secludite curas.
Res dura[75] et regni novitas me talia cogunt
Moliri, et late fines custode tueri.
Quis genus Æneadum, quis Trojæ nesciat urbem
Virtutesque virosque, aut tanti incendia belli?
Non obtunsa adeo gestamus pectora Pœni,
Nec tam aversus equos Tyria Sol jungit[76] ab urbe.
Seu vos Hesperiam magnam Saturniaque arva[77],
Sive Erycis fines regemque optatis Acesten,
Auxilio tutos dimittam, opibusque juvabo.
Vultis[78] et his mecum pariter considere regnis:
Urbem quam[79] statuo, vestra est; subducite naves;
Tros Tyriusque mihi nullo discrimine agetur[80].
Atque utinam rex ipse, Noto[81] compulsus eodem,
Afforet Æneas! Equidem per litora certos[82]
Dimittam et Libyæ lustrare extrema jubebo,
Si quibus, ejectus, silvis aut urbibus errat. »

His animum arrecti dictis et fortis Achates
Et pater Æneas jamdudum erumpere nubem[83]
Ardebant. Prior Æneam compellat Achates:
« Nate dea, quæ nunc animo sententia surgit?
Omnia tuta vides, classem sociosque receptos.
Unus abest, medio in fluctu quem vidimus ipsi
Submersum[84]; dictis respondent cetera matris. »

70 Vivit; locutio Lucretiana. Sequentia Horatianis verbis explicari possunt: neque adhuc sive necdum est *victima nil miserantis Orci. Non metus* est, haud metuendum. — 71 *Urbes*, nimirum cognatæ Trojanis et amicæ, quod proximo versu subjungitur. De Aceste vide v. 195, not. 21. — 72 In silvis cæsas arbores ad usum navium accommodare, quæ reparandæ erant et novis remis instruendæ. *Stringere* est « defrondare » (*S.*): hinc, destringendo folia et ramulos conficere *remos*. Ita dictum *incide faces* in *Ecloga* IX, not. 26. — 73 Consentientes admurmurabant (ἐπευφήμησαν in Homero) Dardani posteri, Trojani. — 74 Ut femina pudens. — 75 Dura rerum conditio, necessitas temporum præsentium. — 76 Junctos agit. Non adeo remotas a sole regiones incolimus, ut per cœli inclementiam et frigus humanitatis simus expertes, animisque duris et immanibus. — 77 Vide *Georg.* II, 173, n. 38. *Eryx*, notus mons Siciliæ, hodie *monte San-Giuliano*. — 78 Idem quod: *si* vultis (nostrum *voulez-vous*); vide not. 96 ad *Georg.* II, 519. — 79 Syntaxis græca per attractionem: urbs ea, *quam statuo*. Sic apud Terentium: *populo ut placerent quas fecisset fabulas*. — 80 A me habebitur. Alii explicant: a me regetur, tractabitur. — 81 Vento aliquo vehementiore, ut supra aliquoties *Eurus* et *Euri*. Nam proprie dicto Noto hic non est locus. — 82 Homines quibus fides haberi possit. — 83 Rupta nube exire. Sic vel in prosa dicitur *egredi urbem*, *elabi vincula*. — 84 Orontem, v. 113 seqq.

Vix ea fatus erat, quum circumfusa repente
Scindit se nubes et in æthera purgat[85] apertum.
Restitit Æneas, claraque in luce refulsit,
Os humerosque deo[86] similis: namque ipsa decoram
Cæsariem[87] nato genitrix, lumenque juventæ
Purpureum[88] et lætos oculis adflarat honores:
Quale[89] manus addunt ebori decus, aut ubi flavo
Argentum Pariusve lapis circumdatur auro.
Tum sic reginam alloquitur, cunctisque repente
Improvisus ait: « Coram, quem quæritis, adsum,
Troïus Æneas, Libycis ereptus ab undis.
O sola infandos Trojæ miserata labores,
Quæ nos, reliquias Danaûm, terræque marisque
Omnibus exhaustos jam casibus, omnium egenos,
Urbe, domo socias, grates persolvere dignas
Non opis[90] est nostræ, Dido, nec quidquid ubiq est
Gentis Dardaniæ, magnum quæ sparsa per orbem.
Di tibi (si qua pios respectant Numina, si quid[91]
Usquam justitia est et mens sibi conscia recti)
Præmia digna ferant. Quæ te tam læta[92] tulerunt
Sæcula? qui tanti talem genuere parentes?
In freta dum fluvii current, dum montibus umbræ
Lustrabunt[93] convexa, polus dum sidera pascet[94],
Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt[95],
Quæ me cumque vocant terræ. » Sic fatus, amicum
Ilionea petit dextra, lævaque Serestum;
Post alios, fortemque Gyan, fortemque Cloanthum.

Obstipuit primo[96] aspectu Sidonia Dido,
Casu deinde viri tanto; et sic ore locuta est:
« Quis te, nate dea, per tanta pericula casus
Insequitur? quæ vis immanibus[97] applicat oris?
Tune ille Æneas, quem Dardanio[98] Anchisæ

85 *Se purgat in æthera*, ita solvit se vel solvitur, ut fiat purus aer. — 86 *Deo* : Apollinem cogitat potissimum, cujus pulchritudinem et cæsariem et humeros poetæ sæpe celebrant. Horatius : *Nube candentes humeros amictus Augur Apollo.* — 87 *Decoram cæsariem* latine est idem quod decorem cæsarici, quam pulchriorem adspectu reddidit dea. Nobis, qui proprie talia accipimus, absurdum esset *cæsariem decoram afflaverat.* — 88 Nitorem juventutis. *Lætos honores*, gratiam et venustatem. — 89 Sic decore singulis partibus a Venere circumfuso, pulchritudo Æneæ ita aucta est, ut ebori aut argento aut marmori decus additur, quum manu artificum exornatur auro. Supple et construe : tale erat *decus* Æneæ additum a Venere, *quale ebori addunt manus* artificis auro includentis, *aut* quale decus est, *ubi auro circumdatur argentum* vel marmor, quod candidissimum in Paro insula effoditur. — 90 Potestatis. « possibilitatis » Servio. Perge : nec (est potestatis ejus) *quidquid* Trojanorum *ubique est*, id est omnium omnino Trojanorum, ubicumque sunt. « *Sparsa* : multi enim, post excidium Trojæ, orbis diversa tenuerunt, ut Helenus Epirum, Antenor Venetiam; alii Sardiniam secundum Sallustium; alii vicina Syrtibus loca secundum Lucanum. » *Serv.* — 91 *Si quid* (aliquid) *est usquam*, si allo in loco justitia et bona conscientia, non inane nomen, sed aliqua res est, in pretio et honore habetur. — 92 Felicia. *Tulerunt*, protulerunt, genuerunt. — 93 Dum in montibus umbræ silvarum cum solis flexu obibunt *convexa*, id est ipsos montes convexos. *Polus*, cœlum, ut v. 90, *poli*. — 94 *Pascet*, ex Epicuri dogmate (poetæ satis familiari, ut vidimus in *Ecl.* VI), quo æther ponitur plenus atomorum ignearum, *unde sidera pascit*, ut Lucretius quoque loquitur I, 232. — 95 Permanebunt oblivione nullâ obliterata in iis terris, in quas fatis vocabor, in quibus beneficia virtutesque tuas perenni memoriæ posteritatis commendabo. — 96 Pro : primum. — 97 *Immanibus*, quarum incolæ sunt immanes et feri. — 98 Vide not. 24 Eclogæ II. *Simoentis*, vide v. 100 n. 62

Alma Venus Phrygii genuit Simoentis ad undam?
Atque equidem Teucrum[99] memini Sidona venire,
Finibus expulsum patriis, nova regna petentem
Auxilio Beli; genitor tum Belus opimam
Vastabat Cyprum, et victor ditione tenebat.
Tempore jam ex illo casus mihi cognitus urbis
Trojanæ, nomenque tuum, regesque Pelasgi[1].
Ipse hostis Teucros[2] insigni laude ferebat,
Seque ortum antiqua Teucrorum ab stirpe volebat[3].
Quare agite, o tectis, juvenes, succedite nostris.
Me quoque per multos similis fortuna labores
Jactatam hac demum voluit consistere terra:
Non ignara mali, miseris succurrere disco[4]. »
Sic memorat: simul Æneam in regia ducit
Tecta, simul divûm templis indicit[5] honorem.
Nec minus interea sociis ad litora mittit
Viginti tauros, magnorum horrentia[6] centum
Terga suum, pingues centum cum matribus agnos,
Munera lætitiamque dii[7].
At domus interior regali splendida luxu
Instruitur, mediisque parant convivia tectis:
Arte laboratæ vestes[8] ostroque superbo,
Ingens[9] argentum mensis, cælataque in auro
Fortia facta patrum, series[10] longissima rerum
Per tot ducta viros antiquæ ab origine gentis.
Æneas (neque enim patrius consistere[11] mentem
Passus amor) rapidum ad naves præmittit Achaten:
Ascanio ferat[12] hæc, ipsumque ad mœnia ducat.
Omnis in Ascanio cari stat[13] cura parentis.
Munera præterea, Iliacis erepta ruinis,
Ferre jubet, pallam signis auroque[14] rigentem,
Et circumtextum croceo velamen[15] acantho,
Ornatus Argivæ Helenæ[16], quos illa Mycenis,

99 Teucer, magni Ajacis frater, quo sine ut Troja in Salaminem reversus non admittebatur a patre Telamone, Cyprum petiit, novas sedes et regnum sibi quæsiturus. (Confer Horat. *Od.* I, 7, v. 21 seqq.) Ex hoc Virgilius Phœnices facit cognovisse res ad Trojam gestas. — 1 A poetis ponitur pro: Græci. Nam antiquissimi illi fuerant incolæ Græciæ. — 2 Trojanos, ut jam diximus. — 3 Natus nimirum ex Hesiona, Laomedontis regis filia, Priami sorore, quam Hercules Trojam oppugnans abduxerat, Telamonique socio dederat eximiam, id est præter prædam ut γέρας, sive præmium honorarium. — 4 Dicit et scio. — 5 « Bene *indicit*, quia Trojani inopinato venerant. Nam *indicativa sacrificia* dicebantur, quæ subito ad præsens tempus indicebantur. » *Serv.* — 6 *Horrentia* setis. Et *terga suum* dixit pro suibus ipsis, quia terga et clunes sunt pars carnosissima et cibo aptissima. — 7 « Nihil dubium est quin Virgilius in illo versu scripserit *dii* pro *diei*. Sic autem *dies dii* a veteribus declinatum est, ut *fames fami*, etc. » *Gellius* IX, c. 14; ut dicantur illæ pecudes munera lætifica diei, qui jam hilariter exigi poterat epulis. Manuscripti codices qui supersunt prope omnes exhibent *dei*, quod « imperitiores » legere asserit Gellius, a Servio explicatum: « Liberi patris; hoc est vinum. » — 8 *Vestes* stragulæ. Observa brevitatem narrationis quæsitam usu substantivorum sine verbis. — 9 *Ingens*, de multitudine vasorum argenteorum. — 10 In his cælaturis inerat *series rerum* gestarum *ducta*, id est deducta ab originibus gentis *per tot viros* fortes usque ad recentem memoriam. — 11 Quietam, tranquillam esse. *Rapidum præmittit*, quo adveniat ante illos a Didone missos (v. 633) cum epularum apparatu. — 12 Nuntiet. — 13 Posita est et manet. — 14 *Signis*, rerum hominumve figuris auro intextis. De quo poetarum more loquendi per *hendiadyn* jam sæpe monitum. — 15 *Velamen* capitis, ut videtur, cujus oram ambiebant intexta vel acu picta folia acanthi, de quo *Ecl* III, n. 45. — 16 Secundum Homerum, Ἀργείην Ἑλένην, id

Pergama quum peteret inconcessosque hymenæos,
Extulerat, matris Ledæ mirabile donum;
Prætercea sceptrum, Ilione[17] quod gesserat olim,
Maxima natarum Priami, colloque monile
Baccatum[18], et duplicem gemmis auroque coronam.
Hæc celerans[19], iter ad naves tendebat Achates.

At Cytherea novas artes, nova pectore versat
Consilia, ut faciem mutatus et ora Cupido
Pro dulci Ascanio veniat, donisque furentem[20]
Incendat reginam, atque ossibus implicet ignem.
Quippe domū timet ambiguā[21] Tyriosque bilingues;
Urit[22] atrox Juno, et sub noctem cura recursat.
Ergo his aligerum dictis affatur Amorem:
« Nate, meæ vires, mea magna potentia solus,
Nate, patris summi qui tela Typhoia[23] temnis,
Ad te confugio, et supplex tua numina posco.
Frater ut Æneas pelago tuus omnia circum
Litora jactetur odiis Junonis iniquæ,
Nota[24] tibi; et nostro doluisti sæpe dolore.
Nunc Phœnissa tenet Dido, blandisque moratur
Vocibus; et vereor quo se Junonia vertant[25]
Hospitia: haud tanto cessabit cardine rerum.
Quocirca capere ante dolis et cingere flammā
Reginam meditor, ne quo se numine[26] mutet,
Sed magno Æneæ mecum teneatur amore.
Qua facere id possis, nostram nunc accipe mentem.
Regius, accitu cari genitoris, ad urbem
Sidoniam[27] puer ire parat, mea maxima cura,
Dona ferens, pelago et flammis restantia Trojæ:
Hunc ego sopitum somno super[28] alta Cythera,
Aut super Idalium, sacrata sede recondam,
Ne qua scire dolos mediusve occurrere possit.

est Græcam. Sed Mycenas Agamemnonis fuisse sedem regiam, haud Menelai, notum est. Servius: « A vicinitate dicit *Argicæ* et paulo post *Mycenis:* quum Helena Spartana fuerit, quæ civitas est in Laconica. Et vide jam omen infelicitatis futuræ, quum adulteræ regina suscipit munera. » Admirabilis etiam in hoc loco ars rhythmorum. — 17 Priami ex Hecuba filia, nupta Polymestori, Thraciæ regi, cujus nata sunt scelera ex *Hecuba* Euripidis. *Colloˌ* dativus. — 18 Baccis seu margaritis ornatum. « *Duplicem*, aut latam, aut ex duplici materia, gemmis et auro. » *Serv.* Virgilii imitator Valerius Flaccus Veneri attribuit *duplicem coronam*, quam dea Medeæ donat, VIII, 235. — 19 Celeriter executurus hæc manda-

ta. — 20 *Furentem incendat*, ita incendat ut furat amore. Sic IV, 22: *animumque labantem Impulit*, impulit ut jam labet. De quo more dicendi poetico dictum v. 63, not. 45, ad *Georg.* IV, 198, n. 11, et alibi. *Ossibus*, medullis; v. p. 101, n. 87. — 21 Stirpem ambiguæ fidei, fallacem. Jam hinc notatur *Punica fides*. Eadem metaphora Plautus: *Tamquam proserpens bestia, est bilinguis et scelestus*. — 22 *Urit* Veneremeum, cruciat ejus animum cogitatio Junonis Æneæ et Trojanis infestæ. — 23 Quibus Typhoeum Titanem *Georg.* I, 279) Jupiter prostravit, fulmina. *Numina*, potentiam divinam. — 24 *Nota*, plurali de græco more, pro *notum* est *tibi*. — 25 Quem exitum habiturum sit hospitium in urbe Junoni sacra. Nec Juno Assabit in *tanto cardine rerum*, « id est in tanta rerum opportunitate; ut sit de proverbio tractum, quo dicitur. *Res in cardine est*, id est in articulo (græce ἐν ἄκρῳ, in eo momento, quo summa res agitur). » *Serv.* — 26 Machinatione dei alicujus. « Et bene supprimit nomen Junonis, ne ejus frequenti commemoratione Cupidinem terreat. » *Serv. Mecum*, pariter atque ego, sicut ipsa amo. Non argutandum in diversitate amoris materni. — 27 Quam condiderunt vel tenent Sidonii, Phœnices. *Restantia*, quæ non perierunt. — 28 *Super* pro *in* vel *ad* dici potest ubi agitur de loco altiore, editiore. *Cythera*, hodie *Cerigo*, insula saxosa et nemorosa prope litus Laconicum, in quam dea e mari exiisse fertur. *Idalium*, Ἰδάλιον.

Tu faciem illius, noctem non amplius unam,
Falle[29] dolo, et notos pueri puer indue vultus:
Ut, quum te gremio accipiet lætissima Dido,
Regales inter mensas laticemque Lyæum[30],
Quum dabit amplexus atque oscula dulcia figet,
Occultum inspires ignem fallasque[31] veneno. »

Paret Amor dictis caræ genitricis, et alas
Exuit, et gressu gaudens incedit Iuli.
At Venus Ascanio placidam per membra quietem
Irrigat[32], et fotum gremio dea tollit in altos
Idaliæ lucos, ubi mollis amaracus[33] illum
Floribus et dulci aspirans complectitur umbra.

Jamque ibat dicto parens et dona Cupido
Regia portabat Tyriis, duce lætus Achate.
Quum venit, aulæis[34] jam se regina superbis
Aurea composuit sponda, mediamque[35] locavit.
Jam pater Æneas et jam Trojana juventus
Conveniunt, stratoque super discumbitur ostro.
Dant famuli manibus[36] lymphas, Cereremque cani-
Expediunt, tonsisque ferunt mantelia villis. [stris
Quinquaginta intus[37] famulæ, quibus ordine longam
Cura penum struere, et flammis adolere Penates[38]:
Centum aliæ, totidemque pares ætate ministri,
Qui dapibus mensas onerent et pocula ponant[39].
Nec non et Tyrii per limina læta frequentes
Convenere, toris jussi discumbere pictis.
Mirantur dona Æneæ, mirantur Iulum,
Flagrantesque dei vultus[40], simulataque verba,
Pallamque et pictum[41] croceo velamen acantho.
Præcipue infelix, pesti[42] devota futuræ,
Expleri mentem nequit, ardescitque tuendo
Phœnissa, et pariter puero donisque movetur.
Ille ubi complexu Æneæ colloque pependit,
Et magnum falsi implevit[43] genitoris amorem,
Reginam petit. Hæc oculis, hæc pectore toto
Hæret[44], et interdum gremio fovet, inscia Dido,

Idaliæ (mox v. 693) est urbis nomen. — 29 Faciem *falle*, falsam assume, fallax simula. — 30 *Lyæum* adjective (ut *Julium sidus*, etc.) pro *Lyæi*, Bacchi. — 31 Lateas eam, neque sentienti insidiles venenum. — 32 Fundit, secundum Lucretium : *somnus per membra quietem Irriget* (IV, 909). Et Furius Antias ap. Serv. : *mitem rigat per pectora somnum*. — 33 Quod *sampsuchum* est aliis, nostratibus *l'origan*, *fausse marjolaine*. — 34 *Aulæa* hic dicuntur stragulæ vestes, stratæ in *sponda*, toro. Scande *Aurea*, per synæresim; item infra *aureis* disyllabe. *Composuit*, vide in *Georg.* IV, 189, not. 6. — 35 *Mediam* inter Æneam et Iulum, in medio lecto triclinii. — 36 *Manibus*, dativo : ad manus lavandas; conf. not. 9 ad *Georg.* IV, 376, et de sequenti versu *ibid.* notam 10. *Cererem*, panem. *Expediunt*, promunt, ministrant. — 37 In interiore parte ædium : sed convivium fiebat in atrio. Strue : *quibus cura* est *ordine struere penum longam*, serie longa dispositam, amplam. — 38 Aras Penatium deorum thure accenso cumulare; thura cremare in aris Penatium; vide not. 58 Eclogæ VIII. Cicero *Nat. Deor.* II, 27 : « Dii Penates, sive a *penu* ducto nomine : est autem omne quo vescuntur homines, *penus*; sive ab eo quod *penitus* insident, ex quo etiam *Penetrales* a poetis vocantur. » — 39 « *Ponant*, quia veteribus non in manus dabantur pocula, sed mensis apponebantur. Sed mox *discumbere* juxta consuetudinem suorum temporum dixit; nam olim sedentes vescebantur. » *Serv.* — 40 Genas et oculos fulgentes. — 41 Vide supra not. 15. — 42 Amori perniciem allaturo, exitiali. *Expleri mentem* pro : mente, hellenismo jam sæpius exposito. *Tuendo*, intuendo. — 43 Explevit, satiavit. — 44 *Hæret* in puero, defixa in eo.

Insideat quantus miseræ deus! At memor ille
Matris Acidaliæ [45], paulatim abolere Sychæum
Incipit, et vivo tentat prævertere [46] amore
Jampridem resides animos desuetaque corda.

Postquam prima quies epulis, mensæque remotæ [47],
Crateras magnos statuunt, et vina coronant [48].
Fit strepitus tectis, vocemque per ampla volutant
Atria; dependent lychni laquearibus aureis [49]
Incensi, et noctem flammis funalia vincunt.
Hic regina gravem gemmis auroque poposcit
Implevitque mero pateram, quam Belus et omnes
A Belo soliti [50]; tum facta silentia tectis:
« Juppiter (hospitibus nam te dare jura [51] loquuntur),
Hunc lætum Tyriisque diem Trojaque profectis
Esse velis, nostrosque hujus meminisse minores [52]!
Adsit lætitiæ Bacchus dator, et bona [53] Juno!
Et vos, o, cœtum, Tyrii, celebrate faventes! »
Dixit, et in mensam laticum [54] libavit honorem,
Primaque, libato [55], summo tenus attigit ore;
Tum Bitiæ dedit increpitans [56]: ille impiger hausit
Spumantem pateram, et pleno se proluit auro [57];
Post alii proceres. Cithara crinitus [58] Iopas
Personat aurata, docuit quæ maximus Atlas.
Hic canit errantem Lunam [59], Solisque labores; [nes;
Unde hominum genus, et pecudes; unde imber et ig-
Arcturum, pluviasque Hyadas, geminosque Triones [60];
Quid tantum Oceano properent se tinguere soles
Hiberni, vel quæ tardis mora noctibus obstet.
Ingeminant plausu [61] Tyrii, Troesque sequuntur.
Nec non et vario noctem sermone trahebat

45 « *Acidalia* Venus dicitur a fonte Acidalio, qui est in Orchomeno Bœotiæ civitate; in quo se Gratiæ abluunt, quas Veneri constat esse sacratas. » *Servius. Sychæum*, de memoria Sychæi. — 46 Præoccupare, ante incendere amore Æneæ quam prioris mariti memoria refricetur. *Vivus* autem amor veteri illi et intermortuo opponitur. Animos *resides*, in quibus resederat et languebat amor, quasi otio datos. — 47 Postquam mensæ cibis capiendis remotæ erant, afferebantur mensæ *secundæ*, ad compotationem ineundam cum libatione. — 48 Et corollis sertisque redimiunt hos crateras (vide *Georg.* II, 528, n. 2, et pocula vini. — 49 Vide supra not. 34. — 50 *Soliti* erant implere vino: qua usi erant Belus, a quo reges Tyriorum genus suum ducebant, et omnes ex stirpe Beli. *Tectis*, in domo. Silentium autem imperatur ad preces inter libandum fundendas, quas præit regina. — 51 Te esse dicunt datorem juris hospitalis, te constituisse et servare jura hospitum. Hinc cultus *Jupiter hospitalis*, Ζεὺς Ξένιος. — 52 Posteros. — 53 Adsit *bona*, propitia. *Cœtum*, convivium. — 54 *Honorem laticum*, merum honori deorum consecratum. « Tangit ritum Romanorum, qui paniceas sacratasque mensas habebant, in quas libabant. » *Serv.* — 55 Postquam libatum est, sive postquam libavit; ablativo absoluto. *Summo tenus ore*, primoribus labris. — 56 Inclamans eum et vivide adhortans ut biberet. *Bitias* est nomen Punicum. — 57 Poculo aureo ingurgitavit se pleno, utpote quod Dido vix tetigerat. — 58 Nam citharœdi comam alebant, Apollinis intonsi ritu, magistri musicæ. *Personat*, canit ea *quæ docuit* ipsum Atlas, qui astronomiæ et rerum physicarum peritissimus ferebatur in fabulis. « Hic quod annum in tempora diviserit, et primus stellarum cursus et siderum transitum naturasque descripserit, cœlum dictus est sustinere. » *Serv.* — 59 Lunæ vagos cursus. *Labores*, defectus ut *Georg.* II, 478, n. 65 eorumque causas. — 60 De his vide ad *Georg.* I, 204, n. 7; et I, 138, n. 44. *Gemini Triones*, Ursa major et minor; quum alibi *triones* sive teriones dici soleant stellæ septem Ursæ majoris sive Plaustri; vide *Georg.* III 381, not. 44. Sequentes versus repetiti ex *Georg.* II, 481, 482, ubi vide not. 67, 68. — 61 *Plausu* fere idem sonat quod: plaudentes. Sic IX, 811: *ingeminant hastis*, ferientes hastis.

Infelix Dido, longumque bibebat[62] amorem,
Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa;
Nunc, quibus Auroræ venisset filius[63] armis;
Nunc, quales Diomedis equi; nunc, quantus Achilles.
« Imo age, et a prima[64] dic, hospes, origine nobis
Insidias, inquit, Danaûm, casusque tuorum,
Erroresque tuos : nam te jam septima portat[65]
Omnibus errantem terris et fluctibus æstas[66], »

62 Bibebat *longum*, quasi longo haustu. — 63 Memnon; vide 489. n. 47. *Diomedis equi* non sunt celebres, ut haud dubie intelligendi sint Rhesi regis equi celerrimi et candidissimi, a Diomede abducti in expeditione illa nocturna, de qua supra v. 469-473, n. 38. — 64 *A prima origine*. non belli (ut Servius : « a raptu Helenæ »), sed insidiarum, a simulato reditu Græcorum et equo constructo. — 65 *Portat*, in prosa : fert, agit. — 66 « Per *æstates* intellige annos. Septem autem annos esse, Dido cognovit ex Teucro (vide 619. n. 99). » *Serv.*

LIBER II.

Conticuere omnes, intentique ora tenebant[1].
Inde toro pater Æneas sic orsus ab alto :

« Infandum, regina, jubes renovare dolorem,
Trojanas ut[2] opes et lamentabile regnum
Eruerint Danai; quæque ipse miserrima vidi,
Et quorum pars magna fui[3]! Quis talia fando
Myrmidonum Dolopumve aut duri miles Ulixi
Temperet[4] a lacrimis? Et jam nox humida cœlo
Præcipitat, suadentque cadentia sidera somnos.
Sed si tantus amor[5] casus cognoscere nostros,
Et breviter Trojæ supremum audire laborem,
Quamquam animus meminisse horret luctuque refu-
Incipiam. Fracti bello fatisque repulsi[7] [git[6],
Ductores Danaûm, tot jam labentibus annis,
Instar montis equum divina Palladis arte[8]
Ædificant, sectaque intexunt abiete[9] costas :
Votum[10] pro reditu simulant; ea fama vagatur.

1 Intenti et conversi in Æneam « immobiles vultus habebant; ut (*Georg.* IV, 483), *tenuit tria Cerberus ora*, id est immobilia habuit. » *Serv. Alto*, alte structo. — 2 Supple : jubens narrare *ut*, quomodo, *opes et r.* etc.; quæ vocula *ut* notionem narrandi animo subjicit. — 3 Utpote ipse his calamitatibus prope submersus. *Fando*, quum fatur et narrat. Noti Myrmidones socii Achillis, cujus filius Neoptolemus adduxit etiam Dolopas vel Scyri insulæ, ubi educatus est, vel Phthiæ Thessalicæ. *Ulixi*, Ulyssis; vide *Ecl.* VIII, n. 63, et *Æn.* I, 30, n. 24. — 4 Sibi temperet, abstineat, ut *Georg.* I, 360, n. 41. *Præcipitat* item intransitive. Orituro sole, nox de cœlo descendens in Oceanum occidit. *Cadentia*, occidentia. — 5 *Amor* est tibi. — 6 *Refugit*, præterito, quia jam reprimens eum affectum narrare incipit. Præsenti dixerat Cicero (*Philipp.* XIV, 3) : *Refugit animus eaque formidat dicere quæ* etc. — 7 Nam fatale erat ut post novem demum annos Troja caperetur. — 8 Epeus enim monitu Minervæ et institutione deæ usus equum construxit. — 9 Scande *abjete* : tabulis abiegnis. Verbi *texere* usus etiam in fabrorum opere frequens. — 10 Esse hunc equum *votum* a discedentibus *pro reditu* felici in patriam oblatum Minervæ. Servius : « Attius poeta in Deiphobo inscriptum dicit : *Minervæ donum armipotenti Danai abeuntes dicant.* »

Vagatur, sparsa est. — 11 *Huc*, in hunc equum; quod mox accuratius dicitur, ejus *lateri cæco*, abdito, intus; ut in *Ecl.* I, v. 54, *Hinc* explicatur subsequentibus verbis *vicino a limite*. Deinde jungas *penitus complent*. — 12 Hodieque nomine eodem est, propinqua litori Troadis. — 13 Nunc vastata, nihil commoditatis habet præter sinum, qui stationem præbet navibus, sed eam ipsam parum tutam. — 14 *Rati* sumus. *Vento*, navibus vento actis. Mycenas dicit, quia summi ducis erat hæc sedes. — 15 Exsolvit, liberat se a luctu. — 16 Græca; ex recentioris ætatis usu dictum; nam prope sæculo post eversam Trojam Dorum opes invalescere cœperunt in Græcia. — 17 Vide n. 3. — 18 Passive : donum oblatum Minervæ virgini. — 19 Laomedontis filius, ab

Huc [11] delecta virûm sortiti corpora furtim
Includunt cæco lateri, penitusque cavernas
Ingentes uterumque armato milite complent.
Est in conspectu Tenedos [12], notissima famâ
Insula, dives opum, Priami dum regna manebant;
Nunc tantum [13] sinus, et statio male fida carinis.
Huc se provecti deserto in litore condunt.
Nos abiisse rati [14] et vento petiisse Mycenas.
Ergo omnis longo solvit [15] se Teucria luctu :
Panduntur portæ; juvat ire et Dorica [16] castra
Desertosque videre locos litusque relictum.
Hic Dolopum [17] manus, hic sævus tendebat Achilles;
Classibus hîc locus; hîc acie certare solebant.
Pars stupet innuptæ donum exitiale Minervæ [18],
Et molem mirantur equi; primusque Thymœtes [19]
Duci intra muros hortatur et arce locari,
Sive dolo [20], seu jam Trojæ sic fata ferebant.
At Capys, et quorum melior sententia menti,
Aut pelago Danaûm insidias suspectaque dona
Præcipitare jubent, subjectisque [21] urere flammis,
Aut terebrare cavas uteri et tentare latebras.
Sciditur incertum studia in contraria vulgus.
Primus ibi ante omnes, magna comitante caterva,
Laocoon [22] ardens summa decurrit ab arce,
Et procul : « O miseri, quæ tanta insania, cives?
Creditis avectos hostes? aut ulla putatis
Dona carere dolis Danaûm? sic notus Ulixes?
Aut hoc inclusi ligno occultantur Achivi;
Aut hæc in nostros fabricata est machina muros,
Inspectura [23] domos, venturaque desuper urbi;
Aut aliquis [24] latet error : equo ne credite, Teucri.
Quidquid id est, timeo Danaos et dona ferentes [25]. »
Sic fatus, validis ingentem viribus hastam

Homero quoque relatus in illo senum Trojanorum et Priami consiliariorum super Scææ portis consessu, *Iliad.* Γ, 146. — 20 Dolo malo, proditione. Quod Servius docte explicat ex Euphorione poeta : « Priamus ex Arisba filium vatem suscepit. Qui quum dixisset quadam die nasci puerum, per quem posset Troja corruere, pepererunt simul et Thymœtæ uxor et Hecuba. Sed Priamus Thymœtæ filium uxoremque jussit occidi : inde ergo ille habuit justam causam proditionis. » Capyn fuisse illum ipsum Æneæ affinem, qui Capuam condiderit, veterum interpretum alii credunt, alii negant. — 21 Male corrigitur *subjectisve*. Prudentiores censebant aut delendum esse equum, aut intus explorandum; pars prior varie clamabant, oportere mari mergi, et igne cremari, alio alium delendi modum indicante. Recte igitur dictum *que*. — 22 Neptuni sacerdos, de quo plura v. 201 seqq. *Ardens*, iratus. *Procul*, jam ex longinquo clamavit. — 23 Intelligendum de iis qui inclusi sunt machinæ, unde, tanquam ex turri, speculari possint urbem et *desuper* ex altiore loco in muros desilire. — 24 Aut aliqua ALIA fraus latet : quod in talibus optimi quique scriptores sæpe omittunt. — 25 Etiam *dona ferentes*, nimirum diis, etiam ἀναθήματα dedicantes. Sensum a vero detorquent, « nobis vel Trojanis » supplentes, qui hoc versu abutuntur in proverbium.

In latus inque feri[26] curvam compagibus alvum
Contorsit. Stetit illa tremens, uteroque recusso[27],
Insonuere cavæ[28] gemitumque dedere cavernæ.
Et, si fata deûm[29], si mens non læva fuisset,
Impulerat[30] ferro Argolicas fœdare latebras;
Trojaque nunc stares, Priamique arx alta maneres!
Ecce manus juvenem interea post terga revinctum[31]
Pastores magno ad regem clamore trahebant
Dardanidæ, qui se ignotum venientibus ultro,
Hoc ipsum[32] ut strueret Trojamque aperiret Achivis,
Obtulerat; fidens animi[33], atque in utrumque paratus,
Seu versare dolos, seu certæ occumbere morti.
Undique visendi studio Trojana juventus
Circumfusa ruit, certantque illudere capto.
Accipe[34] nunc Danaûm insidias, et crimine ab uno
Disce omnes.
Namque ut conspectu in medio[35] turbatus, inermis
Constitit, atque oculis Phrygia agmina circumspexit:
« Heu! quæ[36] nunc tellus, inquit, quæ me æquora pos-
Accipere? aut quid jam misero mihi deniqꝫ restat, [sunt
Cui neque apud Danaos usquam locus, et super ipsi
Dardanidæ infensi pœnas cum sanguine[37] poscunt? »
Quo gemitu conversi animi, compressus et omnis
Impetus. Hortamur fari quo sanguine cretus[38],
Quidve ferat; memoret quæ sit fiducia capto[39].
Ille hæc, deposita tandem formidine, fatur:
« Cuncta equidem tibi, rex, fuerit quodcumqꝫ, fate-
Vera, inquit; neqꝫ me Argolica de gente negabo: [bor
Hoc primum[40]; nec, si miserum Fortuna Sinonem
Finxit, vanum etiam mendacemque improba finget.
Fando aliquod si forte tuas pervenit ad aures
Belidæ[41] nomen Palamedis et inclyta famâ
Gloria, quem falsa sub proditione[42] Pelasgi

26 Equi, qui poetis non raro ita dicitur. *Curvam compagibus*, lignorum compage tali ut esset curva. — 27 Repercusso, percussu sonum reddente. — 28 Arctius jungenda videntur *insonuere cavæ*, ita insonuere ut cavæ res solent, ita ut cavas, non solidas esse appareret, somere cavum; sicuti V, 866: • *rauca* assiduo sale saxa *sonabant* • idem est quod raucum sonum edebant. — 29 Suppleas: fuissent; si fatale fuisset, scilicet ut detegerentur structæ insidiæ. *Læva*, stulta, ut *Ecl.* I, n. 18. — 30 Hæc res, hic sonus *impulisset* Trojanos ut latebras Græcorum securibus lacerarent, dissolverent. Indicativus imperfecti, aut plusquamperfecti, post *si* cum subjunctivis eorumdem temporum (ut græcus cum ἄν) indicat evenire aut evenisse contrarium. Mox in aliis est *staret*. — 31 Manus post terga revinctas habentem. — 32 Ut *strueret*, dolo efficeret *hoc ipsum*, nimirum ut adduceretur ad regem. — 33 Confidens animo; vide ad *Georg.* IV, 491, n. 66. *Versare*, agitare, varie moliri. Post alterum *seu* supple: si non succederent dolo. — 34 Audi; v. *Ecl.* I, not. 20. *Crimine ab uno* et quod unus commisit. — 35 Medius inter Trojanos et undique conspectus. Mox observa artem in exitu spondaico, et similem III, 517: *circumspicit Oriona*. — 36 Sententia: Quo nunc confugiam, salutis spe omni præclusa? — 37 Supplicium. — 38 Natus, ab obsoleto *creo*, unde *cresco* formatum. *Ferat*, afferat, narrandum habeat. — 39 Memoret num habeat aliquid quo confisus salutem sperare possit captus, et cujusmodi id sit. Vide infra not. 74. — 40 *Hoc*, me esse Argivum, *primum* fateor. — 41 Palamedis avia Amymone erat Danai filia, Beli neptis. Stemma habes in scholio veronensi. — 42 Sub falso crimine proditionis. « Ulysses fictam epistolam Priami nomine ad Palamedem, per quam agebat gratias proditionis, et commemorabat certum auri pondus esse transmissum, dedit captivo, et eum in hinere jussit occidi. Hæc inventa more militiæ regi oblata est et lecta principibus convocatis. Tunc Ulysses quum se Palamedi adesse simularet, ait: Si verum esse creditis, in tentorio ejus aurum quæ-

ratur. Quo facto et invento auro, quod ipse per noctem corruptis servis ibi absconderat, Palamedes lapidibus est interemptus. » *Serv.* — 43 Vacuum, privatum vita. — 44 *Primis ab annis*, ab initio belli. — 45 Regali dignitate. Dum Palamedes integra erat dignitate regia, et propter sapientiam auctoritate florebat in consilio Agamemnonis. — 46 Per blanditias decipientis. — 47 A terra, e vita ad inferos. — 48 *Argi* hic et alibi generalius accipiendum est de Græcia. Eulœesem se dixerat Simon. — 49 « *Arma*, fraudes, dolos, insidias. Nam *arma* sunt instrumenta cujuslibet rei; unde etiam insidiantis fraudes *arma* nominavit. » *S.* Alii intelligunt auxilia, præsidia et socios; quibus minime erat opus contra Sinonem. *Conscius* exponunt : communicato cum aliis consilio. At malim : perpetratorum scelerum sibi conscius, quemadmodum simplici adjectivo utuntur Plautus : *Nil est miserius quam animus hominis conscius*; Sallustius : *Quos conscius animus exagitabat*, et alii. — 50 *Sed autem* juncta habentur apud scenicos poetas, ubi quis miratur simul et improbat. — 51 *Quid moror* vos hac oratione? *Si* de re fere certa dictum jam supra vidimus. *Uno ordine*, uno loco, æquali æstimatione. *Id*, me esse Achivum. — 52 Quamprimum, sine mora; proprie : sumite pœnas jamdudum sumendas, quas dudum sumptas oportuit. Sed statim addit quod cohibiturum erat punientes. — 53 Ithacensis, Ulys es. — 54 Subdolo animo, fraudulenter. — 55 « Bene addidit *ponti*; est enim et temporis et aeris hiems. » *Serv. Euntes*, quum in eo essent ut irent, ire volentes. — 56 Qui scitetur, consulat. Frustra corrigi *scitatum* apparet ex similibus locis Livii : *legati a Sagantinis Romam missi, auxilium* ORANTES; Phædri : *Alium* ROGANTES *regem, misere ad Jovem*, aliorum. Eurypylus, Euæmonis filius, ex Ormenio Thessaliæ. — 57 Iphigenia. — 58 « *Lito*, verbum pontificale : sacrificiis deos placo. » *Serv.*

Insontem infando indicio, quia bella vetabat,
Demisere neci; nunc cassum lumine[43] lugent :
Illi me comitem et consanguinitate propinquum
Pauper in arma pater primis[44] huc misit ab annis.
Dum stabat regno[45] incolumis regumque vigebat
Consiliis, et nos aliquod nomenque decusque
Gessimus. Invidia postquam pellacis[46] Ulixi
(Haud ignota loquor) superis concessit ab oris[47],
Afflictus vitam in tenebris luctuque trahebam,
Et casum insontis mecum indignabar amici.
Nec tacui demens, et me, fors si qua tulisset,
Si patrios unquam remeassem victor ad Argos[48],
Promisi ultorem, et verbis odia aspera movi.
Hinc mihi prima mali labes; hinc semper Ulixes
Criminibus terrere novis; hinc spargere voces
In vulgum ambiguas, et quærere conscius arma[49].
Nec requievit enim, donec Calchante ministro — [vo ?
Sed quid ego hæc autem[50] nequicquam ingrata revol-
Quidve moror[51], si omnes uno ordine habetis Achivos,
Idque audire sat est? Jamdudum[52] sumite pœnas :
Hoc Ithacus[53] velit, et magno mercentur Atridæ. »

Tum vero ardemus scitari et quærere causas,
Ignari scelerum tantorum artisque Pelasgæ.
Prosequitur pavitans, et ficto pectore[54] fatur :
« Sæpe fugam Danai Troja cupiere relicta
Moliri et longo fessi discedere bello :
Fecissentque utinam! sæpe illos aspera ponti
Interclusit hiems[55], et terruit Auster euntes.
Præcipue, quum jam hic trabibus contextus acernis
Staret equus, toto sonuerunt æthere nimbi.
Suspensi Eurypylum scitantem[56] oracula Phœbi
Mittimus; isque adytis hæc tristia dicta reportat :
« Sanguine placastis ventos et virgine[57] cæsa,
« Quum primum Iliacas, Danai, venistis ad oras;
« Sanguine quærendi reditus, animaque litandum[58]

« Argolica. » Vulgi quæ vox ut venit ad aures,
Obstipuere animi, gelidusque per ima cucurrit
Ossa [59] tremor, cui fata parent, quem poscat Apollo.
Hic Ithacus vatem magno Calchanta tumultu
Protrahit in medios; quæ sint ea numina [60] divûm.
Flagitat. Et mihi jam multi crudele canebant [61]
Artificis scelus, et taciti ventura videbant.
Bis quinos silet ille [62] dies, tectusque recusat
Prodere voce sua quemquam aut opponere [63] morti.
Vix tandem, magnis Ithaci clamoribus actus,
Composito rumpit vocem, et me destinat aræ.
Assensere omnes, et, quæ sibi quisque timebat,
Unius in miseri exitium conversa tulere [64].
Jamque dies infanda aderat : mihi sacra parari,
Et salsæ fruges [65], et circum tempora vittæ.
Eripui, fateor, leto me, et vincula rupi;
Limosoque lacu per noctem obscurus in ulva
Delitui, dum vela darent, si forte [66] dedissent.
Nec mihi jam patriam antiquam spes ulla videndi,
Nec dulces natos exoptatumque parentem;
Quos illi fors [67] et pœnas ob nostra reposcent
Effugia, et culpam hanc miserorum morte piabunt.
Quod [68] te, per Superos et conscia Numina veri,
Per [69], si qua est quæ restet adhuc mortalibus usquam
Intemerata fides, oro, miserere laborum [70]
Tantorum! miserere animi non digna ferentis! »

His lacrimis vitam damus, et miserescimus ultro [71].
Ipse viro primus manicas atque arcta levari
Vincla jubet Priamus, dictisque ita fatur amicis :
« Quisquis es [72], amissos hinc jam obliviscere Graios;
Noster eris; mihique hæc edissere vera roganti : [tor ?
Quo [73] molem hanc immanis equi statuère ? quis auc-
Quidve petût ? quæ religio [74] ? aut quæ machina belli ? »

59 Vide dicta *Georg.* III, 272, not. 87. Tremebant, quia *dubitabant* ad quem responsum illud pertineret; itaque adjungitur interrogatio indirecta, ac si hoc ipsum verbum dubitandi præcederet. Ellipticam syntaxin similem habes supra n. 2. *Cui fata* id *parent*, nimirum ut sit hostia. — 60 Vide ad I, not. 8, pag. 132. Ad quamnam animam spectet voluntas illa deorum, sicut pristina spectabat ad Iphigeniam. « Quæritur modo, non quid dicant oracula; est enim planum: sed quis debeat immolari. » *S.* — 61 Vaticinabantur. *Tacitè*, apud se, secum, animo. — 62 Calchas. *Tectus*, mentem suam tegens, dissimulans; ut ille vates apud Statium, *qui superum* CLAUSUS *negat acta fateri, bis seno promit ora die.* — 63 Objicere. — 64 Plenius quam : converterunt, scilicet assensu suo. — 65 « Mola salsa, qua et frons victimæ et foci aspergebantur, et cultri. » *S.* — 66 *Si forte*, vel non oblato sacrificio jusso, vela dari essent, dare decrevissent. — 67 Forsitan. *Et* rem intendit : etiam, adeo. *Pœnas* est appositio vocis *quos* : tanquam pœnas, meo loco puniendos. *Effugium* dici solet de ratione, via vel loco fugæ; hic de ipsa fuga. Docte Servius : « Poeta dicendo *effugia*, verbo sacrorum et ad causam apto usus est. Nam hostia quæ ad aras adducta est immolanda, si casu effugeret, *effugia* vocari veteri more solet : in cujus locum quæ supposita fuerat, *succidanea*. » — 68 Quapropter. — 69 *Per* FIDEM, *si qua est* etc., substantivo in relativum membrum pertracto. Ceterum in hac formula solent fere accusativi separari a præpositione *per*. Nostro loco simile hoc Livii : *Per ego te, fili, quæcumque jura liberos jungunt parentibus, precor quæsoque*, i.e. per jura, quæcumque etc. — 70 Malorum. — 71 Etiam per nos moti, nostro sensu commoti, non solum precibus Sinonis. *Levari*, laxari, demi. — 72 « Licet hostis sis. Et sunt, ut habemus in Livio, imperatoris verba transfugam recipientis in fidem : *Quisquis es, noster eris.* » *Serv.* — 73 Quam ob causam. — 74 Num fuit aliqua religio, qua permoti statuerunt? *Quæ* continet duo : « an aliqua » et « quænam, » sicuti supra *quæ fiducia*, not. 39.

Dixerat. Ille, dolis instructus et arte Pelasga,
Sustulit exutas vinclis ad sidera palmas :
« Vos, æterni ignes [75], et non violabile vestrum
Testor numen, ait ; vos, aræ, ensesque [76] nefandi,
Quos fugi ; vittæque deûm, quas hostia gessi :
Fas mihi Graiorum sacrata resolvere jura [77] ;
Fas odisse viros, atque omnia ferre sub auras [78],
Si qua tegunt ; teneor patriæ nec legibus ullis.
Tu modo promissis maneas [79], servataque serves
Troja fidem, si vera feram, si magna rependam.
Omnis spes Danaûm et cœpti fiducia belli
Palladis auxiliis semper stetit [80]. Impius ex quo
Tydides sed enim scelerumque inventor Ulixes
Fatale [81] aggressi sacrato avellere templo
Palladium, cæsis summæ custodibus arcis
Corripuere sacram effigiem, manibusque cruentis
Virgineas ausi divæ contingere vittas :
Ex illo fluere [82] ac retro sublapsa referri
Spes Danaûm, fractæ vires, aversa deæ mens.
Nec dubiis ea [83] signa dedit Tritonia monstris.
Vix positum castris simulacrum, arsere coruscæ
Luminibus flammæ arrectis [84], salsusque per artus
Sudor iit, terque ipsa solo (mirabile dictu !)
Emicuit [85], parmamque ferens hastamque trementem.
Extemplo tentanda [86] fuga canit æquora Calchas,
Nec posse Argolicis exscindi Pergama telis,
Omina ni repetant [87] Argis, numenque reducant,
Quod pelago et curvis secum avexere carinis.
Et nunc quod [88] patrias vento petiere Mycenas,
Arma deosque parant comites, pelagoque remenso,
Improvisi aderunt. Ita digerit [89] omina Calchas.

75 Soletsidera. *Non violabile*, ut per quos nemo pejerat impune. — 76 Cultor sacrificuli. « Invidiose ad pluralem transiit numerum. » *S. Vittæ deûm*, quæ in re divina seu in sacrificio geruntur. — 77 Leges sacras, quæ me Græcis obstrictum tenent. « Consuetudo apud antiquos fuit ut qui in familiam aut gentem transiret, prius se abdicaret ab ea in qua fuerat. Dicit Sinon : juve jam se Trojanorum civem esse, quia hostia fuerit apud Græcos, adeoque nec pro homine nec pro cive iis habitus. » *Serv.* — 78 Enuntiare. *Nec ullis* idem est quod : nullis. — 79 Pro vulgari : stes promissis. Eximie autem *servata*, quasi ipsa salus urbis verteretur in iis quæ sit revelaturus. *Feram*, afferam, dicam. — 80 Posita fuit in *aux*. Diomedes *impius*, « propter vulnerata numina Martem et Venerem. » *S.* De *sed enim* vide I, 19, n. 15. Sensus : *Sed* cecidit postea ea spes Græcorum, offenderant *enim* Diomedes et Ulysses Minervam. — 81 « In quo fatum Trojanorum constabat. Palladium narratur Dardanus ex Samothracia Trojam transtulisse : cui responsum fuit, tamdiu mansuram Trojam, quamdiu id mansisset incolume. » *Schol. veron.* — 82 Dilabi. De sequentibus v. *Georg.* I, 200, n. 4. — 83 Signa ejus rei. Sic vel in prosa « *hic* metus » pro : hujus rei metus, etc. *Tritonia* vel *Tritonis* (v. 226), Minervæ cognomen. *Monstris*, ostentis, portentis. — 84 In oculis erectis et micantibus. De *salsus* ita Schol. veron. : « Probus malo epitheto putat usum poetam. Critici vero naturalia epitheta nusquam inhoneste putant locari. » — 85 Subsilüit. *Trementem* refer ad utrumque substantivum. — 86 Vide *Ecl.* IV, n. 32. *Fuga*, propero reditu in Græciam. — 87 Omina sive auspicia *repetere* dicebantur imperatores Romanorum, qui, si quid adversi accidisset, e castris Romam reversi nova ibi capiebant auspicia, atque ita certiores facti de voluntate deorum, redibant in castra : hoc est, quod mox poeta dicit, *deos parant comites*. Ergo auspicia ante expeditionem capta (vide *Iliad.* B, 301 seqq. Calchas ait irrita facta esse ira offensæ Minervæ, ut jam sint repetenda et nova afferenda ex Græcia. Locus, ut dictum, de romano more adumbratus. *Numen* Palladium secum avectum, ad placandam deam sacris instauratis in Græcia *reducant*. — 88 *Quod* breviter pro : quod attinet ad id quod .., etiam in prosa. — 89 Di-

Hanc pro Palladio, moniti, pro numine læsæ
Effigiem statuêre, nefas quæ triste piaret.
Hanc tamen immensam Calchas attollere molem
Roboribus textis [90], cœloque educere jussit,
Ne recipi portis aut duci in mœnia possit,
Neu populum antiqua sub religione [91] tueri.
Nam si vestra manus violasset dona Minervæ [92],
Tum magnum exitium (quod di prius omen in ipsum
Convertant!) Priami imperio Phrygibusque futurum [93];
Sin manibus vestris vestram ascendisset in urbem,
Ultro Asiam magno Pelopea ad mœnia [94] bello
Venturam, et nostros ea fata manere nepotes. »

Talibus insidiis perjurique arte Sinonis
Credita res, captique dolis lacrimisque coactis [95],
Quos neque Tydides, nec Larissæus Achilles,
Non anni domuere decem, non mille carinæ.

Hic aliud majus miseris multoque tremendum [96]
Objicitur magis, atque improvida pectora turbat.
Laocoon, ductus Neptuno sorte [97] sacerdos,
Sollemnes [98] taurum ingentem mactabat ad aras.
Ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta [99]
(Horresco referens) immensis orbibus angues
Incumbunt [1] pelago, pariterque ad litora tendunt:
Pectora quorum inter fluctus arrecta, jubæque
Sanguineæ superant undas [2]; pars cetera pontum
Pone legit, sinuatque immensa volumine terga.
Fit sonitus spumante salo. Jamque arva tenebant,
Ardentesque oculos suffecti [3] sanguine et igni,
Sibila lambebant linguis vibrantibus ora.
Diffugimus visu exsangues: illi agmine certo [4]
Laocoonta petunt; et primum parva duorum
Corpora natorum serpens amplexus uterque
Implicat, et miseros morsu depascitur artus:
Post ipsum, auxilio subeuntem ac tela ferentem,

ponit, ordinat, nempe dicens, quo quidque ordine secundum illa omina vel ostenta sit gerendum: ut primum in Græciam abeant ad repetenda omina, tum placatis diis, revertantur ad Trojam. *Moniti* a Calcha. *Pro Palladio*, loco Palladii avecti. — 90 Vide supra not. 9. *Cœlo*, dativus: ad cœlum; ut cœlum tangere videretur. — 91 Antiquæ religioni subjectum, deditum, fisdem quibus olim ritibus colentem deam in arce urbis positam: quæ cerimoniæ jam non poterant fieri, effigie non in templo, sed extra urbem posita. — 92 Vide supra n. 18. *In ipsum* vatem, Calchantem. — 93 *Futurum* esse canebat. — 94 Ad urbes Pelopis, Argos ac Mycenas. — 95 Vi expressis, simulatis, non nativis. Achilles dictus *Larissæus*, sive Thessalus, quia Phthia Thessalica oriundus; a clarissima urbe Thessaliæ, sive (ut Servius) « a vicinitate. » — 96 Non temere in his animadversa est frequentatio literæ mugientis *m*, mœstæ rei apta. Junge *multo magis*. — 97 Causam ex Euphorione narravit Servius: « Post adventum Græcorum sacerdos Neptuni lapidibus occisus, quia non sacrificiis eorum vetavit adventum. Post abscedentibus Græcis quum vellent sacrificare Neptuno, Laocoon, Thymbræi Apollinis (vide *Georg.* IV, 323, n. 81) sacerdos, sorte ductus est; ut solet fieri, quum deest sacerdos certus. Hic piaculum commiserat ante simulacrum numinis cum uxore coeundo: et ob hoc immissis draconibus cum suis filiis interemptus est. » — 98 Aras ad quas sollemnia, majora sacrificia peraguntur. — 99 Maria, mare. Frequentius singulari *altum*. — 1 Innatant, sed cum notione ponderis et magnitudinis, quasi prementes mare. — 2 Eminent supra undas. *Legere* cum loci nomine conjunctum significat: lente peragrare. Sic apud Senecam (*Medea* 791), *Luna cœlum legit*. — 3 Suffusos, infectos habentes. *Sibila* adjectivum, ut *Georg.* III, 421, n. 63. — 4 Voluminibus et spiris certa directione tractis.

Corripiunt, spirisque ligant ingentibus; et jam
Bis medium amplexi, bis collo squamea circum
Terga dati[5], superant capite et cervicibus altis.
Ille simul manibus tendit divellere nodos,
Perfusus sanie vittas atroque veneno,
Clamores simul horrendos ad sidera tollit:
Quales mugitus[6], fugit quum saucius aram
Taurus, et incertam[7] excussit cervice securim.
At gemini lapsu delubra ad summa[8] dracones
Effugiunt, sævæque petunt Tritonidis arcem,
Sub pedibusque deæ clipeique sub orbe teguntur[9].
Tum vero tremefacta novus per pectora cunctis
Insinuat[10] pavor; et scelus expendisse merentem
Laocoonta ferunt, sacrum qui cuspide robur
Læserit, et tergo[11] sceleratam intorserit hastam.
Ducendum ad sedes[12] simulacrum, orandaque divæ
Numina, conclamant.
Dividimus muros et mœnia[13] pandimus urbis.
Accingunt omnes operi, pedibusque rotarum
Subjiciunt lapsus[14], et stuppea vincula collo
Intendunt. Scandit fatalis machina muros,
Fœta armis: pueri circùm innuptæque puellæ
Sacra canunt[15], funemque manu contingere gaudent.
Illa subit, mediæque minans illabitur urbi.
O[16] patria, o divùm domus Ilium, et inclyta bello
Mœnia Dardanidùm! quater ipso in limine portæ
Substitit[17], atque utero sonitum quater arma dedere:
Instamus tamen immemores cæcique furore[18].
Et monstrum infelix sacrata sistimus arce.
Tunc etiam fatis[19] aperit Cassandra futuris
Ora, dei jussu non unquam credita Teucris.
Nos delubra deùm miseri, quibus ultimus esset[20]
Ille dies, festa velamus fronde per urbem.
Vertitur interea cœlum, et ruit[21] Oceano Nox,
Involvens umbra magna terramque polumque,
Myrmidonumque dolos: fusi per mœnia[22] Teucri

5 *Circumdati terga*, id est, quum terga sua collo Laocoontis circumdedissent. *Superant*, eminent. — 6 Repetas *tollit*. — 7 • Dubie illisam; quæ non haberet mortis effectum. • *S.* — 8 *Summa*, quia in arce situm Minervæ templum, ut constat ex *Iliade* Z, 297. *Sævæ*, iratæ Trojanis. — 9 Eximie fictum: nam habebant fere antiqua signa Minervæ advolutum draconem pedibus deæ. • *Deæ*, scilicet majoris simulacri, quod a cunctis videtur. Nam quod colitur, et breve est et latet, sicut Palladium fuerat ja Græcis abreptum. • *Serv.* — 10 Intransitive, etiam apud Ciceronem. *Scelus*, pœnam sceleris. — 11 *Tergo*, idem quod *latus* et *alvum* dixerat supra v. 50. — 12 *Sedes* deæ. templum. — 13 Ædificia ipsa muro cincta. *Accingunt*, neutraliter: accingunt se. — 14 *Rotarum lapsus*, rotas labentes, se circumvolventes. *Vincula intendunt*, ut *Georg.* IV, 400, n. 22. *Scandit*, tanquam hostis. — 15 *Sacra* carmina *canunt*, hymnos. — 16 • Versus Ennianus. • *S. Divùm domus*, ob templa deorum in urbe. — 17 Quod ominosum erat. Infaustum habebatur ingredienti vel egredienti pede tetigisse limen. — 18 Ad hæc Servius: • Sane si peritiam Virgilii diligenter intendas, hoc dixit secundum disciplinam carminis quo Romani ex urbibus hostium deos ante evocare solebant: erant enim inter cetera carminis verba hæc: *eique populo civitatique metum, formidinem*, OBLIVIONEM *injiciatis*; unde bene intulit *immemores cæcique furore*, tanquam qui deos perdiderant. • — 19 Dativo: ad fata canenda. *Dei*, Apollinis ab ea repudiati. Fabulam notam habes apud Servium. — 20 *Esset*, non *erat*, quia ratio redditur cur fuerint *miseri*. — 21 Prorsus, surgit ex Oceano. Confer initio libri not. 4. — 22 Per urbem: v. not. 13.

Conticuere ; sopor fessos complectitur artus.
Et jam Argiva phalanx instructis navibus ibat
A Tenedo, tacitæ per amica silentia lunæ[23]
Litora nota petens : flammas quum regia puppis
Extulerat[24], fatisque deûm defensus iniquis,
Inclusos utero Danaos et pinea furtim
Laxat claustra Sinon. Illos patefactus ad auras
Reddit equus, lætique cavo se robore promunt
Thersandrus[25] Sthenelusque duces, et dirus Ulixes,
Demissum lapsi per funem, Acamasque, Thoasque,
Pelidesque[26] Neoptolemus, primusque Machaon,
Et Menelaus, et ipse doli fabricator Epeos.
Invadunt urbem somno vinoque sepultam :
Cæduntur vigiles, portisque patentibus omnes
Accipiunt socios, atque agmina conscia jungunt[27].

Tempus erat quo prima quies mortalibus ægris[28]
Incipit, et dono divûm gratissima serpit.
In somnis ecce ante oculos mœstissimus Hector
Visus adesse mihi, largosque effundere fletus,
Raptatus bigis, ut quondam, aterque cruento
Pulvere, perque pedes trajectus[29] lora tumentes.
Hei mihi, qualis erat ! quantum mutatus ab illo
Hectore, qui redit[30] exuvias indutus Achilli,
Vel Danaûm Phrygios jaculatus puppibus[31] ignes !
Squalentem barbam, et concretos sanguine crines,
Vulneraque illa gerens, quæ circum plurima muros[32]
Accepit patrios. Ultro, flens ipse, videbar
Compellare virum et mœstas expromere voces :
« O lux[33] Dardaniæ, spes o fidissima Teucrûm,
Quæ tantæ tenuere moræ ? quibus Hector ab oris
Exspectate[34] venis ? Ut te post multa tuorum
Funera, post varios hominumque urbisque labores,
Defessi aspicimus ! Quæ causa indigna serenos
Fœdavit vultus ? aut cur hæc vulnera cerno ? »
Ille nihil[35] ; nec me quærentem vana moratur,
Sed graviter gemitus imo de pectore ducens,
« Heu ! fuge, nate dea, teque his, ait, eripe flammis.
Hostis habet muros ; ruit alto a culmine Troja.
Sat[36] patriæ Priamoque datum : si Pergama dextra

23 Noctis. *Amica*, faventia cœptis eorum. — 24 *Extulerat* dicit, non *extulit*, ob sequentia : nam conspecto demum illo facis signo Sinon equi claustra laxat Danaosque emittit. — 25 At fabulæ narrant Thersandrum, Polynicis et Argiæ filium, ipso initio belli in pugna cum Telepho cecidisse. — 26 Pelei nepos filius Achillis. *Primus* aut inter primos egressus Machaon, Æsculapii filius strenuissimus : id quod non opus erat ut etiam primo loco memoraretur in narratione. Nihil hic reprehendendum. — 27 Sibi adjungunt. — 28 Homericum epitheton, θεῖλόγσι, ὀΐζυροῖσι. — 29 Trajecta habens ; noto hellenismo. — 30 Præsens est pro perfecto. Patroclo commodata ab Achille arma exuerat Hector occiso et ipse induerat. De hoc genitivo *Achilli* supra monitum. — 31 Dativo : in puppes navium Græcarum. Hæc ἐπὶ ναυσὶ μάχη canitur per *Iliadis* libros quatuor, XIII-XVI. — 32 Junge *circum muros*. Nimirum post cursum circa muros interfecto Hectori « vix ullus Græcorum astitit vulnus non infligens », ut est in *Iliade* XXII, 371. Hæc vulnera dicit Virgilius, sed simul raptatum bigis fingens, contra narrationem homericam, ut vidimus I, 483, not. 45. — 33 Salus, ut apud Homerum φάος. — 34 Attractionis quoddam genus pro : exspectatus. Ita Tibullus : *Sic venias hodierne. Ut* sensu jungendum cum *defessi*. — 35 *Nihil* ad hæc dixit, vel respondit. *Moratur*, curat. — 36 *Sat* operæ *datum*, actum pro virili est quod poterat agi ad defendendam patriam. *Hac*, meâ.

Defendi possent, etiam hac defensa fuissent.
Sacra suosque tibi commendat Troja Penates :
Hos cape fatorum comites; his mœnia quære,
Magna pererrato statues[37] quæ denique ponto. »
Sic ait; et manibus vittas Vestamque[38] potentem
Æternumque adytis effert penetralibus ignem.

Diverso interea miscentur mœnia luctu;
Et magis atque magis (quanquam secreta parentis
Anchisæ domus arboribusque obtecta recessit[39])
Clarescunt sonitus, armorumque ingruit horror.
Excutior somno, et summi fastigia tecti
Ascensu supero[40], atque arrectis auribus adsto :
In segetem veluti quum flamma furentibus Austris
Incidit, aut rapidus montano flumine torrens
Sternit agros, sternit sata læta boumque labores,
Præcipitesque trahit silvas; stupet inscius[41] alto
Accipiens sonitum saxi de vertice pastor.
Tum vero manifesta fides[42], Danaumque patescunt
Insidiæ. Jam Deiphobi dedit ampla ruinam,
Vulcano[43] superante, domus; jam proximus ardet
Ucalegon[44] : Sigea igni freta lata relucent.
Exoritur clamorque virûm clangorque tubarum.
Arma amens capio; nec sat rationis in armis[45];
Sed glomerare manum bello[46] et concurrere in arcem
Cum sociis ardent animi : furor iraque mentem
Præcipitant, pulchrumque mori succurrit[47] in armis.

Ecce autem telis Panthus[48] elapsus Achivûm,
Panthus Othryades, arcis Phœbique sacerdos,
Sacra manu victosque deos[49] parvumque nepotem
Ipse trahit, cursuque amens ad limina[50] tendit.
« Quo res summa loco, Panthu? quam prendimus arVix ea fatus eram, gemitu quum talia reddit : [cem? »
« Venit summa dies et ineluctabile[51] tempus
Dardaniæ! Fuimus Troes; fuit Ilium et ingens

37 « Non enim magna mœnia promittit inventurum, sed facturum. Et sic dii Penates ipsi monent infra (l. III, 159) : *Tu mœnia magnis Magna para.* » *Serv.* — 38 Vestam cum vittis, vittatam, ut supra v. 168 vides Palladii *virgineas vittas.* — 39 In recessu sita fuit, remota a locis celebrioribus urbis. — 40 Plenius pro : ascendo. Inde Æneas quid audierit comparationibus indicat simpliciter illatis, quia manifestissimum est ad quam rem spectent. Vide *Georg.* I, 325. — 41 « Non ignarus; nam videt; sed non valde causarum peritus, simplex. » *Serv.* Sive ita potius : cui inscienti, imprudenti, non exspectanti hæc eveniunt. Stupet pastor *alto de vertice* montis, ubi positus est, unde despicit illam ruinam. Noli jungere *accipiens de.* — 42 Manifestus eventus rei, qui fidem facit dictis. In prosa quoque est ubi *fides* vernacule verti possit *l'événement, la réalité.* — 43 Igne. Deiphobus, Priami filius fortissimus, Helenam post Paridis mortem duxerat. — 44 Breviter pro : domus Ucalegontis. Qui Priamo amicus et in consilio seniorum. Sigeum, promontorium Troadis. — 45 « Quibus jam incensa civitas defendi non potest. » *S.* — 46 *Bello*, dativus : ad pugnam, ad pugnandum. *Glomerare manum*, colligere milites. — 47 *Succurrit* menti, subit animum, esse *pulchrum* etc. — 48 Πάνθους, Πάνθου, Othryos filius, Apollinis sacerdos, cujus templum in arce; Græcus origine, si vera est fabula quam Servius narrat. — 49 Apollinis simulacrum, ne in hostium manus incidat. *Trahit* accommodate ad ultimum substantivum, *nepotem;* in prioribus per zeugma intellige *portat.* — 50 *Ad limina* Æneæ. *Quo loco* positum est, quò redactum est imperium et ipsa salus Trojanorum? (Nobis *où en est... ?*) Quam arcem nunc occupaturi sumus? amissa scilicet et ab hoste capta una illa quam habuimus, Pergamo : quod Æneas intelligebat ex fuga sacerdotis. — 51 « Quod nemo eluctari possit ut effugiat. » *S.* Comparatur Euripideum τύχη, ὃυσπάλαιστος ἥκει.

Gloria Teucrorum : ferus omnia Juppiter Argos
Transtulit[52] ; incensa Danai dominantur in urbe.
Arduus armatos mediis in mœnibus adstans
Fundit equus ; victorque Sinon incendia miscet[53]
Insultans : portis alii bipatentibus adsunt,
Millia quot[54] magnis unquam venere Mycenis ;
Obsedere alii telis angusta viarum
Oppositi[55] ; stat ferri acies mucrone corusco
Stricta, parata neci : vix primi[56] prœlia tentant
Portarum vigiles, et cæco Marte resistunt. »
Talibus Othryadæ dictis et numine[57] divûm
In flammas et in arma feror, quo tristis Erinys,
Quo fremitus vocat et sublatus ad æthera clamor.
Addunt se socios Rhipeus et maximus armis
Epytus, oblati per lunam, Hypanisque Dymasque,
Et lateri agglomerant[58] nostro, juvenisque Corœbus
Mygdonides. Illis ad Trojam forte diebus
Venerat, insano Cassandræ incensus amore,
Et gener[59] auxilium Priamo Phrygibusque ferebat :
Infelix, qui non sponsæ præcepta furentis[60]
Audierit !
Quos ubi confertos audere[61] in prœlia vidi,
Incipio[62] super his : « Juvenes, fortissima frustra
Pectora, si vobis audentem extrema cupido
Certa[63] sequi, (quæ sit rebus fortuna videtis :
Excessere omnes, adytis arisque relictis,
Di quibus[64] imperium hoc steterat ; succurritis urbi
Incensæ :) moriamur, et in media arma ruamus.
Una salus victis, nullam sperare salutem[65]. »
Sic animis juvenum furor additus. Inde, lupi ceu
Raptores atra in nebula, quos improba[66] ventris
Exegit cæcos rabies, catulique relicti
Faucibus exspectant siccis, per tela, per hostes
Vadimus haud dubiam in mortem, mediæque tenemus
Urbis iter : nox atra cava[67] circumvolat umbra.
Quis eladem illius noctis, quis funera fando
Explicet, aut possit lacrimis æquare labores[68] ?
Urbs antiqua ruit, multos dominata per annos ;

52 Argivis victoriam et summam rerum deferens. « *Ferus* hic invidiose dictum et ad tempus epitheton est. Nam Jupiter æquus est omnibus. » *Serv.* — 53 Passim facit. — 54 *Adsunt* intrantes millibus tot, *quot millia* etc. : tanto quidem numero, ut vel in prima profectione plures ex Græcia advenisse vix credas, « quasi nemo eorum perierit decennali bello. » *S.* — 55 *Oppositi* fugientibus Trojanis. — 56 Vigiles in primo introitu urbis constituti. *Et cæco Marte*, quippe nocturno prœlio, quo cerni ac discerni hostis nequit. — 57 Voluntate potenti ; v. I, 8, not. 8. Ἐρινύς, Furia, « hoc loco impatientia animi, quæ in furorem compellit. » *S.* — 58 *Se* repetendum ex initio periodi, *Addunt se*. Pater Corœbi Mygdon, rex Phrygiæ. — 59 *Gener* futurus Priami, procus Cassandræ. — 60 Ecstasi motæ, ἐνθουσιαζούσης, vaticinantis. Sequente subjunctivo *qui* dicitur pro : ut qui, quia. — 61 Audentes, audacia incensos esse ad pugnandum. — 62 *Incipio* loqui *his*, ad hos, *super*, insuper : audaciam quam ipsi afferebant, insuper accendo oratione. Alii explicant *his*, his verbis. — 63 Obfirmata. Mox synchysin recte notat Servius ; nos per parentheseos signa nexum sententiæ indicavimus. — 64 Per quos, quorum tutelâ. — 65 « Plerumque enim desperatione robur augetur. Hoc ergo suadet, ut aut desperatione vincant, aut vitetur morte captivitas. » *Serv.* — 66 Vehemens ; vide *Georg.* I, 146, n. 51. *Cæcos*, per obscuram nebulam temere vagantes. — 67 Umbrâ *cavâ*, quæ res circumfundit, ambit et quasi in se recipit. « Hinc apparet, occidisse jam lunam. » *S.* Nam plenilunii tempore Trojam esse captam narrabant veteres. — 68 Mala ; ut sæpe.

Plurima perque vias sternuntur inertia[69] passim
Corpora, perque domos et relligiosa deorum
Limina. Nec soli pœnas dant[70] sanguine Teucri :
Quondam etiam victis redit in præcordia virtus,
Victoresque cadunt Danai. Crudelis[71] ubique
Luctus, ubique pavor, et plurima mortis imago.

Primus se, Danaûm magna comitante caterva,
Androgeos offert nobis, socia agmina credens
Inscius, atque ultro verbis compellat amicis :
« Festinate, viri : nam quæ[72] tam sera moratur
Segnities? Alii rapiunt incensa feruntque
Pergama : vos celsis nunc primum a navibus itis? »
Dixit, et extemplo (neque enim responsa dabantur
Fida[73] satis) sensit medios delapsus in hostes.
Obstipuit, retroque pedem cum voce repressit[74].
Improvisum aspris veluti qui sentibus anguem
Pressit humi nitens, trepidusque repente refugit
Attollentem iras[75] et cærula colla tumentem :
Haud secus Androgeos visu tremefactus abibat.
Irruimus, densis et circumfundimur armis;
Ignarosque loci passim et formidine captos
Sternimus. Adspirat primo fortuna labori.
Atque hic successu exsultans[76] animisque Coræbus,
« O socii, qua prima, inquit, fortuna salutis
Monstrat iter, quaque ostendit se dextra[77], sequamur.
Mutemus clipeos, Danaûmque insignia[78] nobis
Aptemus : dolus, an virtus, quis in hoste[79] requirat?
Arma dabunt ipsi. » Sic fatus, deinde[80] comantem
Androgei galeam clipeique insigne decorum
Induitur[81], laterique Argivum accommodat ensem.
Hoc Rhipeus, hoc ipse Dymas, omnisque juventus
Læta facit; spoliis se quisque recentibus armat.
Vadimus immixti Danais haud numine nostro[82],
Multaque per cæcam congressi prœlia noctem
Conserimus; multos Danaûm demittimus Orco.
Diffugiunt alii ad naves, et litora cursu
Fida[83] petunt; pars ingentem formidine turpi
Scandunt rursus equum et nota conduntur in alvo.

69 Imbellia, ut senum, femina-rum. — 70 « *Pœnas dant*, hoc est moriuntur indigne; ut (X, 617), *Nunc pe-reat, Teucris-que pio det san-guine pœnas.* » *S.* — 71 Sævus, qui est cum magno dolore. Mox Servius : « Varietas mortis os-tenditur occun-bentium gladio, igni, ruina do-morum. » — 72 Quænam, ut in *Georg.* IV, 445, n. 42. *Moratur* vos. *Sera*, quæ sero rem agit, tarda est. Verba *rapere* vel *agere* et *ferre* conjungi solent in de-scribenda dire-ptione et vasta-tione. — 73 « *Fida*, quæ ad fidem habendam pellicere pos-sent. Et bene addidit *fida*, ut ostenderet sym-bolum, quo ute-bantur in bel-lo. » *Serv. Sensit delapsus* est græca syntaxis : sensit se esse delapsum. Simi-lem vidimus in *Georg.* II, 510, n. 91. — 74 Vide *Georg.* I, 200, n. 4. *Aspris*, as-peris. « *Humi nitens*, incedens per humum. » *S.* — 75 Poetice pro : erigentem se vel caput præ ira; iram excitatam ostendens se attollendo, ut *Georg.* III, 421, ubi vide not. 63. — 76 *Exsultо* et de lætitia dicitur et de fiducia vel confidentia : hic significatur utrumque si-mul. — 77 Secunda, propitia. In vulgari sermone dicas *ostendit se* DEXTRAM. — 78 Clipeos et galeas, insignibus et forma a Trojanis differentes. — 79 *In hoste*, in causa hostis, si cum hoste agitur. — 80 *Deinde*, alibi *inde, tum, sic*, post partici-pia addunturad grammaticam quidem vel logicam rationem inutiliter, sed sen-tentiarum motum adjuvant aut nexum dilucidant. — 81 *Induitur*, manu sinistra inserta ansæ clipei. — 82 Non nobiscum faciente, non favente nobis. Conf. *Georg.* IV, 22, n. 11. *Orco*, dativus : in Orcum. — 83 Tutum perfugium præbentia.

Heu nihil invitis fas[84] quemquam fidere divis!
Ecce trahebatur passis[85] Priameïa virgo
Crinibus a templo Cassandra adytisque Minervæ,
Ad cœlum tendens ardentia lumina frustra,
Lumina, nam teneras arcebant[86] vincula palmas.
Non tulit hanc speciem furiata mente Coroebus,
Et sese medium injecit periturus in agmen.
Consequimur cuncti, et densis incurrimus[87] armis.
Hic primum ex alto delubri culmine telis
Nostrorum obruimur, oriturque miserrima cædes
Armorum facie et Graiarum errore jubarum[88].
Tum Danai, gemitu[89] atque ereptæ virginis ira,
Undique collecti invadunt, acerrimus Ajax,
Et gemini Atridæ, Dolopumque[90] exercitus omnis:
Adversi rupto[91] ceu quondam turbine venti:
Confligunt, Zephyrusque Notusque, et lætus[92] Eois
Eurus equis: stridunt silvæ, sævitque tridenti
Spumeus[93] atque imo Nereus ciet æquora fundo.
Illi etiam, si quos obscura nocte per umbram
Fudimus[94] insidiis totaque agitavimus urbe,
Apparent: primi clipeos mentitaque tela
Agnoscunt, atque ora sono discordia signant[95].
Ilicet obruimur numero; primusque Coroebus
Penelei dextra, divæ armipotentis[96] ad aram,
Procumbit; cadit et Rhipeus, justissimus unus[97]
Qui fuit in Teucris et servantissimus æqui:
Dis aliter visum[98]! Pereunt Hypanisque Dymasque,
Confixi a sociis; nec te tua plurima, Panthu[99],
Labentem pietas nec Apollinis infula texit.
Iliaci cineres, et flamma extrema meorum,
Testor[1], in occasu vestro nec tela nec ullas
Vitavisse vices Danaûm; et, si fata fuissent
Ut caderem, meruisse manu[2]. Divellimur inde:
Iphitus et Pelias mecum; quorum Iphitus ævo
Jam gravior, Pelias et vulnere tardus Ulixi;
Protinus ad sedes Priami clamore vocati[3].

Hic vero ingentem pugnam, ceu[4] cetera nusquam

84 Supple: est. Nulla in re, ne secundo quidem rerum successu, confidere licet diis aversis. — 85 Crinibus *passis*, non vinctis, sed solutis, quali habitu erant vates divino afflatu concitatæ. — 86 Prohibebant tendere ad cœlum. Junge *Corœbus mente furiata;* est ablativus qui vocatur qualitatis. — 87 Adoriumur hostes: et *armis* ablativo, *densis*, quia ipsi conferti. *Delubri* Minervæ. — 88 Cristarum. — 89 Acti *gemitu* Cassandræ, et irati, sibi esse ereptam. Ajax est Oilei filius. Telamonius tum jam obierat. — 90 Vide v. 7. n. 3. — 91 *Turbine rupto* est: quando turbo prorupit. — 92 Gestiens, superbus equis suis *Eois*, quia ab Oriente flat. Apud Horatium quoque (*Od.* IV, 4) *Eurus per Siculas* EQUITAVIT *undas*. — 93 « Plus est *spumeus* quam *spumosus*, ut *frondea nemora* (I, 194) plus quam *frondosa*. » *Sch. ver.* — 94 Repulimus, fugavimus. — 95 Pro signo habent, nos esse hostes. *Ilicet*, continuo, statim. — 96 Epitheton grave, non ornans modo: ostendit deam plane aversam Trojanis, quæ armis suis ne pro eo quidem uteretur qui sacerdotem ipsius ab hostibus vindicaverat. — 97 *Unus* omnium maxime justus, præ ceteris omnibus unus; v. I, 15, n. 12. — 98 Dii non ita egerunt cum eo, ut cum homine omnium justissimo fuisse agendum existimes. Sapienter Seneca (*Ep.* XCVIII): *Illud frequenter et sine querela inter singula damna dixeris*: DIS ALITER VISUM. — 99 De quo v. supra 318 seqq. — 1 *Testor* vos, testes vos voco, me *non vitavisse* etc. *Vices*, casus varios et discrimina pugnæ cum Græcis. — 2 *Manu*, iis quæ manu gesseram, hostibus mea manu occisis. — 3 « Clamorem secuti. » *S.* Priami ædes in acropoli erant. — 4 Tanquam si cetera per urbem bella plane locum non haberent, non essent.

Bella forent, nulli tota morerentur in urbe,
Sic Martem indomitum; Danaosque ad tecta ruentes
Cernimus, obsessumque acta testudine[5] limen.
Hærent parietibus scalæ, postesque sub ipsos
Nituntur[6] gradibus, clipeosque ad tela sinistris
Protecti objiciunt; prensant fastigia dextris.
Dardanidæ contrà turres ac tecta[7] domorum
Culmina convellunt: his se, quando ultima cernunt,
Extrema jam in morte parant defendere telis;
Auratasque trabes, veterum decora alta parentum,
Devolvunt: alii strictis mucronibus imas
Obsedere fores; has servant agmine denso.
Instaurati[8] animi regis succurrere tectis,
Auxilioque levare viros, vimque addere victis.
Limen erat cæcæque[9] fores et pervius usus
Tectorum inter se Priami, postesque relicti
A tergo, infelix qua se, dum regna manebant,
Sæpius Andromache ferre incomitata solebat
Ad soceros[10], et avo puerum Astyanacta trahebat.
Evado ad summi fastigia culminis, unde
Tela manu miseri jactabant irrita Teucri.
Turrim in præcipiti[11] stantem, summisque sub astra
Eductam tectis, unde omnis Troja videri
Et Danaûm solitæ naves et Achaïa castra,
Aggressi ferro[12] circum, qua summa labantes
Juncturas tabulata dabant, convellimus altis
Sedibus, impulimusque: ea lapsa repente ruinam
Cum sonitu trahit[13], et Danaûm super agmina late
Incidit. Ast alii subeunt[14], nec saxa, nec ullum
Telorum interea cessat genus.
Vestibulum ante ipsum primoque in limine Pyrrhus[15]
Exsultat, telis et luce coruscus ahena:
Qualis ubi in lucem[16] coluber mala gramina pastus,
Frigida sub terra tumidum quem bruma tegebat,
Nunc, positis novus exuviis nitidusque juventa,
Lubrica convolvit sublato pectore terga
Arduus ad solem, et linguis micat ore trisulcis.

5 Agmine invadente cum scutis super capita junctis testudinis in modum, græce συναστισμός. Nimirum duplex oppugnationis species simul et fiebat et describitur a poeta: et in tectum domus ascendere tentabant Græci, et per fores irrumpere, ad quas gradibus adibatur. — 6 Enituntur. *Ad*, adversum. *Sinistris* manibus sive brachiis, clipeos gestantibus. — 7 Culmina tecti domûs. *Ultima*, finem et exitium rerum suarum. — 8 Narratio redit ad agmen Æneæ; vide supra v. 315 seq. Iis conspectis, mihi et sociis instaurati atque aucti sunt animi ad succurrendum regiis tectis. — 9 Fores occultæ, ignotæ aliis, in postica parte regiæ. Ibi in varia ædificia, quibus constabat ea regia, poterat transiri ex uno in alterum sine usu portarum anticarum. — 10 Ad socerum (Priamum, et socrum (Hecubam). *Evado*, pervenio ascendens. — 11 In alto, unde quis potest præceps dari. « *S.* — 12 Vectibus ferreis. Sequentibus indicantur loca, ubi summum tabulatum juncturas præbebat compaginis, quæ facilius quam ceteræ partes collabefieri et everti poterant. — 13 Ruinam *trahit*, alibi *dat*, *facit*, sed hic de *longo* fragmine avulso magis proprium est *trahit*. — 14 *Subeunt* in locum occisorum. — 15 Idem qui Neoptolemus, Achillis filius. Luce *ahena*, armorum ex ære splendentium. — 16 *In lucem* jungendum cum *convolvit terga*, proserpit, provolvitur: sed hoc quum quarto demum versu inferatur, illud repetitur, *ad solem*. Transitive *pastus*; vide *Georg.* II, 375, n. 81; et de *bruma* ibid. I, 211, n. 13. *Tumidum*, succis venenatis repletum. Comparatio pingit et splendorem recentium armorum et sævum impetum Pyrrhi. Duo versus repetiti ex *Georg.* III, 437, 439.

Una ingens Periphas, et equorum agitator Achillis,
Armiger[17] Automedon, una omnis Scyria pubes
Succedunt tecto, et flammas ad culmina jactant.
Ipse[18] inter primos correpta dura bipenni
Limina perrumpit, postesque a cardine vellit
Æratos : jamque, excisa trabe, firma cavavit
Robora, et ingentem lato dedit[19] ore fenestram.
Apparet domus intus, et atria longa patescunt ;
Apparent Priami et veterum penetralia regum,
Armatosque vident stantes in limine primo[20].

At domus interior gemitu miseroque tumultu
Miscetur[21], penitusque cavæ plangoribus ædes
Femineis ululant ; ferit aurea sidera clamor.
Tum pavidæ tectis matres[22] ingentibus errant,
Amplexæque tenent postes, atque oscula figunt.
Instat vi patria Pyrrhus ; nec claustra, neque ipsi
Custodes sufferre[23] valent : labat ariete crebro
Janua, et emoti procumbunt cardine postes.
Fit via vi ; rumpunt aditus, primosque trucidant
Immissi Danai, et late loca milite complent.
Non sic[24], aggeribus ruptis quum spumeus amnis
Exiit, oppositasque evicit gurgite moles,
Fertur in arva furens cumulo[25], campôsque per omnes
Cum stabulis armenta trahit. Vidi ipse furentem
Cæde Neoptolemum, geminosque in limine Atridas ;
Vidi Hecubam, centumque nurus[26], Priamumque per aras
Sanguine fœdantem, quos ipse sacraverat, ignes[27].
Quinquaginta illi thalami[28], spes tanta nepotum,
Barbarico[29] postes auro spoliisque superbi,
Procubuere : tenent Danai qua[30] deficit ignis.

Forsitan et, Priami fuerint quæ fata, requiras.
Urbis uti captæ casum convulsaque vidit
Limina tectorum et medium in penetralibus hostem,
Arma[31] diu senior desueta trementibus ævo
Circumdat nequicquam humeris, et inutile ferrum
Cingitur, ac densos fertur moriturus in hostes.

17 *Armiger* factus Pyrrhi post mortem Achillis, cujus auriga fuerat, ab Homero valde celebratus. De insula Scyro, ubi educatus fuerat, Pyrrhus secum ad Trojam duxerat copias ab avo Lycomede datas. — 18 Pyrrhus. — 19 Fecit. Veterum fenestras nihil nisi foramina parietum fuisse vel clathris ferreis vel valvis ligneis clausa, satis notum. — 20 Qui supra v. 450 dicti *imas obsedisse fores strictis mucronibus*. — 21 Resonat mixto et vario gemitu discursuque feminarum. Annotat Servius hunc locum esse « translatum » ex Ennio, Albæ Longæ excidium describente. — 22 Conf. *Georg.* IV, 520, n. 76. — 23 *Sufferre* eum, impetum ejus. — 24 « Vult ostendere gravius vastatam Trojam, quam agri fluviorum eruptione vastantur. Et sciendum est, esse comparationes aut pares, aut minores, aut similes. Ac nonnunquam in similitudine comparatio ultro negatur, ut hic, et, *Non tam præcipites bijugo* etc. (infra V, 144). » *Serv.* — 25 Vide I, 105, n. 66. — 26 Quinquaginta nurus (filiorum uxores) et quinquaginta filias Priami, prope omnes nuptas. — 27 Ovidius : *Exiguumque senis Priami Jovis ara cruorem Combiberat.* — 28 Quos cecinit Homerus, *Il.* VI, 243 seqq. Unde tam certo sperari poterant nepotes. — 29 Auro *barbarico*, id est Phrygio, ex usu poetarum latinorum, ut in loco celebri Andromachæ Enniauæ, quem Virgilius in mente habebat : *O pater! o patria! o Priami domus!... Vidi ego te, adstante ope* BARBARICA, *Tectis cælatis, lacuatis, Auro, ebore instructam regifice. Hæc omnia vidi inflammari, Priamo vi vitam evitari, Jovis aram sanguine turpari.* — 30 Loca ad quæ ignis non pervasit. « Ignis potuit deficere ; Danai non potuerunt. » *S.* — 31 *Arma* hoc loco de lorica. « *Desueta* : ab hominis consuetudine sensum ad arma transtulit. » *S.*

Ædibus in mediis, nudoque sub ætheris axe[32],
Ingens ara fuit, juxtaque veterrima laurus,
Incumbens aræ atque umbra complexa Penates.
Hic Hecuba et natæ nequicquam altaria circum,
Præcipites[33] atra ceu tempestate columbæ,
Condensæ et divûm amplexæ simulacra sedebant[34].
Ipsum autem sumptis Priamum juvenalibus armis
Ut vidit : « Quæ mens tam dira[35], miserrime conjux,
Impulit his cingi telis? aut quo ruis? inquit.
Non tali auxilio nec defensoribus istis
Tempus eget; non[36], si ipse meus nunc afforet Hector.
Huc tandem concede : hæc ara tuebitur omnes,
Aut moriere simul. » Sic ore effata recepit
Ad sese et sacra longævum in sede locavit.

Ecce autem elapsus Pyrrhi de cæde Polites,
Unus natorum Priami, per tela, per hostes
Porticibus longis fugit, et vacua[37] atria lustrat
Saucius. Illum ardens infesto vulnere[38] Pyrrhus
Insequitur, jam jamque manu tenet, et premit hastâ.
Ut tandem ante oculos evasit[39] et ora parentum,
Concidit, ac multo vitam cum sanguine fudit.
Hic Priamus, quamquam in media jâ morte[40] tenetur,
Non tamen abstinuit, nec voci iræque pepercit;
« At tibi pro scelere, exclamat, pro talibus ausis,
Di (si qua est cœlo pietas[41], quæ talia curet)
Persolvant grates dignas et præmia reddant
Debita, qui nati coram me cernere letum
Fecisti, et patrios fœdasti funere[42] vultus!
At non ille, satum quo te mentiris, Achilles
Talis in hoste[43] fuit Priamo; sed jura fidemque
Supplicis erubuit[44], corpusque exsangue sepulchro
Reddidit Hectoreum, meque in mea regna remisit. »
Sic fatus senior, telumque imbelle sine ictu[45]
Conjecit, rauco quod protinus ære repulsum,
Et summo clipei nequicquam umbone pependit.
Cui Pyrrhus : « Referes ergo hæc et nuntius ibis
Pelidæ genitori : illi mea tristia[46] facta
Degeneremque Neoptolemum narrare memento
Nunc morere. » Hoc dicens, altaria ad ipsa trementem

32 Quem locum Romani *impluvium* vocabant, ubi Penates aram habebant sub dio. Nam Virgilius romanum in morem hæc adumbrat. Erat autem Jovis Hercei, Διὸς Ἕρκειου, ara, ad quam occisus est Priamus, non in mediis ædibus, sed in aula, πρὸ αὐλῆς, *ante* ipsam domum, sive (ut Servius) « intra aulam et septum parietem, qui Græcis ἕρκος dicitur. » Sed sciebat poeta altius commotum iri suorum lectorum animos, si rem tanquam in ipsorum sanctuario poneret, quam si doctum egisset antiquarium. — 33 Festinantes effugere tempestatem. — 34 Ut solent supplices; vide modo initium OEdipi Regis Sophocleæ. — 35 Mens agitans dira consilia. — 36 *Non* posset defendere : quæ notio repetenda ex præcedenti substantivo *defensoribus*. — 37 *Vacua*, quoniam omnes confugerant ad aram. — 38 *Vulnere*, quod jam jam erat infliciturus. Ita vix opus est ut *vulnus* de telo dictum accipiatur. *Premit* opprimit, percutit. — 39 Pervenit. — 40 Præsenti mortis periculo. — 41 Respectus et miseratio hominum qui indigna patiuntur. — 42 *Funere*, cæde filii, quod inest in *patrios*. — 43 Cum hoste agens; est fere nostrum *à l'endroit d'un ennemi*, plane aliud atque *in hostem*. Conf. 390, not. 78. — 44 Reveritus est, servans jura supplicis et fidem tutelamque ei debitam. *Sepulcro*, dativus : ad sepeliendum. — 45 Quod non iceret, feriret Pyrrhum. *Ære*, clipeo, qui percussu raucum, surdum sonum edidit. — 46 Sæva, crudelia, te judice.

Traxit et in multo lapsantem sanguine nati,
Implicuitque comam læva, dextraque coruscum
Extulit ac lateri capulo tenus abdidit ensem.
Hæc finis[47] Priami fatorum; hic exitus illum
Sorte tulit[48], Trojam incensam et prolapsa videntem
Pergama, tot quondam populis terrisque superbum
Regnatorem Asiæ[49]. Jacet ingens litore truncus,
Avulsumque humeris caput, et sine nomine[50] corpus.
At me tum primum sævus circumstetit horror.
Obstipui; subiit cari genitoris imago,
Ut regem æquævum crudeli vulnere vidi
Vitam exhalantem; subiit deserta Creusa[51],
Et direpta domus, et parvi casus Iuli.
Respicio, et, quæ sit me circum copia[52], lustro.
Deseruere omnes defessi, et corpora saltu
Ad terram misere, aut ignibus ægra[53] dedere.
Jamque[54] adeo super unus eram, quum limina Vestæ
Servantem et tacitam secreta in sede latentem
Tyndarida[55] adspicio: dant clara incendia lucem
Erranti, passimque oculos per cuncta ferenti.
Illa sibi infestos eversa ob Pergama Teucros,
Et pœnas Danaûm, et deserti conjugis iras
Præmetuens, Trojæ et patriæ communis Erinys,
Abdiderat sese, atque aris[56] invisa sedebat.
Exarsere ignes animo; subit ira[57] cadentem
Ulcisci patriam et sceleratas sumere pœnas.
« Scilicet hæc Spartam incolumis patriasque Mycenas[58]
Aspiciet? partoque ibit regina triumpho,
[Conjugiumque[59], domumque, patres, natosque videbit,]
Iliadum turba et Phrygiis comitata ministris?
Occiderit ferro Priamus? Troja arserit igni?
Dardanium toties sudarit sanguine litus?
Non ita. Namque etsi nullum memorabile nomen[60]
Feminea in pœna est, nec habet victoria laudem,
Exstinxisse nefas[61] tamen et sumpsisse merentis
Laudabor pœnas, animumque explêsse juvabit

47 « In his si tu mutes et *Hic finis* dicas, durum atque absonum erit, respuentque aures quod mutaveris. » *A. Gellius* XIII, c. 20. — 48 Fato, fataliter absulit. — 49 Ipse Cicero dixit: *Priamus, rex Asiæ. Litore*, quo pertractum est corpus insepultum. Nec temere Servius: « Pompeii tangit historiam. » — 50 Respexit S. Ambrosius, *Hexaem*, VI, 8: *Si caput desit, jacet truncus ignobilis, sine honore, sine nomine.* — 51 Uxor Æneæ. — 52 *Copia* sociorum. « Nota de exercitu poetam dixisse numero singulari, ut Sallustius (in *Historiis* deperditis) ait, *Quum Sertorius neque erumperet, tam levi copia, navibus fugam maturabat.* » *Serv.* — 53 Defatigata et misere afflicta. — 54 Hinc qui sequuntur versus viginti duo absunt a vetustis codicibus omnibus præter unum Palatinum, neque exponuntur ab antiquis grammaticis. Servius sine commentario ponit, cum hac notula: « Post hunc versum (præcedentem) hi versus fuerunt, quos Tucca et Varius obliti sunt, » id est, ut videtur, omiserunt. Certe ad v. 592 significat ab his editoribus Æneidis fuisse « *sublatos*, » quia contrarii sint iis quæ narrabuntur in libro VI, 510 seqq. Confitendum in sequentibus multa haberi minus perfecta nec Virgilio poeta digna satis: ut hic quidem non sit temeritatis arcessendus Peerlkampius qui secluserit hos versus usque ad *Numina magna deûm*, v. 623, quamquam cupidius sæpe disputans pag. 139-147. — 55 Tyndari filiam, Helenam. — 56 In gradibus aræ. — 57 Cogitatio irata, impetus ex ira ortus, ulciscendi etc. Pœnas *sceleratas* dicit quæ sumuntur a sceleratis. — 58 *Mycenas* non accurate, ut jam vidimus I, 644, n. 16. — 59 Versus a criticis merito ejectus. — 60 Gloria nulla. — 61 *Nefas*, nefariam mulierem, ut *scelus* de homine scelesto. *Merentis* pro: a merente; recte dictum, quamquam insolite. Alii

merentes, quod passive capiunt, ut *meritas*. — 62 Hellenismus est pro : ultrice flamma, id est ultione cupidissime expetita. Nam voce *flamma* significatur cupiditas urens, vehemens. — 63 *Confessa* se *deam*, sicut apud Ovidium Jupiter, *posita fallacis imagine tauri, se confessus erat*. — 64 Amor nostri ; nam ipsa negligi videtur, quum negligitur Anchises ab ipsa dilectus. — 65 An sit superstes, vivat. — 66 Abstulerint. *Haurire*, proprie de sanguine effundendo, synonymum evasit verbi confodere vel transfigere. — 67 SED *deorum inclementia* etc. nam particula adversativa vocis sono intentiore et repetito *divûm* efficacius suppletur post omissionem, ac si poneretur. — 68 Matris. — 69 Ipsi jam dii manum admovent evertendæ urbi invisæ. — 70 Ad primum introitum urbis. *Scææ* portæ mari et castris Græcorum obversæ. Jungas *furens vocat*. — 71 Vide 171, n. 83. *Effulgens nimbo*, circumdata nimbo ab incendii flammis fulgente. *Gorgo*, ægis Minervæ facie Medusæ insignis ; vide VIII, v. 435-38. — 72 Quæ secundum eventum dent. *Sufficit*, subministrat, suggerit. — 73 In pugnam adversus Trojanos. — 74 *Eripe fugam* concise dictum pro : rape vel accelera fugam ex his ruinis. *Labori*, pugnæ ; suadet ne pugnet amplius. — 75 « Sane, si *tenent Danai qua deficit ignis* (v. 505), necessarium est præsidium numinis. » *S.* — 76 « *Tum vero*, quando et dii visi sunt sævientes. » *S. Neptunia*, quia ab hoc deo muris cincta. — 77 Vide I, 148, n. 92.

Ultricis flammæ[62], et cineres satiasse meorum. »
Talia jactabam, et furiata mente ferebar,
Quum mihi se, non ante oculis tam clara, videndam
Obtulit et pura per noctem in luce refulsit
Alma parens, confessa[63] deam, qualisque videri
Cœlicolis et quanta solet ; dextraque prehensum
Continuit, roseoque hæc insuper addidit ore :
« Nate, quis indomitas tantus dolor excitat iras ?
Quid furis ? aut quonam nostri tibi cura[64] recessit ?
Non prius aspicies ubi fessum ætate parentem
Liqueris Anchisen ? superet[65] conjuxne Creusa
Ascaniusque puer ? quos omnes undique Graiæ
Circum errant acies, et, ni mea cura resistat,
Jam flammæ tulerint[66], inimicus et hauserit ensis.
Non tibi Tyndaridis facies invisa Lacænæ
Culpatusve Paris, divûm[67] inclementia, divûm,
Has evertit opes, sternitque a culmine Trojam.
Aspice : namque omnem, quæ nunc obducta tuenti
Mortales hebetat visus tibi et humida circùm
Caligat, nubem eripiam : tu ne qua parentis[68]
Jussa time, neu præceptis parere recusa.
Hic, ubi disjectas moles avulsaque saxis
Saxa vides, mixtoque undantem pulvere fumum,
Neptunus[69] muros magnoque emota tridenti
Fundamenta quatit, totamque a sedibus urbem
Eruit. Hic Juno Scæas sævissima portas
Prima[70] tenet, sociumque furens a navibus agmen
Ferro accincta vocat.
Jam summas arces Tritonia[71], respice, Pallas
Insedit, nimbo effulgens et Gorgone sævà.
Ipse Pater Danais animos virespque secundas[72]
Sufficit, ipse deos in Dardana[73] suscitat arma.
Eripe, nate, fugam[74], finemque impone labori :
Nusquam abero[75], et tutum patrio te limine sistam. »
Dixerat, et spissis noctis se condidit umbris.
Apparent diræ facies, inimicaque Trojæ
Numina magna deûm.
Tum vero[76] omne mihi visum considere in ignes
Ilium, et ex imo verti Neptunia Troja ;
Ac veluti[77] summis antiquam in montibus ornum

Quum ferro accisam crebrisque bipennibus instant
Eruere agricolæ certatim ; illa usque minatur,
Et tremefacta comam concusso vertice nutat,
Vulneribus donec paulatim evicta, supremum
Congemuit, traxitque[78] jugis avulsa ruinam.
Descendo, ac ducente deo[79] flammam inter et hostes
Expedior : dant tela locum, flammæque recedunt.
Atque ubi jam patriæ perventum ad limina sedis
Antiquasque domos, genitor, quem tollere in altos
Optabam primum montes, primumque petebam,
Abnegat excisa vitam producere Troja,
Exsiliumque pati. « Vos o quibus integer ævi
Sanguis[80], ait, solidæque suo stant robore vires,
Vos agitate fugam.
Me si cœlicolæ voluissent ducere vitam,
Has mihi servassent sedes. Satis una superque
Vidimus excidia[81], et captæ superavimus urbi.
Sic o sic positum affati[82] discedite corpus.
Ipse manu[83] mortem inveniam : miserebitur hostis,
Exuviasque petet : facilis[84] jactura sepulchri.
Jampridem invisus divis, et inutilis, annos
Demoror[85], ex quo me divûm pater atque hominum rex
Fulminis afflavit ventis[86] et contigit igni. »
Talia perstabat memorans, fixusque[87] manebat.
Nos contra effusi lacrimis, conjuxque Creusa,
Ascaniusque, omnisque domus, ne vertere[88] secum
Cuncta pater fatoque urgenti incumbere[89] vellet.
Abnegat, inceptoque[90] et sedibus hæret in isdem.
Rursus in arma feror, mortemque miserrimus opto :
Nam quod consilium aut quæ jam fortuna dabatur ?
« Mene efferre pedem, genitor, te posse relicto
Sperâsti ? tantumque nefas[91] patrio excidit ore ?
Si nihil ex tanta Superis placet urbe relinqui,
Et sedet hoc animo[92], perituræque addere Trojæ
Teque tuosque juvat, patet isti janua leto ;

78 Vide 466, n. 13. — 79 *Deo*, generaliter dictum, ut : divino ductu. « Sic (VII, 498), *Nec dextræ erranti deus abfuit*, quum aut Juno fuerit aut Alecto. » *S.* Confer dicta n. 47 Eclogæ IV. — 80 Juvenilis vigor, ætas integra. *Suo*, quod non egeat opis alienæ, ut senex. *Fugam agitate* animo, de fugâ cogitate, deliberate. — 81 *Una excidia*, illa sub Laomedonte, urbe ab Hercule capta atque vastata. — 82 *Affati* me illo extremo *Vale, Vale, Vale*, quasi jam mortuum. — 83 *Manu* hostili. Et ipse hostis *miserebitur* mei, dans quod opto beneficium, sc. mortem ; neque negliget ille exuvias meas ; etiam mea spolia captabit. — 84 Facile fero quod insepultus jaceam ; quod aliis tristissimum, in tantis malis non grave mihi. — 85 Vitam moror, quasi impatientem hujus moræ et invitam retineo. — 86 Ex physicorum quorundam et Epicureorum placito fulmen est ventus igneus, inflammatus ; prudenter autem dixisse poetam *ventos fulminis*, patet ex fabula apud Servium : « Quum inter æquales exsultaret Anchises, gloriatus traditur de concubitu Veneris. Quod quum Jovi Venus questa esset, emeruit ut in Anchisem fulmina mitterentur ; sed Venus eum quum fulmine posse vidisset interimi, misérata juvenem in aliam partem detorsit, Anchises tamen afflatus igne cœlesti semper debilis vixit. » — 87 Loco affixus, non discedens domo. *Nos contra*, supple : instabamus, indicatum præcedente verbo *perstabat*. — 88 Evertere, perdere. — 89 Fatum per se urgens etiam impellere, ultro operam dare ut acceleretur. Servius bene comparat locutiones *currentem incitare*, *præcipitantem impellere*. — 90 Hæret, perstat in incepto eodem et in sedibus iisdem. Ad utrumque nomen pertinet præpositio. — 91 Sermo suadens rem tam nefariam. — 92 Si hæc tibi stat sententia.

Jamque aderit multo Priami de sanguine[93] Pyrrhus,
Gnatum ante ora patris, patrem qui obtruncat ad aras.
Hoc erat, alma parens, quod me per tela, per ignes
Eripis[94], ut mediis hostem in penetralibus, utque
Ascanium, patremque meum, juxtàque Creusam,
Alterum in alterius mactatos sanguine cernam!
Arma[95], viri, ferte arma : vocat lux ultima victos.
Reddite me Danais[96]; sinite instaurata revisam
Prœlia. Numquam[97] omnes hodie moriemur inulti. »

Hinc ferro accingor rursus, clipeoque sinistram
Insertabam aptans, meque extra tecta ferebam.
Ecce autem complexa pedes in limine conjux
Hærebat, parvumque patri tendebat Iulum :
« Si peritura abis, et nos rape in omnia[98] tecum;
Sin aliquam expertus sumptis spem ponis in armis,
Hanc primum tutare domum. Cui parvus Iulus,
Cui pater, et conjux quondam tua dicta relinquor[99]? »

Talia vociferans, gemitu tectum omne replebat,
Quum subitum dictuque oritur mirabile monstrum.
Namque, manus inter[1] mœstorumque ora parentum,
Ecce levis summo de vertice visus Iuli
Fundere lumen apex[2], tactuque innoxia molli
Lambere flamma comas, et circum tempora pasci.
Nos pavidi trepidare metu, crinemque flagrantem
Excutere et sanctos restinguere fontibus ignes.
At pater Anchises oculos ad sidera lætus
Extulit, et cœlo[3] palmas cum voce tetendit :
« Juppiter omnipotens, precibus si flecteris ullis,
Aspice nos hoc[4] tantum; et, si pietate meremur,
Da deinde auxilium, Pater, atque hæc omina firma[5]. »

Vix ea fatus erat senior, subitoque fragore
Intonuit lævùm[6], et de cœlo lapsa per umbras
Stella facem ducens[7] multa cum luce cucurrit.
Illam, summa super labentem culmina tecti,
Cernimus Idæa claram se condere silva,
Signantemque vias; tum longo limite sulcus
Dat lucem, et late circum loca sulfure fumant[8].

93 *De sanguine*, a fuso sanguine, vel postquam ejus sanguinem fuderat. *Multo* Servius explicat, « quasi bis sanguinem fuderit Priami, quia et filium ejus occiderit. » — 94 *Eripis* dixit, non *eripuisti*, quia mater usque tuitur am se filium promiserat. *Hoc erat quod* significat : ideo. — 95 *Arma*, quæ domum ingressus deposuerat. — 96 « Quibus me eripuit mater. » *S.* — 97 Vide notam 48 Eclogæ III. — 98 *In omnia* perferenda, in omnem fortunam. — 99 Nemini nisi hostibus. — 1 *Inter manus*, dum gestatur manibus; *inter ora*, in conspectu. — 2 *Apex*, flamma in apicis speciem acuminata. Cui simile portentum Servio Tullio accidit ap. Livium I, 39. — 3 Dativo : ad cœlum. Scholiastes veronensis : « Peritum multarum disciplinarum Anchisen fuisse asserunt. Nævius de eo ait : *Doctus Anchisa, quem Venus, pulcherrima divûm, fata docet, divinum ut pectus haberet.* » — 4 *Hoc*, accusativus ex græcæ linguæ usu : τοῦτο μόνον ἐπίδλεψον ἡμᾶς : quod ad hoc tantum attinet, in hoc duntaxat, quod eo monstro portenditur, aspice nos propitius. — 5 « Secundum Romanum morem petit ut visa firmentur. Non enim unum augurium vidisse sufficit, nisi confirmetur ex simili. Nam si dissimilia sint posteriora, solvuntur priora. » *Servius*; qui pro *auxilium* in suo codice legisse videtur *augurium*. — 6 A sinistra parte; quod prosperum. « Sinistras partes septentrionales esse Augurum disciplina consentit, et ideo ex ipsa parte significantiora esse fulmina, quoniam altiora et viciniora domicilio Jovis. » *Serv.* — 7 Meteorum vulgo dictum *stella cadens*. — 8 Omen per singula explicatur in Servianis, argutule, nec temere tamen : « Stellæ hujus cursus significat Trojanos conglobatos ad domum

Hic vero victus[9] genitor se tollit ad auras,
Affaturque deos, et sanctum sidus adorat :
« Jam jam nulla mora est : sequor, et, qua ducitis, adsū.
Di patrii, servate domum, servate nepotem !
Vestrum hoc augurium, vestroque in numine[10] Troja est.
Cedo equidem, nec, nate, tibi comes ire recuso. »
Dixerat ille ; et jam per mœnia clarior ignis
Auditur[11], propiusque æstus incendia volvunt.
« Ergo age, care pater, cervici imponere[12] nostræ ;
Ipse subibo humeris, nec me labor iste gravabit.
Quo res cumque cadent[13], unum et commune periclum,
Una salus ambobus erit. Mihi parvus Iulus
Sit comes, et longe[14] servet vestigia conjux.
Vos, famuli, quæ dicam, animis advertite vestris.
Est urbe egressis tumulus, templumque vetustum
Desertæ Cereris[15], juxtaque antiqua cupressus,
Religione patrum multos servata per annos :
Hanc ex diverso sedem veniemus in unam.
Tu, genitor, cape sacra manu patriosque Penates[16] :
Me, bello e tanto digressum et cæde recenti,
Attrectare nefas, donec me flumine vivo[17]
Abluero. »
Hæc fatus, latos humeros[18] subjectaque colla
Veste supèr fulvique insternor pelle leonis,
Succedoque oneri : dextræ se parvus Iulus
Implicuit[19], sequiturque patrem non passibus æquis ;
Pone subit conjux. Ferimur per opaca locorum ;
Et[20] me, quem dudum non ulla injecta movebant
Tela, neque adverso glomerati ex agmine Graii,
Nunc omnes terrent auræ, sonus excitat omnis
Suspensum, et pariter comitique onerique timentem.
Jamque propinquabam portis, omnemque videbar
Evasisse viam[21], subito quum creber ad aures
Visus adesse pedum sonitus, genitorque per umbram
Prospiciens, « Nate, exclamat, fuge, nate ; propin-
Ardentes clipeos atque æra micantia cerno. » [quant :
Hic mihi nescio quod trepido male numen amicum[22]
Confusam eripuit mentem : namque avia cursu
Dum sequor, et nota excedo regione[23] viarum,

Æneæ *Idam* petere ; *multa cum luce*, ut claros ; *signantem vias* scintillis quibusdam relictis, et hæ ostendebant remansuros in diversis partibus socios ; *longo limite*, ostendit errorem, *sulcum*, longum maris æquor arandum ; *sulfure*, divini ignis odorem. • — 9 A pristino proposito recedens, deorum voluntati cedens. *Se tollit ad auras*, surgit. — 10 In vestra cura divina, summa tutela vestra. — 11 *Ignis auditur*, nimirum strepitus, sonitus incendii jam clarior. Necdum enim domo exierant, in recessu sita et arboribus obtecta, v. 300. — 12 Passivi imperativus. — 13 Quemcunque eventum habebunt. — 14 Ex longinquo ; ne multi una exeuntes ab hostibus facilius animadverterentur. — 15 Non templum modo desertum • belli tempore, propter decennalem obsidionem • *S.*, sed et ipsa dea, ad quam non amplius commeabant adorantes. — 16 De his doctum est

scholion veronense, ad v. 717. — 17 Naturali et recens hausto ; alia siquidem aqua in re sacra non admittebatur. — 18 Homerice : εὐρέας ὤμους. — 19 *Implicuit* : • puerilem expressit timorem, ne manu excidat patris. • *S.* — 20 *Et* initio periodi positum inservit mirationi indicandæ, ut in nostra quoque lingua. — 21 *Evasisse viam* periculosissimam, pericula viæ ; sive, viam peregisse evadens pericula : emensus esse viam sine discrimine. — 22 *Male amicum*, inimicum, infestum. *Confusam eripuit*, ita perturbavit mentem, ut plane expers esset consilii. — 23 *Regio* significat etiam quod nobis est *direction*.

Heu ! misero conjux fatone erepta Creusa
Substitit[24], erravitne via, seu lassa resedit,
Incertum ; nec post oculis est reddita nostris.
Nec prius amissam respexi animumve reflexi,
Quam tumulum antiquæ Cereris sedemque sacratam
Venimus : hic demum collectis omnibus una
Defuit[25], et comites natumque virumque fefellit.
Quem non incusavi amens hominumque deorumque ?
Aut quid in eversa vidi crudelius urbe ?
Ascanium, Anchisenque patrem, Teucrosque Penates
Commendo sociis, et curva valle recondo ;
[Ipse[26] urbem repeto et cingor fulgentibus armis.]
Stat[27] casus renovare omnes, omnemque reverti
Per Trojam, et rursus caput objectare periclis.
Principio muros obscuraque limina portæ,
Qua gressum extuleram, repeto, et vestigia retro
Observata sequor per noctem et lumine[28] lustro.
Horror ubique animos[29], simul ipsa silentia terrent.
Inde domum, si forte pedem, si forte[30], tulisset,
Me refero. Irruerant Danai, et tectum omne tenebant.
Ilicet[31] ignis edax summa ad fastigia vento
Volvitur ; exsuperant flammæ, furit æstus ad auras
Procedo, et Priami sedes arcemque reviso.
Et jam porticibus vacuis Junonis asylo[32]
Custodes lecti Phœnix et dirus Ulixes
Prædam asservabant. Huc undique Troïa gaza
Incensis erepta adytis, mensæque deorum[33],
Crateresque auro solidi, captivaque vestis
Congeritur : pueri et pavidæ longo ordine matres
Stant circum.
Ausus quin etiam voces jactare per umbram,
Implevi clamore vias, mœstusque Creusam
Nequicquam ingeminans iterumque iterumque vocavi.
Quærenti et tectis urbis[34] sine fine furenti
Infelix simulacrum atque ipsius umbra Creusæ
Visa mihi ante oculos, et nota major imago[35].
Obstipui, steteruntque comæ et vox faucibus hæsit
Tum sic affari, et curas his demere dictis :
« Quid tantum insano juvat indulgere dolori,
O dulcis conjux ? Non hæc sine numine divûm

24 Non amplius me secuta. — 25 *Hic demum defuit*, grata negligentia sermonis, quum ipsa res hoc postulet: « hic demum *est animadversum* eam deesse » : seu hoc nimis languidum. *Fefellit*, gr. ἔλαθε, latuit eos absens, ejus absentia non animadversa fuit ab illis. Observes sequentis versus numeros fractos atque tractos, et *que* hypermetrum. — 26 Assentimur Peerlkampio, hunc versum proscribenti ut spurium. — 27 *Stat* mihi, certum est et decretum mihi. Vulgo plenius : *stat sententia*. — 28 Oculis. — 29 Animum meum terret. — 30 « Iteratione dubitationem auxit. » *S. Tulisset* cò. — 31 Confestim; vide 124, n. 95. — 32 « Templo, ex quo nullus possit ad supplicium extrahi. Hoc autem non est nisi quibus templis consecrationis lege concessum est. Dicunt idcirco Græcos in hoc Junonis templo quædam convexisse vel captivos conclusisse, quod ibi cædem fieri non liceret ; feminis autem et pueris etiam hostes parcere consueverunt. » *Serv.* Porticus *vacuæ*, quia occisi aut capti qui eo confluxerant. *Phœnix* senex, magister Achillis. — 33 Hæ memorari videntur, quia pretiosissimæ erant in Romanorum templis, ad cærimonias lectisterniorum et sellisterniorum. *Auro solidi*, ex solido auro facti. *Vestis* collective, vestes stragulæ, tapetia. — 34 Intra urbem. — 35 Sic Romulus, qui ex hominibus excesserat, Proculo apparet *humano major*, ap. Ovidium *Fast.* II, 503.

Eveniunt; nec te comitem portare Creusam
Fas[36] aut ille sinit superi regnator Olympi.
Longa tibi exsilia[37], et vastum maris æquor arandū.
Et terram Hesperiam venies, ubi Lydius[38], arva
Inter opima virūm, leni fluit agmine Thybris:
Illic res lætæ[39], regnumque, et regia conjux
Parta tibi; lacrimas dilectæ pelle Creusæ[40].
Non ego Myrmidonum sedes Dolopumve superbas
Aspiciam, aut Graiis servitum matribus[41] ibo,
Dardanis, et divæ Veneris nurus:
Sed me magna deūm Genitrix[42] his detinet oris.
Jamque vale, et nati serva communis amorem.»
Hæc ubi dicta dedit, lacrimantem et multa volentē
Dicere deseruit, tenuesque recessit in auras.
Ter conatus ibi collo dare brachia circum;
Ter frustra comprensa manus effugit imago,
Par levibus ventis, volucrique simillima somno[43].
Sic demum socios, consumpta nocte, reviso.
Atque hic ingentem comitum affluxisse novorum
Invenio admirans numerum, matresque, virosque,
Collectam exsilio[44] pubem, miserabile vulgus.
Undique convenere, animisque opibusque[45] parati,
In quascumque velim pelago deducere terras.
Jamque jugis summæ surgebat Lucifer Idæ,
Ducebatque[46] diem; Danaique obsessa tenebant
Limina portarum, nec spes opis ulla dabatur:
Cessi, et sublato montes[47] genitore petivi.

36 Fatum, fatale est, ut observant veteres. Sic et VI, 438. — 37 *Tibi exsilia* obeunda *sunt*. Est structura e zeugmatum genere. *Arandum*, quod alibi *sulcandum*. — 38 *Lydius* dicitur Tiberis, græce Θύμβρις, rarius Θύβρις, quia oritur in Etruria, cujus incolæ a Lydis orti credebantur; fabulas habes apud Servium. Memorantur in vaticinio *optima arva virorum*, a viris culta, ut sciat Æneas se non esse in desertam aliquam terram venturum, sed regionem cultam ab hominibus gnavis. *Agmen* jam apud Ennium et Lucretium de tracto cursu vel flumine aquæ. — 39 Hic Servius objurgans: «Cur ergo Æneas horum non memi-

nit, et considit in Thracia et aliis locis?» — 40 Vide I, 462, n. 35. — 41 Matronis, feminis nobilibus; ut vidimus aliquoties. — 42 Cybele, quæ eam in consortium sumpsit, ut Nympha in patrio solo maneret. Alii (apud Pausaniam X, 26, § 1) Creusam narrabant a Græcis captam, a Cybele et Venere liberatam fuisse. Idem Pausanias refert a Lesche et in Cypriis carminibus Creusam vocari *Eurydicen*. In quo illud mirum accidit quod in sequentibus eodem modo recessit ab Ænea, quo Eurydice ab Orpheo, in *Georg.* IV, 499-502. — 43 Somno (qui alatus fingitur) facile aufugienti; aut potius somnio. — 44 Ad exsilium, fugam. *Pubem* refer ad *viros*, populum, ut VII, 219, *Dardana pubes*. Locum «de Anchisa et Ænea fugientibus» Nævius quoque tractaverat in libro primo *Belli Punici*, cujus aliqua Servius comparat cum virgilianis. — 45 *Opibus*, non divitiis, sed viribus, virtute, quibus quisque poterat. — 46 Adducebat. — 47 «*Montes*, Idam, ut significat in nono (v. 80).» *S.* Confer supra 635 seq., et III, 6. De structura periodi vide III 356 seqq., not. 74.

LIBER III

Postquam res Asiæ Priamique evertere gentem
Immeritam visum Superis, ceciditque superbum
Ilium, et omnis humo[1] fumat Neptunia Troja,
Diversa exsilia et desertas quærere terras
Auguriis[2] agimur divûm, classemque sub ipsa
Antandro[3] et Phrygiæ molimur montibus Idæ,
Incerti quo fata ferant, ubi sistere detur;
Contrahimusque viros. Vix prima inceperat æstas,
Et pater Anchises dare fatis[4] vela jubebat;
Litora quum[5] patriæ lacrimans portusque relinquo,
Et campos ubi Troja fuit. Feror exsul in altum
Cum sociis, natoque, Penatibus[6] et magnis dis.
Terra procul vastis colitur Mavortia[7] campis,
Thraces arant, acri quondam regnata Lycurgo,
Hospitium antiquum Trojæ, sociique Penates[8];
Dum fortuna fuit[9]. Feror huc, et litore curvo
Mœnia prima loco, fatis ingressus[10] iniquis,

1 Fumat ab humo, a solo, cui æquata erat, ut dicitur de urbe funditus eversa. De præsenti vide I, 79, n. 51. Recte Servius : « Naturam rerum expressit : nam ruina fit in brevi, fumus vero longo permanet tempore. *Neptunia* (vide II, 623, n. 76) : sic etiam diis invidiam commovet, ea cecidisse dicens, quæ putabantur deorum. » — 2 Voluntate deorum, auguriis et oraculis significatâ, *agimur*, impellimur quærere *exsilia diversa*, locum exsilii positum in contraria parte orbis, in terris Asiæ oppositis, trans mare. *Desertas*, incolis haud frequentatas, dictum comparatione earum regionum quas relinquebat, non terras desertas « a Dardano » vide I, 380, not. 6), quod hoc loco neque intelligi poterat neque apte indicari, ob sequentia. — 3 Urbe maritima in radicibus montis Alexandreæ, Idam contingentis. — 4 Eximie pro vulgari *dare* VENTIS *vela*. — 5 *Quum* pro *et tum*, *tum vero*, ut sæpissime *qui* pro *et is*, *is vero*. Sic etiam VI, 91. — 6 Strue *et magnis diis Penatibus*. Alii *et* epexegeticum esse putant : Penatibus, qui sunt magni dii. Habes Ennianum exitum versus, *volentibu' cum magnis dis* (ap. Cic. *Off.* I, 12). — 7 Thracia apud Homerum Martis dei sedes. Lycurgus rex e fabulis Bacchicis notissimus; de quo multa Servius. — 8 *Penates* publici, regnum societatis fœdere junctum. — 9 *Fortuna* Trojanorum *fuit*, perstitit, integra fuit. — 10 *Ingressus* Thraciam. Loquitur de *Æno* (Αἶνος), Thraciæ oppido ad Hebri ostia e regione Sa-

Eneadasque meo nomen de nomine fingo.
Sacra Dionææ matri [11] divisque ferebam
Auspicibus cœptorum operum, superoque nitentem
Cœlicolûm regi mactabam in litore taurum.
Forte fuit juxta tumulus [12], quo cornea summo
Virgulta et densis hastilibus horrida myrtus.
Accessi, viridemque ab humo convellere silvam
Conatus, ramis tegerem [13] ut frondentibus aras,
Horrendum et dictu video mirabile monstrum.
Nam, quæ prima solo ruptis radicibus arbos
Vellitur, huic atro liquuntur [14] sanguine guttæ,
Et terram tabo maculant. Mihi frigidus horror
Membra quatit, gelidusque coit formidine sanguis.
Rursus et alterius lentum [15] convellere vimen
Insequor, et causas penitus tentare latentes;
Alter et alterius sequitur de cortice sanguis.
Multa movens animo, Nymphas venerabar agrestes [16],
Gradivumque patrem [17], Geticis qui præsidet arvis,
Rite secundarent visus [18], omenque levarent.
Tertia sed postquam majore hastilia nisu
Aggredior, genibusque adversæ obluctor arenæ,
(Eloquar, an sileam?) gemitus lacrimabilis imo
Auditur tumulo, et vox reddita fertur ad aures:
« Quid miserû, Ænea, laceras? jam parce sepulto,
Parce [19] pias scelerare manus. Non me tibi Troja
Externum tulit [20], aut cruor hic de stipite manat.
Heu! fuge crudeles terras, fuge litus avarum [21].
Nam Polydorus ego: hic confixum ferrea texit
Telorum seges, et jaculis increvit [22] acutis. »
Tum vero ancipiti [23] mentem formidine pressus
Obstipui, steteruntque comæ et vox faucibus hæsit.
Hunc Polydorum auri quondam cum pondere mainfelix Priamus furtim mandârat alendum [gno
Threïcio [24] regi, quum jam diffideret armis
Dardaniæ, cingique [25] urbem obsidione videret.

mothraciæ sito, ad Æneam referens ob nominis similitudinem, sed antiquius illud et jam in Iliade memoratum. « Euphorion et Callimachus Ænum ferunt dici a socio Ulixis illic sepulto eo tempore, quo missus est ad frumenta portanda. » *Servius.* — 11 Veneri; vide not. 43 Eclogæ IX. *Divis*, et ceteris diis, ut in solito illo ὦ Ζεῦ καὶ θεοί. *Nitentem*, candidumne an pinguem dicat, est anceps. — 12 Collis, in *quo summo* erant *virg.* etc. *Hastilibus*, vid. *Georg.* II, 447, not. 39. — 13 Velarem sertis, ex ramulis et foliis contexendis. — 14 *Huic liquuntur*, ex eo manant liquidæ. Is sanguis *ater* et corruptus, *tabum*. — 15 Flexile, ut dictum in Eclogis. *Insequor*, pergo, cœptæ rei instans: nam opus erat sertis. Mox jungas *penitus latentes*. Offendunt hic quædam, de quibus Peerlkamp, p. 164; sed deletis mediis scribens, *Insequor: alterius sequitur* etc., dat ovidianam musam. — 16 « Timens ne lucum Nympharum violassem. Hamadryades namque cum arboribus et nascuntur et pereunt; unde cæsa arbore sanguis emanat. » *Serv.* — 17 Martem, dictum a *gradu*, pugnantium statu. *Geticus* apud poetas sæpe pro: Thracius. — 18 *Visûs* poetice pro: visa, ostenta: ut secunda vel prospera redderent hæc ostenta, et omen grave redderent leve, in bonum convertentes. — 19 Noli. « *Sceterare*, polluere; et est sermo plautinus, quo hodie non utimur. » *Serv.* — 20 Protulit, genuit. Deinde cum *cruor hic* repete EXTERNUS. — 21 Avari tyranni Polymestoris; cujus scelera nota ex *Hecuba* Euripidis. — 22 Et hæc seges ita increvit, ut in jacula acuta surgeret. *Jaculis* est ablativus qui dicitur *modi*. — 23 Formidine *ancipiti*, qua anceps sive dubius hærebam quid facerem. — 24 Thracio; confer I, 316, n. 80. Res etiam Ovidio narrata, *Metam.* XIII, 429 seqq. — 25 Arctius cinctam teneri. Male Servius « inter ipsa principia obsi-

dionis. « Quo refer etiam *furtim*, clam Græcis, stationibus Græcorum. — 26 Omnia jura divina, ipsum devincientia, rumpit, violato hospitii jure sacratissimo. — 27 Diis inferis devota ; exsecranda, detestabilis. *Ossa reliquit*, v. *Georg.* III, 272, n. 87. — 28 Ut linquatur. Alii *Linquere*, orationis varietatem ingrate obliterantes. *Classi* sive *navibus dare ventos* est efficere ut naves agentibus ventis uti possint, pandendo vela. Vidimus *Austros* et *Euros* generaliter dici de ventis qui acrius flant. — 29 Positæ sunt. Sequentium docta est explicatio in Servio : « Cato ait feminas usas cærulea veste, quum lugerent.

Ille, ut opes fractæ Teucrûm, et Fortuna recessit,
Res Agamemnonias victriciaque arma secutus,
Fas omne abrumpit[26] ; Polydorum obtruncat, et auro
Vi potitur. Quid non mortalia pectora cogis,
Auri sacra[27] fames ! Postquam pavor ossa reliquit,
Delectos populi ad proceres primumque parentem
Monstra deûm refero, et, quæ sit sententia, posco.
Omnibus idem animus scelerata excedere terra,
Linqui[28] pollutû hospitiû, et dare classibus Austros.
Ergo instauramus Polydoro funus : et ingens
Aggeritur tumulo tellus ; stant[29] Manibus aræ
Cæruleis mœstæ vittis atraque cupresso,
Et circum Iliades crinem de more solutæ ;
Inferimus[30] tepido spumantia cymbia lacte,
Sanguinis et sacri pateras, animamque[31] sepulchro
Condimus, et magna supremum voce ciemus[32].
Inde, ubi prima[33] fides pelago, placataque venti
Dant maria, et lenis crepitans vocat Auster in altû,
Deducunt[34] socii naves, et litora complent.
Provehimur portu ; terræque urbesque recedunt[35].
Sacra mari colitur medio gratissima tellus
Nereïdum matri[36] et Neptuno Ægæo ;
Quam pius Arcitenens[37], oras et litora circum
Errantem, Mycono e celsa Gyaroque[38] revinxit,
Immotamque coli dedit et contemnere ventos[39].
Huc feror ; hæc fessos tuto placidissima portu
Accipit. Egressi veneramur[40] Apollinis urbem.

Vittæ autem *cæruleæ* in acerbo (*i. e.* immaturo) funere præcipue filiorum familias adhiberi solebant, sicut in hoc loco ; nam Polydori funus, utpote adhuc pueri, acerbum est. *Cupressus atra*, id est nigra, funesta (alibi *feralis*), inferis consecrata est, quia cæsa nunquam revirescit. » Quibus multa addit de hac arbore, et mythum de Cyparisso. — 30 *Inferre* proprium verbum est de liquoribus qui Diis Manibus libantur ; unde nomen huic sacrificio *inferiæ*. *Cymbia*, « pocula procera et navibus (cymbis) similia. » *Macrob.* — 31 *Animam sepelimus*, nove et ingeniose dictum : nam insepultorum corporum animæ vagari credebantur, donec facto tumulo et oblatis inferiis justa exsoluta essent mortuo. Sic una cum corpore anima datur quieti. — 32 Vocamus ; vide I, 219, not. 31 ; II, 644, n. 82 ; et VI. 506. — 33 Quum primum fides haberi, confidi pelago potest, et quum hiemis venti vehementiores, jam cessantes efficiunt ut mare sit placidum, tranquillum. *Lenis increpitans* dictum ut *gravis incumbens* (*Georg.* III, 377), *multus fluens*, etc. — 34 *Deducunt* in mare a litore, in quo per hiemem stabant *subductæ*. *Litora complent* collecti ad inscendendas naves. — 35 « Ita enim navigantibus videtur, quasi ab his terra discedat. » *S.* — 36 Doridi, uxori Nerei. Ægæum mare præcipua sedes Neptuni habebatur, unde *Ægæus* dictus. Delus intelligitur. Duplex hiatus in hoc versu, ubi cæsura et in nomine proprio, de quo vide *Ecl.* II, not 24. — 37 Quam, prius erraticam, stabilivit Apollo, ob matrem terris omnibus a Junone exactam, hac tandem in sede receptam. — 38 *Myconus* et *Gyarus*, insulæ Delo vicinæ. Illam Ovidius dixit *humilem*, qualis revera est ; sed Virgilii *celsa* duplici modo defenditur : primum insulæ solent a poetis dici *altæ* et *celsæ*, ut eminentes in mari ; deinde geographi Delum omnium Cycladum esse humillimam testantur. — 39 Qui eam ante huc illuc agitabant. — 40 *Veneramur* dictum videtur pro : venerantes, venerabundi accedimus, intramus : quo verbo utitur Ovidius in eadem narratione

Rex Anius, rex idem hominum Phœbique sacerdos,
Vittis et sacra redimitus tempora lauro,
Occurrit; veterem Anchisen agnoscit amicum.
Jungimus hospitio[41] dextras, et tecta subimus.
Templa dei saxo venerabar structa vetusto :
« Da propriã[42], Thymbræe, domũ ! da mœnia fessis,
Et genus, et mansuram urbem ! serva altera Trojæ
Pergama[43], relliquias Danaûm atq; immitis Achilli !
Quẽ sequimur[44] ? quove ire jubes ? ubi ponere sedes?
Da, Pater, augurium, atq; animis illabere[45] nostris. »
Vix ea fatus eram : tremere omnia visa repente,
Liminaque laurusque dei[46], totusque moveri
Mons circum, et mugire adytis cortina reclusis.
Submissi petimus terram[47], et vox fertur ad aures :
« Dardanidæ duri[48], quæ vos a stirpe parentum
Prima tulit tellus, eadem vos ubere læto[49]
Accipiet reduces : antiquam exquirite matrem.
Hic domus Æneæ cunctis dominabitur oris,
Et nati natorum, et qui nascentur ab illis. »
Hæc Phœbus : mixtoque[50] ingens exorta tumultu
Lætitia ; et cuncti, quæ sint ea mœnia, quærunt,
Quo Phœbus vocet errantes, jubeatque reverti.
Tum genitor, veterũ volvens[51] monumenta virorũ,
« Audite, o proceres, ait, et spes discite vestras.
Creta Jovis[52] magni medio jacet insula ponto,
Mons Idæus[53] ubi et gentis cunabula nostræ.
Centum urbes habitant magnas, uberrima regna,
Maximus unde pater[54], si rite audita recordor,
Teucrus Rhœteas[55] primum est advectus ad oras,

ex hoc loco Virgilii expressa, *Metam.* XIII, 630 : *Æneas intrat Apollineam sociis comitantibus urbem.* De Anio fabulas exponit Servius in nota, quam ita finit : « Majorum hæc erat consuetudo, ut rex esset etiam sacerdos et pontifex. » — 41 « Jure hospitalitatis. » *S.* — 42 Perpetuam, stabilem; vide I, 73, not. 49. *Thymbræus* Apollo, de quo v. *Georg.* IV, 323, n. 81. — 43 Tu, qui primis Pergamis propitius favisti, serva etiam *altera*, nimirum rediviva, condenda Trojanis e cæde relictis. — 44 Quem nobis das ducem? Servius : « Apollo enim exsulantibus sedem solebat ostendere » : quod exemplis probat. *Pater*, ut sæpe vidimus, deorum appellatio in precibus. — 45 Proprie Phœbus vatis sui vel sacerdotis animo se insinuare dicitur; nove hic etiam eorum quibus dat oracula. Subtiliter Servius : « Quia Apollinis responsa semper obscura sunt, oraculum postulat cum intelligentia. » — 46 Hæc indicabant dei præsentiam; confer Ovid. *Metam.* XV, 634 seqq. *Mons*, Cynthus. *Cortina*, tripus. — 47 Formula Lucretiana, qui I, 93, de Iphigenia : *Muta metu terram genibus submissa petebat.* — 48 Laboribus et malis assueti. Et cum delectu *Dardanidas* a deo appellari observat Macrobius, qui Dardani patriam exquirere jubeantur; vide I, 380, not. 6, et mox not. 52. — 49 Vide *Georg* II, 185, n. 48. — 50 *Lætitia exorta*, ex fausto oraculo, sed *mixto* sive admixto *tumultu*, ob ambiguam et incertam ejus interpretationem. — 51 *Volvens* animo, memoria perlustrans et repetens veteres historias et vaticinia antiqua. — 52 Nam ibi, secundum fabulas, nutritus Jupiter infans. De tota oratione Anchisæ recte Servius : « Dardanus, Jovis filius et Electræ, profectus de Corytho, civitate Tusciæ, primus venit ad Trojam, et illic parva ædificia collocavit. Post cujus obitum Teucer venit ex Creta, et invenit Dardani socios habitantes in vallibus; qui constituit arces et mœnia. Modo ergo erat Anchises, nec respiciens adventum Dardani, oraculum Cretam significare credidit. Argumentatur ex his quæ solent ab advenis fieri : Ida, inquit, illic est; quæ et in Troja ad similitudinem dicta. Item sacrorum similitudo, quæ apud majores nefas erat perire. » — 53 Hodieque Ida dictus, vel *Psiloriti*. Notum epitheton ἑκατόμπολις. — 54 *Maximus pater* idem quod primus majorum nostrorum. « Fallitur; nam antiquior est Dardanus. » *S.* — 55 Oras circa Rhœteum promontorium Troadis, ad Hellespontum. *Optavit*, elegit. Fabularum

in his diversitatem vide apud Servium. — 56 Ex Creta in Troadem traducta *Mater* deorum, quæ colit, inhabitat *Cybelen* sive Cybelum, montem Phrygiæ : unde ipsa dicta est Cybele. Quam sacerdotes, Corybantes, magno strepitu cymbalorum venerabantur; de quo *Georg.* IV, 64, n. 37. Etiam Ida Troadis de Cretico vocatus. — 57 Ex Creta etiam mysteria Cybelæ in Ida celebrari solita; indidem illud, quod sedens in curru a leonibus vecto repræsentatur. His Virgilii adhibe pulcherrimum locum Lucretii II, v. 601-643. — 58 Cretam, de urbe Gnoso vel Gnosso, in qua Minos olim regnabat. — 59 Dies. — 60 Vide I, 49, n. 37. — 61 Consuetum Apollinis epitheton, ut *formosus*, *Eclog.* IV, 57. *Hiemi*, Tempestatibus; vide V, 772. *Pecudem*, agnam. — 62 « Idomeneus, pex Cretensium, (Minois nepos,) quum post eversam Trojam reverteretur, in tempestate devovit diis sacrificaturum se de re quæ ei primum occurrisset. Contigit ut filius ejus primus occurreret : quem quum, ut alii dicunt, immolasset, ut alii, immolare voluisset, coortâ pestilentiâ, a civibus pulsus est regno, et Sallentinum Calabriæ promontorium tenuit, juxta quod condidit civitatem (de qua infra 400 seq.). » *Serv. Deserta* esse. — 63 Nautis varie certantibus, certatim tollentibus clamorem, ut Creta petatur. — 64 Deli nomen antiquum, ab ὄρτυξ, coturnice, quarum ibi copia. Hic aperte erratum in codicibus omnibus, qui versum hunc et sequentem postponunt quattuor illis : *Linquimus..... concita terris*. Nos præponere non dubitavimus. — 65 In cujus jugis sive montibus bacchandia celebrantur. *Bacchata* similiter positum *Georg.* II, 487, n. 73. Naxus, vitium feracissima, sacra erat Baccho, qui in ea insula natus esse dicebatur. *Donusa*, una ex Sporadibus, a Pathmo occidentem versus sita; in quam Bacchus Ariadnen abegisse ferebatur, persequente patre Minoe. *Viridis* silvis et pratis potius quam (ut Servius) « a colore marmoris Lacedæmonii », cujus fama nulla in ista insula. — 66 Alia Sporadum insularum, Paro occidentem versus vicina, nunc *Antiparos* dicta. *Niveam*, de marmore nivei coloris. — 67 *Cycladum* nomine etiam *Sporades* comprehenduntur, ut intelligitur ex epitheto *sparsas*, quo sic Ovidius quoque utitur, in historia Phaethontis : *Existunt montes, et sparsas Cycladas augent* (*Metam.* II, 263). Freta *concita terris*, insuiis frequentibus, quæ angustiora fluctibus relinquunt spatia explicandi se et diffundendi, concitata atque sævientia magis quam in alto et libero mari. Recte jam Servius : « quod naturale est, ut concitatiora sint maria vicinitate terrarum », sed ineptam rationem physicam subjiciens. Male nonnulli *consita*. — 68 « *Curetes* sunt primi cultores Cretæ. » *S.* Vide *Georg.* IV, 151, n. 88. — 69 Nomine a sua patria pristina petito.

Optavitque locum regno. Nondum Ilium et arces
Pergameæ steterant; habitabant vallibus imis.
Hinc[56] Mater cultrix Cybelæ, Corybantiaque æra,
Idæumque nemus; hinc fida silentia sacris[57],
Et juncti currum dominæ subiere leones.
Ergo agite, et, divûm ducunt qua jussa, sequamur;
Placemus ventos, et Gnosia regna[58] petamus.
Nec longo distant cursu : modo Jupiter adsit,
Tertia lux[59] classem Cretæis sistet in oris. »
Sic fatus, meritos aris mactavit honores[60],
Taurum Neptuno, taurum tibi, pulcher[61] Apollo,
Nigram Hiemi pecudem, Zephyris felicibus albam.
Fama volat pulsum regnis cessisse paternis
Idomenea[62] ducem, desertaque litora Cretæ,
Hoste vacare domos, sedesque adstare relictas.
Nauticus exoritur vario certamine[63] clamor;
Hortantur socii, Cretam proavosque petamus.
Linquimus Ortygiæ[64] portus, pelagoque volamus;
Bacchatamque jugis[65] Naxon, viridemque Donusam,
Olearon[66], niveamque Paron, sparsasque per æquor[67]
Cycladas, et crebris legimus freta concita terris.
Prosequitur surgens a puppi ventus euntes;
Et tandem antiquis Curetum[68] allabimur oris.
Ergo avidus muros optatæ molior urbis,
Pergameamque voco, et lætam cognomine[69] gentem

Hortor amare focos, arcemque attollere tectis[70].
Jamque fere sicco subductæ[71] litore puppes;
Connubiis arvisque novis operata juventus;
Jura domosque dabam : subito quum tabida membris,
Corrupto cœli tractu[72], miserandaque venit
Arboribusque satisque lues et letifer annus.
Linquebant dulces animas, aut ægra trahebant
Corpora; tum steriles[73] exurere Sirius agros;
Arebant herbæ, et victum seges ægra negabat.
Rursus ad oraculum Ortygiæ Phœbumque remenso
Hortatur pater ire mari, veniamque[74] precari :
Quem fessis finem rebus ferat; unde laborum
Tentare auxilium jubeat, quo vertere cursus.

Nox erat, et terris animalia somnus habebat :
Effigies sacræ divûm Phrygiique Penates,
Quos mecum a Troja mediisque ex ignibus urbis
Extuleram, visi[75] ante oculos adstare jacentis
In somnis, multo manifesti lumine, qua se
Plena per insertas[76] fundebat luna fenestras.
Tum sic affari, et curas his demere dictis :
« Quod tibi delato[77] Ortygiam dicturus Apollo est,
Hic canit, et tua nos en ultro ad limina[78] mittit.
Nos te, Dardania incensa, tuaque arma secuti,
Nos tumidum sub te[79] permensi classibus æquor,
Idem venturos tollemus in astra nepotes,
Imperiumque urbi dabimus. Tu mœnia magnis
Magna para, longumque fugæ ne linque laborem.
Mutandæ sedes : non hæc tibi litora suasit
Delius aut[80] Cretæ jussit considere Apollo.
Est[81] locus, Hesperiam Graii cognomine dicunt,
Terra antiqua, potens armis atque ubere glebæ :
OEnotri coluere viri : nunc fama minores
Italiam dixisse ducis de nomine gentem.
Hæ nobis propriæ[82] sedes; hinc Dardanus ortus,
Iasiusque pater[83], genus a quo principe nostrum.
Surge age, et hæc lætus longævo dicta parenti
Haud dubitanda refer : Corythum[84] terrasque requirat

70 *Attollere tectis*, videlicet in alto loco struendis. « Varro in libris Rerum Divinarum refert, inter sacratas aras *focos* quoque sacrari solere, tam publice quam privatim. » *S.* — 71 Vide v. 71, not. 34. Quibus verbis navigationis cogitatio abjecta omnis significatur. Sequens versus quo incommodo prematur, v. ap. Peerlkamp. p. 172. — 72 Atmosphæra. Mutuatur S. Ambrosius De Noe, c. 10 : « Si quando est pestilentia, *corrupto cœli tractu*, prius ea quæ sunt irrationabilia contaminat lues dira. » — 73 *Steriles*, per illam *prolepsin* epitheti, de qua diximus pag. 134 initio. — 74 Ut benevole excipiat deus et respondeat, *quem finem* etc.; conf. I, 519, not. 57. Res *fessæ*, afflictæ, calamitates. *Laborum*, malorum, ut est supra sæpius. — 75 *Visi* sunt mihi. Mox alii *Insomnis*. — 76 Per foramina lumini intromittendi causa in paries facta vel potius relicta; vide II, 482, n. 19. — 77 Navibus vecto. — 78 *Limina* cubiculi intelliguntur, quum in domo Æneæ repositi esse Penates censendi sint. — 79 Te duce. *Idem*, contractum *iidem*. *Ad astra*, ad summum potentiæ et gloriæ fastigium. — 80 *Aut*, ut aliter et apertius dicam idem. Sic capienda particula adversativa rem *eandem* adjungens. — 81 Versus quattuor repetiti ex I, 530 seqq., n. 63-5. — 82 « Perpetuæ; quia infirmas et in Creta et in Thracia condidit. » *S.* — 83 *Pater* ad utrumque referendum, Dardanum et Iasium; *a quo*, ad Dardanum. Iasus erat frater Dardani, ita quidem ut hic de Jove, ille de Corytho, Electræ marito, prognatus crederetur, sicut Hercules ex Jove, Iphiclus ex Amphitryone. De morte Iasii in Samothracia varie narratur; aliqua habes apud Servium. — 84 Hodie *Cortonam*, antiquissimum Etruriæ oppidum (de cujus nomine fabulæ ap.

Servium), pro ipsa Etruria sive potius Italia. *Dictæa*, v. *Ecl.* VI, n. 54. — 85 *Velatas* vittis; vide II, v. 296. *Præsentia*, quæ græce dicas ἐνάργειαν. — 86 Raptim tollo. • Et sciendum hic est quia, quoties ex abrupto somnus aufugerit, significat omen infelix. » *Serv.*, exempla afferers. — 87 Munera *intemerata*, integra, non corrupta temperando; est merum. *Honore*, sacrificio. • Bene ordinem servat, ut ante sacrificet, quam somnium narret. » *S.* — 88 *Ambiguam*, ut quæ tam ab illo Teucro Cretensi quam a Dardano deduci posset; vide supra notam 52. — 89 Deceptum de locis, quos in Trojanorum originibus celebrat fama antiqua, *novo* et nunc commisso errore, in rebus vetustate obscuratis minime miro. Adverte compositionem *novo veterum*, ex antiqua arte. — 90 Præsentis significatione: quem exercent adhuc et laboribus objiciunt fata Trojana. — 91 *Repeto* mente vel memoria, eam *portendere*, prædicere (præsenti ut post *memini*, vide not. 17 Eclogæ I), hæc nostro generi *debita*, nimirum fatis. Fati promissu certissime eventura. — 92 Ob præcedentes infinitivos præsentis pro *credidisset... movisset*. — 93 Obsequamur. — 94 *Relictis*; nam Virgilii etiam ætate superstes erat *Pergamum* oppidum in Creta. *Trabe cava*, nave, collective. In prosa quoque dicitur *curro stadium*, *campum*. — 95 Niger. *Hiemem*, tempestatem. *Unda inhorruit tenebris*, se sustulit aspera fluctibus tenebricosis, nigricantibus. — 96 In altum surgunt. — 97 Tenebræ ex imbre ortæ. *Ingeminant* intransitive, ut *Georg.* I, 333, n. 20. Nubes fulmine rumpi sive findi putabantur, eoque effici tonitrua. — 98 Obscuris, ut tenebris involuti nescirent quo veherentur, sideribus nullis apparentibus. — 99 *Ipse* Palinurus, gubernator Æneæ, *negat* se *disc.* — 1 Dictum ut VI, 270 : *per incertam lunam sub luce maligna* : dies obscuros. Alii apud Servium *incertos* intelligebant de discrimine jam nullo diei et noctis : ex quibus quærebatur : Tres dies quomodo scierunt transisse, si noctem a die discernere non potuerunt?

Ausonias; Dictæa negat tibi Juppiter arva. »
Talibus attonitus visis ac voce deorum
(Nec sopor illud erat; sed coram agnoscere vultus
Velatasque[85] comas præsentiaque ora videbar;
Tum gelidus toto manabat corpore sudor),
Corripio[86] e stratis corpus, tendoque supinas
Ad cœlum cum voce manus, et munera libo
Intemerata[87] focis. Perfecto lætus honore,
Anchisen facio certum, remque ordine pando.
Agnovit prolem ambiguam[88] geminosque parentes,
Seque novo[89] veterum deceptum errore locorum.
Tum memorat: « Nate Iliacis exercite[90] fatis,
Sola mihi tales casus Cassandra canebat:
Nunc repeto[91] hæc generi portendere debita nostro,
Et sæpe Hesperiam, sæpe Italia regna vocare.
Sed quis ad Hesperiæ venturos litora Teucros
Crederet[92]? aut quem tum vates Cassandra moveret?
Cedamus[93] Phœbo, et moniti meliora sequamur. »
Sic ait; et cuncti dicto paremus ovantes.
Hanc quoque deserimus sedem, paucisque relictis[94]
Vela damus, vastumque cava trabe currimus æquor.

Postquã altũ tenuere rates, nec jam amplius ullæ
Apparent terræ, cœlum undique et undique pontus.
Tum mihi cæruleus[95] supra caput adstitit imber,
Noctem hiememq; ferens, et inhorruit unda tenebris.
Continuo venti volvunt mare, magnaque[96] surgunt
Æquora; dispersi jactamur gurgite vasto.
Involvère diem nimbi, et nox humida[97] cœlum
Abstulit; ingeminant abruptis nubibus ignes.
Excutimur cursu, et cæcis[98] erramus in undis.
Ipse[99] diem noctemque negat discernere cœlo,
Nec meminisse viæ media Palinurus in unda.
Tres adeo incertos cæca caligine soles[1]

Erramus pelago, totidem sine sidere noctes[2] :
Quarto terra die primum se attollere tandem
Visa, aperire procul montes, ac volvere fumum[3].
Vela cadunt[4], remis insurgimus; haud mora, nautæ
Adnixi torquent spumas, et cærula verrunt[5].
Servatum ex undis Strophadum[6] me litora primum
Accipiunt. Strophades Graio stant[7] nomine dictæ
Insulæ Ionio[8] in magno, quas dira Celæno
Harpyiæque colunt aliæ, Phineia postquam
Clausa[9] domus, mensasque metu liquêre priores.
Tristius haud illis monstrum, nec sævior ulla
Pestis et ira deûm[10] Stygiis sese extulit undis.
Virginei volucrum vultus, fœdissima ventris
Proluvies[11], uncæque manus, et pallida semper
Ora fame.
Huc ubi delati[12] portus intravimus, ecce
Læta boum passim campis armenta videmus,
Caprigenumque pecus, nullo custode[13], per herbas.
Irruimus ferro, et divos ipsumque vocamus
In partem prædamque[14] Jovem : tum litore curvo
Extruimusque toros[15], dapibusque epulamur opimis.
At subitæ horrifico lapsu de montibus adsunt
Harpyiæ et magnis quatiunt clangoribus alas,
Diripiuntque dapes, contactuque omnia fœdant
Immundo; tum[16] vox tætrum dira inter odorem.
Rursum in secessu longo, sub rupe cavata,
Arboribus clausi circum atque horrentibus[17] umbris,
Instruimus mensas, arisque reponimus ignem :
Rursum ex diverso cœli cæcisque latebris
Turba sonans prædam pedibus circumvolat uncis,

2 « Hic versus inventi dicuntur circumductis extra paginam in mundo positis : *Hunc Pelopigentes Malæque sonantia Cæcumstant, pariterque undæ terræque minantur. Pulsamur sævis et circumsistimur undis.* » *Serv.* Valde antiquæ specimen interpolationis non erat prætereundum, propter fidem quam in recentibus libris multi ponunt superstitiosam. — 3 Ut habitatam, non desertam esse terram appareret Trojanis. — 4 *Cadunt* demissa, panduntur. *Remis insurgere* dicuntur qui vi majore, toto nisu remigant, a transtris assurgentes, ut fortius remis incumbant. — 5 *Verrunt* remis. *Cærula*, substantive de mari, etiam IV, 583; VIII, 672. — 6

Litora *Strophadum*, hodieque *Strivali* : parvæ insulæ duæ inter Peloponnesum et Zacynthum (hod. *Zante*). — 7 Recte Wagnerus : « *Stant* de perpetuitate nominis intelligendum. Sic Valerius Flaccus VIII, 217. *Insula Sarmaticæ Peuce stat nomine nymphæ.* » Ductum a στῆθος, *verto, revertor* : nam « missi ab Argonautis, Phineo gratiam relaturis. Illi Boreæ Zetes et Calais ad pellendas Harpyias, pervenerunt ad insulas Plotas; et quum ulterius vellent tendere, ab Iride admoniti *ut desisterent a Jovis canibus*, suos converterunt volatus : quorum *conversio*, id est στροφή, nomen insulis dedit. Quod Apollonius (*Argonauticon* II, 263-296) plenissime exsequitur. » *Serv.* Item Ovidius *Metam.* VI (fine) et VII (initio). — 8 *Ionio* mari. Diphthongus præcedens æ græco more correpta, non elisa. *Celæno*, una ex Harpyiis. — 9 *Clausa* Harpyiis, inde exactis. *Priores*, Phinei mensas, quas ad hoc tempus involaverant. — 10 Nec ulla alia res ab iratis diis immissa, quales ex Infernis surgunt. — 11 « Sordis effusio, per nimiam edacitatem. Et vitavit ne diceret *stercus*. » *Serv.* — 12 « *Delati*, quod necessitatis est. Nam voluntate aliquo non deferamur, sed venimus. » *S.* — 13 *Nullo custode;* nam numini alicui consecrata armenta libera et incustodita vagantur per pascua. Erant illa Harpyiis sacra. — 14 « Romani moris fuit ut bella gesturi partæ prædæ aliquid numinibus polliceerentur : adeo ut Romæ fuerit unum templum *Jovis Prædatoris;* non quod prædæ præest, sed quod ei aliquid ex præda debeatur. » *Serv.* — 15 Congeriem cespitum in modum tororum struimus. — 16 « Præterea. Mox *rursum* ad solum pertinet *instruimus mensas* : nam ante in speluncis non fuerant. » *S.* — 17 Vide I, 165, not. 3

Polluit ore dapes. Sociis tunc, arma capessant,
Edico, et dira bellum cum gente gerendum.
Haud secus ac jussi [18] faciunt, tectosque per herbam
Disponunt enses, et scuta latentia [19] condunt.
Ergo, ubi delapsæ sonitum per curva dedere
Litora, dat signum specula Misenus [20] ab alta
Ære cavo : invadunt socii et nova prœlia tentant,
Obscœnas [21] pelagi ferro fœdare volucres.
Sed neque vim plumis ullam, nec vulnera tergo [22]
Accipiunt; celerique fuga sub sidera lapsæ,
Semesam prædam et vestigia fœda relinquunt.

Una in præcelsa consedit rupe Celæno,
Infelix vates [23], rumpitque hanc pectore vocem :
« Bellum etiam pro cæde [24] boum stratisque juvencis,
Laomedontiadæ, bellumne inferre paratis
Et patrio Harpyias insontes pellere regno?
Accipite ergo animis atque hæc mea figite dicta :
Quæ Phœbo Pater omnipotens, mihi Phœbus Apollo
Prædixit, vobis Furiarum ego maxima [25] pando.
Italiam cursu petitis, ventisque vocatis [26]
Ibitis Italiam, portusque intrare licebit :
Sed non antè datam [27] cingetis mœnibus urbem,
Quam vos dira fames nostræque injuria cædis [28]
Ambesas subigat malis absumere mensas. »
Dixit, et in silvam pennis ablata refugit.
At sociis subita gelidus formidine sanguis
Deriguit; cecidere animi; nec jam amplius armis [29].
Sed votis precibusque jubent exposcere pacem,
Sive deæ, seu sint diræ obscœnæque volucres.
Et pater Anchises, passis [30] de litore palmis,
Numina magna vocat, meritosque indicit honores [31] :
« Di, prohibete minas [32]! Di, talem avertite casum.
Et placidi servate pios! » Tum litore funem [33]
Deripere excussosque jubet laxare rudentes.
Tendunt vela Noti; fugimus spumantibus undis,
Qua cursum ventusque gubernatorque vocabat.
Jam medio apparet fluctu nemorosa Zacynthos [34],

18 Ita faciunt ut jussi erant facere, ut erat imperatum. — 19 Absconduntscuta, quo fit ut lateant : poetica prolepsi jam sæpe annotata. — 20 Tubicen classis Æneæ. — 21 Diras et in malo omine habitas; v. *Georg.* I, 470, n. 20. *Fœdare* non pendet a *tentant*, sed est pro appositione vocis *prœlia* : « cruentare; ut Ennius : *Ferro fœdati jacent.* » *S. Pelagi volucres*, utpote Oceani neptes. — 22 *Tergo* de toto corpore, a parte latissima et maxime patenti. Confer I, 634, n. 6. — 23 « Nuntia infelicitatis. » *S.* — 24 Pro eo quod greges nostros cecidistis. — 25 *Maxima* natu. Furias se appellant ut ulirices Jovis ministræ; confer superius notam 7, in Servii verbis. — 26 Invocatis, quo cursum vestrum secundent : unde prope idem hic sonat ac ventis *secundis*. — 27 Fato vobis concessam. — 28 *Cædis* in nos tentatæ. *Malis*, maxillis. « Varro in secundo Divinarum dicit : Oraculum hoc a Dodonæo Jove apud Epirum acceperunt. Quod modo poeta divisse fingit Harpyias, sed tamen colorate tangit historiam dicendo. *Quod Phœbo Pater omnipotens* etc. » *Serv.* Eventum hujus oraculi Virgilius narrabit infra libro VII, 112 seqq. — 29 *Armis*, supple : quærere pacem. Verbum per zeugma (v. pag. 144, not. 25) proximis sibi substantivis accommodatum, *votis precibusque*. — 30 Expansis. — 31 Sacra fieri jubet ad deos placandos. « Sacrorum verbo usus est; nam supplicationes et dies festi *indici* dicebantur. *Meritos*, congruos, id est expiatorios. » *S.* — 32 Mala his minis, hoc minaci vaticinio nuntiata. — 33 Collective pro *funes*, retinacula, ut *Georg.* I, 457, n. 8. *Excussos*, evolutos, qui ante convoluti sive complicati fuerant. — 34 Insula ex adverso Elidis sita, hodie

Dulichiumque, Sameque, et Neritos ardua saxis.
Effugimus scopulos Ithacæ, Laertia regna,
Et terram altricem sævi exsecramur Ulixi[35].
Mox et Leucatæ[36] nimbosa cacumina montis,
Et formidatus nautis aperitur[37] Apollo.
Hunc petimus fessi, et parvæ succedimus urbi:
Ancora de prora jacitur; stant litore puppes.
Ergo insperata[38] tandem tellure potiti,
Lustramurque[39] Jovi, votisque incendimus aras,
Actiaque Iliacis celebramus[40] litora ludis.
Exercent patrias[41] oleo labente palæstras
Nudati socii: juvat evasisse tot urbes
Argolicas, mediosque fugam tenuisse[42] per hostes.
Interea magnum sol circumvolvitur[43] annum,
Et glacialis hiems Aquilonibus asperat undas.
Ære cavo clipeum, magni gestamen Abantis[44],
Postibus adversis figo, et rem carmine signo:
ÆNEAS HÆC DE DANAIS VICTORIBUS ARMA[45].
Linquere tum portus jubeo et considere transtris.
Certatim socii feriunt mare, et æquora verrunt.
Protinus aerias Phæacum abscondimus[46] arces,
Litoraque Epiri legimus, portuque[47] subimus
Chaonio, et celsam Buthroti accedimus urbem.
Hic incredibilis rerum fama occupat aures,
Priamiden Helenum Graias regnare per urbes,

Zante. Dulichium, parva insula, quæ hodie *Neochori*; sed magna Same, postea dicta Cephalenia, hodie *Cefalonia*. Neritos insulam et Ovidius memorat, sed geographorum solus Mela; nam apud Homerum et ceteros Νήϊτος est mons in Ithaca. — 35 Ulyssis, Laertæ filii; est genitivus ut *Achilli*. — 36 *Mons* Λευκάτης, dictus promontorium ingens Leucadis, sive Leucadiæ insulæ, juxta Acarnaniæ litus sitæ (quæ hod. *Santa Maura*). — 37 *Aperitur*, « nauticum verbum, quoties, cedente eo quo impeditur aspectus, aliquid patescit. » *S. Apollo*, templum Apollinis exstructum juxta Actium oppidum in monte, cujus scopuli et saxa prominentia nautis erant præsens periculum naufragii. — 38 Propter hostes litora prætervecta omnia insidentes, ut mox dicet. — 39 Lustramus nos sacro piaculari oblato Jovi; sic intelligendus dativus additus verbo *lustrari*. Ad ludorum sollemnia autem rite ineunda prius opus erat lustratione. *Votis*, sacris ex voto debitis, sacrificantes ex voto. Spectari potest in hoc versu Virgilii arguta brevilocutio et callida junctura. — 40 Celebria reddimus hominum frequentiâ et festo concursu. Sed ita hæc exfulit poeta, ut sine anachronismo ullo, cuique tamen lectori cogitandum esset de *Actiacis ludis* celeberrimis, quos victo ad Actium Antonio Augustus instituit. En initia eorum in ultimis originibus gentis Romanæ, ex augustissima antiquitate deducta! — 41 Quales in patria exercere solebant. *Palæstras*, ludos gymnicos, præsertim luctæ. Luctatores se ungebant oleo *labente*, non « defluente vel diffluente », ut explicant, sed in quo labuntur digiti. — 42 Pulchre novatum ex consueto *tenere cursum*. — 43 Circumvolvendo se (per eclipticam lineam) efficit, explet annum. Græca consuetudine passivo verbo motum exprimente addit accusativum qui *effectum* indicet; eodem modo quo Horatius dixit, *Nunc Satyrum, nunc Cyclopem* MOVETUR, motu suo exprimit. De *magnum* coni. 1, 269, n. 59. — 44 Intelligendus videtur Abas, rex Argivorum antiquissimus, Persei avus, cujus clipeum Argivus aliquis ad Trojam occisus gestaverit. Ceterum Argis celeberrimus erat clipeus ab Abante in templo Junonis affixus, qui Heræorum festo a victore ludorum in pompa gestabatur. — 45 Supple : *diis consecrat*, ut *Ecl.* VII, n. 29. Formula spoliis inscribi solita, in qua *de* præponitur victæ gentis nomini, sed salse hic victricis! et in ipsa eorum patria suspendit hæc de victoribus spolia. « Post insultationem carminis necessario statim fugit. » *S.* — 46 Prætervagando facimus ut abscondantur, e conspectu nostro recedant. « Nauticus sermo, » inquit Servius, ut supra in opposito *aperitur*, not. 37. Phæaces Coreyram insulam (*Corfou*) incolebant. — 47 Dativus : portui. Est portus Pelodes, ad Buthrotum, urbem Thesprotiæ, regionis Epiri ab Chaonibus olim habitatæ (v. *Ecl.* IX, n. 12). Urbs hodie *Butrinto*.

Conjugio[48] Æacidæ Pyrrhi sceptrisque potitum,
Et patrio Andromachen iterum cessisse[49] marito.
Obstipui, miroque incensum pectus amore
Compellare virum et casus cognoscere tantos.
Progredior portu, classes et litora linquens;
Sollemnes quum forte dapes[50] et tristia dona
Ante urbem in luco, falsi[51] Simoentis ad undam,
Libabat cineri Andromache, Manesque vocabat
Hectoreum ad tumulū, viridi quem cespite inanē[52]
Et geminas, causam lacrimis, sacraverat aras.
Ut me conspexit venientem, et Troïa circum
Arma amens vidit, magnis exterrita monstris[53]
Deriguit visu in medio; calor ossa reliquit;
Labitur, et longo vix tandem tempore fatur:
« Verane[54] te facies, verus mihi nuntius affers,
Nate dea? vivisne? aut, si lux alma recessit,
Hector ubi est? » Dixit, lacrimasque effudit, et omnē
Implevit clamore locum. Vix pauca furenti[55]
Subjicio, et raris turbatus[56] vocibus hisco:
« Vivo equidem, vitamque extrema per omnia duco;
Ne dubita; nam vera vides.
Heu! quis te casus dejectam[57] conjuge tanto
Excipit? aut quæ digna satis fortuna revisit[58]?
Hectoris Andromache Pyrrhin' connubia servas?»
Dejecit vultum, et demissa voce locuta est:
« O felix una ante alias Priameïa virgo[59],
Hostilem ad tumulum, Trojæ sub mœnibus altis
Jussa mori, quæ sortitūs[60] non pertulit ullos,
Nec victoris heri tetigit captiva cubile!
Nos, patria incensa, diversa per æquora vectæ,
Stirpis Achilleæ fastus juvenemque superbum,
Servitio enixæ[61], tulimus; qui deinde, secutus

48 Conjuge filii Achillis. Pyrrhus sive Neoptolemus Helenum vatem ab Ulysse captum, atque Andromachen connubio junctam secum in Epirum abduxerat. — 49 In potestatem possessionemve venisse, ei obtigisse. *Patrio*, ejusdem patriæ, Trojano. *Incensum* est mihi *amore*, cupiditate compellandi etc. — 50 *Dapes*, intellige quas Græci vocabant χοάς, mel cum vino et lacte. • *Sollemnes* hic non festas, sed consuetas, legitimas, anniversarias. • *S.* — 51 Simulati: nam in Epiri flumen aliquod Helenus et Andromache Trojani fluminis nomen transtulerant, quo triste desiderium fallerent; et confer infra v. 349 seqq. — 52 Græce κενοτάφιον. *Geminas*, • unam marito, et alteram filio. Aut certe, quia Inferi pari gaudent numero, Superi vero impari. • *S.* Sic Daphnidi defuncto *duæ* aræ dedicantur *Ecl.* V, n. 54. Imitari videtur Petronius, c. 117: *Ne sepulchrum quotidie, causam lacrymarum, cerneret.* Etenim *causam l.* non ad *aras* solum, sed ad cenotaphium quoque referendum. — 53 Adspectu qui ipsi monstri et prodigii instar erat. — 54 Turbatam ex animo commoto structuram sic institue: *Affersne te mihi* tanquam *vera facies* existens, et tanquam *verus nuntius* tui? ut vere sis ille, quem vultus nuntiat. — 55 • *Furenti*, insolubiliter et impatienter dolenti. • *S.* Sic Cicero, *furere luctu filii*. — 56 *Turbatus*, interpellatus lamentationibus Andromachæ. • *Hiscere* est hiare nec loqui posse. Nam qui nimium mœrent, singultibus ore etiam aperto verba reddere non possunt. • *S. Extrema*, gr. τὰ ἔσχατα, summa discrimina. — 57 Quæ decideras ut de honoris gradu, excideras. — 58 *Revisit* te, redit ad te, ut *respexit* in *Ecl.* I, 30. Quod sequitur, contrarium esse videtur illis v. 296, Helenum *conjugio Pyrrhi potitum*: at ibidem hæc fama dicitur *incredibilis*. Æneæ, qui hic rem exquirit. — 59 Polyxena. • Bene nec ad interrogata respondet, et virginitatem laudat et mortem; ut ostendat invitam se Pyrrhi pertulisse connubium et esse superstitem suis miseriis. • *S. Hostilem*. Achillis. — 60 • Quia captivi, ut præda, inter victores sorte dividebantur. • *S.* — 61 Quæ in servitio ei peperi filium, Molossum, cujus nomine postea Epiri pars vocata. *Secutus*, perse-

Ledæam Hermionen Lacedæmoniosque hymenæos,
Me famulo famulamq[62] Heleno transmisit habendã.
Ast illum, ereptæ magno inflammatus amore
Conjugis et scelerum furiis agitatus, Orestes
Excipit[63] incautum, patriasque obtruncat ad aras.
Morte Neoptolemi regnorum reddita cessit[64]
Pars Heleno, qui Chaonios[65] cognomine campos
Chaoniamque omnem Trojano a Chaone dixit,
Pergamaque Iliacamque jugis hanc addidit[66] arcem.
Sed tibi qui cursum venti, quæ fata dedere?
Aut quisnam ignarum nostris deus appulit oris?
Quid puer Ascanius? superatne, et vescitur aura[67]?
Quem[68] tibi jam Troja....
Ecqua tamen puero est amissæ cura parentis?
Ecquid in antiquam virtutem animosque viriles
Et pater Æneas et avunculus excitat Hector?»
Talia fundebat lacrimans, longosque ciebat
Incassum fletus, quum sese a mœnibus heros
Priamides multis Helenus comitantibus affert,
Agnoscitque suos, lætusque ad limina ducit.
[Et multum lacrimas[69] verba inter singula fundit.]
Procedo, et parvam Trojam, simulataque[70] magnis
Pergama, et arentem[71] Xanthi cognomine rivum
Agnosco, Scææque amplector limina portæ.
Nec non et Teucri socia simul urbe fruuntur.
Illos porticibus rex accipiebat in amplis;
Aulai[72] medio libabant pocula Bacchi,
Impositis auro dapibus[73], paterasque tenebant.
Jamque dies alterque dies processit, et auræ
Vela vocant[74], tumidoque inflatur carbasus Austro:

cultus, studiose petens, ut *Ecl.* II, n. 62. Hermione, Lacedæmonii Menelãi et Helenæ filia, Ledæ neptis. Oresti desponsata ab avo Tyndaro. — 62 Me famulam Heleno, famulo et ipsi, dedit. — 63 Vide notam 17 Eclogæ III. *Araspatrias*, aram Achilli patri, ut heroi, Delphis a Neoptolemo extructam. — 64 *Cessit*, vide supra n. 49. « *Reddita* more veteri pro *data* accipiendum, ut Ennius in Annalibus: *Ilia reddita nuptum.* » *S.* Imo ob præcedens *morte* dicendum est servare notionem nativam: nam quæ accepimus, ea morientibus sunt reddenda. *Pars regnorum*, Epirus; namque Neoptolemus et Phthiam possederat, avitum sibi regnum. — 65 *Chaones*, a Pelasgis originem ducentes, antiquiores erant Heleno; sed poeta nullam facile occasionem dimittit ex aliqua nominum similitudine quot potest orbis partes Trojanis vindicandi. « Varro refert Chaoniam ab Heleno appellatam, qui fratrem suum Chaonem vel, ut alii dicunt, comitem, dum venaretur, occiderat. Tamen quidam dicunt hunc Chaonem pro omnium incolumitate, quum pestilentia laborarent socii Heleni, ex responso oraculi immolandum se obtulisse: unde in honorem ejus Epirum, quæ Campania (Caimania?) dicebatur, Chaoniam nominavit Helenus. » *S.* — 66 Imposuit jugo montis. « *Qui venit* tam prosperi, *quæ fata* tam nobis felicia...? » *S.* — 67 Vide I, 546, n. 70. *Superat*, superest, vivit. — 68 Unus codex *Quæ*. Imperfectum in optimis versum deteriores variis modis explent. Ex sequenti versu apparet poetam Andromachen quæsituram aliquid de Creusa exhibere. Suo periculo Wagnerus: « Quod sentiens Æneas vultu motuque aliquo manus mortuam esse significare putandus est; itaque Andromacha orationem imperfectam relinquens pergit de Ascanio quærere. » Totum hunc de Ascanio locum poeta haud dubie retractaturus erat. — 69 Alii codd. *lacrimans*, Ac nata hæc, ut nobis videtur, ex variatione versus 344: *Talia fundebat lacrimans*, etc., haud cunctanter seclusimus. — 70 Assimilata, similia facta. — 71 *Arentem*, sed verus Scamander « altos vortices agit » apud Homerum. — 72 Antique pro *aulæ*. — 73 Intellige dapes quæ diis offerebantur, ut supra v. 301, n. 50. — 74 Auræ flatu significant vela sibi tradenda esse, invitant ut pandantur. *Carbasus*, lini species, unde vela fiunt, inde a poetis dicta *carbasa*. *Tumido*

ab effectu : quo spirante tumere cernuntur vela. Post *Jam* hoc exspectabatur : QUUM *his aggredior* etc., a poeta omissum etiam in extremo libro II, ubi eadem structura. — 75 Qui sentis *numina Phœbi*, qui dei fatidico spiritu afflatus, futura prædicis; item *tripodas*, quasi vim insitam tripodi, cui insidens Pythia Delphis vaticinia a deo accipit; item *laurus* (accus. pluralis) Apollinis *Clarii*, qui in luco laureo ad Clarum loniæ oppidum oraculo edit; denique *sidera*, ea quæ de cœlo portendunt sidera *conscia fati* (IV, v. 519). — 76 Omina ex volatu avium præpetum : « nam sunt aves aut *oscines* aut *præpetes* : illæ quæ ore futura prædicunt, ab *os* et *cano*; *præpetes*, quæ volatu augurium significant. » *S.* — 77 *Prospera religio*, oraculum prospera nuntians. Nam sacros ritus complectens vox *religio* transfertur ad omnia quæ cum sacris fiunt, parantur, obtinentur. — 78 Longe positas, remotas. — 79 Famem quæ comedere cogat a natura aliena. Indicativus *vito* ob *prima*, de nunc imminentibus et statim vitandis. — 80 Quam viam ineundo. « quid observans. *Tantos labores*, quantos Harpyia prædixerat. » *S.* — 81 Sollicitum et sacro horrore, ex præsentia dei, percitum. — 82 Auspiciis *majoribus*, altioribus quam quæ humani vatis animus capere possit. Antiquæ compositionis est dicendis præmittere *causam* dicendorum tacendorumve. Explicat cur *pauca* tantum sit dicturus. *Altum*, mare. *Manifesta fides* est, manifestum est ex indiciis certis, ex rerum fide. — 83 Sorte decernit, disponit, ordinat. *Volvit*, moderatur vicissitudines rerum; conf. I, 22, not. 18. Eadem metaphorâ dictum *is vertitur ordo*, talis est series rerum quæ, aliæ ex aliis, tibi tuisque obtingent. — 84 Lustres æquora *hospita*, hospitium tibi præbitura, amica. abstinens quidem ab inhospitalibus, quæ Ilelenus indicabit. — 85 Duplici modo intelligi postest : vel, et, *si sciam*, Juno vetat fari; vel, cetera *partim* scire me prohibent Parcæ, *partim* fari vetat Juno. — 86 *Italiam*, nimirum eam partem Italiæ quæ tibi fatis petenda est, in litore occidentali, *dividit* ab Epiro *via* reddita *tuta longis terris*, quæ ante circumnavigandæ sunt; eoque ipsa illa via dicitur *longa*. — 87 Vide I, 196, n. 22. « *Lentandus*, flectendus, ut *lentum vimen* dicimus flexile. » *S.* Nam undarum vi remus paullum flectitur vel incurvatur. — 88 Avernus lacus Campaniæ ; vide *Georg.* IV, 493, n. 68. *Ææa*, Colchica, ab Æa urbe Colchidis. Mox *componere* non pro simplici

His vatem aggredior dictis, ac talia quæso :
« Trojugena, interpres divûm, qui numina Phœbi [75],
Qui tripodas, Clarii laurûs, qui sidera sentis,
Et volucrum linguas, et præpetis omina pennæ [76],
Fare age (namque omnem cursum mihi prospera dixit
Religio [77], et cuncti suaserunt numine divi
Italiam petere, et terras tentare repostas [78];
Sola novum, dictuque nefas, Harpyia Celæno
Prodigium canit, et tristes denuntiat iras,
Obscœnamque [79] famem) quæ prîma pericula vito ?
Quidve sequens [80] tantos possim superare labores ? »
Hic Helenus, cæsis primum de more juvencis,
Exorat pacem divûm, vittasque resolvit
Sacrati capitis, meque ad tua limina, Phœbe,
Ipse manu multo suspensum numine [81] ducit,
Atque hæc deinde canit divino ex ore sacerdos :
« Nate dea, (nam te majoribus [82] ire per altum
Auspiciis manifesta fides : sic fata deûm rex
Sortitur [83], volvitque vices; is vertitur ordo;)
Pauca tibi e multis, quo tutior hospita [84] lustres
Æquora et Ausonio possis considere portu,
Expediam dictis : prohibent nam cetera Parcæ
Scire Helenum, farique vetat [85] Saturnia Juno.
Principio Italiam, quam tu jam rere propinquam,
Vicinosque, ignare, paras invadere portus,
Longa [86] procul longis via dividit invia terris.
Antè et Trinacria [87] lentandus remus in unda,
Et salis Ausonii lustrandum navibus æquor,
Infernique lacus [88], Ææaque insula Circes,

Quam tuta possis urbem componere terra.
Signa tibi dicam ; tu condita mente teneto .
Quum tibi sollicito secreti[89] ad fluminis undam
Litoreis ingens inventa sub ilicibus sus ,
Triginta capitum[90] fœtus enixa , jacebit ,
Alba , solo recubans , albi circum ubera nati ,
Is locus urbis erit , requies ea certa laborum.
Nec tu mensarum morsus horresce futuros :
Fata viam[91] invenient , aderitque vocatus Apollo.
Has autem terras , Italique hanc litoris oram ,
Proxima quæ nostri perfunditur æquoris æstu ,
Effuge : cuncta malis habitantur mœnia Graiis.
Hic et Narycii posuerunt mœnia Locri[92] ,
Et Sallentinos obsedit milite campos
Lyctius Idomeneus ; hic illa ducis Meliboei[93]
Parva Philoctetæ subnixa Petelia muro. [ses
Quin , ubi transmissæ steterint[94] trans æquora clas-
Et positis aris jam vota in litore solves ,
Purpureo velare[95] comas adopertus amictu ,
Ne qua inter sanctos ignes in honore deorum
Hostilis facies occurrat[96] et omina turbet.
Hunc socii morem sacrorum[97] , hunc ipse teneto ;
Hac casti maneant in relligione nepotes.
Ast ubi digressum Siculæ te admoverit oræ
Ventus , et angusti rarescent claustra Pelori[98] ,
Læva tibi tellus et longo læva petantur
Æquora circuitu ; dextrum fuge litus et undas[99].
Hæc loca , vi quondam et vasta convulsa ruina[1]
(Tantum ævi longinqua valet mutare vetustas !)
Dissiluisse ferunt , quum protinus[2] utraque tellus

ponere dictum , sed una indicat statum tranquillum novæ urbis. — 89 Fluminis ubi id secretum est, in fluminis (Tiberini) parte secreta, ab hominum frequentia remota. *Litus* autem raro invenitur de ripa dictum. — 90 Hic numerus porcellorum refertur ad triginta annos, quibus regnaturus erat Ascanius , color autem suis ad nomen urbis condendæ. — 91 Rationem qua exitum habeat oraculum. — 92 Vide ad *Georg.* II , 438, not. 33. Plura apud Servium. *Sallentini campi* sunt in septentrionali parte Messapiæ , peninsulæ inter sinum Tarentinum , mare Ionium et Adriaticum, hod. *terra di Otranto*. Hanc regionem insederunt Cretensium coloniæ, relatæ ad regem Idomeneum (supra 122).

Troja reducem, sed expulsum urbe *Lycto*, de qua v. *Ecl.* V, n. 59. Accurate traditam famam habes in insigni fragmento Varronis ex tertio *Iterum Humanarum*. — 93 Melibœensis, ex Melibœa oppido Thessaliæ, unde oriundus Philoctetes : qui Troja redux, patria pulsus coloniam deduxit in Bruttium, ubi Peteliam condidit, hodie *Strongoli*. Junge *Philoctetæ muro*, non *Philoctetæ Petelia*. *Subnixa* explicandum confisa vel tuta, si vere dixit Cato, « a Philocteto, condita jam pridem civitate, murum tantum esse factum. » Sed addit Servius : « Alii *subnixa* ideo dictum accipiunt , quia imposita est excelso muro, ut Cœlius (Antipater) historicus ait. » — 94 Stabunt ; nam non est perfectum , sed futurum exactum verbi *sisto*. — 95 Imperativus : vela comas tuas, caput. — 96 *Occurrat* oculis tuis. *Turbet omina*, turbato nimirum ipso sacrificio, quod rite peractum prospera, turbatum adversa ominabatur. — 97 Supple : tenento. Memorabilia de sacrificantium more velandi capita lege apud Servium. *Casti* , pii in deos. — 98 Sensus : ubi perveneris ad ipsum fretum Siculum. Nam venientibus a mari Ionio, propter curvaturam litorum , *clausæ* videntur illæ angustiæ ad Pelorum, promontorium Siciliæ orientem versus et septentrionem ; tum appropinquantibus paulatim aperiri sive *rarescere;* nam proprio sensu *rarus* opponitur *denso*. — 99 *Et undas* dextras. Vitare fretum et circumnavigare Siciliam jubet. — 1 Terris vi et impetu aquarum subrutis. — 2 Junge *protinus una*, continua, juncta sine intervallo. Sallustius in *Historiis : Italiæ Siciliam conjunctam constat fuisse ; sed medium spatium aut per humilitatem obrutum est aquis, aut per angustiam scissum. Et inde* Ῥήγιον (Rhe-

Una foret; venit medio vi pontus, et undis
Hesperium Siculo latus abscidit, arvaque et urbes
Litore diductas angusto interluit æstu[3].
Dextrum Scylla latus, lævum implacata Charybdis
Obsidet, atque imo barathri ter gurgite vastos
Sorbet in abruptum[4] fluctus, rursusque sub auras
Erigit alternos, et sidera verberat undâ.
At Scyllam cæcis cohibet spelunca latebris,
Ora exsertantem, et naves in saxa trahentem.
Prima[5] hominis facies et pulchro pectore virgo
Pube tenus; postrema immani corpore pistrix,
Delphinum caudas utero commissa[6] luporum.
Præstat Trinacrii metas lustrare Pachyni[7]
Cessantem, longos et circumflectere cursus,
Quam semel informem vasto vidisse sub antro
Scyllam et cæruleis canibus resonantia saxa.
Præterea, si qua est Heleno prudentia, vati
Si qua fides, animum si veris implet Apollo,
Unum illud tibi, nate dea, proque omnibus[8] unum
Prædicam, et repetens iterumque iterumque monebo:
Junonis magnæ primum[9] prece numen adora;
Junoni cane vota libens, dominamque potentem
Supplicibus supera[10] donis: sic denique victor
Trinacria fines Italos mittère relicta.
Huc ubi delatus Cumæam accesseris urbem
Divinosque[11] lacus et Averna sonantia silvis,
Insanam[12] vatem aspicies, quæ rupe sub ima
Fata canit, foliisque notas[13] et nomina mandat.
Quæcumque in foliis descripsit carmina virgo,
Digerit in numerum[14], atque antro seclusa relinquit.
Illa manent immota locis, neque ab ordine cedunt.
Verum eadem, verso tenuis quum cardine[15] ventus
Impulit, et teneras turbavit janua frondes,
Numquam deinde cavo volitantia prendere saxo,
Nec revocare situs, aut jungere carmina curat.

gium urbs, hod. *Reggio*) *nominatum, eo quod Græcis abruptum hoc nomine nuncupatur.* — 3 *Angusto æstu*, aqua in angustiis freti æstuante. • *Æstum*, sic poetæ maris angustias arctati appellant, quod ibi commotione reciproci cursus mare videatur æstuare. • *Serv.* Sequentia ex *Odyssea* petita, XII, 73 seqq., 234 seqq. Confer etiam *Metamorphoseon* libros XIII (fine) et XIV (initio). Scylla in Italia, Charybdis vero in Sicilia. — 4 In præceps profundum. *Erigit*, projicit in altum. — 5 *Prima*, superiore parte corporis. — 6 Delphinum caudas, in quas desinebat, habens coagmentatas cum utero ex lupis et canibus (vide mox) constante, undique cincto harum bestiarum προτομαῖς (anterioribus partibus ad medium fere corpus extantibus). • Canes vero et lupi ob hoc ex ea nati esse fingun-

tur, quia ipsa loca plena sunt monstris marinis, et saxorum asperitas illic imitatu latratus canum. » *S.* — 7 Australis promontorii Siciliæ. *Cessantem*, cum longa mora navigantem. — 8 Loco omnium reliquorum, quæ tacere possum ut levia. — 9 Ante alia omnia, præ cæteris. — 10 Quod in prosa dicitur *expugna*. • *Victor*, propositi tui effector. • *S.* — 11 « Lacus sacros, consecratos (ut videtur. Diti patri, ad quem ibi descensus patere credebatur, Avernum et Lucrinum. • *S.* De silvis ad Avernum vide Varronem in nota 68 ad *Georg.* IV, 493. Addit Servius: « Quam rem Augustus Cæsar intelligens, dejectis silvis, ex pestilentibus amœna reddidit loca. » — 12 Vatem numinis plenam, alibi *furentem*. Cicero: *Divinationem Græci ut Plato interpretatur, a furore duxerunt* (μάντις a μανία). *Majores nostri furoris divinationem Sibyllinis maxime versibus contineri arbitrati*, etc. De Sibylla, in libro VI. — 13 *Notas*, literas; *nomina*, verba. — 14 « In ordinem, ut continuatio carminum fiat. • *S.* — 15 « Aperta janua. » *S. Janua* ventum intromittens.

Inconsulti[16] abeunt, sedemque odere Sibyllæ.
Hic tibi ne qua moræ fuerint dispendia[17] tanti,
Quamvis increpitent socii, et vi cursus in altum
Vela vocet, possisque sinus implere secundos,
Quin adeas vatem, precibusque oracula poscas;
Ipsa[18] canat, vocemque volens atque ora resolvat.
Illa tibi Italiæ populos, venturaque bella,
Et quo quemque modo fugiasque ferasque laborem,
Expediet, cursusque dabit venerata[19] secundos.
Hæc sunt quæ nostra liceat te voce moneri.
Vade age, et ingentem[20] factis fer ad æthera Trojā.»

Quæ postquam vates sic ore effatus amico est,
Dona dehinc auro gravia[21] sectoque elephanto
Imperat ad naves ferri, stipatque carinis
Ingens argentum[22], Dodonæosque lebetas,
Loricam consertam hamis auroque trilicem[23],
Et conum insignis galeæ, cristasque comantes,
Arma Neoptolemi. Sunt et sua dona parenti.
Addit equos, additque duces[24];
Remigium supplet; socios simul instruit armis.

Interea classem velis aptare[25] jubebat
Anchises, fieret vento mora ne qua ferenti.
Quem Phœbi interpres multo compellat honore[26]:
« Conjugio, Anchisa, Veneris dignate superbo,
Cura deûm, bis[27] Pergameis erepte ruinis,
Ecce tibi Ausoniæ tellus; hanc arripe[28] velis.
Et tamen hanc pelago præterlabare necesse est:
Ausoniæ pars illa procul, quam pandit Apollo.
Vade, ait, o felix nati pietate! quid ultra
Provehor et fando surgentes demoror Austros? »
Nec minus Andromache, digressu mœsta supremo,
Fert picturatas auri subtemine[29] vestes
Et Phrygiam Ascanio chlamydem, nec cedit honori[30],
Textilibusque onerat donis, ac talia fatur: [rum
« Accipe et hæc[31], manuũ tibi quæ monumenta mea-

16 Non accepto consilio, et sine responso. — 17 Temporis jactura. *Cursus*, navigatio tibi facienda et persequenda ad finem, necessitas navigandi. Sic malim quam ut alii interpretari de vento cursum navibus promittente. *Sinus secundos*, vela secundo vento inflata et sinus facientia.— 18 Explicatur VI, 74 seqq. — 19 Passive: invocata. — 20 Trojam *ingentem*, maximam redditam *factis* suis. — 21 Ultima syllaba producta vi ictus metrici, id quod facile fit ante literas *l* et *s*. Ebur in tenuiores lamellas sectum applicabatur rebus multis ad ornatum. — 22 Argentea vasa, ut I, v. 640. *Dodonæos*, lebetes quales Dodonæ (in regno Heleni) suspensi erant ex quercubus sacri nemoris, ex quorum sonitu pulsatorum sacerdotes vaticinabantur. — 23 • *Hamis*, circulis, catenulis • (*S.*), qui confecti erant ex tribus liciis aureis sive filis aureis triplicatis, græce ἁλυσιδωτὸν τρίμιτον. — 24 *Duces* itineris, ἡγεμόνας τῆς ναυτιλίας ap. Dionysium Hal. *Antiq. Rom.* I, 32. *Remigium supplet*, addit remiges in supplementum: « nam multos Æneas in Creta perdiderat. • *S.* Vide mox not. 31. — 25 Instruere. Pandi jubet vela; quibus circum antennas convolutis, navis est tanquam nullis instructa velis. Vento *ferenti*, qui impellit et provehit, græce φορῷ. — 26 *Honore* verborum, honorificentissimis verbis. — 27 *Bis*, et Hercule Trojam exscindente, et nuper. — 28 *Arripe*, ad te rape, summo studio pete. — 29 *Subtemine* improprie dictum de filis aureis acu insertis, non de textura. Sic etiam Silius VIII, 80: *acu subtemine fulvo Quod nostræ nevere manus venerabile donum.* — 30 • *Nec cedit honori*, id est, tanta dat munera, quanta merebatur Ascanius. Scaurus vero *honore* legit, et intelligit: honore non cedit Heleno, qui patri ejus vel avo donaverat multa. • *Serv.* — 31 • *Et hæc*, præter illa quæ Helenus tibi dedit. • *S.* Nam locum de donis Heleni: *Sunt et sua dona parenti*, etc., poeta reliquit imperfectum.

Sint, puer, et longum Andromachæ testentur amorẽ,
Conjugis Hectoreæ. Cape dona extrema tuorum,
O mihi sola mei super[32] Astyanactis imago!
Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat;
Et nunc æquali tecum pubesceret ævo[33]. »
Hos ego digrediens lacrimis affabar obortis :
« Vivite felices, quibus est fortuna peracta
Jam sua : nos alia ex aliis in fata vocamur.
Vobis parta quies; nullum maris æquor arandum[34],
Arva neque Ausoniæ semper cedentia retro
Quærenda : effigiem Xanthi Trojamque videtis,
Quam vestræ fecere manus, melioribus, opto,
Auspiciis, et quæ fuerit minus obvia[35] Graiis!
Si quando Thybrim vicinaque Thybridis arva
Intrâro, gentique meæ data mœnia cernam,
Cognatas urbes olim populosque propinquos,
Epiro, Hesperia[36], quibus idem Dardanus auctor
Atque idem casus, unam faciemus utramque
Trojam animis : maneat nostros ea cura[37] nepotes. »
Provehimur pelago vicina Ceraunia[38] juxta,
Unde iter Italiam, cursusque brevissimus undis.
Sol ruit interea, et montes umbrantur opaci.
Sternimur optatæ gremio telluris ad undam,
Sortiti remos[39], passimque in litore sicco
Corpora curamus; fessos sopor irrigat[40] artus.
Necdum orbem medium Nox horis acta subibat :
Haud segnis strato surgit Palinurus, et omnes
Explorat ventos, atque auribus aera captat[41];
Sidera cuncta notat tacito labentia cœlo,
Arcturum, pluviasque Hyadas, geminosq; Triones[42],
Armaturumque auro circumspicit Oriona.
Postquam cuncta videt cœlo constare[43] sereno,
Dat clarum e puppi signum : nos castra movemus,
Tentamusque viam, et velorum pandimus alas.
Jamque rubescebat stellis Aurora fugatis,
Quum procul obscuros colles humilemque[44] videmus
Italiam. Italiam primus conclamat Achates;
Italiam læto socii clamore salutant.

32 *Super* pro *superens*, quod ab latina consuetudine usus exclusit, ὑπερδύσα, quæ supereS. Sic etiam IV, 684. — 33 « Pro œconomia est, ut verisimile sit Ascanium in nono potuisse jam bella tractare. » *S.* — 34 Vide II, v. 780. Cum insequenti versu confer VI, v. 61 : *Tandem Italiæ* fugientis *prendimus oras.* — 35 Obnoxia, exposita hostibus. — 36 Exspectes *Epirum, Hesperiam*, quod alii ponunt. Veteres jungebant ablativos cum *populos* ut « adverbia de loco » sive ut locativos casus : populos in sive ex Epiro, Hesperiâ. Sed videtur hîc poeta (quod non nimis raro fit) duplicem structuram verbi *facere* uni eidemque phrasi adhibuisse, dicendo *cognatas urbes* et *Epiro Hesperiaque, faciemus Trojam unam*, recte utrumque. — 37 Ejus rei cura, ut II, 171, n. 83. — 38 « Montes Epiri, a crebris fulminibus (κεραυνοῖς) propter altitudinem appellati. » *S.* Vide *Georg.* I, 332, n 19. — 39 « Per sortem divisi ad officia remigandi, qui esset proreta, quis pedem teneret, etc. » *S.* Nimirum sequenti mane. Alii. propter morem sortiendi *remorum vices*, explicant : qui remos agitando diem exegerarnus. Multo probabilius intelliges sorte ductos quibus ad remos in navi pernoctandum esset. — 40 *Irrigat*, se infundens membris. Conf. I, 692, n. 32. *Acta horis* (ablativus modum indicans), progrediens, decurrens per horas. — 41 Auscultat. — 42 Vide I, 744, not. 60, et de Orione I, 535, n. 67. « Bene *armatum auro*, quia et balteus ejus et gladius clarissimis fingitur astris. » *S.* — 43 Composita et tranquilla esse. — 44 *Humilem*, ut ex *alto* mari conspectam.

Tum pater Anchises magnum cratera corona [45]
Induit, implevitque mero, divosque vocavit
Stans celsa in puppi :
« Di maris et terræ tempestatumque potentes,
Ferte viam vento facilem [46], et spirate secundi ! »
Crebrescunt optatæ auræ, portusque patescit [47]
Jam propior, templumque apparet in arce Minervæ.
Vela legunt [48] socii, et proras ad litora torquent.
Portus ab Euroo [49] fluctu curvatus in arcum ;
Objectæ salsa spumant adspargine cautes :
Ipse [50] latet ; gemino demittunt brachia muro
Turriti scopuli, refugitque [51] ab litore templum.
Quattuor hìc, primum omen, equos in gramine vidi
Tondentes campum late, candore nivali [52].
Et pater Anchises : « Bellum, o terra hospita, portas ;
Bello [53] armantur equi, bellî hæc armenta minantur.
Sed tamen idem olim curru [54] succedere sueti
Quadrupedes, et frena jugo concordia ferre :
Spes et pacis, » ait. Tum numina sancta precamur
Palladis armisonæ, quæ prima accepit ovantes,
Et capita ante aras Phrygio velamur [55] amictu ;
Præceptisque Heleni, dederat quæ maxima, rite
Junoni Argivæ jussos adolemus [56] honores.

Haud mora, continuo perfectis ordine votis,
Cornua velatarum [57] obvertimus antennarum,
Grajugenûmque domos suspectaque linquimus arva.
Hinc sinus Herculei, si vera est fama, Tarenti [58]
Cernitur : attollit se diva Lacinia [59] contra,
Caulonisque [60] arces, et navifragum Scylaceum.
Tum procul e fluctu Trinacria [61] cernitur Ætna ;
Et gemitum ingentem pelagi pulsataque saxa
Audimus longe, fractasque [62] ad litora voces,

45 Confer I, v. 724, not. 48 — 46 Viam *facilem* redditam *vento* secundo ; ut supra not. 20. — 47 *Patescit* non intrantibus, sed conspicientibus. Dicitur Portus Veneris, prope Hydruntem, Apuliæ oppidum, qui hodie *Porto Badisco*, portus *Castro* urbis quæ tum *Castrum Minervæ*. *In arce*, summo monte. — 48 Colligunt, convolvunt. — 49 Fluctu ab Euro, orientali plaga veniente ; adjectivum ab *Eurus* singulariter fictum ad instar formarum *Arctous*, *Eous*. — 50 *Ipse* portus, e longinquo accedentibus conspectus, jam *latet*, non conspicitur prope admotis, ob altas cautes (quod statim additur) oculis navigantium subductus. Nam scopuli *turriti*, turrium in modum alti, ab utroque latere portûs procurrentes in mare sensim decrescunt (*demittunt brachia*), ita ut muro utrimque cingere portum videantur. — 51 His quoque fallax ex visu species exprimitur : nam quod ex alto mari intuentibus in litore situm videbatur templum, inde quasi retrocedebat appropinquantibus et propius intuentibus ; vel, ut Servius : « quia situm est in colle, qui sensim crescit a litore. » — *S.* — 52 « Hoc ad victoriæ omen pertinet. » *S.* — 53 Ad bellum. — 54 Currui. Bene Servius : « *Olim* est infiniti temporis. » *Concordia*, ut ipsi concordes sub uno jugo alligati. — 55 Vide 405 seqq., not. 95 et 97. — 56 Vide *Ecl.* VIII, n. 58, et I, 49, n. 37. — 57 Antennarum velis indutarum. *Obvertimus* pelago. — 58 Tarentum vulgo ad Tarantem, Neptuni filium, conditorem refertur ; de Hercule conditore fama, et Virgilio dubia, ita fuit obscurata, ut veteres scholiastæ eam explicaturi in aliena omnia aberrarent. — 59 Celebre templum Junonis Lacinæ, in Lacinio promontorio, nunc a columnis templi superstitibus *Capo delle Colonne* appellato. — 60 Caulon sive Caulonia, Bruttii oppidum a Crotoniatis conditum, « secundum alios a Caulo, Clitæ Amazonis filio. » *Serv.* Qui cum aliis grammaticis *Aulonis* legebat, de monte intelligens, quem et Horatius memorat, *Od.* II, 6. Propinquum Cauloni (hodie *Castro Vetere*) erat Scylaceum sive Scylletium, hod. *Squillace*. Utraque urbs sita inter promontoria Iapygum et Cocintum, ubi tempestates frequentes gravesque. — 61 Sicula. — 62 Ab undis allisis et fractis ad litora.

Exsultantque vada, atque æstu miscentur[63] arenæ.
Et pater Anchises : « Nimirum hæc illa Charybdis;
Hos Helenus scopulos, hæc saxa horrenda canebat.
Eripite[64], o socii, paritèrque insurgite remis. »
Haud minus ac jussi[65] faciunt, primusque rudentem
Contorsit lævas proram Palinurus ad undas;
Lævam cuncta cohors remis ventisque petivit.
Tollimur in cœlum curvato gurgite[66], et ìdem
Subducta ad Manes imos desedimus unda.
Ter scopuli clamorem inter cava saxa dedere;
Ter spumam[67] elisam et rorantia vidimus astra.
Interea fessos ventus cum sole[68] reliquit,
Ignarique viæ Cyclopum allabimur oris[69].
Portus ab accessu ventorum immotus et ingens
Ipse[70]; sed horrificis juxta tonat Ætna ruinis,
Interdumque atram prorumpit[71] ad æthera nubem,
Turbine fumantem piceo et candente favilla,
Attollitque globos flammarum, et sidera lambit;
Interdum scopulos avulsaque viscera montis
Erigit[72] eructans, liquefactaque saxa sub auras
Cum gemitu glomerat, fundoque exæstuat imo.
Fama est Enceladi[73] semiustum fulmine corpus
Urgeri mole hac, ingentemque insuper Ætnam
Impositam ruptis flammam[74] exspirare caminis;
Et, fessum quoties mutet latus, intremere omnem
Murmure Trinacriam, et cœlum subtexere[75] fumo.
Noctem illam tecti silvis immania monstra[76]
Perferimus, nec, quæ sonitum det causa, videmus.
Nam neque erant astrorũ ignes[77], nec lucidus æthrâ
Siderea polus; obscuro sed nubila cœlo,
Et lunam in nimbo nox intempesta tenebat.
Postera jamque dies primo surgebat Eoo[78],
Humentemque Aurora polo dimoverat umbram :
Quum subito e silvis, macie confecta suprema,
Ignoti nova[79] forma viri miserandaque cultu
Procedit, supplexque manus ad litora tendit.
Respicimus : dira illuvies, immissaque[80] barba,
Consertum tegumen spinis[81]; at cetera Graius,

63 Arenæ commoventur maris in fundo et mixtæ cum fluctibus extolluntur in altum. — 64 *Eripite* naves e periculo. Talis rerum conditio ellipsium in oratione ferax. *Insurgite remis*, vide 207, n. 4. — 65 Vide 236, n. 18. *Rudere* proprie de belluis dictum, transfertur hìc ad proram «stridentem et sonantem in tempestate. » *S.* — 66 Sinuatis fluctibus ingentibus. — 67 *Spumam* fluctuum ad cautes allisorum tanta vi repulsam, ut ipsa astra attingeret, qui inde *rorabant*, eam roris instar guttatim deferebant. — 68 « Ventorum enim mutationem necesse est fieri vel oriente sole vel occidente. » *S.* — 69 Siciliæ litoribus. — 70 *Ipse*, scilicet per se spectatus, tranquillus est portus, sed proxima ei vehementissime sæpe commoventur. Similes versus sequentibus in Lucretio VI, 683 seqq. *Ruinis*, quæ fiunt in visceribus montis per ignis violentiam. —

71 Active; v. *Georg.* IV, 368, n. 2. — 72 Vide supra notam 4. — 73 Unus ex Gigantibus qui cœlum oppugnarunt, a Minerva prostratus et sub Ætna sepultus. Mox junge *insuper impositam*, ut 1, 61, n. 44. — 74 *Flammam* ab Enceladoprofflatam. — 75 Sic Lucretius : *Æstus subtexit cærula* (cœli) *nimbis*. — 76 *Monstra*, portentosum illum strepitum montis, cujus sedem et causam, nocte oppressi, cognoscere non poterant. — 77 Lux. *Æthra siderea*, serenus æther sideribus illustratus. — 78 Lucifero; vide *Georg.* I, 288, n. 79. — 79 Mira, insperata. — 80 *Immissa* in faciem, quasi libera, intonsa et impexa. Aliud est *promissa, demissa*. — 81 Vestem laceram, spinis consertam pro filis, ne diffluerent panni.

Et quondam patriis ad Trojam missus in armis[82].
Isque ubi Dardanios habitus et Troïa vidit
Arma procul, paullum aspectu conterritus hæsit,
Continuitque gradum; mox sese ad litora præceps
Cum fletu precibusque tulit : « Per sidera testor,
Per Superos, atque hoc cœli spirabile[83] lumen,
Tollite[84] me, Teucri! quascumque abducite terras!
Hoc sat erit. Scio me Danais e classibus[85] unum,
Et bello Iliacos fateor petiisse Penates :
Pro quo, si sceleris tanta est injuria nostri,
Spargite[86] me in fluctus, vastoque immergite ponto.
Si pereo, hominum manibus periisse juvabit. »
Dixerat, et genua amplexus, genibusque volutans[87]
Hærebat. Qui sit, fari, quo sanguine cretus[88],
Hortamur; quæ deinde agitet fortuna, fateri.
Ipse pater dextram Anchises, haud multa moratus,
Dat juveni, atque animum præsenti[89] pignore firmat.
Ille hæc, deposita tandem formidine, fatur :
« Sum patria ex Ithaca, comes infelicis Ulixi,
Nomen Achemenides, Trojam, genitore Adamasto
Paupere[90], (mansissetque utinam fortuna!) profectus.
Hic me, dum trepidi crudelia[91] limina linquunt,
Immemores socii vasto Cyclopis in antro
Deseruere. Domus sanie dapibusque cruentis[92],
Intus opaca, ingens : ipse arduus, altaque pulsat
Sidera[93] (di, talem terris avertite pestem!)
Nec visu facilis, nec dictu affabilis[94] ulli.
Visceribus miserorum et sanguine vescitur atro.
Vidi egomet, duo de numero quum corpora nostro
Prensa manu magna, medio resupinus in antro,
Frangeret ad saxum[95], sanieque exspersa natarent
Limina; vidi atro quum membra fluentia tabo
Manderet, et tepidi tremerent sub dentibus artus.
Haud impune quidem; nec talia passus Ulixes,
Oblitusve sui est Ithacus discrimine tanto.
Nam simul expletus dapibus vinoque sepultus[96]
Cervicem inflexam posuit, jacuitque per antrum
Immensus, saniem eructans ac frusta cruento
Per somnum commixta mero, nos, magna precati

82 Dici solitum pro : armis indutus. — 83 « Vitale, quo spiramus : et est sermo Ciceronis. » *S.* Qui *de Nat. Deor.* II, c. 36 : *Terra circumfusa undique animali hac spirabilique natura, cui nomen est Aer.* — 84 *Tollite* in naves vestras ut comitem. — 85 Militibus Græca classi advectis. — 86 Serv. : « dilacerate, » discerptum conjicite. Nisi hoc tantum vult : jacite ubicumque fert casus, sic temere. — 87 Neutraliter, se volutans. — 88 Vide II, 74, notam 38. Mox strue : *deinde fateri, quæ* etc., ut I, 195, n. 21. — 89 Efficaci, in quo magna est fides, ut sæpe *præsens auxilium*, etc. Dicit dextram datam. — 90 Nimirum in bellum missus est, ut ditaret domum, quemadmodum et Sinon II, 87. *Fortuna* tenuis, paupertas. Prædâ aliquamdiu ditatus, deinde evasit longe miserior quam olim. — 91 Limina Cyclopis qui eos vorabat. Notissima est fabula ex admirabili cantu IX *Odysseæ*, et e *Metamorphoseon* libris XIII et XIV. — 92 Sunt ablativi qui vocantur qualitatis, quos hic agnovit etiam Gellius (*Noct. Att.* V, c. 8), explicans : domus habens saniem et dapes cruentas. — 93 Hyperbole ex summo narrantis terrore nata, de maxima proceritate staturæ; conf. XI, 136. — 94 Macrobius meminit similium verborum Attii poetæ tragici : *Quem neque tueri contra neque affari queas.* — 95 « Magnitudo virium ostenditur, quod una manu duos, quod resupinus, quod frangeret, non elidens in terram, sed ad saxum sublimitus quatiens. » *Serv. Exspersa*, tota conspersa. — 96 Vide II, 265.

Numina, sortitique vices[97], una undique circum
Fundimur, et telo lumen terebramus acuto,
Ingens, quod torva solum sub fronte latebat[98],
Argolici clipei aut Phœbeæ lampadis[99] instar,
Et tandem læti sociorum ulciscimur umbras.
Sed fugite, o miseri, fugite, atque ab litore funem [1]
Rumpite.
Nam, qualis quantusque cavo Polyphemus in antro
Lanigeras claudit pecudes atque ubera pressat,
Centum alii curva hæc habitant ad litora vulgo [2]
Infandi Cyclopes, et altis montibus errant.
Tertia jam lunæ se cornua lumine complent,
Quum vitam in silvis, inter deserta [3] ferarum
Lustra domosque traho, vastosque ab rupe Cyclopas
Prospicio, sonitumque pedum vocemque tremisco.
Victum infelicem, baccas lapidosaque [4] corna,
Dant rami, et vulsis pascunt radicibus herbæ.
Omnia collustrans, hanc primum ad litora classem
Conspexi venientem : huic me, quæcumque fuisset,
Addixi [5]. Satis est gentem effugisse nefandam :
Vos animam hanc potius quocumque absumite leto.»
Vix ea fatus erat, summo quum monte videmus
Ipsum inter pecudes vasta se mole moventem
Pastorem Polyphemum, et litora nota petentem,
Monstrū horrendū, informe, ingens, cui lumen adem-
Trunca manu [6] pinus regit et vestigia firmat. [ptum.
Lanigeræ comitantur oves; ea sola voluptas,
Solamenque mali [7].
Postquam altos tetigit fluctus et ad æquora venit [8],
Luminis effossi fluidum lavit inde cruorem,
Dentibus infrendens gemitu [9]; graduturq; per æquor
Jam medium, necdum fluctus latera ardua tinxit.
Nos procul inde fugam trepidi celerare, recepto
Supplice sic [10] merito, tacitique incidere funem;
Verrimus et proni certantibus æquora remis.
Sensit, et ad sonitum vocis [11] vestigia torsit.
Verum, ubi nulla datur dextrâ affectare [12] potestas,
Nec potis Ionios fluctus æquare sequendo,

97 *Vices*, quod cuique nostrum esset agendum. — 98 *Lutebat* ut non suo loco positum et cæsarie horridisque superciliis obumbratum. — 99 Solis, ut IV, v. 6. Rotundi sunt clipei græci apud Homerum; aliorum oblongi erant, aut etiam quadrati. — 1 Retinacula, ut v. 266, n. 33. — 2 Passim, ut VI, v. 283. *Cyclopes* ultima brevi, ut græcum. — 3 Lustra in desertis locis posita, non ipsa deserta. Sic intelligitur etiam *Ceres deserta*, II, 714, n. 15. — 4 Vide *Georg.* II, 34, n. 30. *Herbæ* me pascunt *radicibus* suis *valsis*; radices herbarum comedo. — 5 Me tradere decrevi. Mox junge *Vos potius*. — 6 Pinus *manu*, in manu, manu gesta, *regit* eum. Vestigia *firmat*, facit ut certo et tuto incessu ponantur. — 7 Animi causa memoretur supplementum plurimis codicibus illatum : *de collo fistula pendet, s. pendebat fistula collo*. — 8 « Hyperbaton in sensu est aut hysteron proteron. Primum enim debuerat dicere *venit ad æquora*, deinde *tetigit fluctus*. » *Serv.* Etiam epitheton *altos* valde mirum, de proximis litori; deinde vehementer prosaicum *inde*, ex aqua maris; nisi capias pro : deinde, statim. — 9 Cum gemitu, ut II, 323. — 10 Merito sic, qui ut reciperetur meruerat. *Proni*, quæ est remigantium positura corporis. — 11 « *Vocis* dictum de remorum sonitu. *Vox* enim est omne quod sonat, ut (supra 556, n. 62) *fractas ad litora voces*. » *Serv.* Melius celeusma sive remigum numerosus clamor intelligitur, quem indicant etiam *certantes* remi. Quod retinacula inciderant *taciti*, non ideo et remigabant taciti. — 12 Appetere, attingere navem. *Potis* est, potest. Fluctus *Ionios*, Ionii maris, classem propellentes.

Clamorem immensum tollit, quo pontus et omnes
Contremuere undæ, penitusque exterrita tellus
Italiæ, curvisque immugiit Ætna cavernis.
At genus e silvis Cyclopum et montibus altis
Excitum ruit ad portus, et litora complent.
Cernimus adstantes nequicquam [13] lumine torvo
Ætnæos fratres, cœlo capita alta ferentes,
Concilium horrendum : quales quum vertice celso
Aeriæ quercus aut coniferæ [14] cyparissi
Constiterunt, silva alta Jovis lucusve Dianæ.
Præcipites metus acer agit quocumque [15] rudentes
Excutere, et ventis intendere vela secundis.
Contra jussa monent Heleni, Scyllam [16] atque Charyb-
Inter utramque viam leti discrimine parvo, [dim
Ni teneant cursus : certum est dare lintea retro.
Ecce autem Boreas angusta ab sede Pelori [17]
Missus adest. Vivo prætervehor ostia saxo
Pantagiæ [18], Megarosqꝫ sinus, Thapsumque jacentem.
[Talia monstrabat relegens errata [19] retrorsum
Litora Achemenides, comes infelicis Ulixi.]
Sicanio prætenta sinu [20] jacet insula contra
Plemmyrium [21] undosum; nomen dixere priores
Ortygiam [22]. Alpheum fama est huc Elidis amnem
Occultas egisse vias subter mare, qui nunc
Ore [23], Arethusa, tuo Siculis confunditur undis.
Jussi [24] numina magna loci veneramur; et inde
Exsupero præpingue solum stagnantis Helori [25].

13 *Nequicquam* stant, quia nocere non poterant abeuntibus nobis. *Fratres*, « ut ejusdem patriæ vel terræ, velut matris. » *S. Cœlo*, ad cœlum (ut II, 688, n. 3), quæ cœlum attingere videantur. — 14 Nam mas cupressus (v. not. 72 ad *Georg.* II, 84) fert conos, nuci pineæ non absimiles. — 15 In locum quemcunque terræ præter Siciliam cursum dirigere : quod exprimitur nauticis muneribus rudentes *excutiendi*, evolvendi, explicandi, et vela *intendendi ventis*, tensa exponendi ventis inflantibus. Atque illi venti dicuntur *secundi*, eo quod socios ex Cyclopum periculo eripiebant; sed iidem classem in ea loca agebant quæ vi-

tanda esse monuerat Helenus. — 16 Sic strue : *utramque viam inter Scyllam et Charybdim*, sive dextrum litus legentes Scyllæ, sive sinistrum Charybdi appropinquarimus, esse *parvo discrimine leti*, a leto paullulum modo remotam, facillime in letum ducturam, *nisi* qui ibi navigant *teneant cursum*, a recto per medium fretum cursu ne minime quidem aberrent, in alterutram partem declinantes. Quod quum esset longe difficillimum, *certum est* nobis, constituimus vela retro dare. — 17 Vide 411, n. 98. *Angusta* : nam Pelorum ad angustias maris positum erat. Ille ventus classem secundum litus orientale Siciliæ versus austrum ferebat. « *Missus*, favore numinum. » *S.* — 18 Pantagias, aliis Pantachus, parvus fluvius Siciliæ haud procul a Megaris in mare effluens, ostio præruptis saxis incluso, hodie *Fiume di Porcari*. Fabulas de eo habes apud Servium. Sinus *Megaros* pro Megarenses, hodie *Golfo di Augusta*, ad Megara oppidum, olim Hybla Parva dictum. Denique *Thapsus*, « insula (imo peninsula) non longe a Syracusis, plana, pæne fluctibus par. » *S.* Hodie *Bagnoli*. — 19 Pererrata, errando emensa olim cum Ulysse : qui quidem hæc litora Siciliæ minime legerat. Sunt versus interpolati, quod liquido demonstrarunt critici. — 20 Sinui; ante hunc sinum porrecta. Is postea Syracusarum Magnum Portum efficiebat. — 21 *Contra*, e regione Plemmyrii, promontorii ad aditum sinus, quod æstuantis maris fluctus semper circumstrepunt, unde nomen a πλημμύρα, æstu maris. — 22 *Ortygia*, ab ὄρτυξ, coturnice, « in quam formam mutata Latona, fugiens draconem Pythonem, in hanc insulam evolaverit. » *Schol. veron.* Postea erat pars Syracusarum urbis, dicta Νᾶσος. *Insula*. Nota fabula Alphei et Arethusæ, vel ex *Metamorph.* V, 487 seqq. Vide *Ecl.* X, not. 1 et 3. — 23 Fonte; per tuum fontem erumpens. — 24 *Jussi*, haud dubie ab Anchise, cui in his omnibus poeta religionum curam dedit. — 25 Fluvius est paullo supra Pachynum promontorium. Is primum inter speeus et exesas rupes

magno strepitu procurrit, deinde mare versus tranquillo cursu incedit. hieme, clauso fluctibus ostio, frequenter exundans et stagnans, unde agri vicini pinguescunt plurimum. Ab hac differentia cursûs hodie nomen duplex, *Atellaro*, et ad ostia propius *Abisso*. — 26 Porrecta, extenta in mare. Vide 429, n. 7. — 27 Hodieque *Camarana*. Rem explicavit Servius ex vetere grammatico Aspero : « Palus est juxta oppidum nominis ejusdem, de qua quodam tempore, quum siccata pestilentiam creasset, consultus Apollo, an eam penitus exhaurire deberent, respondit : Μὴ κίνει· Καμάρειναν· ἀκίνητος γὰρ ἀμείνων. Quo contempto, exsiccaverunt paludem, et sedata pestilentia, per eam partem ingressis hostibus, pœnas dederunt. » *Moveri* dicitur in quo aliquid mutatur, novatur. Campi *Gelοi*, Γελῷοι, a Gela. — 28 *In manibusque* [sic Ungerus pro inepto *inmanisque*], proxima nobis erat urbs Gela (hodie *Terra Nuova*), vocata a fluvio Gela, hodie *Fiume di Ghiozzo*. Sed post *campi Geloi*, hæc esse « glossam geographicam » consentiunt meliores critici. — 29 Græcum nomen Agrigenti, in monte Acragante siti, hodie *Girgenti*. — 30 *Quondam* de futuro tempore. Equi *magnanimi*, qui et ipsi ad victoriæ palmam adspirent. Servius : « Secundum Pindarum Theron et alii Agrigentini equos ad agones Græciæ mittebant, qui inde victores revertebantur. Legitur etiam illud : quum in Cappadocia greges equorum periissent, Delphici Apollinis responso adduxerunt equos de Agrigento, et reparavere meliores. » — 31 Missis a numine. *Selinus*, « civitas juxta Lilybæum promontorium, abundans palmis, quibus vescuntur, et apio, quod græce σέλινον, unde nomen. » *S.* Deletæ anno 249 a. C. rudera cernuntur ad *Torre di Polluce*. — 32 Lilybæum, hodie *Capo Boeo*, tertium Trinacriæ promontorium, Africæ obversum. Vada *dura*, utpote saxeum fundum habentia. *Cæcis*, latentibus. — 33 Drepanum, urbs maritima ad radices montis Erycis, hodie *Trapani*. De nomine fabulas habes apud Servium. Ora *illætabilis*, quippe tristi aspectu, arboribus et herbis destituta, obsita arenis. Alii ab Ænea sic dici putant ob amissi patris memoriam. — 34 « Cato in Originibus Anchisen ad Italiam venisse docet : unde etiam in sexto [v. 718] illud amphibolon est : *Quo magis Italia mecum lætere reperta*. Nam et post Latinum Turnumque et Amatam dicitur excessisse. Sed bene hic subtrahitur, ne parum decoro amori intersit. » *Serv.* — 35 Ut cui desideratam Italiam non contigit videre. — 36 Sic redit ad initium, I, 34 : *Vix ea conspectu Siculæ* etc. — 37 *Unus* inter omnes verba faciens. *Fata divûm*, genitivo qui dicitur activo : quæ dii constituerunt. Sic *fata Jovis*, IV, 614.

Hinc altas cautes projectaque[26] saxa Pachyni
Radimus; et fatis nunquam concessa moveri
Apparet Camarina[27] procul, campique Geloi.
[In manibusque[28] Gela, fluvii cognomine dicta.]
Arduus inde Acragas[29] ostentat maxima longe
Mœnia, magnanimûm quondam[30] generator equorûm;
Teque datis[31] linquo ventis, palmosa Selinus,
Et vada dura lego saxis Lilybeïa[32] cæcis.
Hinc Drepani[33] me portus et illætabilis ora
Accipit. Hic, pelagi tot tempestatibus actus,
Heu! genitorem, omnis curæ casusque levamen,
Amitto Anchisen[34]. Hic me, pater optime, fessum
Deseris, heu! tantis nequicquam[35] erepte periclis!
Nec vates Helenus, quum multa horrenda moneret,
Hos mihi prædixit luctus, non dira Celæno.
Hic labor extremus, longarum hæc meta viarum.
Hinc me digressum[36] vestris deus appulit oris.»
Sic pater Æneas intentis omnibus unus[37]
Fata renarrabat divûm, cursusque docebat.
Conticuit tandem, factoque hic fine quievit.

LIBER IV.

At regina, gravi jamdudum saucia curâ[1],
Vulnus alit venis[2], et cæco carpitur igni.
Multa[3] viri virtus animo multusque recursat
Gentis honos; hærent infixi pectore vultus
Verbaque, nec placidam membris dat cura quietem.
Postera Phœbea lustrabat lampade[4] terras,
Humentemque Aurora polo dimoverat umbram,
Quum sic unanimam alloquitur male sana sororem:
« Anna soror, quæ me suspensam[5] insomnia terrent!
Quis novus[6] hic nostris successit sedibus hospes!
Quem sese ore ferens! quam forti pectore et armis[7]!
Credo equidem (nec vana fides) genus[8] esse deorum.
Degeneres animos timor arguit. Heu, quibus ille
Jactatus fatis! quæ bella exhausta[9] canebat!
Si mihi non animo fixum immotumque sederet[10],
Ne cui me vinclo vellem sociare jugali,
Postquam primus amor deceptam morte[11] fefellit;
Si non pertæsum thalami tædæque[12] fuisset,
Huic uni forsan potui[13] succumbere culpæ.

1 Amore Æneæ. Non raro apud poetas *cura* de amore, item *vulnus*, *ignis*. Ennius: *Medea, animo ægra, amore sævo saucia.* — 2 *Venis*, « quia per venas amor currit, sicut venenum; unde dictum (I, 688), *Occultum inspires ignem, fallasque veneno*, et (749), *longum bibebat amorem.* » *Serv. Cæco*, occulto. — 3 Magna et multis rebus spectata. — 4 Sole. Poetice facere dicitur Aurora hoc quod fit matutino tempore. *Polo*, cœlo. *Humentem* rore noctem. — 5 Animo inter varios motus fluctuante. — 6 Insolitus, qualis nunquam antea visus inter hospites qui huc advenerunt. *Quem* pro: qualem. Quanta in ore ejus dignitas! — 7 *Et armis* quam fortibus (quod legitur X, 735), repetendo adjectivo, ut III, 413, n. 99. — 8 Eum esse prolem, progeniem deorum. — 9 Exantlata, tolerata a se. — 10 Confer II, 660, n. 92. — 11 *Morte* Sychæi (I, 348 seqq.), quæ diuturnæ conjunctionis sperata gaudia inopinatæ mihi abstulit. — 12 *Tædæ*, nuptiarum, ducta significatione ex ritu indicato not. 26 Eclogæ VIII. — 13 *Potui* pro vulgari: potuissem; vide II, 55, n. 30. Jam dictura « amori » Sychæum cogitans subito supposuit *culpæ*, quod vocabulum non ferre orationem sic inchoatam recte disputavit Peerlkamp.

Anna, fatebor enim, miseri post fata Sychæi
Conjugis, et sparsos fraterna[14] cæde Penates,
Solus hic inflexit sensus, animumque labantem
Impulit[15] : agnosco veteris vestigia flammæ.
Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat,
Vel Pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras,
Pallentes umbras Erebi, noctemque profundam,
Ante[16], Pudor, quam te violo, aut tua jura resolvo.
Ille meos, primus qui me sibi junxit, amores
Abstulit ; ille habeat secum, servetque sepulchro. »
Sic effata, sinum[17] lacrimis implevit obortis.

Anna refert : « O luce magis dilecta sorori,
Solane perpetua mœrens carpère[18] juventa,
Nec dulces natos, Veneris nec præmia noris ?
Id cinerem aut Manes credis curare sepultos[19] ?
Esto : ægram nulli quondam flexere mariti[20],
Non Libyæ, non ante Tyro ; despectus Iarbas[21],
Ductoresque alii, quos Africa terra triumphis
Dives[22] alit : placitone etiam pugnabis amori ?
Nec venit in mentem quorum consederis arvis ?
Hinc Gætulæ[23] urbes, genus insuperabile bello,
Et Numidæ infreni cingunt, et inhospita Syrtis[24] ;
Hinc deserta siti[25] regio, lateque furentes
Barcæi[26]. Quid bella Tyro surgentia dicam,
Germanique minas ?
Dis equidem auspicibus reor et Junone secundâ
Hunc[27] cursum Iliacas vento tenuisse carinas.
Quã tu urbẽ, soror, hanc cernes, quæ surgere regna
Conjugio tali ! Teucrûm comitantibus armis,
Punica se quantis attollet gloria rebus[28] !
Tu modo posce deos veniam[29], sacrisque litatis,
Indulge hospitio, causasque innecte morandi,

14 Cæde a fratre commissa. Sed interpolatoris esse hunc versum persuadet idem criticus p. 224. — 15 Cf. I, 660, n. 20. — 16 *Ante* repetitum, quòd *prius* multis verbis præcessit. — 17 *Sinum* vestis, in quo vultum condebat. Alii putant, sinum sororis, in quem caput reposuerit. — 18 Idem est quod : carpèris mœrore. — 19 Manes *sepultos*, post sepulturam, s. sepultorum. — 20 *Mariti*, « non qui erant, sed qui esse cupiebant. » *S.* Idem *Tyro* recte explicavit Τυρόθεν, de Tyro ; etiam in prosa, ut *Cn. Matius Cremona*, apud Cæsarem, idem quod *Cremonensis*. — 21 Iarbas, « rex Libyæ, qui Didonem voluit ducere, et (sicut habet historia) quum hæc negaret, Carthagini intulit bellum : cujus timore quum cogeretur a civibus, petiit ut ante placaret manes mariti prioris, et exædificata pyra, se in ignem præcipitavit. Ob quam rem *Dido*, id est virago, appellata est : nam *Elissa* proprie dicta est. » *Serv.* Adde Justinum XVIII, c. 6 ; cui Sychæus dicitur *Acerbas*, pro vero nomine *Sicarbas*. — 22 Junge *dives triumphis*, bellis gestis clara. — 23 Gætuli gens juxta Numidiam meridiem versus. « Ad terrorem *urbes* posuit ; nam in mapalibus habitant. » *S.* Numidæ *infreni*, frenis ad regendos equos non utentes ; quomodo capiendum illud Silii : *Numidæ, gens nescia freni*. — 24 Regio adjacens duabus Syrtibus, vadis (p. 135, n. 71) in septentrionali litore Africæ, hodie *Golfo di Sydra* et *di Capos*, a prædonibus infestata. — 25 Infrequenter habitata ob sitim, aquæ penuriam. « Dicit *Xerolibyen* (Africam siccam), quæ est inter Tripolin et Pentapolin. Et bene terret dicens juxta esse aut bellicosas gentes, aut deserta loca, unde non speratur auxilium. » *Serv.* — 26 Incolæ urbis Barcæ, in Cyrenaica, ultra Syrtim majorem, postea Ptolemais dictæ. Ceterum urbs rebus Trojanis multo recentior. *Tyro surgentia*, a Tyro nobis imminentia ; v. I, 357 seqq. — 27 *Hunc*, directum huc, ad nos ; v. p. 147, n. 66. Mox *Quam, quæ*, pro : quantam aut qualem, etc. — 28 *Rebus* gestis. — 29 Benevolentiam : propitios redde precibus. *Hospitio* et proprie accipi potest : hospitalitati, officiis hospitalibus ; et per abstractum pro concreto : hospitibus sis benigna. Pulchrum *innecte*, sere

Dum pelago desævit hiems et aquosus Orion[30],
Quassatæque rates, dum non tractabile[31] cœlum. »
Iis dictis incensum animum inflammavit amore,
Spemque dedit dubiæ menti, solvitque pudorem.
Principio delubra adeunt, pacemque per aras[32]
Exquirunt; mactant lectas de more bidentes
Legiferæ[33] Cereri, Phœboque, patrique Lyæo,
Junoni ante omnes, cui vincla jugalia curæ.
Ipsa, tenens dextra pateram, pulcherrima Dido
Candentis vaccæ media inter cornua fundit[34],
Aut ante ora deûm pingues spatiatur[35] ad aras,
Instauratque[36] diem donis, pecudumque reclusis
Pectoribus inhians[37], spirantia consulit exta.
Heu, vatum[38] ignaræ mentes! quid vota furentem,
Quid delubra juvant? Est[39] mollis flamma medullas
Interea, et tacitum vivit sub pectore vulnus.
Uritur infelix Dido, totaque vagatur
Urbe furens, qualis conjecta cerva sagitta,
Quam procul incautam nemora inter Cresia[40] fixit
Pastor agens telis, liquitque volatile ferrum
Nescius[41]; illa fuga silvas saltusque peragrat
Dictæos: hæret lateri letalis arundo.
Nunc media Ænean secum per mœnia ducit,
Sidoniasque ostentat opes[42], urbemque paratam;
Incipit effari, mediaque in voce resistit[43]:
Nunc eadem, labente die, convivia quærit,
Iliacosque iterum demens audire labores
Exposcit, pendetque iterum narrantis ab ore.
Post, ubi digressi, lumenque obscura vicissim
Luna premit[44], suadentque cadentia sidera somnos,
Sola domo mœret vacua, stratisque relictis[45]

tanquam vinculo. — 30 Vide I, 535, n. 67. — 31 Asperum, ut quo non potest navigari, sicut nec ager coli per *brumam intractabilem*, Georg. I, 211. — 32 *Per aras*, ab una arad aliam euntes. ▪ *Exquirunt*, sacrificando explorant, an dii vellent hujic rei consentire. ▪ *S.* Oves sacrificiis aptæ dicuntur *bidentes*; vide VI, 39, n. 24. — 33 De Cerere *legifera*, legum et cultioris vitæ ex agricultura auctore, multa Servius, in quibus servavit hæc Calvi poetæ: *Et leges sanctas docuit, et cara jugavit Corpora connubiis, et magnas condidit urbes. Lyæo*, v. *Georg.* II, 229, n. 82. — 34 *Fundit* vinum e patera. — 35 ▪ *Spatiatur*: matronæ sacrificaturæ enim circa aras, faculas tenentes, ferebantur quasi cum quodam gestu. Quidam genus sacrificii accipiunt, quo veteres quum aras circuirent, et rursus quum reverterentur, et deinde consisterent, dicebant *minusculum sacrum*. ▪ *Serv.* — 36 Proprie dicuntur *instaurari sacra*, quum repetuntur et nova subinde offeruntur; poeta ad *diem* refert, quem Dido *instaurat donis*, sacrificiis identidem offerendis celebrat. Sic Livius dixit, XXVII, 36; *plebeis ludis biduum instauratum est*. — 37 ▪ Intenta per sollicitudinem. *Spirantia*, palpitantia, quasi adhuc viva. ▪ *Serv.* — 38 Vates (magis proprie extispices) jubente Didone operam dabant ut explorarent voluntatem deorum, bona illi fide, sed ignorantes vim amoris quæ reginam potenter agitabat, non obsecuturam responsis extorum. *Vota*, sacra ex voto diis oblata. — 39 Edit, consumit. Multi scribunt *molles medullas*, quia vehementis amoris minime sit flamma *mollis*. Ego explicarim: quamvis urens, grata tamen et dulcis; quo sensu poeta sæpe dixit *mollis somnus*. — 40 Κρήσια, Cretica. *Agens*, urgens, persequens. — 41 Nesciens id hæsisse in cerva, et frustra emissum credens. *Dictæos*, v. not. 54 Eclogæ VI. — 42 Magnificum ornatum urbis, testem patriarum opum. Jam *paratam* et patentem ei qui vel locum condendæ nondum adeptus erat. — 43 Hæret. *Labente die*, quæ cœnæ hora. — 44 Reprimit lumen suum (quare per prolepsin dicitur *obscura*), fit obscurior *vicissim*, ex vice, postquam fuerat ante clarior. Sequentia etiam II, 9. — 45 *Relictis* ab Ænea, in quo lecto cum Ænea mensæ accubuerat. Hoc vel ob sequentia probabilius quam de toro viduo cogitare.

Incubat. Illum absens absentem auditque videtque,
Aut gremio Ascanium, genitoris imagine capta,
Detinet, infandum si[46] fallere possit amorem.
Non cœptæ assurgunt turres; non arma juventus
Exercet, portusve aut propugnacula bello[47]
Tuta parant; pendent opera interrupta, minæque
Murorum ingentes, æquataque machina[48] cœlo.
Quam simul ac tali persensit peste[49] teneri
Cara Jovis conjux, nec famam obstare furori,
Talibus aggreditur Venerem Saturnia dictis:
« Egregiam vero[50] laudem et spolia ampla refertis,
Tuq; puerq; tuus; magnum et memorabile numen[51],
Una dolo divûm si femina victa duorum est!
Nec me adeo fallit veritam te mœnia nostra
Suspectas habuisse domos Carthaginis altæ. [ta?
Sed quis erit modus[52]? aut quo nunc certamina tan-
Quin potius pacem æternam pactosque hymenæos[53]
Exercemus? Habes tota quod mente petisti:
Ardet amans Dido, traxitque per ossa[54] furorem.
Communem hunc ergo populum paribusque regamus
Auspiciis[55]; liceat Phrygio servire marito,
Dotalesque[56] tuæ Tyrios permittere dextræ. »
Olli (sensit enim simulata mente locutam,
Quo regnum Italiæ[57] Libycas averteret oras)
Sic contra est ingressa[58] Venus: « Quis talia demens
Abnuat, aut tecum malit contendere bello?
Si modo, quod memoras, factum fortuna sequatur.
Sed fatis incerta[59] feror, si Jupiter unam
Esse velit Tyriis urbem Trojaque profectis,
Miscerive probet populos, aut fœdera jungi.
Tu conjux: tibi fas animum tentare precando.
Perge, sequar. » Tum sic excepit regia Juno: [stat
« Mecû[60] erit iste labor: nunc qua ratione quod in-

46 *Si* in talibus indicat tentari aliquid cum aliqua spe; sic I, 181, n. 13, et alibi. — 47 Dativus. *Pendere* dicuntur ea quæ intermittimus et non perficimus. *Minæ murorum* vocantur muri altissimi, qui *minantur in cœlum*, ut de scopulis dictum I, 162. Ac videtur eminendi significatio prima esse horum vocabulorum, et vulgaris inde derivata. — 48 *Machina*, aliter ab aliis explicata, hic esse videtur quod nostri vocant *échafaudage*, tigna erecta, cum transversis colligata, quibus insistentes extruebant ædes et muros cum turribus. — 49 *Peste*, de eodem amore jam positum I, 712. *Famam*, curam famæ et existimationis hominum. — 50 « Ironia est, inter quam et confessionem (veram animi nostri) sola interest pronuntiatio. » *Serv.* — 51 *Numen*, supple *eritis*. — 52 *Modus*, scilicet inimicitiarum quas habemus. Conf. *Ecl.* X, n. 21. — 53 Pro prosaico: pacem æternam exercemus pactis et confectis his nuptiis. — 54 *Ossa*, quod supra *medullas*, n. 39. — 55 *Paribus auspiciis*, æquali imperio vel potestate. Ductum a magistratibus Romanorum, qui cum imperio conjunctum habebant *auspicium*, id est jus auspicia captandi: inde *auspicia* sæpe de ipso imperio. *Liceat* per me, non impedio Didonem *servire* etc. — 56 Et ut Dido Tyrios pro dote permittat tuæ *dextræ*, id est fidei et tutelæ. te jam futurâ tutelari dea Carthaginis. Non audiendus Servius quamvis confidens: « Quid est enim aliud *permittere dextræ* quam in manum convenire? » *Olli*, v. I, 254, n. 51. — 57 Regnum gentium et totius mundi fatis destinatum Italiæ. — 58 *Ingressa est*, incipit dicere. Conf. *Georg.* II, 175, n. 39. Servius autem: « Calliditatis est; habet enim hæc vox insidiarum significationem. » — 59 Accipitur pro *fatorum* incerta, ob similia adjectiva ablativum pro genitivo admittentia. Sed quum *incerta* ignorationis notionem includat, sponte intelligitur *fatis* quæ ignoro, ignoratione fatorum. — 60 Apud me, in animo meo, curæ mihi erit *labor* explorandi voluntatem Jovis; conf. I, 76, n. 50. *Quod instat*, quod nunc est agendum.

Confieri possit, paucis, adverte[61], docebo.
Venatum Æneas unaque miserrima[62] Dido
In nemus ire parant, ubi primos crastinus ortus
Extulerit Titan[63] radiisque retexerit orbem.
His ego nigrantem commixta grandine nimbum,
Dum trepidant alæ[64] saltusque indagine cingunt,
Desuper infundam, et tonitru cœlum omne ciebo.
Diffugient comites, et nocte tegentur opaca :
Speluncam Dido, dux et Trojanus eandem
Devenient. Adero, et, tua si mihi certa[65] voluntas,
Connubio jungam stabili, propriamque dicabo :
Hic hymenæus erit. » Non adversata petenti
Annuit, atque dolis risit Cytherea repertis[66].
Oceanum interea surgens Aurora reliquit.
It[67] portis jubare exorto delecta juventus ;
Retia rara, plagæ, lato venabula ferro,
Massylique[68] ruunt equites, et odora canum vis.
Reginam thalamo cunctantem ad limina primi
Pœnorum exspectant ; ostroque insignis et auro
Stat sonipes, ac frena ferox spumantia mandit.
Tandem progreditur, magna stipante caterva,
Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo ;
Cui pharetra ex auro, crines nodantur in aurum[69],
Aurea purpuream subnectit[70] fibula vestem.
Nec non et Phrygii comites et lætus Iulus
Incedunt. Ipse ante alios pulcherrimus omnes
Infert se socium Æneas, atque agmina jungit[71].
Qualis, ubi hibernam[72] Lyciam Xanthique fluenta
Deserit ac Delum maternam invisit Apollo,
Instauratque[73] choros, mixtique altaria circum
Cretesque[74] Dryopesque fremunt pictique Agathyrsi ;

61 *Adverte* animum. — 62 Misere amans. — 63 Sol : « unus enim de Titanibus, Hyperionis filius, contra Jovem non fecit. » *Serv.* *Retexerit*, noctis quasi velo detracto. — 64 *Alæ* videntur esse mobiles illæ punicei fere coloris pennæ, *formido* appellatæ, de quibus dictum ad *Georg.* III, 372, n. 40. Dispositæ autem illæ erant per *indaginem* seu seriem plagarum. Alii tamen cum Servio intelligunt equitum alas, equites, qui quidem mox memorantur v. 132. — 65 Firma, ut ei fidere possim. Sequens versus jure locum suum obtinet, non illatus temere ex I, 73. — 66 Inventis, excogitatis a Junone ; de quibus *risit*, quod bene nosset eventum non habituros neque mutatum iri fata. — 67 Exit. *Jubare* solis, sole. Retia *rara*, non densa, raris et inter se distantibus filis virgisve texta, cum *plagis*, quæ crassiore filo aut funibus confectæ, etiam ab Horatio memorata in venatione, *Epod.* II, 32, 33. « Supple *portantur* ; nam zeugma est *ruunt*. » *S.* — 68 Gens Numidiæ partem orientalem incolens ; a poetis autem *Massylus* sæpe ponitur pro *Afro* in universum. *Canum vis* non de multitudine capiendum, sed de virtute canum subtili olfactu præditorum, sagacium. Sic Lucretius, *fida canum vis* (VI, 1222) ; Horatius, *amica vis pastoribus* (de canibus) ; Statius, *rabidam canum vim*. — 69 In nodum collecti aurea fibula continentur. Non potest intelligi cum Servio et aliis retiolum vel reticulum aureum, ob *nodantur*. — 70 Nectit superius, in humeris vel ad pectus. — 71 « Se jungit agmini. Fluxit hoc ex latina in linguam francicam. » *Peerlk.* — 72 « Non asperam, sed aptam hiemare cupientibus. » *S.* Nimirum Pataris, urbe Lyciæ ad mare sita, haud procul ab ostio Xanthi fluminis (Lycii, non Trojani), Apollo per sex menses hiemales degere credebatur, inde verno tempore in Delum Latonæ sacram transiens, ubi solemnibus festis excipiebatur. — 73 Poetice (id quod sæpe vidimus) ipse facere dicitur quod fit propter adventum ejus. — 74 Undique tum in Delum confluebant gentes sive potius gentium θεωροί (sacri legati), primitias frugum deo offerentes. *Dryopes*, populus antiquæ Doridis. Pro Hyperboreis, quos sacer mythus χρυσοῦν θέρος mittere Delum narrabat, poeta ponit *Agathyrsos*, Sarmatiæ Europææ sive Transilvaniæ

populum, « qui ora sibi et artus pingunt iisdem omnes notis, et sic, ut ablui nequeant, » verbis Pomponii Melæ (II, c. 1), nobis *tatouës* ; conf. *Georg.* II, 115, n. 94. *Fremunt*, de læto cantu. *Cynthi*, v. *Ecl.* VI, n. 3. — 75 Cæsariem intonsam, defluentem *fingit*, ordinat, comat, et *premit*, continet coronâ laureâ, atque *implicat* vel religat vittâ aureâ vel diademate. — 76 Eadem qua Apollo alacritate. Consulto poeta hoc tantum dixisse videtur sobrius : reliqua sponte sua ex splendida comparatione affluunt lectori. — 77 Depulsæ a venatoribus. — 78 *Agmina glomerant*, ita se glomerant et colligunt, ut agmina efficiant pulverem cursu excitantia. Memoranda conjectura Peerlkampii : *fontesque*. — 79 Offerri sibi. « Indolem pueri poeta vult ostendere, ut merito libro nono Numanum occidere videatur. » *Longus* « Bene per contemptum *pecora*, quæ non silvestria, sed innocua et ignava humano usui aluntur. » *Serv.* — 80 « Quidam sane *Telturem* præesse nuptiis tradunt : nam et in auspiciis nuptiarum invocatur ; cui etiam virgines, vel quum ire ad domum mariti cœperint, vel jam ibi positæ, diversis nominibus vel ritu sacrificant. Juno *pronuba*, quæ nubentibus præest. » *Serv.* — 81 *Conscius* non solum personæ, sed rei quoque dativo construitur. *Fulsere ignes et æther*, quod vulgo dicitur : fulsit æther ignibus. « *Ululârunt* : bene medium elegit sermonem ; nam non in luctu modo, sed veteres etiam in sacris dicebant *ululare*, ex græca consuetudine (ὀλολύζω). Est ergo quasi nuptiarum sacra celebrarunt. » *S.* Conf. v. 609. — 82 Vide supra n. 49. *Specie*, decoro (quod nos quoque ita vocamus), τῷ πρέποντι. — 83 Velat. — 84 Celeberrima hæc *Famæ* descriptio imitatores habuit Ovidium *Met.* XII, 39 seqq., Statium *Theb.* III, 426 seqq., Valerium Flaccum II, 116 seqq., et recentiores multos. (*Quo* ap. Serv., *qua* in codd. vetustiss.) — 85 *Primo* esse adverbium, non adjectivum, jam veteres grammatici certatim annotarunt. Fama primum est parva *metu*, metuens nimium ne redarguatur, initio cautius loquitur et aliquamdiu se continet. Duo versus ex Homero translati, qui hæc de Eride dixit *Il.* Δ, 442-3. — 86 Ira *deorum* in deos, qui filios

Ipse jugis Cynthi graditur, mollique fluentem
Fronde premit crinem fingens[75] atque implicat auro ;
Tela sonant humeris : haud illo segnior[76] ibat
Æneas ; tantum egregio decus enitet ore.
Postquâ altos ventum in montes atque invia lustra,
Ecce feræ, saxi dejectæ[77] vertice, capræ
Decurrêre jugis ; alia de parte patentes
Transmittunt cursu campos atque agmina cervi
Pulverulenta fuga glomerant[78], montesque relinquunt.
At puer Ascanius mediis in vallibus acri
Gaudet equo ; jamque hos cursu, jam præterit illos,
Spumantemque dari[79] pecora inter inertia votis
Optat aprum, aut fulvum descendere monte leonem.
Interea magno misceri murmure cœlum
Incipit ; insequitur commixta grandine nimbus.
Et Tyrii comites passim, et Trojana juventus,
Dardaniusque nepos Veneris diversa per agros
Tecta metu petiere ; ruunt de montibus amnes.
Speluncam Dido, dux et Trojanus eandem
Deveniunt. Primæ Tellus[80] et pronuba Juno
Dant signum ; fulsere ignes et conscius æther
Connubiis[81], summoque ululârunt vertice Nymphæ.
Ille dies primus leti primusque malorum
Causa fuit : neque enim specie famave[82] movetur,
Nec jam furtivum Dido meditatur amorem ;
Conjugium vocat ; hoc prætexit[83] nomine culpam.
Extemplo Libyæ magnas it Fama per urbes,
Fama[84], malum quo non aliud velocius ullum ;
Mobilitate viget, viresque acquirit eundo :
Parva metu primò[85], mox sese attollit in auras,
Ingrediturque solo, et caput inter nubila condit.
Illam Terra parens, irâ irritata deorum[86],

Extremam, ut perhibent, Cœo Enceladoque sororem
Progenuit, pedibus celerem et pernicibus alis :
Monstrũ horrendum, ingens ; cui quot sunt corpore
Tot vigiles oculi subter[87] (mirabile dictu), [plumæ,
Tot linguæ, totidem ora sonant, tot subrigit aures.
Nocte volat cœli medio terræque per umbram,
Stridens[88], nec dulci declinat lumina somno ;
Luce sedet custos[89] aut summi culmine tecti.
Turribus aut altis, et magnas territat urbes.
Tam ficti pravique tenax, quam nuntia veri.
Hæc tum multiplici populos sermone replebat
Gaudens et pariter facta atque infecta canebat :
Venisse Æneam, Trojano a sanguine cretum,
Cui se pulchra viro dignetur jungere Dido ;
Nunc hiemem inter se luxu, quam longa, fovere[90]
Regnorum immemores, turpique cupidine captos.
Hæc passim dea fœda virũm diffundit in ora.
Protinus ad regem cursus detorquet Iarban[91],
Incenditque animum dictis, atque aggerat iras.

Hic Ammone satus, rapta Garamantide[92] Nympha,
Templa Jovi centum latis immania regnis,
Centum aras posuit, vigilemque[93] sacraverat ignem,
Excubias divũm æternas ; pecudumque cruore
Pingue[94] solum, et variis florentia limina sertis.
Isque amens animi[95], et rumore accensus amaro,
Dicitur ante aras, media inter numina divũm,
Multa Jovem manibus supplex orasse supinis[96] :
« Juppiter omnipotens, cui nunc Maurusia[97] pictis
Gens epulata toris Lenæum libat honorem,
Aspicis hæc ? an te, genitor, quum fulmina torques,
Nequicquam horremus, cæcisque[98] in nubibus ignes
Terrificant animos, et inania murmura miscent[99] ?
Femina, quæ nostris errans in finibus urbem
Exiguam pretio[1] posuit, cui litus arandum,
Cuique loci leges dedimus[2], connubia nostra

Terræ, Titanas et Gigantas, in Tartarum conjecerant, velut *Cœum* Titanem, *Enceladum* Gigantem, de quo III, 578, n. 73. — 87 Sub corpore, in inferiore parte corporis? an sub plumis? ut latere dicantur oculi Famæ, quæ non fuisse visa credebamus videntis tamen. — 88 *Stridens* de alarum strepitu potius quam de oris sono capiendum. — 89 • *Custos*, speculatrix ut ne quid eam præteriret; non quæ custodiat, aut servet. • *S.* — 90 *Hiemem fovere luxu*, luxu se fovendo, molliter vivendo transigere totam, *quam longa* est : ut VIII, 86, et in hoc Ovidiano : *Et vacuus somno noctem, quam longa, peregi. Regnorum*, scilicet hæc Carthaginis, ille Italiæ. — 91 Vide supra n. 24. — 92 Vide not. 40 *Eclog.* VIII. • Et proprium nomen esse potest, et gentile. • *S.*, apud quem habes fabulas de Jove Ammone.

Qui ex hac Nympha genuit Iarbam, patris religiones in Libya constituentem. — 93 Ignem *vigilem*, perennem, ad quem alendum sacerdoti pervigilandum, excubandum erat. — 94 *Pingue* erat *solum*, etc. — 95 Vide ad *Georg.* IV, 491, n. 66. — 96 Levatis ad cœlum; ut supra III, 176. — 97 Gens Mauretanorum sive Maurorum, nomen pluribus gentibus illius regionis commune. *Epulata*, nam post epulas fiebant libationes. *Pictis* acu. *Lenæum honorem*, vinum in honorem Jovis fusum. — 98 Ignes *cæci*, temere et quasi quodam cæco impetu, non consilio certo missi, ut non feriant eos maxime, quos debent ferire, impios et scelestos. Bene comparantur hæc Livii, in oratione Persei accusantis Demetrium (XL, c. 10) : *Sed ne sint cæcæ, pater, exsecrationes tuæ, discerne, dispice insidiatorem et petitum insidiis : noxium incesse caput.* — 99 Murmura *miscent* pro vulgari : dant, quia murmura tonitruum percusso turbatoque aere fiunt. — 1 *Pretio* soluto, mercata; v. I, 367, n. 2. *Litus*, plaga litoralis; tractus haud latus. — 2 Cui

nos concessimus potestatem leges in eo loco constituendi. — 3 « Est vehemens accusatio : me maritum respuit, et Æneam, non virum, sed dominum recepit. » *S. Quem* injuriose comparat cum Paride, molli homine et raptore mulierum. — 4 *Semiviro*, convicium a Phrygiis sacerdotibus Cybeles, seu Gallis exsectis, petitum, quos non esse viros etiam IX, v. 617 seqq. significatur. Mitra *Mæonia* pro Phrygia; nam Lydiæ antiquum nomen *Mæonia* etiam ad vicinam ei Phrygiam extenditur. Ea mitra binis tenisve fimbriis aut fasciis pendulis instructa erat, quibus subter mentum colligatis, malæ et tempora tegebantur hominum mollium ea utentium. Sic intellige *subnixus*, mentum habens innixum subligatis fasciis mitræ.

Reppulit, ac dominum[3] Ænean in regna recepit.
Et nunc ille Paris cum semiviro[4] comitatu,
Mæonia mentum mitra crinemque madentem
Subnixus, rapto[5] potitur : nos munera templis
Quippe[6] tuis ferimus, famamque fovemus inanem. »
Talibus orantem dictis arasque tenentem[7]
Audiit Omnipotens, oculosque ad mœnia torsit
Regia et oblitos famæ melioris amantes.
Tum sic Mercurium alloquitur, ac talia mandat :
« Vade age, nate, voca Zephyros[8], et labere pennis,
Dardaniumque ducem, Tyria Carthagine qui nunc
Exspectat[9], fatisque datas non respicit urbes,
Alloquere, et celeres defer mea dicta per auras.
Non illum nobis genitrix pulcherrima talem
Promisit, Graiùmque ideo bis vindicat[10] armis :
Sed fore qui gravidam imperiis[11] belloque frementē
Italiam regeret, genus alto a sanguine Teucri
Proderet[12], ac totum sub leges mitteret orbem.
Si nulla[13] accendit tantarum gloria rerum,
Nec super ipse sua molitur laude laborem,
Ascanione pater Romanas invidet arces ? [tur,
Quid struit ? aut qua spe[14], inimica in gente, mora-
Nec prolem Ausoniam et Lavinia respicit arva ?
Naviget ! hæc summa est ; hic nostri nuntius esto. »
Dixerat. Ille patris magni parere parabat
Imperio : et primum pedibus talaria nectit
Aurea, quæ sublimem alis, sive æquora supra
Seu terram, rapido pariter cum flamine portant.
Tum virgam[15] capit : hac animas ille evocat Orco
Pallentes, alias sub Tartara tristia mittit,
Dat somnos adimitque, et lumina morte resignat[16].

Mitræ. *Madentem* unguentis. — 5 *Rapto* est neutrum : prædâ, Didone rapta. — 6 Ironia amara : « Non mirum si hæc patimur te colentes. » *S. Quippe* sic postpositum non raro inservit ironiæ, ut in *Miltoniana*, c. 12 : *Movet me quippe lumen Curiæ ! Famam*, originis ex Jove. — 7 *Tenentem*, nam precantes solebant aram manibus prehendere. Eadem VI, 124. — 8 *Zephyros*, qui te celeriter deferant. *Pennis*, talaribus; vide 239. — 9 Moratur. — 10 Liberavit (de præsenti vide p. 134, n. 51) ab armis, hostili impetu Græcorum, *bis*, semel cum Diomede congressum (v. I, 99, n. 60), tum in excidio Trojæ, II, 589 seqq. — 11 « Quasi pariturum imperia. » *S.* Magnifice dictum, si seriei conveniret; quæ poscit ut Italiæ populi intelligantur, Æneæ auspiciis potentes futuri et late imperaturi. Paullo aliter Wagnerus : « Italiam multos habentem populos potentes, quibuscum postea Romani de imperio certarunt, Latinos, Etruscos, Samnites, Campanos. » — 12 Porro daret, protenderet, propagaret. *Sub leges mitteret*, victo orbi leges imponeret; locutione quæ in mentem vocat usitatiorem *sub jugum mittere*. — 13 *Nullus* in talibus pro *non* poni satis constat. — 14 Augetur vis vocis hiatu admisso; v. *Ecl.* III, n. 6. — 15 Sive caduceum. Confer Horatii *odas* X et XIV (fine) libri I. — 16 Lumina resignat *a* morte (nam verba cum *re* composita non raro struuntur ablativo simplici, sine præpositione *a* vel *ex*), prohibens a morte; id est aperit oculos, qui morte jam clauduntur, sive jam morientes re-

Illa fretus agit[17] ventos, et turbida tranat
Nubila. Jamque volans apicem et latera ardua cernit
Atlantis[18] duri, cœlum qui vertice fulcit,
Atlantis, cinctum assidue cui nubibus atris
Piniferum caput et vento pulsatur et imbri;
Nix humeros infusa tegit; tum flumina mento
Præcipitant[19] senis, et glacie riget horrida barba.
Hic primum paribus[20] nitens Cyllenius alis
Constitit; hinc toto præceps se corpore ad undas
Misit, avi similis, quæ[21] circum litora, circum
Piscosos scopulos, humilis volat æquora juxta.
[Haud[22] aliter terras inter cœlumque volabat,
Litus arenosum ac Libyæ, ventosque secabat
Materno veniens ab avo Cyllenia proles.]
Ut primum alatis tetigit magalia[23] plantis,
Æneam fundantem arces ac tecta novantem[24]
Conspicit. Atque illi stellatus[25] iaspidis fulva
Ensis erat, Tyrioque ardebat murice[26] læna
Demissa ex humeris, dives quæ munera Dido
Fecerat, et tenui telas discreverat auro.
Continuo invadit[27]: « Tu nunc Carthaginis altæ
Fundamenta locas, pulchramque uxorius urbem
Exstruis? heu, regni rerumque oblite tuarum!
Ipse deûm tibi me claro demittit Olympo
Regnator, cœlum et terras qui numine torquet[28]:
Ipse hæc ferre jubet celeres mandata per auras:
Quid struis? aut qua spe Libycis teris otia terris?
Si te nulla movet tantarum gloria rerum,
Nec super ipse tua moliris laude laborem;
Ascanium surgentem[29] et spes hæredis Iuli
Respice, cui regnum Italiæ Romanaque tellus
Debentur. » Tali Cyllenius ore locutus
Mortales visus medio[30] sermone reliquit,
Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram.
At vero Æneas aspectu obmutuit amens,

vocat in vitam. Sic Wagnerus et Vossius, probabilius quam alii, qui multa et varia tentaverunt. Sed Weicherto, critico prudentissimo, nobisque valde suspectus est hic versus, omissus in antiquissimo codice Vaticano et in inferiore margine paginæ suppletus. — 17 Illius ope *agit* ante se, impellit. — 18 Atlantis Titanis, lapsi ti et Clymenes filii, secundum alios Ætheris et Terræ, in montem mutati. Nota fabula. Animadverte vocabula modo ad personam modo ad locum spectare, pulchre ludentia inter utramque imaginem. — 19 Vide II, 9, n. 4. — 20 Alis pariter libratis volans; leni illo volatu avium quæ jam volunt subsidere. *Cyllenius*, v. *Georg.* I, 337, n. 23, et infra VIII, 138 seq. — 21 Ex Homero, *Odyss.* E, 51-3. « Incongruum heroo carmini credidit si *mergum* diceret vel, ut quidam volunt, *fulicam*. » *Serv.* — 22 Interpolatoris esse hos versus critici demonstrarunt. Strue: *ac litus. Ab avo materno*, ab Atlante, patre Maiæ. — 23 Vide I, 421, n. 22. — 24 Novas ædes (privatas) condentem. — 25 Ensis tanquam stellis distinctus iaspidibus in capulo vel vagina. « C. Memmius (orator) de triumpho Luculli: *Syriaci calceoli gemmarum stellati coloribus.* » *S.* — 26 Vide *Ecl.* IV, n. 42. *Ardebat*, splendebat ut ignis. — 27 *Invadit* verbis, invehitur in eum. *Uxorius*, ut in noto versu Horatii *Od.* I, 2, 20. — 28 *Torquet*, versat. Nam Jovi tribuuntur motus cœli et terræ, « quæ circum axem se summa celeritate convertit et torquet » (*Cic.*). — 29 Crescentem, adolescentem. Addit *Iuli* ob Julios Cæsares; v. p. 140, n. 58. — 30 « Atqui exsecutus est omnia quæ Jupiter dixerat. Sed *sermo* est consertio orationis et confabulatio duorum aut plurium. *Medius* ergo *sermo* est quum altera persona nondum respondit. » *Serv.*

Arrectæque horrore comæ, et vox faucibus hæsit.
Ardet abire fuga, dulcesque relinquere terras,
Attonitus tanto monitu imperioque deorum.
Heu! quid agat? quo nunc reginâ ambire[31] furentẽ
Audeat affatu? quæ prima exordia sumat?
Atq; animũ nunc huc celerem, nunc dividit[32] illuc,
In partesque rapit varias, perque omnia versat.
Hæc alternanti[33] potior sententia visa est:
Mnesthea, Sergestumq; vocat, fortemque Serestum:
Classem aptent taciti, sociosque ad litora cogant,
Arma parent, et quæ rebus sit causa novandis
Dissimulent; sese interea, quando[34] optima Dido
Nesciat et tantos rumpi non speret amores,
Tentaturum aditus[35], et quæ mollissima fandi
Tempora, quis rebus dexter modus. Ocius omnes
Imperio læti parent ac jussa facessunt.

At regina dolos (quis fallere possit amantem?)
Præsensit, motusque[36] excepit prima futuros,
Omnia tuta timens[37]. Eadem impia Fama furenti
Detulit, armari classem, cursumque parari.
Sævit inops animi[38], totamque incensa per urbem
Bacchatur: qualis commotis excita sacris
Thyias[39], ubi audito stimulant trieterica Baccho
Orgia[40], nocturnusque vocat clamore Cithæron.
Tandem his Æncan compellat vocibus ultro:
« Dissimulare etiam sperasti, perfide, tantum
Posse nefas, tacitusque mea decedere terra?
Nec te noster amor, nec te data dextera[41] quondam,
Nec moritura tenet crudeli[42] funere Dido?
Quin etiam hiberno moliris sidere classem,
Et mediis properas Aquilonibus ire per altum,
Crudelis? Quid? si non arva aliena domosque
Ignotas peteres, et Troja antiqua maneret,
Troja per undosum peteretur[43] classibus æquor?
Mene fugis? Per ego has[44] lacrimas dextramq; tuã te,

31 Adire blande, quasi per ambages. *Furentem*, ut v. 65. — 32 Animum divisum sive *diversæ tractum* (Terentiana voce) in diversas cogitationes dirigit nunc huc, nunc illuc. Secundum Homericum δ᾽ἀνὰ δὲ τὰ μεμάτρωτεν. — 33 Modo hoc modo illud animo volventi. — 34 Quandoquidem, quoniam. — 35 *Aditus*, scilicet *mollissimos*, quod sequitur: alloquendi occasiones, quo tempore eum consilium suum aperientem excepturus sit quam potest mollissime, non præfracte et irate. — 36 *Motus* et *moveri* dicitur de rebus quas agitamus, agere incipimus præsentem statum mutaturas. — 37 Vivide pro: timens omnia, etiam *tuta*, unde periculum nullum. Deinde sic struam: *Fama impia* (sæva sive diva) *furenti detulit eadem* quæ jam præsenserat et ex primo motu so-

ciorum erat suspicata, nimirum *armari* (instrui) *classem*, etc. Nam *eadem* (feminino) nec ad proxime præcedentia nec ad primam mentionem Famæ 190 referri potest, post tot versus. — 38 Alibi *mentis inops*, amens. — 39 Baccha, Mænas, a gr. βάκχη, furibundo cursu ferri. *Movere sacra* dicebantur quum sollemnibus diebus aperiebantur templa, et instrumenta sacra, cistæ, vasa, etc., ipsum denique simulacrum dei proferebantur; adde quæ annotantur in Horatii *odam* XVIII libri I, v. 11 seqq. — 40 *Orgia trieterica*, τριετηρικά (a τρεῖς et ἔτος), Bacchi festa tertio quoque anno quod nobis est *tous les deux ans*, a Thebanis celebrata noctu in monte Cithærone Thebis vicino. *Audito Baccho*, vel clamore sollemni IO BACCHE! vel ipsius voce numinis, quam audire se credebat Baccha. *Nocturnus*, vide n. 2 libri I. — 41 « Quæ fœdus amicitiarum. » *S.* — 42 Vide *Georg.* III. 263, n. 82. *Moliris* de reficienda et armanda classe intelligendum. — 43 Num *peteretur* a te? Nam, ut Ovidius dicit: *Quis velit in patriam vento prohibente reverti?* — 44 De hac structura vide II. 142, not. 69.

Quando aliud mihi jam miseræ nihil ipsa reliqui[45],
Per connubia nostra, per inceptos hymenæos[46],
Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quidquam
Dulce meum[47], miserere domus labentis, et istam,
Oro, si quis adhuc precibus locus, exue mentem.
Te propter Libycæ gentes Nomadumque tyranni
Odere[48], infensi Tyrii; te propter eundem
Exstinctus pudor, et, qua sola sidera adibam[49],
Fama prior. Cui me moribundam deseris, hospes?
Hoc solum nomen quoniam de conjuge restat[50].
Quid moror? an mea Pygmalion dum mœnia frater
Destruat, aut captam ducat Gætulus Iarbas?
Saltem si qua mihi de te suscepta fuisset
Ante fugam soboles, si quis mihi parvulus aulâ
Luderet Æneas, qui te tamen ore referret,
Non equidem omnino capta ac deserta viderer!»

Dixerat. Ille Jovis monitis immota tenebat
Lumina, et obnixus curam sub corde premebat.
Tandē pauca refert: «Ego[51] te, quæ plurima fando
Enumerare vales, nunquam, regina, negabo
Promeritam; nec me meminisse pigebit Elissæ,
Dum memor ipse mei, dum spiritus hos regit artus.
Pro re[52] pauca loquar. Neq; ego hanc abscondere furto
Speravi, ne finge[53], fugam; nec conjugis unquam
Prætendi tædas, aut hæc in fœdera veni.
Me si fata meis paterentur ducere vitam
Auspiciis[54] et sponte mea componere curas,
Urbem Trojanam primum dulcesque meorum
Reliquias[55] colerem, Priami tecta alta manerent,
Et recidiva[56] manu posuissem Pergama victis.
Sed nunc Italiam magnam Gryneüs[57] Apollo,

45 Totam memet tradendo in tuam potestatem. — 46 Petitum a Catullo, LXIV, 141, cujus alia quoque nonnulla Virgilius ascivit ex admirabili illo episodio de Ariadne a Theseo derelicta, quod his est conferendum, v. 52-206. — 47 A me profectum. — 48 *Odere* me; *infensi* mihi sunt. — 49 Fama pudicitiæ, qua magna et clara habebar; idem quod in *Ecl.* V, 43, *hinc usque ad sidera notus*, de Daphnide. — 50 « Dicitur poeta ingenti affectu hos versus pronuntiasse, quum privatim paucis præsentibus recitaret Augusto. *Quid moror?* aut in hac terra, aut in vita. » *S.* Alterum, *quid moror* mori? indicatum præcedenti *moribundam*. *Gætulus* (v. 40, n. 23) apud poetas dicitur generalius pro: Afer. Iarbas erat Maxitanus. — 51 Strue: Ego nunquam negabo te esse *promeritam*, priorem contulisse in me merita sive beneficia, *quæ* etc. *Elissæ*, vide not. 21 ad v. 36. — 52 Pro rerum statu et conditione, quæ pauca verba poscit, quum tua merita longam poscerent orationem. — 53 *Ne finge* animo tale quid. *Prætendi*, præ me tuli, proposium mihi esse significavi conjugium tædis nuptialibus ex ritu contractum. *Hæc*, matrimonii: non talem inii conjunctionem. — 54 Meo quasi ductu (v. 102, n. 55), mea voluntate. Quod Seneca tragicus dixit, *Fata si liceat mihi Fingere arbitrio meo. Componere curas*, res curandas, negotia quibus operam damus, ordinare. — 55 Incolerem reliquias ædium, in quibus cari mei et cives habitarunt, atque jam instaurassem nova Pergama, arcem cum templis. (Non audiendos puto qui *reliquias meorum* de cineribus et sepulchris mortuorum intelligunt, ut *colerem* notionem habeat duplicem.) *Priami tecta alta manerent*, scilicet restituta a me, etiamnum conspicerentur. Quæ ut ita somniari possit Æneas in dulcem memoriam abreptus, gravis tamen est nec prætereunda crisis Peerlkampiana p. 256: « Optare poterat ut palatium Priami non esset vastatum; efficere non poterat. Si reliquias Trojæ incolere vellet, debebat et urbem et palatium restituere; sed hoc nemo ita expressit: palatium *maneret*. » — 56 « Renascentia; tractum ab arboribus quæ taleis sectis repullulant. » *Serv.* — 57 Vide not. 69 Eclogæ VI; de *Lyciis sortibus* sive Patarensi oraculo Apollinis supra 143, n. 72. Recte Servius ob-

servat, Æneam neque Clazomenis neque Pataris accepisse oracula, sed Deli. Fortasse Asianas sedes dei memoravit ut Didoni notiores et apud eam plus auctoritatis habituras. — 58 *Quæ invidia est* pro *quid invides..?* ut Græci dicunt τίς φθόνος..; — 59 « Turbata, sollicita. » *S. Ægritudine plena, quod monita ejus contemnam. Me*, repete *admonet. Capitis*, passive. — 60 Fato ei datis, debitis. — 61 *Utrumque*, « aut meum et tuum, aut meum et Ascanii. » *S.* — 62 « Exagitare. » *S.* Utrumque junxit Sallustius : *Cæpere plebem exagitare, dein incendere* (*Cat.* c. 38). *Sequor*, peto. — 63 Non amplius adversis oculis, sed obliquis et torvis. — 64 Hoc graviter iratorum est, aliquem lustrare totum oculis antequam verba erumpant. — 65 Arduus saxis. Similis exsecratio in *Ecl.* VIII, n. 39 seqq. Hyrcania est regio Caucaso vicina, inter Caspium mare, Parthiam atque Oxum fluvium. — 66 Quid loquar dissimulanter? id est, cur nunc reprimam iram meam? *Quæ ad majora*, ad quas injurias majores jam illatis mihi ab Ænea? — 67 *Quæ*, initio periodi, pro : hæc. Quibus rebus (tanquam durioribus) has anteponam (tanquam leniores)? quæ majora ab isto possint addi, quibus postponam, quibus minora judicem quæ ex eo sum passa? Has igitur injurias Æneæ significat esse omnium gravissimas. — 68 « *Saturnium* modo appellat, quia Æneam a Carthagine præcipit abscedere. » *Serv.*, quem vide supra ad I, n. 19, p. 132. *Nusquam tuta*, nunc jam neque in homine, neque in ipsis diis tuto ponitur fides. *Ejectum* in *litore*. — 69 Supple : *servavi*; nam sequens *socios* Didoni verbum multo gravius suggerit. *Amissam*, quæ sine mea ope erat amissa. — 70 Sic Juno apud Horatium (*Od.* III, 3,) : Romulum ego *adscribi* QUIETIS *ordinibus patiar deorum*. Quo dogmate de quiete statûs perfecti Numinum abutebatur Epicurus. *Teneo*, retineo.

Italiam Lyciæ jussere capessere sortes :
Hic amor, hæc patria est. Si te Carthaginis arces,
Phœnissam, Libycæque aspectus detinet urbis,
Quæ [58] tandem Ausonia Teucros considere terra
Invidia est? Et nos fas extera quærere regna.
Me patris Anchisæ, quoties humentibus umbris
Nox operit terras, quoties astra ignea surgunt,
Admonet in somnis et turbida [59] terret imago;
Me puer Ascanius, capitisque injuria cari,
Quem regno Hesperiæ fraudo et fatalibus [60] arvis.
Nunc etiam interpres divûm, Jove missus ab ipso,
(Testor utrumque [61] caput) celeres mandata per auras
Detulit : ipse deum manifesto in lumine vidi
Intrantem muros, vocemque his auribus hausi.
Desine meque tuis incendere [62] teque querelis :
Italiam non sponte sequor. »

Talia dicentem jamdudum aversa [63] tuetur,
Huc illuc volvens oculos, totumque pererrat
Luminibus tacitis [64], et sic accensa profatur :
« Nec tibi diva parens, generis nec Dardanus auctor,
Perfide; sed duris genuit te cautibus horrens [65]
Caucasus, Hyrcanæque admôrunt ubera tigres. [vo ?
Nam quid dissimulo [66]? aut quæ me ad majora reser-
Num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit?
Nû lacrimas victus dedit? aut miseratus amantê est?
Quæ [67] quibus anteferam? Jam jam nec maxima Juno,
Nec Saturnius [68] hæc oculis pater aspicit æquis.
Nusquam tuta fides. Ejectum litore, egentem
Excepi, et regni demens in parte locavi;
Amissam classem [69], socios a morte reduxi.
Heu, furiis incensa feror! Nunc augur Apollo,
Nunc Lyciæ sortes, nunc et Jove missus ab ipso
Interpres divûm fert horrida jussa per auras.
Scilicet is Superis labor est, ea cura quietos [70]
Sollicitat! Neque te teneo, neque dicta refello :

I, sequere Italiam ventis, pete regna per undas[71].
Spero equidem mediis, si quid pia Numina possunt,
Supplicia hausurum[72] scopulis, et nomine Dido
Sæpe vocaturum. Sequar atris ignibus[73] absens;
Et quum frigida mors anima seduxerit artus,
Omnibus umbra[74] locis adero. Dabis, improbe, pœnas.
Audiam, et hæc Manes veniet mihi fama sub imos. »
His medium dictis sermonem[75] abrumpit, et auras
Ægra fugit, seque ex oculis avertit et aufert,
Linquens multa metu[76] cunctantem et multa parantem
Dicere. Suscipiunt famulæ, collapsaque membra
Marmoreo referunt thalamo[77], stratisque reponunt.

At pius Æneas, quamquam lenire dolentem
Solando cupit et dictis avertere curas,
Multa gemens, magnoque animum labefactus amore,
Jussa tamen divûm exsequitur, classemque revisit.
Tum vero Teucri incumbunt[78], et litore celsas
Deducunt toto naves; natat uncta carina;
Frondentesque ferunt remos[79] et robora silvis
Infabricata, fugæ studio.
Migrantes cernas, totaque ex urbe ruentes.
Ac velut ingentem formicæ farris acervum
Quũ populant[80], hiemis memores, tectoque reponunt;
It nigrum campis agmen[81], prædamque per herbas
Convectant calle angusto; pars grandia trudunt
Obnixæ frumenta humeris; pars agmina cogunt,
Castigantque moras[82]: opere omnis semita fervet.

Quis tibi tum, Dido, cernenti talia sensus!
Quosve dabas gemitus, quum litora fervere late
Prospiceres arce ex summa, totumque videres
Misceri ante oculos tantis clamoribus æquor!
Improbe amor, quid non mortalia pectora cogis?
Ire iterum in lacrimas[83], iterum tentare precando
Cogitur, et supplex animos submittere amori,
Ne quid inexpertum frustra moritura relinquat[84].
« Anna, vides toto properari litore? Circùm
Undique convenere; vocat jam carbasus[85] auras,

71 *Ventis, undas* : quæ sunt infidissima. *Pia*, pios respicientia. — 72 Exhausturum, perpessurum in scopulis maris inter Africam et Italiam medii. — 73 Nimirum ignibus rogi mei quos et Horatius vocat *nigros ignes* tanquam funesto omine. — 74 Memorabile hoc Servii : « *Umbra*, ut occisuræ se ante diem suum. Et dicunt physici, biothanatorum animas non recipi in originem suam, nisi si vagantes legitimum tempus fati sui compleverint. » *Manes* constat etiam de loco dici ubi animæ defunctæ versantur. — 75 Vide 277, n. 30. *Auras*, lucem; scilicet in thalamum se receptura. — 76 *Metu* ne dolorem et iram Didonis se purgando augeret. *Multa* pro : multùm, ut p. 100, n. 62. — 77 Dativus : in thalamum. — 78 *Incumbunt* operi. « *Uncta*, pice delibuta. » *S.* — 79 Ligna in remos, frondibus et ramulis nondum amputatis. *Silvis*, e silvis parvæ per metaphoram sublimitatem dedit, ut non videatur de formicis, sed de exercitu loqui. » — 80 Vide ad I, 527, n. 61, ex Servio, qui hic addit : « Et bene rei exercitu loqui. » — 81 « Hemistichium Ennii de elephantis, quo Accius usus est de Indis. » *S.* — 82 *Moras* earum quæ morantur; morantes castigant ob moras. Tum nove *semita opere fervet* : nam proprie dicitur *opus fervere*, cum studio et fervore quodam animi fieri; hinc de semita, in qua fervet opus; et mox *litora fervent*, id est, studiose fit opus in litore. — 83 Quod vulgo est : ad lacrimas descendere. *Animos*, altos spiritus. — 84 Ne quid inexpertum relinquat, atque ita moritura sit frustra. Nam si moveretur Æneas, sine causa quæreret mortem. — 85 Vide III, 357, n. 74, ubi ob rei conditionem diversam diversa locutio, *auræ vela vocant*. Sequens versus, de redeuntibus positus *Georg.* I, 304, n. 93, convenit etiam profecturis.

Puppibus et læti nautæ imposuere coronas.
Hunc ego si potui tantum sperare[86] dolorem,
Et perferre, soror, potero. Miseræ hoc tamen unum
Exsequere, Anna, mihi; solam nam perfidus ille
Te colere[87], arcanos etiam tibi credere sensus;
Sola viri molles[88] aditus et tempora noras.
I, soror, atque hostem[89] supplex affare superbum:
Non ego cum Danais Trojanam exscindere gentem
Aulide juravi, classemve ad Pergama misi;
Nec patris Anchisæ cinerem Manesve revelli[90]:
Cur mea dicta negat duras demittere in aures?
Quo ruit? Extremū hoc miseræ det munus amanti:
Exspectet facilemque fugam ventosque ferentes[91].
Non jam conjugium antiquum, quod prodidit, oro,
Nec pulchro ut Latio careat regnumque relinquat;
Tempus inane[92] peto, requiem spatiumque furori,
Dum mea me victam doceat fortuna dolere[93],
Extremam hanc oro veniam[94] (miserere sororis!):
Quā mihi quum dederis, cumulatā morte remittā.»
Talibus orabat, talesque miserrima fletus
Fertque refertque[95] soror: sed nullis ille movetur
Fletibus, aut voces ullas tractabilis audit:
Fata obstant, placidasque viri deus obstruit aures.
Ac velut annoso validam quum robore[96] quercum
Alpini Boreæ nunc hinc nunc flatibus illinc
Eruere inter se certant; it stridor, et altæ
Consternunt terram, concusso stipite, frondes;
Ipsa hæret scopulis, et, quantum[97] vertice ad auras
Ætherias, tantum radice in Tartara tendit:
Haud secus assiduis hinc atque hinc vocibus heros
Tunditur, et magno persentit pectore curas:
Mens immota manet; lacrimæ volvuntur inanes[98].
Tum vero infelix fatis[99] exterrita Dido
Mortem orat; tædet cœli convexa tueri,
Quo magis inceptum peragat lucemque relinquat[1].
Vidit, thuricremis quum dona imponeret aris,

86 *Sperare* a Quintiliano et a grammaticis annotatur hic esse «ἄχυρον» vel improprium, «pro *timere*.» Sententiam ceteris rectius explicuit Peerlk.: «Non potui exspectare hunc dolorem, ergo perferre non potero. Si potuissem prævidere, me ad eum ferendum præparare potuissem.» — 87 *Colere* solebat; vide p. 60, n. 4. Varro referebat Æneam fuisse amatum ab Anna, atque adeo hanc, non Didonem, se in rogum immisisse. Plura de eadem narrat Ovidius, *Fast.* III, 551 seqq. — 88 Vide 293, n. 35. — 89 «Nonnulli hic *hostem* pro hospite dictum accipiunt, juxta veteres, quibus hostis dicebatur *perduellis*.» *S.* — 90 *Revelli* proprie dicuntur sepulchra; hic translatum ad ipsos cineres erutos. Varrone auctore, Diomedes tumulum Anchisæ evertit cineremque secum abduxit, sed postea rebus adversis pressus Æneæ reddidit.

—91 Vide III, 473, not. 25. — 92 Tanquam munus inane, vel, ut Servius, «quasi non magnam rem», quam sine damno ullo concedere potest. *Furori*, amori insano, ut sensim defervescat et dolori, leniori affectui, det locum. — 93 Quod sic dicitur in Ovidiana epistola Didonis: *dum tempore et usu Fortiter edisco tristia posse pati*. — 94 *Veniam*, id quod nostro sermone dicimus gratiam. *Cumulatam remittam*, prosaice: cumulate referam. *Morte*, quum moriar. Ut successionem regni promittere Annæ videatur. Sed multa offendunt in his versibus duobus, acri brevitate exposita a Peerlkampio p. 265-6, qui notat obelo. — 95 Fert et iterum fert a Didone. — 96 Trunco. *Alpini*, ab Alpibus spirantes. — 97 Iterata hæc ex *Georg.* II, 274-2, n. 31. — 98 Didoni haud profuturæ. — 99 Malis fato immissis, quæ jam declinari non poterant. — 1 Supple: eo impellitur, quod *vidit* etc. Aræ *thuricremæ*, Lucretiana vox.

Horrendum dictu[2]) latices nigrescere sacros,
Fusaque in obscœnum se vertere vina cruorem.
Hoc visum nulli, non ipsi effata sorori.
Præterea fuit in tectis de marmore templum[3]
Conjugis antiqui, miro quod honore colebat,
Velleribus niveis et festa fronde revinctum :
Hinc exaudiri voces et verba vocantis
Visa viri, nox quum terras obscura teneret;
Solaque[4] culminibus ferali carmine bubo
Sæpe queri et longas in fletum ducere voces.
Multaque præterea vatum prædicta piorum[5]
Terribili monitu horrificant. Agit ipse furentem
In somnis ferus[6] Æneas; semperque relinqui
Sola sibi, semper longam incomitata videtur
Ire viam, et Tyrios deserta quærere terra.
Eumenidum[7] veluti demens videt agmina Pentheus,
Et solem geminum et duplices se ostendere Thebas;
Aut Agamemnonius scenis agitatus[8] Orestes
Armatam facibus matrem et serpentibus atris
Quum fugit, ultricesque sedent in limine[9] Diræ.
Ergo ubi concepit furias evicta[10] dolore
Decrevitque mori, tempus secum ipsa modumque
Exigit[11], et mœstam dictis aggressa sororem,
Consilium vultu tegit, ac spem fronte serenat[12] :
« Inveni, germana, viam (gratare sorori)
Quæ mihi reddat eum, vel eo[13] me solvat amantem.
Oceani finem juxta solemque cadentem
Ultimus Æthiopum[14] locus est, ubi maximus Atlas
Axem humero torquet[15] stellis ardentibus aptum :
Hinc mihi Massylæ gentis monstrata[16] sacerdos,

2) *Dictu* quanto magis visu, id quod Didoni contigit. — 3 *Serv. Obscœnum*, fœdum, mali ominis; v. *Georg.* I, 470, n. 20. — 4 Sacellum Manibus Sychæi dicatum. *Velleribus*, vittis laneis. « Templa velamentis religiosa monstrantur. » *S.* — 4 « *Sola bubo* est contra genus; verum Virgilius mutavit, referens ad avem. Nam plerumque genus, relicta specialitate, ab generali sumimus; ut si dicas *bona turdus*, ad avem referendo. » *Serv.* — 5 « Religiosorum, castorum. Legitur et *priorum*. » *S. Horrificant* eam, ei horrorem incutiunt. — 6 « *Ferus* : talem enim illum imaginabatur. » *S.* — 7 His somniis terretur et exagitatur non minore violentia quam in scena Pentheus et Orestes a Furiis persequentibus. In Euripidis tragœdia *Bacchæ*, ab Attio latine versa, Baccharum chorus Furias, Λύσσης κύνας, sibi advocat v. 977 seqq., Pentheus autem « conspicere sibi videtur duos soles et duplices Thebas » v. 918 seq. — 8 « Frequenter in scena actus, quia multæ sunt de eo tragœdiæ. » *S.* Quam mentionem negant esse alienam a dignitate epici carminis, quod fiat *in comparatione*, ubi multa sæpe ex quotidiana vita petantur; ac præsentia *videt*, *fugit*, *sedent* postulare ut de scena cogitetur, non de ipsa re olim gesta; denique *theatra* novæ urbis memorari ab ipso poeta, I, 427-9. Contra stant alii, eloquenter Peerlkampius p. 268-71, Marklandi emendationem probantes, Ποινὰς *agitatus*, Ἠλιάδες, Furiis, Diris. — 9 « A Pacuvio Orestes inducitur propter vitandas Furias, Pyladis admonitu, ingressus in Apollinis templum; unde quum vellet exire, invadebatur a Furiis; hinc ergo est, *sedent in limine Diræ*. » *Serv.* — 10 Prorsus, penitus victa. — 11 *Exigit*, « ad certum redigit, ut solent pondera et vires ad exactum redigi; ergo definit. » *S.* — 12 Serenam sive lætam spem ostendit fronte serena. Hinc Silius : *tristia fronte serenat*. — 13 *Reddat* EUM, *vel* EO *me solvat* : variissima hæc in carminibus altioris spiritus, hoc loco eximie posita esse et ex arte facile sentitur. — 14 Qui habitare credebantur in vicinitate solis et orientali et occidentali. — 15 Axem (id est cœlum, *ætheris axem* II, 512) torquentem se (v. 269, n. 28) et vertentem sustinet humeris. *Stellis aptum*, cui aptatæ, affixæ sunt stellæ, stellis instructum. Ennius dixerat, *Qui cælum versat stellis fulgentibus aptum*. — 16 *Monstrata*, non quæsita : nam invita ad has artes descendit. *Massylæ*

Hesperidum templi custos, epulasque draconi
Quæ dabat et sacros servabat in arbore ramos [17].
Spargens humida mella soporiferumque papaver.
Hæc se carminibus promittit solvere [18] mentes
Quas velit, ast aliis duras immittere curas;
Sistere aquam fluviis, et vertere sidera retro [19];
Nocturnosque ciet Manes: mugire videbis [20]
Sub pedibus terram, et descendere montibus ornos.
Testor, cara, deos, et te, germana, tuumque
Dulce caput, magicas invitam accingier [21] artes.
Tu secreta pyram tecto [22] interiore sub auras
Erige, et arma viri, thalamo quæ fixa reliquit
Impius, exuviasque [23] omnes, lectumque jugalem.
Quo perii, superimponant: abolere nefandi
Cuncta viri monumenta juvat, monstratq; sacerdos."
Hæc effata, silet: pallor simul occupat ora.
Non tamen Anna novis prætexere [24] funera sacris
Germanam credit, nec tantos mente furores
Concipit, aut graviora timet quam [25] morte Sychæi.
Ergo jussa parat.

At regina, pyra penetrali in sede sub auras
Erecta ingenti tædis atque ilice secta,
Intenditque locum sertis et fronde coronat
Funerea [26]; supèr exuvias ensemque relictum
Effigiemque toro locat, haud ignara futuri.
Stant aræ circum; et crines effusa sacerdos
Ter centum tonat [27] ore deos, Erebumque, Chaosq;
Tergeminamque [28] Hecaten, tria virginis ora Dianæ.
Sparserat et latices simulatos fontis Averni [29];
Falcibus et messæ ad lunam quæruntur ahenis [30]
Pubentes herbæ nigri cùm lacte veneni;
Quæritur et nascentis equi de fronte revulsus

v. 132, n. 68. — 17 Unde aurea illa poma pendebant. Fabulas huc pertinentes narrat Servius. Strue: *quæ et epulas dabat draconi et servabat* etc. Papaver a generali et noto effectu *soporiferum* dictum, non quod sopiret draconem, semper vigilem. Mella autem et papavera cibus dabantur draconibus sacris qui in templis Æsculapii et in Parthenone Minervæ alebantur. — 18 *Solvere* curis sive amore. — 19 Reflectere, invertere cursum siderum. *Nocturnos*, noctu, ut 303, n. 40. — 20 *Videbis* non est « sensus pro sensu, » ut vulgares grammatici loquuntur, visus pro auditu: sed terræ motus tam cernitur oculis quam auditur. — 21 *Accingi artes*, græca syntaxi, ut *cingor ensem*, se induere, instruere his artibus. Ceterum antiquitatis heroïcæ oblitus, poeta hic loquitur ut Romanus, Romanum etiam nactus interpretem. « Bene dixit *invitam* (inquit Servius), quia, quum multa sacra Romani susciperent, semper magica damnarunt. Probrosa enim ars habita est, atque ideo Didonem excusat. » — 22 Quod dicebatur *impluvium*, de quo vide ad II, 512, not. 32, p. 170. *Secreta*, secreto. — 23 Vide *Ecl.* VIII, n. 78. « *Arma* abusive de gladio (v. 507, *ensem relictum*), quem generaliter *arma* nominavit, ne mentione solius gladii consilium proderetur. » *Serv.* — 24 *Prætexere*, « prævelare, abscondere. » *S.*, ut 172, n. 85. *Novis*, insolitis. — 25 « Nec graviora timet posse contingere, quam quæ in morte Sychæi vel fecit vel passa est Dido. » *S.* — 26 Ex cupresso; vide Servium. — 27 Tonanti, magnâ voce invocat. *Ter centum*, pernultos, plurimos, ut VIII, 716. Ceterum et ternarius et centenarius numeri sunt solemnes in re sacra; v. *Ecl.* VIII, n. 65, *Georg.* III, n. 15, p. 93. — 28 Triformem, tricipitem: id quod subjicitur, *tria ora Dianæ*, nam Hecate est Diana infera. *Erebus*, frater Tartari, filius Chaos. — 29 Inferni, Stygis; v. *Georg.* IV, 493, n. 68. « *Simulatos*: nam in sacris, quæ exhiberi non poterant, simulabantur, et erant pro veris. » *S.* — 30 *Ahenis*: ferrum enim non admittebat res magica. *Lacte*, succo lactei fere coloris; *nigri*, diri, ut serpentes tantum non ubique carminum dicuntur *atri*. *Herbæ cum veneno*, idem quod herbæ venenatæ.

Et matri præceptus amor[31].
Ipsa mola[32] manibusque piis, altaria juxta,
Unum exuta pedem vinclis[33], in veste recincta,
Testatur moritura deos et conscia fati
Sidera; tum, si quod non æquo fœdere[34] amantes
Curæ numen habet justumque memorque, precatur.

Nox erat, et placidum carpebant fessa soporem
Corpora per terras; silvæque et sæva quiètant[35]
Æquora, quum medio volvuntur sidera lapsu,
Quum tacet omnis ager, pecudes pictæque[36] volucres,
Quæque lacus late liquidos, quæque aspera dumis
Rura tenent, somno positæ sub nocte silenti.
[Lenibant[37] curas, et corda oblita laborum.]
At non infelix animi Phœnissa[38], neque unquam
Solvitur in somnos, oculisve aut pectore noctem[39]
Accipit: ingeminant curæ, rursusque resurgens
Sævit amor, magnoque irarum fluctuat æstu.
Sic adeo insistit[40], secumque ita corde volutat:
« En quid ago? rursusne procos irrisa[41] priores
Experiar, Nomadumque petam connubia supplex,
Quos ego sim toties jam dedignata maritos?
Iliacas igitur classes atque ultima[42] Teucrûm
Jussa sequar? quiane auxilio juvat antè levatos,
Et bene apud memores veteris stat gratia facti?
Quis me autè, fac[43] velle, sinet, ratibusve superbis
Invisam accipiet? Nescis heu, perdita, necdum
Laomedonteæ sentis perjuria gentis[44]?
Quid tum? sola fuga nautas comitabor ovantes?
An Tyriis omnique manu stipata meorum
Inferar[45], et, quos Sidonia vix urbe revelli,
Rursus agam pelago, et ventis dare vela jubebo?
Quin morere, ut merita es, ferroque averte dolorem.
Tu lacrimis evicta meis, tu prima[46] furentem
His, germana, malis oneras, atque objicis hosti.
Non licuit thalami expertem sine crimine vitam
Degere, more feræ[47], tales nec tangere curas!

31 Hippomanes dicit, id est « parvam carnem in fronte pullorum equinorum quam eis mater statim natis admit. » *Plin.* VIII, 42. Vide n. 91 *Georg.* III, 280. *Amor*, de re amorem conciliante, philtrum. — 32 *Mola* (farre cum sale) in ignem conjecta, et *manibus* sublatis. — 33 Vinculis calceum sandaliumve retinentibus; proinde idem est quod : nuda pede uno. Qui habitus cernitur in anaglyphis exhibentibus sacrificantes. *In veste*, induta veste, ut *in armis*, p. 197, n. 82. — 34 « Ordo est : tum precatur numen, si quod curæ habet amantes *non æquo fœdere* » (S.), id est, quorum amori non respondet is qui amatur. « Nonnulli putant Nemesin significari. *Justum* pertinet ad judicandum, *memor* simul ad vindicandum. » S. — 35 *Quieverant*, nam *quiescere* proprie est inchoativum : dare se quieti. *Medio lapsu*, cursu per mediam cœlum. — 36 Variæ colore. — 37 Versum huic loco minime aptum ignorant codices optimi et Servius. — 38 Supple : *quiescit*, ex antecedentibus. *Animi*, vide p. 127, n. 66. —39 Quietem quam nox afferre solet omnibus. — 40 *Insistit* mente, cogitationibus indulget. — 41 *Irrisa* ab Ænea. *Nomadum*, Numidarum. *Quos sim*, quum eos ego sim etc. — 42 Jussa *ultima*, deterrima, qualia servis dantur. An ideo quod *juvat* eos, gaudio afficit, *auxilio* meo esse *levatos*, sublevatos? *Bene stat*, constans est, permanet. — 43 Suppone me hoc velle. — 44 Vide *Georg.* I, 501, n. 42. *Quid tum* eveniet vel evenire potest? — 45 Ferar in eos, aggrediar, invadam. Et eos quos paullo ante hoc tempus Tyro a Sidonibus condita excitavi ut me sequerentur, rursus cogam navigare? — 46 Tu es horum malorum prima causa et auctor. Suaserat sane sorori v. 30 seqq. — 47 *More feræ*, quæ in lustro se condens abstinet ab jucunda societate vitæ. Sic intellexit Quintilianus,

Non servata fides cineri promissa Sychæo[48] ! »
Tantos illa suo rumpebat pectore questus.
Æneas celsa in puppi, jam certus eundi,
Carpebat somnos, rebus jam rite paratis.
Huic se forma dei vultu redeuntis eodem[49]
Obtulit in somnis, rursusque ita visa monere est,
Omnia Mercurio similis, vocemque coloremque
Et crines flavos, et membra decora juventæ :
« Nate dea, potes hoc sub casu[50] ducere somnos ?
Nec, quæ te circumstent deinde pericula, cernis ?
Demens ! nec Zephyros audis spirare secundos ?
Illa dolos dirumque nefas in pectore versat,
Certa mori, varioque irarum fluctuat æstu.
Non fugis hinc præceps, dum præcipitare potestas.
Jam mare turbari trabibus[51] sævasque videbis
Collucere faces, jam fervere litora flammis,
Si te his attigerit terris Aurora morantem
Eia age, rumpe moras ! Varium et mutabile semper
Femina. » Sic fatus, nocti se immiscuit atræ.

Tum vero Æneas, subitis exterritus umbris[52],
Corripit e somno corpus, sociosque fatigat :
« Præcipites[53] vigilate, viri, et considite transtris :
Solvite vela citi : deus æthere missus ab alto
Festinare fugam tortosque incidere funes[54]
Ecce iterum stimulat. Sequimur te, sancte deorum,
Quisquis es, imperioque iterum paremus ovantes.
Adsis o, placidusque juves, et sidera cœlo
Dextra[55] feras. » Dixit, vaginaque eripit ensem
Fulmineum[56], strictoque ferit retinacula ferro.
Idem omnes simul ardor habet, rapiuntque[57] ruuntque :
Litora deseruere : latet sub classibus æquor ;
Adnixi torquent spumas[58] et cærula verrunt.
[Et jam prima novo spargebat lumine terras
Tithoni[59] croceum linquens Aurora cubile.]
Regina e speculis ut primum albescere lucem

IX, cap. 2, § 64 : « Est *emphasis* etiam inter figuras, quum ex aliquo dicto latens aliquid eruitur, ut apud Virgilium, *Non licuit.... feræ ?* quanquam enim de matrimonio queritur Dido, tamen hoc erumpit ejus affectus, ut sine thalamis vitam non hominum putet, sed ferarum. » Et Scaliger : « Quanquam conjugii pœnitebat Didonem, tamen aliquo modo contexit excusationem cum accusatione. » *Tales curas*, curas amoris, amorem. — 48 Cineri *Sychæo* pro Sychæi, ut *Julium sidus*, *Romula tellus*, et similia multa, secundæ decl. nominibus propriis in adjectiva conversis. — 49 *Eodem* quo supra v. 238 seqq. — 50 Postquam res ita ceciderunt, evenerunt. *Deinde*, ex illo *casu*. — 51 *Trabibus*, ut III, 191, pro : navibus : quibus *turbatur* mare impulsum remis. Intelligas naves Tyriorum quos Dido mittet incensum classem Æneæ. De *fervere* (tertiæ conjugationis vide pag. 68, n. 7. — 52 *Umbris*, caligine subito oborta sive potius redeunte, postquam deus discessit. *Fatigat*, acriter exhortatur, incitat. — 53 Studium et ardorem exprimunt etiam verba trajecta. Sedatus divisset : Vigilate et præcipites festinate considite in transtris. — 54 Retinacula. « Et hoc festinantis est, non solvere, sed incidere. *Sancte deorum*, secundum Ennium : *Jane, sancta deorum.* » *S.* Quod est Homericum δῖα θεάων. — 55 Propitia, prospera : nam antiqui sidera regere ventos et navigationem credebant. — 56 Fulgentem ut fulmen. — 57 *Rapiunt*, arripiunt, remos puta, funes, cetera armamenta. — 58 « Dum remus agitur, fluctus torquetur et spumat. » *S. Cærula verrunt*, vide III, 208, n. 5. — 59 Vide *Georg.* I, 447, n. 99. Pulchros versus et suo loco positos infra libro IX, 459-60, hic non admittit narratio concitatior : quod ipse poeta monstrat versu sequenti rem eandem dicens breviter. Seclusimus igitur cum Peerlkampio, qui insitilios esse sensit primus et docuit

Vidit et æquatis[60] classem procedere velis,
Litoraque[61] et vacuos sensit sine remige portus,
Terque quaterque manu pectus percussa decorum,
Flaventesque abscissa comas : « Proh Juppiter ! ibit
Hic, ait, et nostris illuserit advena regnis[62] ?
Non arma expedient, totaque ex urbe sequentur,
Deripientque rates alii navalibus ? Ite,
Ferte citi flammas, date tela, impellite remos ! —
Quid loquor ? aut ubi sum ? Quæ mentem insania mutat,
Infelix Dido ! nunc te facta impia[63] tangunt ? [tat ?
Tum decuit quum sceptra dabas. — En dextra fidesque,
Quem[64] secum patrios aiunt portare Penates,
Quem subiisse humeris confectum ætate parentem !—
Non potui abreptum[65] divellere corpus et undis
Spargere ? non socios, non ipsum absumere ferro
Ascanium, patriisque epulandum ponere mensis ? —
Verum anceps pugnæ fuerat[66] fortuna. — Fuisset ;
Quem metui moritura ? Faces in castra[67] tulissem,
Implèssemque foros flammis, natumque patremque
Cum genere extinxẽ[68], memet super ipsa dedissẽ. —
Sol, qui terrarum flammis opera omnia lustras,
Tuque harum interpres curarum[69] et conscia Juno,
Nocturnisque Hecate triviis ululata[70] per urbes,
Et Diræ ultrices[71], et di morientis Elissæ,
Accipite[72] hæc, meritumque malis advertite numen,
Et nostras audite preces. Si tangere portus
Infandum caput ac terris adnare necesse est[73],
Et sic fata Jovis poscunt, hic terminus hæret[74] :
At bello audacis populi vexatus et armis,
Finibus extorris, complexu avulsus Iuli[75],
Auxilium imploret, videatque indigna suorum
Funera ; nec, quum se sub leges pacis iniquæ[76]

60 Vela *æquata* sunt in quæ *spirant auræ æquatæ*, ut poeta loquitur V, 844 : ventis neque dextrorsum neque sinistrorsum declinantes, sed recta regione spirantes, secundi, quibus et vela *æquantur*, dum obliquantur ventis iniquis. — 61 *Litora* vacua, ex sequenti. *Sensit* capiendum de effectu mœstæ solitudinis post lætam antè frequentiam, animoque reginæ hinc affecto. — 62 Mihi regnum tenenti, reginæ. — 63 Perfidia Æneæ. *Tum decuit* te tangi, moveri et animum advertere rebus, quando eum in societatem regni vocabas. — 64 *Fides* ejus *quem* etc. — 65 Vi abductum et sociis suis ereptum. — 66 Quod vulgo dicitur : futura fuisset. Sed ex subjecto *Fuisset* manifestum fit quid intersit. — 67 *Castra* nautica, naves. *Fo-*

ros, tabulata navium. — 68 Exstinxissem. *Dedissem*, conjecissem, videlicet in flammas ; ut *Georg.* IV, 528, n. 80. — 69 « Curarum conjugalium *interpres*, hoc est media et conciliatrix. Sic Cicero (*Verrin.* I, 12) : *Quique interpretes corrumpendi judicii solent esse.* Sane ipse exposuit dicendo *conscia* : veteres enim *interpretem* conscium et auctorem dicebant. » *S.* Solis mentio fit in diris, ut omnia inspectantis et testis injuriarum. — 70 Hecate cum ululatu sive ululando vide 168, n. 84) invocata noctu in triviis urbium, ubi sacra magica fiebant. — 71 Vide 479, n. 9. *Dii morientis* Didonis vocantur quicumque miseram mortem ejus curant et ulturi sunt. — 72 « Audite hæc. *Meritum*, quod mali merentur. » *S.* Vertite numen et potentiam vestram in improbos qui vindictam ex vobis meruerunt, id est in Æneam et qui ejus sunt similes. Sic in talibus non raro capiendus est pluralis. Sed alii *malis* pro neutro habent : respicite et ulciscimini mala mea, quæ merentur ultionem, immeritæ mihi illata. — 73 *Necesse est* per fata, fatale est. — 74 Si *hic terminus* errorum Æneæ, nimirum in Italiam adventus, *hæret*, certus fixusque est, manet ut est fato constitutus. *At*, vulgo : saltem. — 75 Quæ eveniunt libro VIII, ubi Æneas auxilii petendi causa ad Evandrum proficiscitur, relicto in castris Ascanio, quem interea oppugnat Turnus cum magna Trojanorum strage. — 76 Quæ ponuntur a Junone XII, 819-828, ubi vide. Atque Æneas ter-

tio post hoc fœdus anno v. 1, 265) periit in Numicio flumine et corpus ejus non inventum. Plura Servius. — 77 « Ante fati necessitatem. Et bene, id quod passura est optat Æneæ, ut ipse (697), *Sed misera ante diem* etc. » *S.* — 78 Agitate, fatigate, ut pag. 126. n. 47. — 79 Vividius quam *exoriatur*. Sic alloquitur aliquem non notum vel non certum: ut est apud Terentium, *Exite huc aliquis*; et *Aperite aliquis ostium*. Apparet Hannibalem ostendi. *Nostris ex ossibus*, ex cinere meo, qui ultionem poscit mortis tam indignæ. — 80 Suppetent, paratæ erunt. — 81 Et maritima et terrestria bella continua imprecatur. Nimiâ diligentiâ Servius in his singula verba premit : « *Litora* etc., quia in fœdere cautum fuit ut neque Romani ad litora Carthaginiensium accederent, neque Carthaginienses ad litora Romanorum. *Fluet*. etc., quia similiter cautum, ut Corsica esset media inter Romanos et Carthaginienses. » *Ipsi*, Æneas cum sociis; *nepotes*, omnis posteritas ejus. Quæ postrema verba referenda sunt ad perpetua bella Romanorum. Nec sine arte *que* in fine elidendum vocem irâ velut suffocatam exhibet. — 82 *Suam* ipsius nutricem. Notum ex poetis, ævo heroïco nutrices in familiaritate alumnorum permansisse. *Cinis* eam *habebat* idem quod in cinerem redacta erat. tota erat cinis. Mox *mihi* jungendum cum *siste*. — 83 Vide II. 719, n. 17. — 84 *Monstrata* a sacerdote, supra v. 635 seqq. — 85 Plutoni, qui apud Homerum Ζεὺς καταχθόνιος. *Incepta*, supra v. 504 seqq. — 86 « In quo rogo erat Æneæ imago (v. supra 508). Et bene suum rogum illius dicit, ne suspicionem faciat. » *Serv.* Sed recte Peerlkampius : « Versus obscurus et Virgilio indignus. » Nemo non sentit ambigua voce *curis* egregie finiri orationem Didonis. — 87 Studiose. — 88 Ubi rogus exstructus, *penetrali in sede* v. 504, vel *tecto interiore* v. 494. — 89 *Quæsitum* proprie potest intelligi : quod non quæsiverat et acceperat ab Æneâ *in hos usus*. Nam quum supra Æneæ *ensis stellatus iaspide fulva*, et læna purpurea, sint *munera quæ Dido fecerat* (v. 263), videtur amans mulier ab eo quæsivisse ut ἀντίδωρον ensem pugnis nobilem. Ovidius quoque (*Heroid.* VII, 181 seqq.) et alii veteres ab Æneâ datum memorant : quibus non obstat v. 495 : *arma viri, thalamo quæ fixa reliquit*, ubi Dido munus aut dissimulat aut obliviscitur.

Tradiderit, regno aut optata luce fruatur :
Sed cadat ante diem [77] mediaque inhumatus arena.
Hæc precor; hanc vocē extremā cum sanguine fundo.
Tum vos, o Tyrii, stirpem et genus omne futurum
Exercete [78] odiis, cinerique hæc mittite nostro
Munera : nullus amor populis nec fœdera sunto.
Exoriare [79] aliquis nostris ex ossibus ultor,
Qui face Dardanios ferroque sequare colonos,
Nunc, olim, quocumque dabunt se [80] tempore vires.
Litora litoribus contraria, fluctibus undas
Imprecor, arma armis [81]; pugnent ipsique nepotesque.»
Hæc ait, et partes animum versabat in omnes,
Invisam quærens quamprimum abrumpere lucem.
Tum breviter Barcen nutricem affata Sychæi
(Namque suam [82] patria antiqua cinis ater habebat) :
« Annam cara mihi nutrix huc siste sororem;
Dic corpus properet fluviali [83] spargere lympha,
Et pecudes secum et monstrata [84] piacula ducat :
Sic veniat : tuque ipsa pia tege tempora vitta.
Sacra Jovi Stygio [85], quæ rite incepta paravi,
Perficere est animus, finemque imponere curis,
[Dardaniique rogum capitis [86] permittere flammæ.]»
Sic ait. Illa gradum studio [87] celerabat anilem.
At trepida et cœptis immanibus effera Dido,
Sanguineam volvens aciem, maculisque trementes
Interfusa genas, et pallida morte futurâ,
Interiora domus irrumpit limina [88], et altos
Conscendit furibunda rogos, ensemque recludit
Dardanium, non hos quæsitum [89] munus in usus.
Hic, postquam Iliacas vestes notumque cubile

Conspexit, parilum lacrimis et mente[90] morata,
Incubuitque toro, dixitque novissima verba :
« Dulces exuviæ, dum fata deusque sinebat,
Accipite hanc animam, meque his exsolvite curis.
Vixi, et quem dederat cursum fortuna peregi ·
Et nunc magna mei sub terras ibit imago[91].
Urbem præclaram statui ; mea mœnia vidi ;
Ulta virum, pœnas inimico a fratre recepi[92] ;
Felix, heu ! nimium felix si litora tantum
Numquam Dardaniæ tetigissent nostra carinæ ! »
Dixit, et os impressa toro : « Moriemur inultæ !
Sed moriamur, ait. Sic, sic[93] juvat ire sub umbras.
Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto
Dardanus[94], et nostræ secum ferat omina mortis. »
Dixerat ; atque illam media inter talia ferro
Collapsam aspiciunt comites[95], ensemque cruore
Spumantem, sparsasque manus. It clamor ad alta
Atria ; concussam bacchatur fama per urbem.
Lamentis gemituque et fœmineo[96] ululatu
Tecta fremunt ; resonat magnis plangoribus æther :
Non aliter quam si immissis ruat hostibus omnis
Carthago, aut antiqua Tyros, flammæque furentes
Culmina[97] perque hominum volvantur perque deorũ.
Audiit exanimis, trepidoque exterrita cursu,
Unguibus ora soror fœdans et pectora pugnis,
Per medios ruit, ac morientem nomine clamat :
« Hoc illud, germana, fuit[98] ! me fraude petebas !
Hoc rogus iste mihi, hoc ignes æraque parabant !
Quid primum deserta querar ? comitemne sororem
Sprevisti moriens ? Eadem me ad fata vocasses[99] ;
Idem ambas ferro dolor atque eadem hora tulisset.
His etiam struxi[1] manibus, patriosque vocavi
Voce deos : sic te ut posita crudelis abessem ?
Extinxti te meque, soror, populumque, patresque
Sidonios[2], urbemque tuam. Date, vulnera lymphis
Abluam, et, extremus si quis super[3] halitus errat,
Ore legam. » Sic fata, gradus evaserat altos,
Semianimemque sinu germanam amplexa fovebat
Cum gemitu, atque atros siccabat veste cruores.
Illa, graves oculos conata attollere, rursus
Deficit ; infixum stridit[4] sub pectore vulnus.
Ter sese attollens cubitoque innixa levavit ;

90 Cogitatione pristini amoris ac consuetudinis. — 91 Ἐξώ-χομαι in Homero : umbra. *Magna* « cogitatione eorum qui me factis cognovere » (*S.*), quæ facta jam paucis tangit. — 92 Vide I, 360 seqq. *Recepi*, debitas cepi. — 93 Adeo, tantopere juvat. — 94 Dardanius. Vovet ut Æneas cernat ignem rogi ipsius. — 95 Famulæ, quæ tandem irruperunt in impluvium. Bene Servius : « Non inducit occidentem se, sed ostendit occisam, a tragicorum poetarum exemplo. » — 96 Vocalium concursus arte quæsitus. — 97 Et per *culmina* (tecta, domos) hominum et per (culmina) deorum, templa. — 98 *Hoc* igitur revera *fuit illud* quod simulate apparabas ! *Me*, quæ tantum te amo, tam fidam tibi, fraude aggrediebaris ! — 99 Debebas me vocare ; vel, utinam vocasses ! *Tulisset*, abstulisset. — 1 *Struxi* rogum. *Vocare voce*, haud rarum in poetis latinis, est clara vel magna voce vocare. *Sic posita*, mortua ; ut habes II, 644. — 2 Senatum Carthaginis. In sequentibus vulgaris oratio esset : Date lymphas (aquam) quibus abluam vulnera. — 3 Vide ad III, 489, n. 32. Propinqui extremum morientis halitum ore excipere solebant apud Romanos ; sic patres filiorum ap. Cic. *Verrin.* V, c. 45, § 118. — 4 *Stridit* sanguine erumpente. « *Sub pectore* : per transitum dicit vulneris locum. » *S.*

Ter revoluta toro est, oculisque errantibus alto
Quæsivit cœlo lucem [5], ingemuitque repertâ.
Tum Juno omnipotens; longum miserata dolorem
Difficilesque obitus, Irim demisit Olympo,
Quæ luctantem animam nexosque resolveret artus.
Nam quia nec fato, merita nec morte peribat,
Sed misera ante diem, subitoque accensa furore,
Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem
Abstulerat [6], Stygioque caput damnaverat Orco.
Ergo Iris croceis per cœlum roscida [7] pennis,
Mille trahens varios adverso sole colores,
Devolat, et supra caput adstitit : « Hunc ego Diti [8]
Sacrum jussa fero, teque isto corpore solvo. »
Sic ait, et dextra crinem secat : omnis et una
Dilapsus calor, atque in ventos vita [9] recessit.

5 Ut Ennius : *Semianimesque micant oculi, lucemque requirunt.* — 6 Sicut victimæ deo solebant consecrari pilis in fronte abscissis et in ignem conjectis (ut fit VI, 245-6), ita moriens homo diis inferis tanquam victima consecrari putabatur crine abscisso, et *caput* ejus *Orco damnari*, irrevocabiliter destinari. Hinc dixit Horatius in carmine de Archyta (I, od. 28, 20 : *Nullum sæva caput Proserpina fugit*; et Statius (*Silv.* II, 1, 147 : *Jam complexa manu crinem tenet infera Juno*, de moriturо. Vide præsertim Euripidem, *Alcest.* 73 seqq. — 7 *Roscida*, « quia iris cum nubibus fit pluvialibus, quæ rore non carent. » *Serv.* — 8 Plutoni. — 9 In prosa oratione : exspiravit animam.

LIBER V.

Interea medium[1] Æneas jam classe tenebat
Certus iter, fluctusque atros Aquilone[2] secabat,
Mœnia respiciens, quæ jam infelicis Elissæ
Collucent flammis. Quæ tantum accenderit ignem
Causa latet; duri[3] magno sed amore dolores
Polluto, notumque[4] furens quid femina possit,
Triste per augurium Teucrorum pectora ducunt.

Ut[5] pelagus tenuere rates, nec jam amplius ulla
Occurrit tellus; maria undique et undique cœlum:
Olli cæruleus supra caput adstitit imber,
Noctē hiememq; ferens, et inhorruit unda tenebris.
Ipse gubernator puppi Palinurus ab alta[6]:
« Heu! quianam tanti cinxerunt æthera nimbi?
Quidve, pater Neptune, paras? » Sic deinde locutus[7]
Colligere arma jubet, validisque incumbere remis,

1 Iter *medium* dicitur jam ab aliquo tempore inceptum, etsi nondum accessimus ad dimidiam partem viæ; liberiore usu, ut apud nos quoque *au milieu de ... Tenebat* (vide III, 686, not. 16) *certus*, recta via tendens ad eum locum, quo ire certum ei erat et animo constitutum, in Italiam. — 2 *Aquilone*. « Sed ex Africa venientibus Auster secundus est, Aquilo adversus. » *Serv.* Nimirum *Aquilo* dicitur etiam de quovis vento vehementiore (conf. IV, 310), quemadmodum alia quoque ventorum nomina a poetis promiscue usurpantur; adde dicta not. 81 ad I, 575. — 3 Strue : *sed duri dolores* qui nasci solent ex *magno amore polluto, et notum*, id est omnibus nota res, scilicet *quid possit femina furens*, hæc *ducunt pectora* (animos) *Teucrorum per augurium triste*, faciunt ut eorum animi jactentur, agitentur in suspicione tristi. Dicit *per*, non *in*, quia incertis quid revera sit per varia errabat cogitatio. *Polluto* est nostrum « *profané* »; nam sacræ res, ubi conturbantur, dicuntur *pollui*, ut supra III, 61, *pollutum hospitium*; VII, 467, *polluta pace*. — 4 Ejusmodi neutra pro substantivo vel locutione substantiva non rara etiam apud Livium et Tacitum. *Augurium*, non modo de Didonis fato, sed de ipsorum quoque captum ex hoc omine. — 5 Vide III, 192-95, et n. 95. *Olli*, I, 254, n. 51. — 6 Supple : hæc ait. *Quianam*, antique pro : cur. Ennius : *Quianam legiones cædimur ferro?* — 7 Strue : *sic locutus, deinde jubet*; conf. II, 391, n. 80, et p. 158 fine. *Arma*, armamenta, hoc loco de velis, quæ contrahenda sunt in tempestate. Remis *validis*, quos valida remigatione agant.

Obliquatque sinus in ventum[8], ac talia fatur :
« Magnanime Ænea, non, si mihi Jupiter auctor[9]
Spondeat, hoc sperem Italiam contingere cœlo.
Mutati transversa[10] fremunt et vespere ab atro
Consurgunt venti, atque in nubem cogitur aer.
Nec nos obniti contra nec tendere tantum[11]
Sufficimus. Superat quoniam Fortuna, sequamur,
Quoque vocat, vertamus iter. Nec litora longe
Fida reor fraterna[12] Erycis portusque Sicanos,
Si modo rite memor servata remetior[13] astra. »
Tum pius Æneas : « Equidem sic poscere ventos
Jamdudum et frustra cerno te tendere contra.
Flecte[14] viam velis. An sit mihi gratior ulla,
Quove magis fessas optem demittere naves,
Quâ quæ Dardanium tellus mihi servat Acesten[15],
Et patris Anchisæ gremio complectitur ossa ? »
Hæc ubi dicta, petunt portus, et vela secundi
Intendunt Zephyri ; fertur cita gurgite[16] classis,
Et tandem læti notæ advertuntur arenæ.

At procul ex celso miratus vertice montis
Adventum, sociasque rates, occurrit Acestes,
Horridus in[17] jaculis et pelle Libystidis ursæ :
Troïa Crimiso[18] conceptum flumine mater
Quem genuit. Veterum non immemor ille parentum,
Gratatur reduces[19], et gaza lætus agresti
Excipit, ac fessos opibus solatur amicis.

Postera quum primo stellas Oriente fugarat
Clara dies, socios in cœtum litore ab omni
Advocat Æneas, tumulique[20] ex aggere fatur :
« Dardanidæ magni, genus alto a sanguine divûm[21],
Annuus exactis completur mensibus orbis,
Ex quo reliquias divinique ossa parentis
Condidimus terra, mœstasque[22] sacravimus aras.
Jamque dies, nisi fallor, adest, quem semper acerbũ,

8 *Sinus* velorum obvertit sive jubet obverti vento non rectos et plenos, verum *obliquos* ita ut ventum adversum ex obliquo accipiant, non rectâ irruentem. Nam « veteres non habebant illud lignum laterale, quod apud nos tollitur et deprimitur. Ideo simul utebantur validis remis, ne nimium a cursu recto delecterent. » *Peerlk.* — 9 *Auctor* itineris, ipsius auctoritate, jussu, fide suscepti. — 10 Fremunt in transversas partes. Varro apud Servium : *Nihil enim venti, ut docti dixerunt, nisi aer multus fluens transversus. A vespere atro*, ab occidente nubibus obducto. *Cogitur*, densatur. Isdem verbis usus erat Cicero, *Nat. Deor.* II, 39 : *Mari finitimus aer concretus in nubes cogitur... tum effluens huc et illuc, ventos efficit.* — 11 *Tantum*, quantum opus est ad vincendam tempestatem. — 12 *Fraterna* : nam Erycis urbis ad Erycem montem (vide I, 570, n. 72) conditor erat et ipse filius Veneris, ex Buta, Attico heroe et argonauta; secundum alios ex Neptuno. — 13 Si nunc recte *remetior*, retro metior oculis, utpote ex contraria parte veniens, positum astrorum, observatum a me in discessu a Sicilia (I, 34). — 14 Muta cursum *velis*, mutatâ velificatione. *Quove*, vel in quam... *Demittere*, quippe ex *alto* mari. — 15 Vide I, 195, n. 22. *Anchisæ*, v. III, 710. — 16 In mari, ut I, 118. *Arenæ*, litori. — 17 Horridus, utpote armatus jaculis duobus (vide I, 313, n. 79) horrentibus, id est rigidis erectisque, et amictus hirsuta pelle ursæ. *Libystidis*, Libycæ : quanquam Servius ex Plinio annotat, Africam ursos non habere. — 18 Siciliæ fluvio, hodie *Belice Destro* (illo ipso, ad quem Timoleon vicit Carthaginienses). — 19 Gratulatur iis, quod salvi sint reduces. *Gaza agresti*, « opibus rusticanis : nam eorum gaza omnis, fructus est. » *S.* Alia *gaza* excepti fuerant a Didone. Sed Acestæ opes si humiles, erant *amicæ*. — 20 Collis alicujus. — 21 Ex Dardano Jovis filio ; v. III, 167, n. 83. — 22 Aras *mœstas*, cum funebri ornatu.

Semper honoratum (sic di voluistis[23]) habebo.
Hunc ego Gætulis agerem si Syrtibus exul,
Argolicove mari[24] deprensus et urbe Mycenæ,
Annua vota tamen sollemnesque ordine pompas
Exsequerer, strueremque[25] suis altaria donis.
Nunc ultro ad cineres ipsius et ossa parentis,
Haud equidē sine mente[26] reor, sine numine divûm,
Adsumus, et portus delati intramus amicos.
Ergo agite, et lætum cuncti celebremus honorem[27]:
Poscamus[28] ventos, atque hæc me sacra quotannis
Urbe velit posita templis sibi ferre dicatis.
Bina boum vobis Troja generatus Acestes
Dat numero capita in naves[29]; adhibete Penates
Et patrios epulis, et quos colit hospes Acestes.
Præterea si[30] nona diem mortalibus almum
Aurora extulerit radiisque retexerit orbem,
Prima citæ[31] Teucris ponam certamina classis;
Quique pedum cursu valet, et qui viribus audax,
Aut jaculo incedit[32] melior levibusque sagittis,
Seu crudo fidit pugnam committere cæstu,
Cuncti adsint, meritæque exspectent præmia palmæ.
Ore favete[33] omnes, et cingite tempora ramis. »

Sic fatus, velat materna[34] tempora myrto;
Hoc Helymus facit, hoc ævi maturus Acestes,
Hoc puer Ascanius, sequitur quos cetera pubes.
Ille e concilio multis cum millibus ibat
Ad tumulum, magna medius comitante caterva.
Hic duo rite mero libans carchesia Baccho[35]
Fundit humi, duo lacte novo, duo sanguine sacro;
Purpureosque[36] jacit flores, ac talia fatur:
« Salve, sancte parens, iterum[37]; salvete, recepti

23 « Ut alibi, *Sic visum superis*. Semper enim de diis salva veneratione conqueritur. » *S.* Maluisset enim vivo patri pietatis officia exhibere. *Gætulis*, Africis; v. IV, 326, n. 50. — 24 In mari Ægæo, cujus insulæ atque litora a Græcis hostibus habitabantur : ab his deprehensus et abductus in servitutem. *Mycenæ*, gr. Μυκήνη, poetæ nonnunquam ponebant pro *Mycenæ* (I, 284, n. 66). — 25 Tanquam strue facta cumularem donis congruis, debitis. « Ponit autem *altaria*, quæ superorum deorum sunt, eo quod Anchises jam quasi deus est. » *S.* — 26 Supple : *deorum*, alteri substantivo adjectum. — 27 Sacra in honorem Anchisæ facienda. « *Lætum*; nam eum deum ubique memorat, ut in subsequentibus etiam

vino libaverit, quod mortuis non licebat. » *Serv.* — 28 In hoc sacrificio *poscamus* ab Anchise *ventos* secundos, qui nos in Italiam deferant; *atque* petamus ut *velit me hæc sacra* etc. Alii explicant : *poscamus* a diis; sed non sinunt sequentia. — 29 Per naves, unicuique navi duo. Penates *adhibete*, scilicet invocantes eos in *epulis* feralibus, post inferias celebrandis. — 30 *Si* apud poetas nonnunquam temporale est, ut *quum* sequente indicativo. Cur aurora *nona*, explicat Servius : « Apud majores, ubicumque quis fuisset exstinctus, ad domum suam referebatur, et illic septem erat diebus; octavo incendebatur, nono sepeliebatur. Unde apud Horatium (*Epod.* XVII, 48) *novemdiales pulveres*; et ludi, qui in mortuorum honorem celebrabantur, *novemdiales* dicti. » — 31 Primum instituam navale certamen, deinde certamina cursûs, luctæ, etc. — 32 *Incedit* hîc habet fiduciæ quandam notionem adjunctam, ut gloriæ et superbiæ infra v. 543, dignitatis I, 46, n. 36. Cæstui *crudo*, vide *Georg.* III, 20, n. 18. — 33 Vel *favete linguis*, gr. εὐφημεῖτε, nota formula qua initio sacrorum religiosum silentium commendatur. — 34 Vide *Georg.* I, 28, n. 31. De Helymo, Acestæ socio, fabulas memorat Servius. — 35 Vino mero. *Carchesia*, vide *Georg.* IV, 380, n. 13. Jam annotatum supra, parem numerum inferis, imparem superis diis esse sacrum. — 36 Nitentes colore; vide *Ecl.* IX, n. 36. — 37 *Iterum*, « quia jam salutaverat, quum ad sepulturam mitteret, ut facit Pallanti in XI (v. 98) : *Salve æternum mihi, maxime Palla, Æternumque vale*. Poeta in tria dividit hominem : animam, quæ in cœlum abit; um-

bram, quæ ad inferos; corpus, quod sepulturæ traditur. » *Ex Scholiis veron.* Cineres *recepti* a me, quasi iterum dati mihi, ad quos iterum accedo, redeo, verum *nequicquam*, non compos voti mei; quod sequentes versus exprimunt. Male Servius explicat cineres « a Diomede » receptos; de qua fama IV, 427, not. 90. — 38 Ut *quisquis est*, de ignotis usurpatur. — 39 « *Adyta* dicuntur proprie deorum in templis (de templorum parte sanctissima et remotissima, quo profanis adire haud licebat); sed hic de Anchisæ tumulo dixit, qui fuit sanctus (quasi deo habitatus). » *Ex Schol. veron.* — 40 Id est, septem gyros in se replicatos. « Loci genium vult per magnitudinem probare; nullus enim sine genio locus, qui per anguem plerumque ostenditur. » *S.* Unde superstitiosus apud Theophrastum, « sicubi viderit anguem domi suæ, eo loco struit sacellum. » — 41 Cui cæruleæ notæ terga PINGEBANT, quod verbum deinde cum alio permutatum est, *incendebat*, igneo splendore inficiebat, illustrabat, ob sequens substantivum *fulgor*. Est zeugma, de quo p. 144, n. 25. *Fulgor maculosus auro*, maculis aureis nitidus. Exprimuntur squamæ cæruleis aureisque maculis splendentes et variis coloribus coruscantes. — 42 Vide II, 212, n. 4. — 43 Vide IV, 63, n. 36. — 44 Vide not. 40. Etiam apud Silium legitur serpens *famulus sororum Naiadum*, et apud Valerium Flaccum, *angues Umbrarum famuli*. — 45 Vide I, 634, n. 6. *Binas* (pro : duas), vide supra not. 35. — 46 « Aut venientes de Acheronte ad hanc parentationem; aut qui jam in Acheronte non essent post apotheosin factam. » *S.* Prius recte; *vocabat* animam, ut adesset oblatisque sacris frueretur. — 47 Quod pro sua quisque copia seu facultate poterat. — 48 Vide I, 213, n. 27. — 49 Solis ipsius, quem poetæ nonnunquam sic vocant, præeunte Homero, Ἠέλιος φαέθων (splendens). Nota etiam Auroram hîc ipso Solis curru vehi. Sequitur longa descriptio ludorum funebrium, quam præiverat Homerus *Iliadis* cantu XXIII. Comparabis et hujus imitatores Quintum Smyrn. IV, 110 seqq., Pseudo-Orpheum *Argonaut.* 575 seqq., et Virgilii Silium XVI, 295 seqq., Statium *Thebaidis* libro VI. — 50 *Circus* hic universe dictum de « spatioso ludorum loco » (*S.*), ubi et certaturi et spectaturi certamina consederant.

Nequicquam cineres, animæque umbræque paternæ.
Non licuit fines Italos fataliaque arva, [brim. »
Nec tecum Ausonium, quicumque est[38], quærere Thy-

Dixerat hæc, adytis[39] quū lubricus anguis ab imis
Septem ingens gyros, septena volumina[40] traxit,
Amplexus placide tumulum, lapsusque per aras;
Cæruleæ cui terga[41] notæ, maculosus et auro
Squamam incendebat fulgor, ceu nubibus arcus
Mille jacit varios adverso sole colores.
Obstipuit visu Æneas. Ille agmine longo[42]
Tandem inter pateras et lævia pocula serpens
Libavitque dapes, rursusque innoxius imo
Successit tumulo, et depasta altaria liquit.
Hôc magis inceptos genitori instaurat[43] honores,
Incertus Geniumne loci[44], famulumne parentis
Esse putet; cædit binas de more bidentes,
Totque sues, totidem nigrantes terga[45] juvencos,
Vinaque fundebat pateris, animamque vocabat
Anchisæ magni Manesque Acheronte remissos[46].
Nec non et socii, quæ cuique est copia[47], læti
Dona ferunt, onerant aras, mactantque juvencos;
Ordine ahena[48] locant alii, fusique per herbam
Subjiciunt verubus prunas, et viscera torrent.

Exspectata dies aderat, nonamque serenâ
Auroram Phaethontis[49] equi jam luce vehebant;
Famaque finitimos et clari nomen Acestæ
Excierat: læto complèrant litora cœtu
Visuri Æneadas, pars et certare parati.
Munera principio ante oculos circoque[50] locantur
In medio, sacri tripodes, viridesque coronæ,
Et palmæ, pretium victoribus, armaque, et ostro

Perfusæ vestes, argenti aurique talentum[51];
Et tuba commissos[52] medio canit aggere ludos.
Prima pares[53] ineunt gravibus certamina remis
Quattuor ex omni delectæ classe carinæ.
Velocem Mnestheus agit acri remige Pristim[54],
Mox Italus Mnestheus, genus a quo nomine Memmi;
Ingentemque Gyas ingenti mole[55] Chimæram,
Urbis[56] opus, triplici pubes quam Dardana versu
Impellunt, terno consurgunt ordine remi;
Sergestusque, domus tenet a quo Sergia nomen,
Centauro invehitur magna[57]; Scyllaque Cloanthus
Cærulea, genus unde tibi, Romane Cluenti.
Est procul in pelago saxum, spumantia contra
Litora, quod tumidis submersum tunditur olim[58]
Fluctibus, hiberni condunt ubi sidera Cori;
Tranquillo[59] silet, immotaque attollitur unda
Campus et apricis statio gratissima mergis.
Hic viridem Æneas frondenti ex ilice metam
Constituit, signum nautis, pater[60], unde reverti
Scirent et longos ubi circumflectere cursus.
Tum loca sorte legunt; ipsique in puppibus auro
Ductores longe effulgent ostroque decori;
Cetera populea[61] velatur fronde juventus,
Nudatosque humeros oleo perfusa nitescit.
Considunt transtris, intentaque[62] brachia remis;
Intenti exspectant signum, exsultantiaque[63] haurit
Corda pavor pulsans laudumque arrecta cupido.
Inde, ubi clara dedit sonitum tuba, finibus[64] omnes,
Haud mora, prosiluere suis: ferit æthera clamor
Nauticus; adductis[65] spumant freta versa lacertis.

51 Talentum unum argenti, et unum auri. Apparet pluralem *talenta* allaturum fuisse ambiguitatem. — 52 *Commissos* præsentis notione (ut *vectis* p. 60, not. 9) pro: committi, ludos qui jam committuntur. Memorabilis nota Servii: « *Tuba*, Romano more, sicut hodieque videmus omnibus ludis funebribus, ut sunt divorum (Cæsarum). Nam si sacri sunt, id est festi, lustrantur faculis. Antea etiam ab hymnis incipiebant. » — 53 *Pares* jungendum videtur cum *delectæ*. — 54 Nomen ab insigni sive παρασήμῳ ductum, bellua marina, pistrice (III, 127) vel pristi. Mnestheus *mox* futurus *Italus*, a quo dicta est gens *Memmia*, a verbo *memini*, sicut gr. nomen a μέμνημαι, μνῆστις. — 55 Junge *ingentem mole* sua *ingenti*, quemadmodum Græci quoque eamdem notionem amplificant dicentes μεγέθει μέγας. Notam fabulam de Chimæra habes apud Servium. Idem annotat a *Gya* descendere populi Romani gentem *Geganiam*. — 56 Genitivus qui dicitur qualitatis: opus tale vel tantum, quanta urbs est; navis « tam magna, ut urbem putares. *Versu*, ordine (vide pag. 116, n. 24). Omnes autem triremes fuerunt. « *Serv.* — 57 « Feminini generis est *Centaurus*, si de navi dicas; ut *in Eunuchum suam*, quum comœdiam diceret (Terentius). » *Serv.*, quem vide etiam de IV, 462, not. 4. — 58 Aliquando, scilicet flantibus Coris vel Cauris, de quibus vide pag. 102, not. 90. *Condunt* nubibus. — 59 Quando tranquillum (tranquillitas) est, et quando non moventur undæ. « *Campus*, saxi latitudo. *Apricis*, sole gaudentibus, ut apud Persium *aprici senes*. » *Serv.* — 60 Junge *Æneas pater*. — 61 *Populea*: « aut quia populus Herculi consecrata est; aut quia funebres ludi sunt, et hæc arbor ab Hercule ex inferis allata est. » *Serv.* Vide notam 61 *Ecl.* VII. — 62 « Porrecta. Sed *intenti* de mente. Et bene eodem sermone [id est vocabulo] in diversis usus est rebus. » *Serv.* Ut sic illos significet mente animoque paratos esse æque ac corporibus. Quod pulchre dictum alii, alii indignum Virgilio judicant et variis modis removent. — 63 Vide *Georg.* III, 105, not. 85. « *Pavor* est animi motus inter spem et metum. Hinc Silius vocavit *pavorem lætum* aliquoties. » *Peerlk.* — 64 *Finibus suis*, locis quæ quique sortiti fuerant, unde progredi ante signum non licebat. — 65 Ad se ductis, pectori admotis agendo remos.

Infundunt pariter sulcos, totumque dehiscit
Convulsum remis rostrisque tridentibus[66] æquor.
Non tam[67] præcipites bijugo certamine campum
Corripuere ruuntque effusi carcere currus,
Nec sic immissis aurigæ undantia lora
Concussere jugis[68], pronique in verbera pendent.
Tum plausu fremituque virûm studiisque faventum
Consonat omne nemus, vocemque inclusa[69] volutant
Litora; pulsati colles clamore resultant.
Effugit ante alios primisque elabitur[70] undis
Turbâ inter fremitumq; Gyas; quê deinde Cloanthus
Consequitur, melior remis; sed pondere pinus[71]
Tarda tenet. Post hos æquo discrimine Pristis
Centaurusque locum tendunt superare[72] priorem;
Et nunc Pristis habet, nunc victam præterit ingens
Centaurus; nunc una ambæ junctisque feruntur
Frontibus, et longa[73] sulcant vada salsa carinâ.
Jamque propinquabant scopulo metamque tenebant,
Quum princeps medioque Gyas in gurgite victor
Rectorem navis compellat voce Menœten :
« Quo tantû mihi dexter abis? huc dirige gressum[74]!
Litus[75] ama, et lævas stringat sine palmula cautes;
Altum alii teneant. » Dixit; sed cæca[76] Menœtes
Saxa timens, proram pelagi detorquet ad undas.
« Quo diversus abis? » iterû[77], « Pete saxa, Menœte! »
Cum clamore Gyas revocabat[78]; et ecce Cloanthum
Respicit instantem tergo et propiora tenentem.
Ille inter navemque Gyæ scopulosque sonantes
Radit iter lævum interior, subitoque priorem
Præterit, et metis tenet æquora tuta relictis[79].
Tum vero exarsit juveni dolor ossibus ingens,
Nec lacrimis caruere genæ; segnemque Menœten
Oblitus decorisque sui[80] sociùmque salutis,
In mare præcipitem puppi deturbat ab alta :
Ipse gubernaclo rector subit, ipse magister,

66 Epitheton ab Ennio sumptum; Silio *rostrum trifidum*. — 67 Vide notam 24 ad I, 496. Certamine *bijugo*, poetice pro: bigarum. Mox perfecta *corripuere*, *concussere*, loco præsentium; videas pag. 54, not. 51. Similes sunt versus *Georg.* III, 103 seqq., ubi v. n. 83 ad 87. — 68 Equis jugalibus, quibus frena laxata *undant* vel effusa jactantur. Ipsi proni tanquam suspensum corpus projiciunt in verbera infligenda. — 69 *Inclusa* collibus, quod sequitur. — 70 Præcurrit celeriter et *primas undas*, primum locum in mari obtinens. *Inter turbam fremitumque*, dum quidem ceteri, videntes prævertentem se, turbulenter et fremitu navigia sua propellunt. — 71 Navis, ut *Ecl.* IV, n. 37. — 72 Superata nave altera assequi locum *priorem*, « scilicet inter se, id est tertium. » *S.* — 73 Carina et hoc loco et infra X, 197 *longa* dici videtur ut longum sui quasi vestigium relinquens et sulcum in mari scisso. — 74 *Gressum* de navigante adeo videbatur insolitum, ut Asinius Pollio Sallustium vituperaverit qui classiarios dixerat « *celeritate vitare prælium in* TRANSGRESSU » et deinde « *transgressos* » : multo sane excusabilius quam poeta rectorem navis jubens dirigere *gressum*. Sed (quod vidit Peerlkampius) hoc uterque ex antiquitatis usu dixerat. — 75 « *Litus* est omne quod aquâ alluitur; unde et saxum *litus* vocavit. » *S. Ama*, amplectere, tene studiose, litori quam proxime admove navem; ut apud Horatium janua clausa dicitur *amare limen*. *Sine* ut *patmula*, extrema pars remi in palmæ modum latior, saxa ad lævam posita *stringat*, radat. — 76 Latentia, ut I, 536. — 77 *Iterum* clamabat : ex sequenti *cum clamore*. — 78 *Revocabat* eum a cursu in altum mare directo, clamans : *Pete saxa*. — 79 *Metis* post se *relictis*, et jam rediens ad locum unde profectus erat. *Juveni*, Gyæ. *Ossibus*, quod alibi plenius dicit *dolor ima tapsus ad ossa*. — 80 « Inhonestum est enim irasci, duci præsertim. » *S. Sociorum* de

Hortaturque viros[81], clavumque ad litora torquet.
At gravis, ut fundo vix tandem redditus imo est,
Jam senior, madidaque fluens[82] in veste, Menœtes
Summa petit scopuli, siccaque in rupe resedit.
Illum et labentem Teucri et risere natantem,
Et salsos rident revomentem pectore fluctus.

Hic læta extremis spes est accensa duobus,
Sergesto Mnestheique[83], Gyan superare morantem.
Sergestus capit ante locum, scopuloque propinquat,
Nec tota tamen ille prior præcunte carina:
Parte prior; partem rostro premit æmula Pristis.
At media socios incedens nave per ipsos
Hortatur Mnestheus: « Nunc, nunc insurgite remis[84],
Hectorei socii, Trojæ quos sorte suprema
Delegi comites; nunc illas promite vires,
Nunc animos quibus in Gætulis[85] Syrtibus usi
Ionioque mari, Maleæque sequacibus[86] undis.
Non jam prima peto Mnestheus, neque vincere certo;
Quanquam o![87]... sed superent, quibus hoc, Neptune, dedisti;
Extremos pudeat rediisse: hoc vincite[88], cives,
Et prohibete nefas. » Olli certamine summo
Procumbunt[89]: vastis tremit ictibus ærea puppis,
Subtrahiturque solum[90]; tum creber anhelitus artus
Aridaque ora quatit; sudor fluit undique rivis[91].
Attulit ipse viris optatum casus honorem.
Namque furens animi dum proram ad saxa suburget
Interior[92] spatioque subit Sergestus iniquo,
Infelix saxis in procurrentibus[93] hæsit.
Concussæ cautes, et acuto in murice[94] remi
Obnixi crepuere, illisaque prora pependit.
Consurgunt nautæ, et magno clamore morantur[95],
Ferratasque trudes[96] et acuta cuspide contos
Expediunt, fractosque legunt in gurgite remos.
At lætus Mnestheus, successuque acrior ipso,
Agmine remorum[97] celeri, ventisque vocatis,
Prona petit maria, et pelago decurrit aperto.

uno Menœte intellige; ita nos quoque in re tali loquimur. — 81 « Ipse dicit celeusma. » *Serv. Fundo*, ex fundo. — 82 *Fluens* aquâ quæ ad cutem penetravérat. — 83 Trisyllabe, ut bisyllabe *Orphei* in *Ecl.* IV, n. 54 et alibi. — 84 Vide III, 207, n. 4.— 85 Videas supra 51, not. 23. Est tempestas narrata I, 102 seqq; de alia in Ionio mari narratum III, 194 seqq. — 86 « Quasi persecutricibus. » *S.*; alia ex alia navem urgentibus ad *Maleam*, extremæ Laconiæ promontorium, naufragiis famosum, quod ex Ægæo mari venientibus erat circumnavigandum. — 87 Erat dicturus *utinam vincerem!* sed non audet. — 88 *Hoc* nefas *vincite*, hoc detestabile dedecus effugite nitendo. Servio autem *hoc* est ablativus: « Loco victoriæ sit (inquit), ultimos non redire. » — 89 Proni incumbunt remis. — 90 Idem quod supra dixit, v. 142, *infindunt sulcos et* DEBIS-CIT *æquor*. De vocabulo Servius annotat: « Unicuique rei quod subjacet, *solum* est ei: unde solum navis, mare; et aer, avium. » — 91 « More rivorum; ac si *rivatim* diceret. » *S.* — 92 Inter saxum et Menestheum. — 93 « Prominentibus et veluti obviam venientibus. » *S.* — 94 *Murices* sunt « petræ in litore, similes muricibus vivis, acutissimæ et navibus periculosissimæ. » — 95 Postquam consurrexerunt, magno clamore non remigant, non promovent navem (quod minabatur hic status et clamor), sed *morantur*, hærent, in loco manent. Hoc uno fere modo explicare possis vocabulum ab optimis criticis pro corrupto habitum. Vide mox in nota 3. — 96 Perticas ad *trudendum* aptas. *Legunt*, colligunt. — 97 Egregie dictum de remis promoventibus navem *agmen remorum*, ut de serpente supra dixit *extremæ agmina caudæ*, et *agmine certo* petit. Maria *prona*, per quæ cursus pro-

Qualis spelunca subito commota columba,
Cui domus et dulces latebroso in pumice nidi[98],
Fertur in arva volans, plausumq[99] exterrita pennis
Dat tecto ingentem; mox aere lapsa quieto,
Radit iter liquidum[1], celeres neque commovet alas:
Sic Muestheus, sic ipsa fuga secat ultima Pristis
Æquora; sic illam fert impetus ipse[2] volantem.
Et primum in scopulo luctantem deserit alto
Sergestum brevibusque vadis[3], frustraque vocantem
Auxilia, et fractis discentem currere remis.
Inde Gyan ipsamque ingenti mole Chimæram
Consequitur: cedit[4], quoniam spoliata magistro est.
Solus jamque ipso superest in fine[5] Cloanthus:
Quem petit, et summis adnixus viribus urget.
Tum vero ingeminat clamor, cunctique sequentem
Instigant studiis, resonatque fragoribus æther.
Hi proprium decus et partum indignantur honorem
Ni teneant[6]; vitamque volunt pro laude pacisci;
Hos successus alit: possunt, quia posse videntur[7].
Et fors æquatis cepissent præmia rostris,
Ni palmas ponto[8] tendens utrasque Cloanthus
Fudissetque preces, divosque in vota vocâsset:
« Dî, quibus imperiü est pelagi, quorü æquora cur-
Vobis lætus ego hoc candentem in litore taurum
Constituam ante aras, voti reus[10], extaque salsos
Porriciam in fluctus, et vina liquentia fundam. »
Dixit, eumque imis sub fluctibus audiit omnis
Nereidum Phorcique[11] chorus, Panopeaque virgo;
Et pater ipse manu magna Portunus[12] euntem
Impulit: illa Noto citius volucrique sagitta
Ad terram fugit, et portu se condidit alto.
Tum satus Anchisa, cunctis[13] ex more vocatis,
Victorem magna præconis voce Cloanthum
Declarat, viridique advelat tempora lauro;
Muneraque in naves ternos optare[14] juvencos,

nus est et sine impedimento.— 98 *Nidi* de ipsis pullis accipio, ut *Georg.* IV, 17 (ubi v. not. 9), ob vocem *domus*. — 99 Exterrita dat plausum ingentem pennis. Constat autem columbarum cum strepitu magno incipere volatum. — 1 Iter *liquidum*, per auras liquidas. — 2 *Impetus ipse*, sine remigatione. Eloquenter describit Cicero, de Oratore I, 33, § 153: « Ut con- « citato navigio, « quum remiges « inhibuerunt, « retinet tamen « ipsa navis mo- « tum et cursum « suum, inter- « misso impetu « pulsuque re- « morum. » — 3 Quæ circa scopulum erant; conf. I, 111, n. 71. Mox *discentem* cum aliqua ironia dictum, ut supra n. 95 *morantur*, si sanum est. — 4 Prætoriri se sinit Chimæra. — 5 « Prope terminum certaminis. » *S. Petit* Menestheus. — 6 Si tenere non possint, si eripiatur ipsis; adeoque certum est iis vitam potius despondere quam laudem hujus victoriæ. *Hi*, nimirum Cloanthus, *Hos*, Menestheum cum suis. — 7 *Videntur* sibi, quia se posse putant. Quippe pars est victoriæ non desperare de victoria. *Fors*, forsitan. — 8 Pontum versus. *In vota*, ut vota iis faceret, atque adeo ad obtinenda vota sive munera quæ iis jam vovet. Sic dictum III, 222, *divos in partem prædamque vocamus*. — 9 Vide III, 191, n. 94. — 10 Vide not. 64 *Ecl.* V. « *Porricere*, non *projicere*, proprium sacrificii verbum est, et dicitur: *Exta porriciunto, diis danto in altaria aramve*. Hic autem pro ara mare accipiendum est, quum sacrificium diis maris dicatur. » *Macrob.* — 11 Phorcus est frater Nerei. De Panopea Nereide vide *Georg.* I, 437, n. 90. — 12 *Portunus* sive *Portumnus*, deus marinus, portuum præses, qui Græcis Melicertes et Palæmon; de cujus metamorphosi vide Ovidium ibidem citatum. *Pater* dicitur ut deus, quamquam est juvenis, velut *Bacchus pater*, etc. — 13 *Cunctis*, qui certaverant. « *Ex more*, ludorum scilicet, per præconem. » *S.* — 14 *Optare*, eligere, *dat* (quod sequitur) tanquam *munera*. Vide 62,

Vinaque et argenti magnum dat ferre talentum.
Ipsis præcipuos ductoribus addit honores :
Victori chlamydem auratam, quam plurima circum
Purpura Mæandro[15] duplici Melibœa cucurrit ;
Intextusque puer frondosa regius[16] Idâ
Veloces jaculo cervos cursuque fatigat,
Acer, anhelanti similis ; quem[17] præpes ab *Idâ*
Sublimem pedibus rapuit Jovis armiger uncis ;
Longævi palmas nequicquam ad sidera tendunt
Custodes, sævitque canum latratus in auras.
At qui deinde locum tenuit virtute secundum,
Lævibus huic hamis consertam auroque trilicem[18]
Loricam, quam Demoleo detraxerat ipse
Victor apud rapidum Simoenta sub Ilio[19] alto,
Donat habere viro, decus et tutamen in armis.
Vix illam famuli Phegeus Sagarisque ferebant
Multiplicem[20] connixi humeris : indutus at olim
Demoleos cursu palantes Troes agebat[21].
Tertia dona facit geminos ex ære lebetas,
Cymbiaque[22] argento perfecta atque aspera signis.
Jamque adeo donati omnes, opibusque superbi,
Puniceis ibant evincti tempora tæniis[23],
Quum sævo e scopulo multa vix arte revulsus,
Amissis remis atque ordine[24] debilis uno,
Irrisam sine honore ratem Sergestus agebat.
Qualis sæpe viæ deprensus in aggere[25] serpens,
Ærea quem obliquum rota transiit, aut gravis ictu[26]
Semineciem liquit saxo lacerumque viator ;
Nequicquam longos fugiens dat corpore tortus[27],
Parte ferox, ardensque oculis, et sibila colla
Arduus attollens ; pars vulnere clauda retentat
Nixantem[28] nodis, seque in sua membra plicantem :
Tali remigio navis se tarda movebat ;
Vela facit tamen, et velis subit ostia[29] plenis.
Sergestum Æneas promisso munere donat,
Servatam ob navem lætus sociosque reductos.

n. 29. Talentum *magnum*, non ad differentiam minoris quod dicebatur talenti, sed ut magnum pondus argenti. — 15 • Erat in chlamyde flexuosa et in se remeabilis purpura, in modum Mæandri fluminis Cariæ, qui sinuosus est. *Melibœa* adjective Melibœensis. Est autem civitas Thessaliæ. • *S.* Inter montes Peneum et Ossam, ubi tinctores purpurarii. Malles haud dubie intelligere de Melibœa insula Syriæ, ad ostia Orontis fluvii, quæ tota regio muricum copiâ celebris est ; sed obstat Lucretius : *Melibœaque fulgens Purpura* THESSALICO *conchārum tincta colore* (II, 499). — 16 Ganymedes, Trois regis filius. — 17 Hinc altera pictura describitur, in alio loculamento exhibita. Emendandum *ab* ÆTHRA, auctoritate criticorum. *Rapuit*, eo quod jam in aere sublimis exhibetur. — 18 Vide III, 467, n. 23.

— 19 Vide not. 90 *Ecl.* VIII. *Habere*, in prosa : habendam. *In armis*, in pugna. — 20 Multis annulorum nexibus consertam, inde ponderosam. — 21 • Ad Æneæ, qui vicit, pertinet laudem. • *S.* — 22 Vide III, 66, n. 30. *Aspera*, quæ eminebant cælata in iis sive *anaglypha* erant. — 23 *Tæniis* flege *tæniis*, • vittis. Et significat lemniscatas coronas, quæ sunt de frondibus et discoloribus fasciis, et, sicut Varro dicit, magni honoris sunt. • *S.* — 24 *Ordine* remorum. *Debilis*, mutilatus. — 25 *In aggere viæ*, in via lapidibus strata ; quas Romani struebant paullo elatiores campo. — 26 Victor fortis qui gravem ictum infert. *Saxo* in eum conjecto. — 27 *Tortus dat*, facit tortus, intorquet se flexibus. Sic *dare motum*, *saltum*, etc., de rebus quæ in conspectum vel auditum dantur, per motum aliquem sensibus percipiuntur. — 28 Nixus sive nisus facientem, nitentem, labi studentem *nodis*, plectendis et volvendis spiris, quæ serpenti sunt pro pedibus. — 29 *Ostia*, de portu, ut I, 400 ; • quia exitus fluminum frequenter portus efficiunt. • *S. Promisso*, quia om-

nibus certamina inituris, etiam victis, dona constituerat, ut ex sequentibus apparet, v. 305 et 365 seqq. — 30 Perita lanificii et texturæ. *Cressa*, Cretâ oriunda. — 31 Dimisso, finito. — 32 *Theatri*, cujus instar præbebant colles undique curvi. — 33 Ita ut medius esset in consessu. Reseditque in eo loco, *exstructo* ad consessum, in cavæ modum. — 34 Eorum *animos invitat* etc. — 35 Casto, puro. *Pueri*, Euryali minoris. — 36 Vide *Georg.* I, 18, n. 20. *Trinacrii*, Siculi, quanquam Helymus certe Trojanus origine, de qua Servius ad v. 76. — 37 Cretica, ab urbe Gnoso. Jungas *dabo ferre*, ferenda, præmium. — 38 Idem, par. — 39 Corona ex olea, Græcis quoque dicta ξανθή, flava. Varia sunt olearum genera, et oliva colorem mutat. — 40 Quali Amazones utuntur; plenam sagittis, qualibus Thraces, optimi sagittarii. — 41 Eam ambit balteus, ex quo suspensa est, *auro lato*, quia ipse latus et auro ornatus. Fibula autem gemmata balteum constringens et ipsum et pharetram *subnectit* ferenti; de quo verbo vide IV, 139, n. 70. — 42 Haud dubie ex spoliis, quorum jam sæpius meminit. — 43 Vide p. 96, n. 83. *Limen*, ut supra *fines* 139, n. 64, de loco unde procurrunt, dicto linea alba vel regula, gr. νῦσσα; *ultima*, de meta. *Signant*, designant, notant oculis et animo. — 44 Velocitate; quia tam ventos quam fulmina alata fingunt poetæ et pictores). — S. — 45 Statim post

Olli serva datur, operum haud ignara Minervæ[30],
Cressa genus, Pholoe, geminique sub ubere nati.
Hoc pius Æneas missó[31] certamine tendit
Gramineũ in campum, quem collibus undiq; curvis
Cingebant silvæ: mediaque in valle theatri[32]
Circus erat, quo se multis cum millibus heros
Consessu medium[33] tulit exstructoque resedit.
Hìc, qui forte velint rapido contendere cursu,
Invitat[34] pretiis animos, et præmia ponit.
Undique conveniunt Teucri mixtique Sicani,
Nisus et Euryalus primi:
Euryalus forma insignis viridique juventa,
Nisus amore pio[35] pueri; quos deinde secutus
Regius egregia Priami de stirpe Diores;
Hunc Salius simul et Patron, quorum alter Acarnan,
Alter ab Arcadio Tegeææ[36] sanguine gentis;
Tum duo Trinacrii juvenes, Helymus Panopesque,
Assueti silvis, comites senioris Acestæ,
Multi præterea, quos fama obscura recondit.
Æneas quibus in mediis sic deinde locutus:
« Accipite hæc animis, lætasque advertite mentes.
Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit.
Gnosia[37] bina dabo lævato lucida ferro
Spicula cælatamque argento ferre bipennem:
Omnibus hic erit unus[38] honos. Tres præmia primi
Accipient, flavaque caput nectentur oliva[39]:
Primus equum phaleris insignem victor habeto;
Alter Amazoniam pharetram[40], plenamque sagittis
Threiciis, lato quam circumplectitur[41] auro
Balteus, et tereti subnectit fibula gemmâ;
Tertius Argolica[42] hac galea contentus abito. »
Hæc ubi dicta, locum capiunt, signoque repente
Corripiunt[43] spatia audito, limenque relinquunt,
Effusi nimbo similes; simul ultima signant.
Primus abit longeque ante omnia corpora Nisus
Emicat, et ventis et fulminis ocior alis[44];
Proximus huic, longo sed proximus intervallo,
Insequitur Salius; spatio post deinde relicto
Tertius Euryalus; [so[45]
Euryalumque Helymus sequitur; quo deinde sub ip-

Ecce volat calcemque terit jam calce Diores,
Incumbens humero; spatia et si plura supersint,
Transcat elapsus prior, ambiguumve relinquat [46].
Jamque fere spatio extremo, fessique, sub ipsam
Finem adventabant, lævi [47] quum sanguine Nisus
Labitur infelix, cæsis ut forte juvencis
Fusus humum viridesque super madefecerat herbas.
Hic juvenis jam victor ovans vestigia presso
Haud tenuit titubata [48] solo; sed pronus in ipso
Concidit immundoque fimo sacroque cruore.
Non tamen Euryali, non ille oblitus amorum [49]:
Nam sese opposuit Salio per lubrica surgens;
Ille autem spissa [50] jacuit revolutus arena.
Emicat Euryalus, et munere victor amici
Prima [51] tenet, plausuque volat fremituque secundo.
Post Helymus subit, et nunc tertia palma [52] Diores.
Hic totum caveæ consessum ingentis et ora
Prima [53] patrum magnis Salius clamoribus implet,
Ereptumque dolo reddi sibi poscit honorem.
Tutatur favor Euryalum, lacrimæque decoræ,
Gratior et pulchro veniens [54] in corpore virtus.
Adjuvat et magna proclamat voce Diores,
Qui subiit palmæ [55], frustraque ad præmia venit
Ultima, si primi Salio reddantur honores.
Tum pater Æneas, « Vestra, inquit, munera vobis
Certa manent, pueri, et palmâ movet ordine [56] nemo:
Me liceat casus miserari insontis amici. »
Sic fatus, tergum [57] Gætuli immane leonis
Dat Salio, villis onerosum atque unguibus aureis.
Hic Nisus, « Si tanta, inquit, sunt præmia victis,
Et te lapsorum miseret, quæ munera Niso
Digna dabis? primam merui qui laude [58] coronam,
Ni me, quæ Salium, fortuna inimica tulisset [59]. »
Et simul his [60] dictis faciem ostentabat et udo

ipsum, juxta ipsum, ut ferme tangat, plus quam *sub ipsam* mox 327. *Calcem calce terit* opponendarum vocum studio dixit impropriæ: non *calce* sua, sed digitis pedum Diores trivit calcem Helymi. — 46 *Ambiguum relinquat*, sitne prior an posterior. Felicius Homerus ἀμφίδρομον ἔθηκεν, Ψ, 382. — 47 Sanguine lubrico, sive potius qui lubricum reddiderat locum, usu *forte fusus* etc.; nam *ut* a poetis nonnunquam de loco quoque ponitur. — 48 Vestigia *titubata*, quæ fiunt pedibus titubantibus. Hæc Nisus *haud tenuit* firmiter, se non sustinuit in *solo* pedibus *presso*. Animadverte abundantiam elocutionis. — 49 *Amorum* de mutui amoris sensu et affectu, ut IV, 28. — 50 « *Spissa arena*, tenui: quanto enim quid minutius, tanto est densius. » *S. Revolutus* proprie dicendum erat *provolutus*; nam Salius in os cecidisse videtur, non in tergum; sed in tanto nisu et motu dejectus corpus raptim circumegisse putandus est. « Oblitus, ut videtur, poeta *graminei campi* v. 287 et *viridium herbarum* v. 330, hic dixit *arena*, cogitans Circum proprie dictum, qui arena solebat esse obductus. » *Wagner.* — 51 Τὰ πρῶτα, primum locum. *Secundo*, læto et alacritatem currentis adjuvante. — 52 *Tertia palma*, poetice dictum pro: nunc tertio loco victor Diores, hodie in vulgarem sermonem nostrum abiit. — 53 Ora patrum primas sedes tenentium. — 54 Sese offerens. — 55 Accessit ad palmam, quippe tertius inter primos. et *præmia ultima* meritus, sed *frustra*, si admittatur Salius: ipse enim tum esset quartus, cui præmium eximium nullum. — 56 *Ordine* constituto. v. 308 seqq. — 57 Tergus; quod supra vidimus poetis etiam *tergum* dici. — 58 Re vel facto laudando, virtute. Sic IX, 252: *digna pro laudibus istis præmia solvo*. — 59 *Ferre* eleganter dicitur de eventibus fortuitis et vario lusu fortunæ; metaphora petita a navigatione, quæ est in ventorum arbitrio. — 60 Cum his dictis, hæc dicens. Poetæ *simul* cum ablativo struunt, ut Ovidius: *Simul no-*

Turpia membra fimo. Risit pater optimus olli,
Et clipeum efferri jussit, Didymaonis artes[61],
Neptuni sacro Danais de poste refixum :
Hoc juvenem egregium præstanti munere donat.
Post, ubi confecti cursus, et dona[62] peregit :
« Nunc, si cui virtus animusque in pectore præsens[63],
Adsit, et evinctis[64] attollat brachia palmis. »
Sic ait, et geminum pugnæ proponit honorem :
Victori velatum auro vittisque[65] juvencum ;
Ensem atque insignem galeam, solatia victo.
Nec mora ; continuo vastis cum viribus effert
Ora Dares, magnoque virûm se murmure[66] tollit :
Solus qui Paridem solitus contendere contra ;
Idemque ad tumulum, quo maximus occubat[67] Hector,
Victorem Buten immani corpore, qui se
Bebrycia[68] veniens Amyci de gente ferebat,
Perculit et fulva moribundum extendit arenâ.
Talis prima[69] Dares caput altum in prœlia tollit,
Ostenditque humeros latos, alternaque jactat
Brachia protendens, et verberat ictibus auras.
Quæritur huic alius[70] ; nec quisquâ ex agmine tanto
Audet adire virum, manibusque inducere cæstus.
Ergo alacris, cunctosque putans excedere palmâ[71],
Æneæ stetit ante pedes, nec plura[72] moratus,
Tum læva taurum cornu tenet, atque ita fatur :
« Nate dea, si nemo audet se credere pugnæ,
Quæ finis standi ? quo me decet usque teneri[73] ?
Ducere dona jube. » Cuncti simul ore fremebant
Dardanidæ, reddique viro promissa jubebant.
Hic gravis Entellum[74] dictis castigat Acestes,
Proximus ut viridante toro consederat[75] herbæ :
« Entelle, heroum quondam fortissime frustra[76],
Tantane tam patiens nullo certamine tolli

bis habitat, etc. — 61 *Artes*, ut græcum τέχνη, de opere artis. « Laus ab artifice, ut (*Ecl.* III, 37), *divinum opus Alcimedontis*. » *S.* Cogitandus est clipeus voti causa in foribus templi alicujus Neptuno sacri fixus, sed a Græcis *refixus* sive ablatus, qui postea in Trojanorum potestatem venit (ut illud *gestamen Abantis*, III, 286 seqq.), hostium sacrilegio, non ipsorum. — 62 Munerum distributionem. — 63 *Præsens* est. Seneca, *Epist.* XCII, hoc versu ita usus est : *Si cui virtus animusque in corpore præsens, hic deos æquat, illo tendit, originis suæ memor.* — 64 *Evinctis* cæstu, i. e. loro ex corio bovis crudo circa manus ad medium ferme brachium multiplici anfractu circumducto. — 65 Videntur significari vittæ aureis filis intertextæ. Servius *auro* de laminis aureis intellexit, hic et IX, 627, *aurata fronte juvencum*. — 66 *Murmure* favoris indicio. *Paridis* facinora fortia nec apud Homerum desunt, sed magis ille celebrabatur a cyclicis poetis, qui in funebribus ludis Hectoris Paridem omnibus certaminibus vicisse retulerunt. — 67 *Occubat*, dictum ut *jacet*, I, 99, not. 61. Ibi Priamus funebres ludos instituerat. — 68 Bebryces, gens Thracica in Bithynia Asiæ habitans, cujus rex erat Amycus, Neptuni et Melies nymphæ filius, pyctes fortissimus, ut a solo Polluce vinci posset : quorum lucta pulcherrime narrata a Theocrito, *Idyll.* XVIII. *Se* esse *ferebat*. — 69 *Prima prœlia*, ab ipso primo ineunda ; idem quod : Dares primus tollit etc. — 70 *Alius* pro : alter. Mox *adire* verbum sciendum est dici de re ardua et periculosa. — 71 Vitare pugnam et desistere a prœmio, vel decedere sibi de victoria. — 72 Sic III, 610 : *haud multa moratus*. De *tum* post participium v. II, 391, n. 80. — 73 In exspectatione esse. *Ducere*, me abducere. — 74 Erat comes aut socius Acestæ, qui Entellæ oppido nomen dedit. « Secundum Hyginum, qui de familiis Trojanis scripsit, fuit unus Trojanorum, de quo Virgilius mutat historiam. » *S.* — 75 *Ut consederat* : non assurgens loquitur senex. — 76 *Frustra*, utpote nunc iners.

Dona sines ? ubi nunc nobis[77] deus ille magister,
Nequicquam memoratus[78] Eryx ? ubi fama per omnē
Trinacriam, et spolia illa tuis pendentia tectis ? »
Ille sub hæc : « Non laudis amor, nec gloria cessit
Pulsa metu ; sed enim gelidus tardante senecta
Sanguis hebet, frigentque effœtæ[79] in corpore vires.
Si mihi, quæ quondam fuerat, quaque improbus iste
Exsultat fidens, si nunc foret illa juventas,
Haud equidem pretio inductus pulchroque juvenco
Venissem ; nec dona moror[80]. » Sic deinde locutus
In medium geminos immani pondere cæstus
Projecit, quibus acer Eryx in prœlia suetus
Ferre manum, duroque intendere brachia tergo[81].
Obstipuere animi : tantorum ingentia septem
Terga boum plumbo insuto ferroque rigebant !
Ante omnes stupet ipse Dares, longeque[82] recusat ;
Magnanimusque Anchisiades et pondus[83] et ipsa
Huc illuc vinclorum immensa volumina versat.
Tum senior[84] tales referebat pectore voces :
« Quid, si quis cæstus ipsius et Herculis arma[85]
Vidisset, tristemque hoc ipso in litore pugnam[86] ?
Hæc germanus Eryx quondam tuus arma gerebat :
Sanguine cernis adhuc sparsoque infecta cerebro[87] ;
His magnum Alciden contra stetit ; his ego suetus,
Dum melior vires sanguis dabat, æmula[88] necdum
Temporibus geminis canebat sparsa senectus.
Sed, si nostra Dares hæc Troïus arma recusat,
Idque pio sedet[89] Æneæ, probat auctor Acestes,
Æquemus pugnas : Erycis tibi terga remitto,
Solve metus ; et tu Trojanos exue cæstus. »
Hæc fatus, duplicem ex humeris rejecit amictum[90],
Et magnos membrorum artus, magna ossa lacertosq
Exuit[91], atque ingens media consistit arenā.
Tum satus Anchisa cæstus pater extulit æquos,
Et paribus palmas amborum innexuit armis.

77 *Nobis* pro : tibi, per salsam « communicationem. » — 78 *Memoratus* a te, quem jactabas. *Eryx*, « Veneris et Butæ, aut, ut quidam volunt, Neptuni filius, præpotens viribus, advenas cæstibus provocabat atque victos perimebat, tandem ab Hercule occisus. » *Serv.* — 79 « Exhaustæ ; translatum est a mulieribus quas frequens partus debiles reddidit. » *S.* — 80 Non curo. Tum vide 14, n. 7. — 81 Corio ; vide n. 64. Erat autem is cæstus ex corio septem maximorum boum factus. *Tantorum* idem est quod : nam maximorum, exclamative clatum. Sed non immerito suspicionem movet Peerlkamp., p. 324. — 82 Valde ; nam *recusandi* vocabulo inest notio rejiciendi. — 83 *Pondus* illorum cæstuum *examinat* vel *explorat* ; sed alterum substantivum, *volumina vinclorum*, horum quæ manus et brachia circumvinciunt, adducit verbum aliud, *huc illud versat* manibus, contemplans et mirans. Est enunciatio per zeugma. — 84 Entellus. — 85 *Cæstus*, qui erant *arma* Herculis, quibus Hercules erat armatus. — 86 *Pugnam* Erycis cum Hercule ; v. not. 78. « Varro dicit, sub Eryce monte esse infœcundum campum fere tribus jugeribus, in quo Eryx et Hercules dimicaverunt. » *S. Germanus*, conf. 24, n. 12. — 87 *Sanguine, cerebro* victorum ab Eryce advenarum, non « Erycis, qui infecerat se tegendo contra Herculem, » ut Servius. — 88 Senectus *æmula* juventuti (quam indicant verba *melior sanguis*) atque ei velut invidens. — 89 Mente constitutum est, placet ; v. II, 660, n. 92. *Auctor* hujus certaminis, quo auctore certabo. *Pugnas*, arma pugnæ. *Terga*, cæstus de tergoribus factos. — 90 *Duplicem amictum*, græce διπλῆν vel διπλοΐδα, abollam duplici, vel omnino crassiore, filo textam, crassam. — 91 *Exuit* veste, nudavit. Nisi a poeta scriptum erat *Exserit*. Ennius dixerat : *magna ossa lacertique Apparent homini*.

Constitit in digitos[92] extemplo arrectus uterque,
Brachiaque ad superas interritus extulit auras.
Abduxere retro longe capita ardua ab ictu,
Immiscentque manus manibus, pugnamque lacessunt[93].
Ille pedum melior motu, fretusque juventâ;
Hic membris et mole[94] valens, sed tarda trementi
Genua[95] labant; vastos quatit æger anhelitus artus.
Multa viri nequicquam inter se vulnera jactant,
Multa cavo lateri ingeminant et pectore vastos
Dant sonitus; erratque aures et tempora circum
Crebra manus; duro crepitant sub vulnere malæ.
Stat gravis[96] Entellus, nisuque immotus eodem,
Corpore tela modo atque oculis vigilantibus exit[97].
Ille, velut celsam oppugnat qui molibus urbem,
Aut montana sedet circum[98] castella sub armis,
Nunc hos, nunc illos aditus, omnemque pererrat
Arte locum, et variis assultibus irritus urget.
Ostendit dextram insurgens Entellus, et alte
Extulit: ille ictum venientem a vertice velox
Prævidit, celerique elapsus corpore cessit.
Entellus vires in ventum effudit, et ultro
Ipse gravis graviterque[99] ad terram pondere vasto
Concidit: ut quondam cava concidit aut Erymantho,
Aut Ida in magna, radicibus eruta pinus.
Consurgunt studiis[1] Teucri et Trinacria pubes;
It clamor cœlo, primusque accurrit Acestes,
Æquævumque ab humo miserans attollit amicum.
At non tardatus casu neque territus heros
Acrior ad pugnam redit, ac vim suscitat ira;
Tum pudor incendit vires et conscia virtus[2];
Præcipitemque Daren ardens agit æquore toto,
Nunc dextrâ ingeminans ictus, nunc ille sinistrâ;
Nec mora, nec requies: quam multa grandine nimbi
Culminibus crepitant, sic densis ictibus heros
Creber utraque manu pulsat versatque Dareta.
Tum pater Æneas procedere longius iras
Et sævire animis Entellum haud passus[3] acerbis;
Sed finem imposuit pugnæ, fessumque[4] Dareta
Eripuit, mulcens dictis, ac talia fatur:
« Infelix! quæ tanta animum dementia cepit?
Non vires alias[5] conversaque numina sentis?

92 Junge *arrectus in digitos* pedum. — 93 Movent pugnam, committunt. — 94 Membrorum mole. — 95 Disyllabe *Genva*. *Vulnera*, ictus in vulnera, intendentes vulnera. ◦ *Nequicquam*, non profutura ad victoriam. ◦ *S.* — 96 *Gravis*, sc. mole corporis. *Nisu*, quasi ◦ innisu, ◦ pedibus firmiter solo innitentibus et tanquam affixis. — 97 Evitat, declinat, eludit. *Tela*, ictus. *Molibus*, machinis ingentibus. — 98 Circumsidet, obsidet cincta. *Aditus* ab urbe ad corpus Entelli translatum, ut Statius quoque loquitur: *Aditus ad vulnera clusi* (*Theb.* VI, 752). — 99 Simile Homerico κεῖτο μέγας μεγαλωστί. *Erymanthus*, Arcadiæ mons. ◦ *Ida*, non Cretæ, sed Phrygiæ, propter pinus. (Et Statio dicitur *pinifera*.) Pinus *cava*, id est exesa vetustate; respexit ad ætatem Entelli. ◦ *S.* — 1 Studium præ se ferentes, quo Entellum prosequebantur. *Cœlo*, ad cœlum. — 2 Suæ sibi virtutis conscientia. *Præcipitem*, celerem. *Æquore*, campo. — 3 *Passus* est. — 4 ◦ *Fessum* nunc non modo lassum, verum etiam deficientem accipi vult. Id sequentia indicant. ◦ *Schol. veron.* — 5 Non sentis vires *alias* ac tuas? nimirum divinas, Erycis *dei* (v. 391) Entellum adjuvantis; a te autem numina aversa. Consolatur Daretem deo tribuens victoriam. Mirum interpretationis specimen in antiquis scholiis veronensibus: ◦ *Cede deo.* An secundum

Cede deo. » Dixitque[6], et prœlia voce diremit.
Ast illum fidi æquales, genua ægra trahentem,
Jactantemque utroque caput, crassumque cruorem
Ore ejectantem mixtosque in sanguine dentes,
Ducunt ad naves; galeamque ensemque vocati[7]
Accipiunt; palmam Entello taurumque relinquunt.
Hic victor, superans animis[8], tauroque superbus :
« Nate dea, vosq hæc, inquit, cognoscite, Teucri[9],
Et mihi quæ fuerint juvenali in corpore vires,
Et qua servetis revocatum a morte Daretа. »
Dixit, et adversi contra stetit ora juvenci,
Qui donum adstabat pugnæ, durosque reductâ[10]
Libravit dextra media inter cornua cæstus
Arduus, effractoque[11] illisit in ossa cerebro.
Sternitur exanimisq tremens[12] procumbit humi bos.
Ille super tales effundit pectore voces :
« Hanc tibi, Eryx, meliorē[13] animâ pro morte Daretis
Persolvo : hic victor cæstus artemque repono. »
Protinus Æneas celeri certare sagittâ
Invitat qui forte velint, et præmia ponit;
Ingentique manu malum de nave[14] Seresti
Erigit, et volucrem trajecto in fune[15] columbam,
Quo tendant ferrum, malo suspendit ab alto.
Convenere viri, dejectamque[16] ærea sortem
Accepit galea : et primus clamore secundo
Hyrtacidæ ante omnes exit locus[17] Hippocoontis;
Quem modo navali Mnestheus certamine victor
Consequitur, viridi Mnestheus evinctus olivâ.
Tertius Eurytion, tuus, o clarissime, frater,
Pandare, qui quondam, jussus[18] confundere fœdus,
In medios telum torsisti primus Achivos.
Extremus galeaque ima subsedit Acestes,
Ausus et ipse manu juvenum tentare laborem.

illam consuetudinem athletarum, qua hodieque victores hoc honore nominant? (scilicet *deos.*) Et forsitan sic Eryx *deus* dictus (391). » — 6 Non otiosum *que*, sed ita junctum cum *et* rem statim consecutam indicat. Horum vis est in vocabulo *voce*. Sequentia sunt ex Homero conversa, ut alia in his multa. — 7 « *Vocati*, quia erant occupati circa amicum. » *S.* — 8 *Superans animis*, et quasi superfluens, abundans animis (vide p. 83, n. 56), magnosque gerens spiritus. Dixerat Ennius : *Aut animis superant, asperrima vulnera belli. Spernunt.* — 9 « *Teucri* : nam noverant virtutem ejus Siculi. » *S.* — 10 Dextra *reducta*, alte post caput sublata; ut XII, 307. — 11 Cerebro *effracto*, utpote contecto ossibus, quæ prius frangenda, quamipsum tangatur. — 12 Jun-

genda sunt *tremens bos* et *exanimis procumbit*. Versus ob rhythmum celebratus. — 13 *Meliorem*, « aptiorem; nam animalem hostiam dat. » *Serv.* Melius esse dicit taurina quam humana anima votum persolvi magistro; contra judicat aliter animo affectus Messapus XII, 296. De sequentibus vide notam 24 Eclogæ VII. — 14 *Malum de nave* sumptum; nam « *malus* quando arborem navis significat, generis masculini est; quando arborem pomorum, feminini. » *Schol. veron.* Neque ab re alienum Æneæ manum hic dici *ingentem*, magnam, ut solent a poetis heroum et deorum manus. — 15 *Trajectus funis* periphrasis est *nodi* quo columbam vinciebat; vide infra 510 seq. Veterum commentationis de Virgilio hoc specimen adscribitor : « *Longus*. Adnotat *Cornutus* quod indecenter sacram matri suæ avem sagittis figendam constituerit. Sed videlicet Homerum (Ψ, 853) secutus est. Sed et eodem modo quamcumque aliam avem expositam queri potuit, quia singula genera alitum diis quibuscumque sacrata sunt. Quamquam *Urbanus* dicat matrem citius potuisse placari. » — 16 Ex Homero *Il.* Γ, 316-25. — 17 Sors primum locum dans. Mox junge *modo* (nuper) *victor*, secundo loco, v. 258 seqq., ubi quidem corona oleagina non memoratur. — 18 *Jussus* a Minerva. Celebrem narrationem rei habes in *Iliade*, Δ, 68 seqq.

Tum validis flexos incurvant[19] viribus arcus
Pro se quisque viri, et depromunt tela pharetris.
Primaque per cœlum, nervo stridente, sagitta
Hyrtacidæ juvenis volucres diverberat auras;
Et venit, adversique infigitur arbore mali.
Intremuit malus, timuitque exterrita pennis[20]
Ales, et ingenti sonuerunt omnia plausu.
Post acer Mnestheus adducto constitit arcu,
Alta petens, pariterque oculos telumque tetendit.
Ast ipsam miserandus avem contingere ferro
Non valuit; nodos et vincula linea rupit,
Quis innexa pedem malo pendebat ab alto:
Illa Notos[21] atque atra volans in nubila fugit.
Tum rapidus, jam nudum arcu contenta[22] parato
Tela tenens, fratrem Eurytion in vota vocavit,
Jam vacuo lætam cœlo speculatus, et alis
Plaudentem nigra figit sub nube columbam.
Decidit exanimis, vitamque reliquit in astris
Ætheriis, fixamque refert delapsa sagittam.
Amissa solus palma superabat[23] Acestes;
Qui tamen aerias telum contendit in auras,
Ostentans artemque[24] pater arcumque sonantem.
Hic oculis subitum objicitur magnoque futurum
Augurio[25] monstrum; docuit post exitus ingens,
Seraque[26] terrifici cecinerunt omina vates.
Namque volans liquidis[27] in nubibus arsit arundo,
Signavitque viam flammis, tenuesque recessit
Consumpta in ventos: cœlo ceu sæpe refixa[28]
Transcurrunt crinemque volantia sidera ducunt.
Attonitis hæsere animis, Superosque precati
Trinacrii Teucrique viri; nec maximus omen
Abnuit[29] Æneas; sed lætum amplexus Acesten
Muneribus cumulat magnis, ac talia fatur:
« Sume, pater; nam te voluit[30] rex magnus Olympi
Talibus auspiciis exsortem[31] ducere honorem.

19 *Incurvant*, ad funem sive nervum alligandum. *Pro se quisque*, soli, et nemine juvante. — 20 Struas *timuit pennis*, « timorem terroremque suum pennis (alarum motu) significavit. Singula enim animalia habent signa, quibus indicant suum timorem. » *S. Plausu* alarum columbæ, ut 215, n. 69. — 21 *Volans* in *Notos*, ventos, auras. — 22 Intenta. Melius quam vulgare : arcu contento parata tela. *Fratrem*, Pandarum, cujus peritiam sagittandi eximie celebrat Homerus. « Apud Lycios colitur Pandarus quasi heros. » *S.* Conf. 234, n. 8. — 23 Supererat. *Aerias*, altas, frequens apud Virgilium. — 24 « Culpat hæc Virgiliomastix : artem enim in vacuo aere ostendere non poterat. Sed dicunt periti, posse ex ipso sagittariorum gestu artis peritiam indicari. » *Serv.* Recte addit Perikampius : « Volebat etiam arcus præstantiam ostendere, quæ cernitur in sonitu. Sonant omnes, sed alius alio melius. » — 25 *Monstrum*, prodigium, futurum sive evasurum in augurium magnum, quo quidem olim intelligetur quam magnæ res portendantur; unde vates gravem divinationem repetent. Atque tantæ gravitatis esse hoc portentum, postea docuit exitus *ingens*. — 26 Omina *sera*, sero eventura, rerum sero eventurarum. Recte (opinor) a Virgilio respici putantur antiqua vatum Romanorum carmina, velut carmina Marcia, in quibus prædictos fuisse scimus *terrores* bellorum Punicorum, quæ in Sicilia exarserunt, post multas autem cædes Romanos ad summam gloriam et potentiam evexerunt. — 27 Tenuibus et fluentibus. — 28 « *Refixa*, poetice dixit secundum publicam opinionem. » *S.* Detracta de cœlo, cui affixa putabantur : stellæ cadentes. *Crinem*, tractum scintillarum, ut stellæ *crinitæ*. — 29 « Nam, secundum augurum disciplinam, nostri arbitrii est visa omina vel improbare et dicere ad nos non pertinere, vel recipere. » *S.* — 30 *Voluit*, ostendit se velle his *auspiciis*. — 31 Honorem *exsortem*,

Ipsius Anchisæ longævi hoc munus habebis,
Cratera impressum signis[32], quem Thracius olim
Anchisæ genitori in magno munere[33] Cisseus[1]
Ferre sui dederat monumentum et pignus amoris. »
Sic fatus, cingit viridanti tempora lauro,
Et primum ante omnes victorem appellat Acesten.
Nec bonus Eurytion præsto[34] invidit honori,
Quamvis solûs avem cœlo dejecit ab alto.
Proximus ingreditur[35] donis, qui vincula rupit :
Extremus, volucri qui fixit arundine malum.

At pater Æneas, nondum certamine misso[36],
Custodem ad sese comitemque impubis Iuli
Epytiden[37] vocat, et fidam sic fatur ad aurem :
« Vade age, et Ascanio, si jam puerile paratum
Agmen habet secum, cursusque instruxit equorum,
Ducat avo[38] turmas, et sese ostendat in armis,
Dic, » ait. Ipse omnem longo decedere circo
Infusum populum et campos jubet esse patentes.
Incedunt[39] pueri, pariterque ante ora parentum
Frenatis lucent in equis : quos omnis euntes
Trinacriæ mirata fremit[40] Trojæque juventus.
Omnibus in morem tonsa[41] coma pressa coronâ ;
Cornea bina ferunt præfixa hastilia ferro ;
Pars læves humero pharetras ; it pectore summo[42]
Flexilis obtorti per collum circulus auri.
Tres equitum numero turmæ, ternique vagantur
Ductores ; pueri bis seni quemque secuti
Agmine partito fulgent, paribusque[43] magistris.
Una acies juvenum, ducit quam parvus ovantem
Nomen avi referens Priamus, tua clara, Polite[44],

extra sortem positum vel datum, extraordinarium et præcipuum. *Ducere*, vide 385, *n.* 73 ; sed potest etiam ut de *sorte* dictum esse. — 32 Cui signa, anaglypha, impressa cælo vel insculpta sunt ; vide 267, n. 22. — 33 *In magno munere* habitum, magnum munus existimatum, ut dicitur *in honore esse*, magni æstimari. *Cisseus* erat rex Thraciæ, pater Hecubæ. — 34 *Honor prælatus* poetice dicitur honor ei tributus qui præfertur alteri, ut VI, 742, *infectum scelus*, scelus quo aliquis infectus est, et aliasimilia. Prosaice caperes ita explicans : non invidit honori Acestæ, qui honor prælatus fuerat suo vel sibi debito honori. — 35 Vide v. 68, n. 32. — 36 Certantium et spectantium cœtu nondum dimisso. — 37 Epyti filium, Periphantem, qui apud Homerum est Anchisæ præco et familiaris Æneæ. — 38 In honorem avi Anchisæ, cui ludi celebrantur. — 39 Hinc describitur puerorum in equis concertatio, qui ludus postea *Troja* appellatus est ; ab Julio Cæsare primum, ut videtur, institutus, ab Augusto sæpe exhibitus ; v. Sueton. *Cæs.* c. 39, *Aug.* c. 43. Ab antiquitate repetit poeta. *Pariter lucent*, scilicet eodem omnes ornatu et paribus armis. — 40 Secundo fremitu, cum favore et plausu prosequitur. *In morem*, ex more hujus ludicri. — 41 *Corona tonsa* vel *tonsæ olivæ*, cujus folia ad eamdem normam et magnitudinem tonsa sunt, præcisis quæ incomptam redderent. Confer Servium ad *Georg.* III, 21, n. 19. Ea corona quod *premere comam* dicitur, non potest galeæ imposita cogitari (qualem coronam gerit sacerdos Marruvius VII, 751), sed ipsi comæ, quam colligit et coercet, ut IV, 148, not. 75. Et Servius scripsit : « Alii dicunt, potuisse (!) eos galeas habere coronatas. Bæbius tamen Macer dicit, a Cæsare Augusto pueris qui luserant Trojam, donatas esse galeas, et bina hastilia ; ad quod Virgilium constet alludere. » — 42 « *Summum pectus* ait pectoris et colli confinium. » *S.* Sequitur periphrasis torquis. *Auri obtorti*, gr. στρεπτοῦ, in annulos inter se implicatos contorti. — 43 Explicatur : pariter ornatis armatisque, ut *pariter* n. 39. Nihil hic intelligo nisi scribatur PARENTque *magistris*. Infra v. 669, Ascanius ex his ludis *petivit castra, nec exanimes possunt retinere magistri*, quibus jam non parebat. — 44 « Ilium dicit quem supra (II, 526 seqq.) a Pyrrho introduxit occisum ; de quo Cato in Originibus dicit quod ad Italiam venerit, et segregatus ab Ænea con-

diderit oppidulum Politerium a suo nomine. » *Serv.* — 45 Quas habebat in pede uno et in fronte : id quod subjicitur. — 46 « Dicit propter *Atiam*, matrem Augusti ; de qua Antonius dixit, *Aricina mater*. Vult enim illius etiam maternum esse genus antiquissimum. » *S.* — 47 « *Pavidos* est sollicitos gloriæ cupiditate. » *S.* Vide supra 138, not. 63. — 48 Discesserunt in turmas pares numero tres, agmen antea conjunctum solventes et diducentes in tres *choros*. *Vocati* a ducibus. — 49 Sibi intulerunt. Quod pugnæ simulacrum mox repetitum indicatur vocabulis *Adversi spatiis*. — 50 Implicant, inter se implicatos orbes agunt. Et eodem modo *vestigia impediunt* paullo post. — 51 Unum in agmen conjuncti. — 52 *Alta*, vide notam 38 ad III, 76. De Labyrintho iterum VI, 27 seqq., plura in Ovidii *Metamorph.* VIII, 158 seqq. Parietibus *cæcis*, prospectum intercipientibus, ut nescias quò eas. — 53 « Perplexum errorem. » *S.* Iter dolosum, fallens. *Qua*, ut hac ratione *error* ex perplexitate viarum *falleret signa sequendi*, falsa daret sive redderet signa quæ quis sequeretur, atque ita deciperet euntem. Is autem error dicitur *indeprensus*, qui deprehendi non potest, quippe conturbatis omnibus notis viæ, *et irremeabilis*, qui nec corrigi potest remeando, quia etiam reditus inextricabilis est et sic interclusus. — 54 *Carpathium* est maris Ægæi pars inter Cretam et Rhodum insulas comprehensa, dicta a Carpatho insula, quæ hodie *Scarpanto*. Ex hoc mari in Libycum vicissimque transeunt delphini *incitati et atacres*, ut loquitur Attius poeta. Ultima *luduntque per undas* absunt a codicibus quibusque optimis, sed servantur in impressis ut aptissima. Animadverte autem periodum splendida comparatione et inchoatam et finitam. — 55 *Primus*, idem fere quod auctor rei, ut *Ecl.* VIII, n. 22. — 56 Renovavit, instauravit. — 57 Supple : celebraverant.

Progenies, auctura Italos ; quem Thracius albis
Portat equus bicolor maculis[45], vestigia primi
Alba pedis frontemque ostentans arduus album.
Alter Atys, genus unde Atii duxere Latini[46],
Parvus Atys, pueroque puer dilectus Iulo.
Extremus, formaque ante omnes pulcher, Iulus
Sidonio est invectus equo, quem candida Dido
Esse sui dederat monumentum et pignus amoris.
Cetera Trinacriis pubes senioris Acestæ
Fertur equis.
Excipiunt plausu pavidos[47], gaudentque tuentes
Dardanidæ ; veterumque agnoscunt ora parentum.
Postquam omnem læti consessum oculosque suorum
Lustravere in equis, signum clamore paratis
Epytides longe dedit, insonuitque flagello.
Olli discurrère pares[48], atque agmina terni
Diductis solvêre choris ; rursusque vocati
Convertère vias, infestaque tela tulere[49].
Inde alios ineunt cursus aliosque recursus
Adversi spatiis, alternosque orbibus orbes
Impediunt[50], pugnæque cient simulacra sub armis :
Et nunc terga fuga nudant, nunc spicula vertunt
Infensi ; facta pariter[51] nunc pace feruntur.
Ut quondam Creta fertur Labyrinthus in alta[52]
Parietibus textum cæcis iter ancipitemque
Mille viis habuisse dolum[53], qua signa sequendi
Falleret indeprensus et irremeabilis error :
Haud alio Teucrûm nati vestigia cursu
Impediunt, texuntque fugas et prœlia ludo,
Delphinum similes, qui per maria humida nando
Carpathium[54] Libycumque secant, luduntque per undas.
Hunc morem cursus atque hæc certamina primus[55]
Ascanius, Longam muris quum cingeret Albam,
Rettulit[56], et priscos docuit celebrare Latinos,
Quo puer ipse modo, secum quo Troïa pubes[57] ;

Albani docuere suos : hinc maxima porro
Accepit Roma, et patrium servavit honorem[58];
Trojaque nunc, pueri[59] Trojanum dicitur agmen.
Hac celebrata tenus sancto certamina patri.
Hic primum Fortuna fidem mutata novavit[60].
Dum variis tumulo referunt sollemnia ludis,
Irim de cœlo misit Saturnia Juno
Iliacam ad classem, ventosque adspirat eunti[61],
Multa movens[62], necdum antiquum saturata dolorē.
Illa, viam celerans per mille coloribus arcum,
Nulli visa[63], cito decurrit tramite virgo.
Conspicit ingentem concursum, et litora lustrat,
Desertosque videt portus classemque relictam.
At procul in sola[64] secretæ Troades actā
Amissum Anchisen flebant, cunctæque profundum
Pontum adspectabant flentes. « Heu, tot vada[65] fessis
Et tantum superesse maris! » vox omnibus una.
Urbem orant; tædet pelagi perferre laborem.
Ergo inter medias sese haud ignara nocendi
Conjicit, et faciemque deæ vestemque[66] reponit :
Fit Beroe, Tmarii[67] conjux longæva Dorycli,
Cui genus et quondam nomen natique fuissent;
Ac sic Dardanidum mediam se matribus infert :
« O miseræ, quas non manus, inquit, Achaica bello
Traxerit ad letum patriæ sub mœnibus! o gens
Infelix, cui te exitio[68] Fortuna reservat?
Septima post Trojæ excidium jam vertitur æstas,
Quum freta, quum terras omnes, tot inhospita saxa
Sideraque[69] emensæ ferimur, dum per mare magnum
Italiam sequimur fugientem, et volvimur undis.
Hic Erycis fines fraterni[70] atque hospes Acestes :
Quid prohibet muros jacere[71] et dare civibus urbem?
O patria, et rapti nequicquam ex hoste Penates!
Nullane jam Trojæ dicentur mœnia? nusquam

58 Ludum in honorem (Anchisæ) institutum. — 59 *Pueri*, quamquam Romani, dicuntur *agmen Trojanum*. Verbum primo subjecto aptatum. Tmesis pro *Hactenus*. — 60 *Fidem novavit*, idem est quod : facta est infida. Verbum *novare* plerumque in malam partem dicitur. — 61 *Eunti* deæ modo, tanquam volanti, ventos mittit ad accelerandum cursum. Incessus deorum apud Virgilium est qualis Homero. Conf. I, 405, n. 18. — 62 Agitans animo. Cui nondum saturatus erat antiquus *dolor*, illa crucians ira, quam conceperat ex injuriis Trojanorum, expositis I, 23 sqq. *Arcum coloribus mille*, ablativo qui dicitur qualitatis. — 63 « *Nulli visa* ad ipsum refertur numen. Nam arcus semper videtur; eumque non Irim, sed *viam Iridis* dixit. » *S.* — 64 Deserta. *Acta*, græcum ἀκτή, locus in quo undæ franguntur (ἄγνυνται) sive litus maris. — 65 Vide 158, n. 73. De infinitivo in exclamatione vide I, 67, n. 28. — 66 Vestem ad pedes defluentem (I, 404) et versicolorem. — 67 Vide not. 40 *Ecl.* VIII. Ipsa Beroe infra v. 646 dicitur *Rhœteia*, id est Trojana, a promontorio Troadis Rhœteo (III, 108, n. 55), ut cum Heleno in Epirum venisse videatur, deinde Æneam secuta. Alii codd. et Servius *Ismarii*, ab Ismaro Thraciæ monte; et Thrax maritus Trojæ cum ea habitare poterat, quod sequens versus fere postulare videtur, ad Doryclum potius referendus quam ad Beroen. *Cui* sequente subjunctivo est : quòd ei...; ea de causa Beroës formam Iris elegit. Item mox *quas* cum subjunctivo indicat cur sint *miseræ*. *Genus*, nobilitas generis. — 68 Bene Servius : « *Exitio*, non regno. » — 69 *Sidera*, « tempestates, quæ ortu vel occasu siderum sæpe nascuntur. » *S.* Sic Valerius Flaccus V, 196 : *Tot freta, tot dure properantia* SIDERA *passis, Phrixe, fave*. Locorum nominibus, aptis verbo *emensæ*, liberius aut brevius additum *sidera*, pro disertiore « tempestatibus emota maria. » — 70 Vide 24, n. 12. — 71 « *Muros jacere*, pro fundamenta jacere; nam muri *duci* dicuntur. » *S.*

Hectoreos[72] amnes, Xanthum et Simoenta, videbo?
Quin agite et mecum infaustas exurite puppes.
Nam mihi Cassandræ per somnum vatis imago
Ardentes dare visa faces: « Hic quærite Trojam;
« Hic domus est, inquit, vobis. » Jā tempus agi res,
Nec tantis mora prodigiis[73]. En quattuor aræ
Neptuno[74]: deus ipse faces animumque ministrat. »
Hæc memorans, prima infensum vi corripit ignē,
Sublataque procul dextra connixa corūscat[75],
Et jacit. Arrectæ mentes stupefactaque corda
Iliadum. Hic una e multis, quæ maxima natu,
Pyrgo, tot Priami natorum regia nutrix:
« Non Beroe vobis, non hæc Rhœtēia[76], matres,
Est Dorycli conjux: divini signa decoris
Ardentesque notate oculos, qui[77] spiritus illi,
Qui vultus, vocisque sonus, vel gressus eunti.
Ipsa egomet dudum Beroen digressa reliqui
Ægram, indignantem, tali quod sola careret
Munere[78], nec meritos Anchisæ inferret honores. »
Hæc effata.
At matres primo ancipites[79], oculisque malignis
Ambiguæ spectare rates miserum inter amorem
Præsentis terræ, fatisque vocantia regna:
Quum dea se paribus[80] per cœlum sustulit alis,
Ingentemque fuga secuit sub nubibus arcum.
Tum vero attonitæ monstris, actæque furore,
Conclamant, rapiuntque focis penetralibus[81] ignem,
Pars spoliant aras, frondem ac virgulta facesque
Conjiciunt: furit immissis Vulcanus habenis[82]
Transtra per et remos et pictas abiete puppes.
Nuntius Anchisæ ad tumulum cuneosque theatri
Incensas perfert naves Eumelus; et ipsi
Respiciunt atram in nimbo volitare favillam.
Primus et Ascanius, cursus ut lætus equestres
Ducebat, sic acer equo turbata petivit

72 Vide I, 276, n. 60. Intelligit patriam novam, et novam quasi Trojam, qualem sibi parare potuit Helenus, III, 349 seqq. — 73 *Tantis prodigiis*, rei per somnum tam clare monstratæ. — 74 *Neptuno* exstructæ. « *Quattuor*, quia singuli duces navium qui certaverant (vide 115), singulas posuerant. » *S. Animum*, audaciam (nobis *courage*). — 75 Active: vibrat. Ab arte rhythmica Virgilii, quam sæpe commendamus, demonstranda exclusi spatiis iniquis, semel certe explicantem audiamus interpretem poetæ diligentissimum Ph. Wagnerum: « Sed tu mihi expende numerorum præstantiam: ipse nisus egregie significatur per spondeos, eaque re magnopere augetur exspectatio; tum præclare per unum dactylum. *Et jacit*, id declaratur quod jamjam factum in[i] non sine horrore videramus; cæsura autem facit ut spiritum contineamus paulisper, quod ipsum fieri solet quum talia in rerum veritate accidunt; denique qui jam rursus sequuntur spondei, indicant repentino audaciæ facinore percussum animum. » — 76 Vide not. 67. *Matres*, v. p. 128, n. 76. — 77 *Qui sit spiritus*, quod Servius male cepit de « odore ». *Gressus eunti*, vide not. 61. — 78 Sacrificio cærimoniisque inferiarum tam sollemnibus. — 79 *Ancipites*, universe et simpliciter dictum, explicatur sequenti *ambiguæ inter amorem terræ præsentis*, in qua versabantur, *et regna*, quæ ipsas vocabant *fatis* per oracula patefactis. *Miserum* non « vehementem », ut in locutione *misere amare*; sed opponitur *regnis* fato destinatis, et ad præsentem conditionem refertur, quam ægre ferunt ut miseram. — 80 Vide IV, 252, n. 20. *Secuit arcum* est: secando aerem effecit arcum. — 81 Focis qui erant in interioribus partibus domuum proximarum. — 82 *Immissis*, laxatis, *habenis*, ergo quasi effrenatus. Eadem metaphora *Georg.* II, 364, n. 77. Mox junge *puppes abiete* (ablativo qui dicitur materiæ) pro abiegnas. *Pictas*, nam in puppibus picti vel

Castra[83], nec exanimes possunt retinere magistri.
« Quis furor iste novus? quo nunc, quo tenditis, inquit,
Heu! miseræ cives? non hostem inimicaque castra
Argivùm, vestras spes uritis. En ego vester
Ascanius! » Galeam ante pedes projecit inanem[84],
Qua ludo indutus belli simulacra ciebat.
Accelerat simul Æneas, simul agmina Teucrùm.
Ast illæ diversa metu per litora[85] passim
Diffugiunt, silvasque et sicubi[86] concava furtim
Saxa petunt : piget incepti lucisque, suosque
Mutatæ agnoscunt, excussaque pectore Juno[87] est.
Sed non idcirco flammæ atque incendia vires
Indomitas posuere; udo sub robore vivit
Stuppa vomens tardum fumum, lentusque carinas
Est[88] vapor, et toto descendit corpore pestis;
Nec vires heroum infusaque flumina prosunt.
Tum pius Æneas humeris abscindere vestem,
Auxilioque vocare deos, et tendere palmas :
« Juppiter omnipotens, si nondum exosus ad unum[89]
Trojanos, si quid pietas antiqua labores
Respicit humanos, da flammam evadere classi
Nunc, Pater, et tenues Teucrùm res eripe leto!
Vel tu, quod superest[90], infesto fulmine morti,
Si mereor, demitte, tuaque hic obrue dextra! »
Vix hæc ediderat, quum effusis imbribus atra
Tempestas sine more[91] furit, tonitruque tremiscunt
Ardua terrarum et campi; ruit æthere toto
Turbidus imber aqua densisq[92] nigerrimus Austris;
Implenturque super puppes; semiusta madescunt
Robora; restinctus donec vapor omnis, et omnes,
Quattuor amissis, servatæ a peste carinæ.

At pater Æneas, casu concussus acerbo,
Nunc huc ingentes, nunc illuc pectore curas
Mutabat versans[93], Siculisne resideret arvis,
Oblitus fatorum, Italasne capesseret oras.
Tum senior Nautes, unum[94] Tritonia Pallas
Quem docuit multaque insignem reddidit arte,
Hæc responsa dabat[95], vel quæ portenderet ira
Magna deùm, vel quæ fatorum posceret ordo;

ficti erant dii tutelares navium. — 83 *Castra* nautica, ut IV, 601, n. 67. *Magistri*, v. 502, n. 43. — 84 Ut a mulieribus agnosceretur, galeam exuit, et projecit. Mirum nec sanum epitheton *inanem*, « vacuam, sine capite, » inquit Servius; quod ridiculum, « quia conjunctum est cum cogitatione galeæ *plenæ*, et Ascanius ipse galeam *cum capite* projicere haud poterat. » Hæc *Peerlk.* quem v. p. 343 seq. Conjecit AHENAM. — 85 Per diversas partes litoris. — 86 *Saxa sicubi* sunt *concava*. — 87 Furor ab Junone injectus; ut inspirati dicuntur *deum accipere* pectore. Sic Silius VIII, 33 : *Excute sollicito Fabium*, metum et cunctationem Fabii. — 88 Edit. consumit. *Pestis*, pernicies, incendium. — 89 *Ad unum* sine *omnes* (nullo excepto) dixit etiam Cicero Ep. fam. X, 16 : *Sunt assensi ad unum*. De pietate *deorum* vide II, 536, not. 41, et IV, 382, n. 71. *Quid*, aliqua in re. — 90 *Quod* unum *superest* mihi, si classem non eripis. *Demitte* me, quod elicitur ex *mereor*. — 91 Præter morem, immoderate, immodice. — 92 Vide p. 99, n. 45 Quo densiores sunt pluviæ, eo videntur nigriores. *Super*, ita ut superfluat aqua. — 93 Per vices versabat nunc in hanc, nunc in illam partem. — 94 *Unum* ex omnibus, omnium maxime. « A Pallade institutus Nautes fingitur, quia ipse Romam Palladium detulit. Unde *Nautiorum* familia Minervæ sacra retinebat, quod etiam Varro docet in libris quos de familiis Trojanis scripsit. » *S.* — 95 *Responsa dabat* de iis *quæ* etc. *Infit*, loqui incipit.

Isque his Æneam solatus vocibus infit :
« Nate dea, quo fata trahunt retrahuntque, sequamur ;
Quidquid erit[96], superanda omnis fortuna ferendo est.
Est tibi Dardanius divinæ[97] stirpis Acestes :
Hunc cape consiliis socium et conjunge volentem
Huic trade, amissis superant[98] qui navibus, et quos
Pertæsum magni incepti rerumque tuarum est ;
Longævosque senes, ac fessas æquore matres,
Et quidquid tecum invalidum metuensque pericli est,
Delige, et his habeant terris sine mœnia fessi :
Urbem appellabunt permisso nomine Acestam[99]. »
Talibus incensus dictis senioris amici,
Tum vero[1] in curas animo diducitur omnes.
Et Nox atra polum bigis subvecta tenebat :
Visa dehinc cœlo facies[2] delapsa parentis
Anchisæ subito tales effundere voces :
« Nate, mihi vita quondam, dum vita manebat,
Care magis ; nate, Iliacis exercite fatis[3],
Imperio Jovis huc venio, qui classibus ignem
Depulit, et cœlo tandem miseratus ab alto est.
Consiliis pare, quæ nunc pulcherrima Nautes
Dat senior : lectos juvenes, fortissima corda,
Defer in Italiam. Gens dura atque aspera[4] cultu
Debellanda tibi Latio est. Ditis tamen antè
Infernas accede domos, et Averna[5] per alta
Congressus pete, nate, meos : non me impia namque
Tartara habent tristesve umbræ, sed amœna piorum
Concilia Elysiumque colo. Huc casta[6] Sibylla
Nigrarum multo pecudum te sanguine ducet.
Tum genus omne tuûm, et quæ dentur mœnia, disces.
Jamque vale : torquet medios Nox humida cursus,
Et me sævus equis Oriens[7] afflavit anhelis. »
Dixerat, et tenues fugit, ceu fumus, in auras.
Æneas, « Quo deinde[8] ruis ? quo proripis ? inquit ;
Quem fugis ? aut quis te nostris complexibus arcet ? »
Hæc memorans, cinerem et sopitos suscitat ignes,
Pergameumque Larem[9] et canæ penetralia Vestæ
Farre pio[10] et plena supplex veneratur acerrâ.
Extemplo socios primumque accessit Acesten,
Et Jovis imperium et cari præcepta parentis
Edocet, et quæ nunc animo sententia constet.

96 *Quidquid erit*, quicumque erit eventus hujus portenti. — 97 Vide 38, n. 18. — 98 Huic trade eos *qui superant*, supersunt, quibus quidem recipiendis haud sufficiunt naves post quatuor amissas reliquæ. — 99 Quæ posterius *Egesta* vel *Segesta* (v. p. 138, not. 22), hodie, ut videtur, *Castellamare di Golfo*. Nomine *permisso*, videlicet abs te, hospiti deferente honorem nominis de se imponendi novæ urbi, ut Acestes tanquam conditor coleretur. — 1 Nimirum magis etiam quam superius, v. 701 et seq. — 2 Simulacrum, εἴδωλον. — 3 Vide III, 182, n. 90. — 4 *Dura* ad ingenium, *aspera* ad vitam et mores pertinet. *Ditis*, Plutonis. — 5 Per antrum ad lacum Avernum ; v. III, 442, n. 11. — 6 *Casta*, propter fabulam quæ narratur ab Ovidio (*Metam.* XIV, 130 seqq.) : quia noluit Apollini consentire. » *S.* — 7 Sol oriens, ut *Georg.* I, 250 (ubi eadem verba), n. 48. Qui *sævus* Umbris, quas oriente die ad inferos redire fas est. « Est autem physicum : nam pereunt umbræ Solis adventu. » *S.* — 8 Sine mora, continuo. — 9 Penates Trojanos. Vestæ *canæ*, ob summam antiquitatem cultus sui apud Romanos ; vide I, 292, n. 71. *Penetralia*, quia in penetralibus ædium ponebatur hæc dea. — 10 Sic Horatius : *Mollibit Penates farre pio*, libro III, oda 23 fine. *Acerra*, thuribulo.

Haud mora consiliis [11], nec jussa recusat Acestes.
Transcribunt [12] urbi matres, populumque volentem
Deponunt, animos nil magnæ laudis egentes.
Ipsi transtra novant, flammisque ambesa reponunt
Robora navigiis; aptant remosque rudentesque,
Exigui numero, sed bello vivida virtus.
Interea Æneas urbem designat aratro [13],
Sortiturque domos; hoc Ilium et hæc loca Trojam
Esse jubet. Gaudet regno Trojanus Acestes,
Indicitque forum [14], et patribus dat jura vocatis.
Tum vicina astris Erycino [15] in vertice sedes
Fundatur Veneri Idaliæ, tumuloque sacerdos
Ac lucus late sacer additur Anchiseo.

Jamque dies epulata novem gens omnis, et aris
Factus honos: placidi [16] straverunt æquora venti,
Creber et adspirans rursus vocat Auster in altum.
Exoritur procurva ingens per litora fletus;
Complexi inter se noctemque diemque morantur [17].
Ipsæ jam matres, ipsi, quibus aspera quondam
Visa maris facies et non tolerabile numen [18],
Ire volunt, omnemque fugæ perferre laborem.
Quos bonus Æneas dictis solatur amicis,
Et consanguineo lacrimans commendat Acestæ.
Tres Eryci vitulos et Tempestatibus agnam
Cædere deinde jubet, solvique ex ordine [19] funem.
Ipse, caput tonsæ foliis evinctus olivæ,
Stans procul in prora [20], pateram tenet, extaque salsos
Porricit in fluctus, ac vina liquentia fundit.
Prosequitur surgens a puppi ventus euntes;
Certatim socii feriunt mare et æquora verrunt.

At Venus interea Neptunum exercita curis
Alloquitur, talesque effundit pectore questus:
« Junonis gravis ira nec exsaturabile pectus
Cogunt me, Neptune, preces descendere in omnes [21]:
Quam nec longa dies, pietas nec mitigat ulla;

11 *Consiliis* exsequendis. — 12 « Romani moris verbum est: *transcripti* etenim (ex vetere in novam civitatem) in colonias deducebantur. *Urbi*, in urbem. » *S. Deponunt*, quasi onus quoddam inutile. *Nil* (nullatenus) gravius negat quam *non*, ut *nil carmina curat*, *Ecl.* VIII, 33; *Nil super imperio moveor*, et alia. — 13 Urbis condendæ ambitum designat sulco aratri: quem morem antiquum Servius hoc loco accurate describit ex Catonis Originibus. *Sortitur domos* est: sortito distribuit locum in ædes futuras. Sequentia non capienda de nominibus quæ imposuerit, sed generalius: hæc urbs vobis esto Ilium (alterum) vel pro Ilio, hæc regio pro Troja vel regione Trojana. Ceterum fluvios Egestæ vicinos ab Ænea appellatos fuisse Scamandrum et Simoentem Strabo auctor est. — 14 « Locum et tempus designat agendorum negotiorum, qui *conventus* vocatur. *Indicit* verbum juris est. Et dat condendi juris potestatem his quos appellaverat (imo potius convocaverat) *patres*. » *S.* Alii intelligunt ipsum constituentem jura senatus et totum munus senatorium; alii denique, jura dantem in senatu, jus exercentem cum senatu. Sane ambiguum est *patribus vocatis*, sitne ablativus an dativus. — 15 Erycis montis, in cujus summo clarum templum Veneris Erycinæ. De *Idaliæ* epitheto v. I, 681, n. 28. — 16 De hac structura vide III, 356, not. 74. *Straverunt*, æquaverunt, tranquillum fecerunt. Junge *adspirans creber*, id est validior nec intermissus. — 17 *Morantur* se: quod pronomen non exprimitur ubi accedit *inter se*; sic *amant inter se*, et similia. — 18 *Numen* vocat elementum præpotens et formidabile, cui tradere se debebant. In aliis est *nomen*: cujus ne nomen quidem sine horrore audiebant. — 19 Deinceps, unius navis post aliam. *Tonsæ*, v. 556, n. 41. — 20 In parte extrema proræ. » *S. Porricit*, vide 238, n. 10. — 21 « *Omnes* dicendo, etiam hu-

millimas significat; unde ait etiam *descendere*. » *S. Longa dies*, feminino : longum tempus. *Pietas* Æneæ ; v. III, 547. — 22 Ab *infringo*. — 23 Quasi devorasse. Respicit ad incendium, quod Trojam delevit et e conspectu sustulit (ἀΐστωσε). *Nec* ei satis est *traxe*, traxisse per omnem speciem pœnarum, calamitatum. — 24 *Sciat illa* : scita dissimulatio Veneris! Ac Servius : « Bene supprimit ; contra ipsam enim sunt. Quæ Juno in decimo (v. 92) exsequitur : *me duce Dardanius Spartam expugnavit adulter!* cetera. » — 25 Vide I, v. 50 et seqq. *Molem* fluctuum. — 26 *Nequicquam* ipsa, quod tu habes, non Æolus, imperium maris, tu fluctus statim compressisti. — 27 Junge *per scelus actis*, in scelestum facinus compulsis. — 28 *Quod superest* classis, vel classem reliquam. *Tibi*, per te, per regnum tuum (*S.*), sicut *Georg.* II initio, n. 6. — 29 Tiberim, qui Laurenti urbis agros irrigat. *Ea mœnia*, mœnia *ibi*, ad Tiberim, condenda. — 30 Fidere mari, ex quo etc. — 31 Ad quorum ripas Æneas cum Achille pugnavit, a Neptuno victoris manibus subductus. Narrat Homerus in *Iliadis* cantu XX, 158-350; in sequentibus autem versibus et cantu XXI exitiosam fugam Trojanorum partim in fluvium actorum, denique pugnam Achillis cum ipso fluvio Scamandro sive Xantho. — 32 Nota duplicem significationem. — 33 *Quum* hic sonat idem fere quod *quamvis*. De re vide notam 42 ad *Georg.* I, 502, et Homerum XXI, 446 seqq. — 34 *Quos optas* eum accedere. Cumas intelligit (v. VI, 2) ; nam vicinus lacus Avernus ab Agrippa demum fossione cum mari conjunctus est ; v. pag. 77, n. 30. — 35 *Læta* per prolepsin sæpe annotatam : læta reddita permulcendo. — 36 *Jungit auro* est aureo jugo alligat, minime (ut explicant) « aureo currui, » quod merito

Nec Jovis imperio fatisque infracta[22] quiescit.
Non media de gente Phrygum exedisse[23] nefandis
Urbem odiis satis est, nec pœnam traxe per omnem :
Reliquias Trojæ, cineres atque ossa peremptæ
Insequitur. Causas tanti sciat illa[24] furoris !
Ipse mihi nuper[25] Libycis tu testis in undis
Quam molem subito excierit : maria omnia cœlo
Miscuit, Æoliis nequicquam[26] freta procellis :
In regnis hoc ausa tuis !
Per scelus ecce etiam Trojanis matribus actis[27]
Exussit fœde puppes, et classe subegit
Amissa socios ignotæ linquere terræ.
Quod superest[28], oro, liceat dare tuta per undas
Vela tibi ; liceat Laurentem[29] attingere Thybrim,
Si concessa peto, si dant ea mœnia Parcæ. »
Tum Saturnius hæc domitor maris edidit alti :
« Fas omne est, Cytherea, meis te fidere regnis,
Unde[30] genus ducis : merui quoque ; sæpe furores
Compressi et rabiem tantam cœlique marisque.
Nec minor in terris (Xanthum Simoentaque[31] testor)
Æneæ mihi cura tui : quum Troïa Achilles
Exanimata sequens impingeret agmina muris,
Millia multa daret leto, gemerentque repleti
Amnes, nec reperire viam atque evolvere posset
In mare se Xanthus, Pelidæ tunc ego forti
Congressum Æneam nec dis nec viribus æquis[32]
Nube cava rapui, cuperem quum[33] vertere ab imo
Structa meis manibus perjuræ mœnia Trojæ.
Nunc quoque mens eadē perstat mihi ; pelle timorē.
Tutus, quos optas[34], portus accedet Averni.
Unus erit tantum, amissum quem gurgite quæret ;
Unum pro multis dabitur caput. »
His ubi læta[35] deæ permulsit pectora dictis,
Jungit equos auro[36] Genitor, spumantiaque addit
Frena feris, manibusque omnes effundit habenas.
Cæruleo per summa levis volat æquora curru :
Subsidunt undæ, tumidumque sub axe tonanti

Sternitur æquor aquis[37] ; fugiunt vasto æthere nimbi.
Tum[38] variæ comitum facies : immania cete,
Et senior Glauci[39] chorus, Inousque Palæmon,
Tritonesque citi, Phorcique[40] exercitus omnis ;
Læva tenet Thetis, et Melite, Panopeaque virgo,
Nesæe, Spioque, Thaliaque, Cymodoceque.

Hic patris Æneæ suspensam blanda vicissim
Gaudia pertentant mentem : jubet ocius omnes
Attolli malos, intendi brachia[41] velis.
Una omnes fecere pedem[42], pariterque sinistros,
Nunc dextros solvere sinu ; una ardua torquent
Cornua[43] detorquentque : ferunt sua flamina classem.
Princeps ante omnes densum Palinurus agebat
Agmen ; ad hunc[44] alii cursum contendere jussi.
Jamque fere mediam cœli Nox humida metam[45]
Contigerat ; placida laxarant membra quiete
Sub remis fusi per dura sedilia nautæ ·
Quum levis ætheriis delapsus Somnus[46] ab astris
Aera dimovit tenebrosum, et dispulit umbras,
Te, Palinure, petens, tibi somnia tristia[47] portans,
Insonti ; puppique deus consedit in alta,
Phorbanti[48] similis, funditque has ore loquelas :
« Iaside Palinure, ferunt ipsa æquora classem ;
Æquatæ[49] spirant auræ ; datur hora quieti :
Pone caput, fessosque oculos furare labori.
Ipse ego paulisper pro te tua munera inibo. »
Cui vix attollens Palinurus lumina[50] fatur :
« Mene salis placidi vultum fluctusque quietos
Ignorare[51] jubes ? mene huic confidere monstro ?
Æneam credam quid enim[52] fallacibus auris,

explodit Peerlk. p. 354. *Feris*, v. II, 51, n. 26. — 37 *Sternitur æquor aquis*, suppleas : stratis, quod modo dictum est *substiterunt undæ*. — 38 *Tum* adsunt *variæ* etc. *Cete*, græcum κῆτη, belluæ marinæ. — 39 De Glauco et Inûs filio Melicerta, divo Palæmone, marinis diis, v. p. 67, not. 90. *Senior* dicitur chorus Glauci, deorum ejus sodalium, quia omnes dii marini et ætate et facie senili esse fingebantur, ex antiquissimo dogmate quo rerum originem ab aqua petebant. — 40 Vide 240, n. 11. Sequuntur nomina Nereidum. — 41 *Brachia* (malorum) poetice de antennis : antennas instruere velis quæ tenduntur. — 42 Paraverunt, expediverunt funes qui *pedes*, gr. πόδες dicuntur : quia tanquam religatis ad puppim. Jam quando ab ipsa puppi flat ventus, navigatur *utroque pede* ; quando ab latere alterutro, dextro sinistrove, uno tantum pede, vel dextro vel sinistro. Id quod tum accidit; nam *pede* religato, primum *solvunt sinus* velorum *sinistros*, id est a sinistra parte explicant vela ad excipiendum sinu suo ventum sinistrorsum flantem ; mox variante vento *dextros*, dextrum pedem intendentes. Quod Servius breviter dixit : « Agebant pro auræ mutabilitate. » — 43 *Cornua* antennarum ; quod additum III, 549. *Torquent detorquenique* idem quod : huc et illuc torquent. *Sua*, prospera ; v. *Georg.* IV, 22, n. 11. — 44 Ad hujus exemplum. — 45 Metaphora a Circo, ubi *meta*, circa quam flectuntur currus, medium cursum signat. — 46 De quo Noctis filio, Mortis fratre, multa Ovidius, *Metam.* XI, 586 seqq. — 47 Tristem exitum habitura, evitialia. Ac vigilantem somniis aggreditur. — 48 Qui apud Homerum Priami filius, pater Ilionei. Apud eumdem *Iasus*, qui hic pater Palinuri, Græcorum nomen est. — 49 Vide IX, 587, n. 60. — 50 *Vix attollens lumina*, utpote « numinis præsentia prægravatus. » Ita Servius. Recentiores : vix curans Phorbantem, vix attendens ad ejus verba, sed sine intermissione gubernaculo sideribusque intentus. — 51 Nam eum (ut Lucretius loquitur) *non poterat placidi pellacia ponti Subdola pellicere in fraudem ridentibus undis. Monstro*, mari tranquillitatem simulante, « quod decepit multos infido ingenio et repente mobili. » *S.* — 52 Multi hæc parenthetice scribunt *quid enim ?* ut amaram ironiam indicent : quod facile apparet hic justo esse vehementius. *Et* sensum inten-

pedibus innititur iis velum, quod intenditur duobus his funibus propium. Jam quando ab ipsa puppi flat ventus, navigatur *utroque pede* ; quando ab latere alterutro, dextro sinistrove, uno tantum pede, vel dextro vel sinistro. Id quod tum accidit; nam *pede* religato, primum *solvunt sinus* velorum *sinistros*, id est a sinistra parte explicant vela ad excipiendum sinu suo ventum sinistrorsum flantem ; mox variante vento *dextros*, dextrum pedem intendentes. Quod Servius breviter dixit : « Agebant pro auræ mutabilitate. » — 43 *Cornua* antennarum ; quod additum III, 549. *Torquent detorquenique* idem quod : huc et illuc torquent. *Sua*, prospera ; v. *Georg.* IV, 22, n. 11. — 44 Ad hujus exemplum. — 45 Metaphora a Circo, ubi *meta*, circa quam flectuntur currus, medium cursum signat. — 46 De quo Noctis filio, Mortis fratre, multa Ovidius, *Metam.* XI, 586 seqq. — 47 Tristem exitum habitura, evitialia. Ac vigilantem somniis aggreditur. — 48 Qui apud Homerum Priami filius, pater Ilionei. Apud eumdem *Iasus*, qui hic pater Palinuri, Græcorum nomen est. — 49 Vide IX, 587, n. 60. — 50 *Vix attollens lumina*, utpote « numinis præsentia prægravatus. » Ita Servius. Recentiores : vix curans Phorbantem, vix attendens ad ejus verba, sed sine intermissione gubernaculo sideribusque intentus. — 51 Nam eum (ut Lucretius loquitur) *non poterat placidi pellacia ponti Subdola pellicere in fraudem ridentibus undis. Monstro*, mari tranquillitatem simulante, « quod decepit multos infido ingenio et repente mobili. » *S.* — 52 Multi hæc parenthetice scribunt *quid enim ?* ut amaram ironiam indicent : quod facile apparet hic justo esse vehementius. *Et* sensum inten-

dit, ut : et quidem, præsertim. — 53 E manibus dimittebat. Ultima syllaba producta vi arsis mediæ. *Nusquam*, in re nulla, ne minimum quidem. *Sub astra*, sursum versus astra. — 54 Consopiendi vi impletum, i.e. soporificum. — 55 « Errantia somni vicinitate. » *S.* Vide p. 127, not. 70. *Solvit*, laxat quæ erant intenta. — 56 *Primos artus laxaverat*, idem quod : inceperat laxare artus. — 57 *Cum puppis parte revulsa, Cumque gubernaclo :* « procœconomia, ut triduo natare potuerit. Nam nisi cui adhæserit natans per mare, effugere non potuisset pelagus. » *S.* Sed latere tanta ruina non poterat socios navales. Respicitur episodium de Palinuro, VI, v. 337-383, valde illud suspectum : quare hæc uncis inclusi cum Peerlkampio p. 338. — 58 Alatus Somnus. — 59 Sic vocabantur, græce Σειρῆνδσσαι, (insulæ), tres petræ in sinu Pæstano (hodie *Golfo di Salerno*, non longe a Capreis, infames naufragiis multorum, quos Sirenes illexisse credebantur. Nota fabula ex *Odysseæ* cantu XII. — 60 Junge *rauca sonabant*, et vide II, 53, n. 28. « Ac si diceret : antehac delectabili voce sonabant, tunc fluctibus solis; et bene imitatus est maris stridorem. » *Serv.* Sane tale quid illaturum fuisse Virgilium credibile est, suæ ætati gratificans : saxa olim cantuum lenocinio exitioso, postea fluctuum furore periculosissima. Nunc hæc, inchoata tantum, non perfecta, seriem et structuram turbant, atque omittenda sunt legentibus. — 61 Æneas. *Fluitantem classem*. — 62 Nimirum ignorabat Æneas fraudes et insidias Somni. Ceterum non satis digna hæc Virgilio poeta esse fere consentiunt critici. Et antiqui grammatici referunt multum in hoc fine libri quinti et sexti initio hæsitatum fuisse ab ipsis editoribus Æneidis Tucca et Vario. Sed longum est de his rebus exponere et a commentariolo nostri ratione alienum.

Et cœli toties deceptus fraude sereni ? »
Talia dicta dabat, clavumque affixus et hærens
Nusquam amittebat[53], oculosque sub astra tenebat.
Ecce deus ramum Lethæo rore madentem
Vique soporatum[54] Stygia super utraque quassat
Tempora, cunctantique natantia[55] lumina solvit.
Vix primos[56] inopina quies laxaverat artus :
Et superincumbens, [cum[57] puppis parte revulsa
Cumque gubernaclo,] liquidas projecit in undas
Præcipitem ac socios nequiquam sæpe vocantem.
Ipse volans tenues se sustulit ales[58] in auras.

Currit iter tutum non secius æquore classis,
Promissisque patris Neptuni interrita fertur.
Jamque adeo scopulos Sirenum[59] advecta subibat,
[Difficiles quondam, multorumque ossibus albos;
Tum rauca assiduo longe sale saxa sonabant[60] :]
Quum pater[61] amisso fluitantem errare magistro
Sensit, et ipse ratem nocturnis rexit in undis,
Multa gemens, casuque animum concussus amici :
« O[62] nimium cœlo et pelago confise sereno,
Nudus in ignota, Palinure, jacebis arenâ ! »



LIBER VI

Sic fatur lacrimans, classique immittit habenas[1],
Et tandem Euboicis Cumarum allabitur oris[2].
Obvertunt pelago proras[3] : tum dente tenaci
Ancora fundabat naves, et litora curvæ
Prætexunt puppes. Juvenum manus emicat ardens
Litus in Hesperium : quærit pars semina flammæ
Abstrusa[4] in venis silicis ; pars, densa ferarum
Tecta, rapit silvas, inventaque flumina monstrat.
At pius Æneas arces[5], quibus altus Apollo
Præsidet, horrendæque procul secreta Sibyllæ,
Antrũ immane, petit : magnã cui mentē animumq
Delius inspirat vates[6], aperitque futura.
Jam subeunt Triviæ[7] lucos atque aurea tecta.
Dædalus, ut fama est[8], fugiens Minoia regna,

1 Metaphora ab aurigatione petita, ut V, 662, n. 82 : cursum classis urgebat, expansis velis. — 2 Litori Cumarum, quæ civitas Campaniæ vel condita primum vel aucta certe a colonis Chalcidensibus, urbis in Eubœa insula. Quamquam hoc multo post Æneam evenit. *Tandem* exprimit desiderium Italiæ. — 3 Remis naves convertunt, ut terram spectantes proræ, jam conversæ, spectent mare, et puppes applicentur terræ. — 4 Vide *Georg.* I, 335, et *Æn.* I, 174 seqq. Quæ an huic loco sint apta, non temere dubitat Peerlkamp. p. 362, nec sequentia phraseos hujus concinna et elaborata esse demonstrat. An *quærendi* erant in illo litore fontes et rivi? Wagnerus explicat : « pars ligna, quibus ignem nutriant, raptim collecta affert (*rapit*) ex densa quæibi erat, propterea que ferarum plena silva. » Fluenta Servius dicit « monstrari Æneæ ad expiandum se. Nam funestatus fuerat morte Palinuri, non quod eum viderat, sed quod funus agnoverat. Nam ipsa impiant quæ agnoscimus. » Quod probat Horatii Pulvilli exemplo apud Livium II, 8.—5 Montem (vide p. 90, n. 7), cui summo impositum erat templum Apollinis. *Altus*, ob locum, non ob signum, de quo Cœlius Antipater : *Eā in fano signum Apollinis ligneum* (ξόανον), *altum non minus pedes XV*. Eodemque modo Sibyllæ epitheton *horrendæ* refer ad antrum quod incolit horrendum. — 6 *Delius vates*, Apollo. *Mentem*, quæ concipiat, *animum*, qui prodat futura. — 7 Hecates quæ in triviis colebatur ; v. IV, 609, n. 70. Cui omnis illa regio Averni sacra erat. *Aurea tecta*, templum Apollinis in luco Hecates conditum a Dædalo — 8 Nota ex *Metamorph.* VIII, 180 seqq. —

Præpetibus pennis ausus se credere cœlo,
Insuetum per iter gelidas enavit ad[9] Arctos,
Chalcidicaque[10] levis tandem super adstitit arce.
Redditus his[11] primum terris, tibi, Phœbe, sacravit
Remigium alarum[12], posuitque immania templa.
In foribus[13] letum Androgeo; tum pendere pœnas
Cecropidæ jussi (miserum!) septena quotannis
Corpora natorum; stat ductis sortibus urna[14].
Contra elata mari respondet Gnosia[15] tellus:
Hic crudelis amor tauri, suppostaque furto
Pasiphaæ, mixtumque[16] genus prolesque biformis
Minotaurus inest, veneris monumenta nefandæ;
Hic labor ille domus[17] et inextricabilis error.
Magnum reginæ[18] sed enim miseratus amorem
Dædalus, ipse dolos tecti ambagesque resolvit,
Cæca[19] regens filo vestigia. Tu quoque magnam
Partem opere in tanto, sineret[20] dolor, Icare, habe-
Bis conatus erat casus effingere in auro; [res!
Bis patriæ cecidere manus. Quin protinus omnia[21]
Perlegerent oculis, ni jam præmissus Achates
Afforet, atque una Phœbi Triviæque sacerdos,
Deïphobe Glauci[22], fatur quæ talia regi:
« Non hoc ista sibi tempus spectacula[23] poscit;
Nunc grege de intacto septem mactare juvencos
Præstiterit, totidem lectas de more[24] bidentes. »
Talibus affata Ænean (nec sacra morantur
Jussa viri), Teucros vocat alta in templa[25] sacerdos.
Excisum Euboicæ[26] latus ingens rupis in antrum,

9 Versus septentrionalem regionem, de Sicilia Cumas. *Nare* de volatu etiam *Georg.* II, 59, n. 34. Eadem narraverat Sallustius in *Historiis*. — 10 Arce Cumana; v. not. 2. *Levis* dici solet de rebus quæ volant vel celeriter per auras feruntur, avibus, sagittis, etc. — 11 *His* in prosa esset adverbium *hic* vel *ibi*: ibi primum redditus terris. Sic dictum vidimus *hic cursus* I, 534, n. 66; IV, 46, n. 27. — 12 Alas, ut I, 301, n. 74. — 13 *In foribus* templi a Dædalo sculptum erat *letum* Ἀνδρόγεω, attico genitivo. Androgeos, filius Minois ac Pasiphaes, per invidiam occisus ab Atheniensibus; qui *Cecropidæ* dicti ab antiquissimo rege Cecrope, hujus necis satis notas pœnas pendere coguntur a Minoe. Res narrata in *Metamorph.* VII, 456 seqq.; VIII, 153 seqq., et a Catullo LXIV, 73 seqq. — 14 Urna ex qua ductæ erant sortes, quibus destinabantur mittendi in Cretam et Minotauro objiciendi. — 15 Vide p. 61, not. 24; de sequentibus Eclogam VI, 45-60. Qui amor tauri a Venere injectus fuerat Pasiphaæ, Solis filiæ, quæ adulterium Martis et Veneris indicaverat Vulcano: inde *crudelis*, ex crudeli vindicta deæ natus. *Suppositæ*, quæ se supposuit tauro. ei copiam sui fecit *furto*, furtim, clam. — 16 *Mixtum* ex homine et tauro. — 17 Domus multo labore multaque arte exstructa, Labyrinthus, de quo confer dicta V, 588-91, n. 52, 53. — 18 Regis filiæ, Ariadnes Theseum amantis. Particulæ *sed enim* sic explicandæ: *sed* ipse Dædalus (miserabatur *enim* amorem reginæ resolvit etc. — 19 Gressus, de quibus occultum erat quo ducerent, Thesei regens filo ei dato, ita ut exitum, quando vellet, inveniret. — 20 Pro: *si sineret*; syntaxi nostræ linguæ haud ignota. Conf. p. 90, n. 96. — 21 *Omnia* hic bisyllabum, ut trisyllabum *Lavinia*, I, 2, not. 3. In *perlegerent* non cogitandum de figurata tanquam lectione; dicitur ut *legere litus* et similia. — 22 *Deïphobe*, proprium nomen Sibyllæ Cumanæ, *Glauci* filia, dei marini inter fatidicos deos habiti. — 23 Spectationem rerum istarum. Grege *intacto*, scilicet juvencorum intactorum jugo, indomitorum, *intacta cervice*, ut loquitur *Georg.* IV, 540, n. 85. — 24 • *De more*, antiquo et tunc omnibus noto: scilicet ne habeant caudam aculeatam, ne fissam aurem, ne linguam nigram. *Bidentes* autem oves sunt circa bimatum, habentes duos dentes eminentiores; quæ erant aptæ sacrificiis. • *S.* — 25 *Alta templa*, non Apollinis, de quo not. 5, sed profundum (v. p. 19, n. 50) et sacrum antrum Sibyllæ. — 26 Rupis Cumanæ, quam tenebant Euboici coloni (not. 2). Junge *excisum in antrum*, ut effoderetur antrum. Sic *portus curvatus*

Quo lati ducunt aditus centum[27], ostia centum;
Unde ruunt totidem voces, responsa Sibyllæ.
Ventum erat ad limen, quum virgo, « Poscere fata
Tempus[28], ait : deus ecce, deus ! » Cui talia fanti
Ante fores subito non vultus, non color unus[29],
Non comptæ mansere comæ[30] ; sed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument ; majorque videri[31],
Nec mortale sonans, afflata est numine quando
Jam propiore dei. « Cessas in vota precesque[32],
Tros, ait, Æneа ? cessas ? neque enim ante dehiscent
Attonitæ[33] magna ora domûs. » Et talia fata,
Conticuit. Gelidus Teucris per dura cucurrit
Ossa tremor, funditque preces rex pectore ab imo :
« Phœbe, graves Trojæ semper miserate labores,
Dardana qui Paridis direxti[34] tela manusque
Corpus in Æacidæ ; magnas obeuntia[35] terras
Tot maria intravi, duce te, penitusque repostas
Massylûm gentes, prætentaque Syrtibus arva ;
Jam tandem Italiæ fugientis[36] prendimus oras :
Hac Trojana tenus fuerit Fortuna secuta.
Vos quoque Pergameæ jam fas est parcere genti,
Dique deæque omnes, quibus obstitit[37] Ilium et ingens
Gloria Dardaniæ. Tuque, o sanctissima vates,
Præscia venturi, da (non indebita posco
Regna meis[38] fatis) Latio considere Teucros,
Errantesque deos, agitataque Numina Trojæ !
Tum Phœbo et Triviæ[39] solido de marmore templum
Instituam, festosque dies de nomine Phœbi.
Te quoque magna manent regnis penetralia[40] nostris.
Hic ego namque tuas sortes arcanaque fata,
Dicta meæ genti, ponam, lectosque sacrabo,
Alma, viros[41]. Foliis tantum ne carmina manda,

is *arcum*, III, 535. — 27 *Centum* de plurimis. Multi erant in montis istius latere excisi aditus subterranei, per quos veniebatur ad totidem ostia (mox dicta *fores* et *ora*), quibus clausum erat antrum in monte illo excavato late patens. — 28 *Tempus* est *possere f.* Sibylla dei afflatum sentit. — 29 *Unus*, idem qui antea. — 30 • Nam propter sacra resolvuntur comæ ; ut Helenus *reticinaturus vittas resolvit sacrati capitis* (I. III, 370). • *S.* — 31 *Videri* pendeta *major*, pro supino : visu, aspectu, ut *niveus videri* Horatio. *Non mortale*, sed divinum aliquid *sonans*. Sic Veneri *vultus haud mortalis, neque vox hominem sonat*, I, 328. *Quando*, quandoquidem, siquidem. — 32 Tardus es ad facienda vota et preces fundendas ? *Ante* quam feceris vota. — 33 *Attonitus*, quod de vatibus dici solet divino spiritu tactis, ad ipsum adytum antri mystici transfertur. Sic melius quam alii : *attonitæ* quod aperiatur, quod fores pandantur. Et Servius : « stupendæ, non stupentis. » Idem annotat : « Trahit hoc de Matris deûm templo, quod non manu, sed precibus aperiebatur. » — 34 Direxisti. « Achilles amatam Polyxenam in templo Apollinis accepturus, insidiis Paridis post simulacrum latentis occisus est. Unde fingitur Apollo *direxisse* tela ad solum vulnerabilem locum. » *S.* — 35 Cingentia. *Massylorum*, v. IV, 132, n. 68. *Prætenta*, v. III, 692, n. 20. — 36 Vide V, 629. *Fortuna Trojana*, nimirum adversa, *hactenus* nos *fuerit secuta*, desinat sequi ulterius. — 37 Invisum fuit, ut sunt quæ obstant consiliis nostris. — 38 *Fatis* non est dativus objecti, sed ablativus subjecti cum passivo *indebita*, ut in illo Livii : *Sed debebatur, ut opinor, fatis tantæ origo urbis* : debebant eam Fata. — 39 Apollini et Dianæ. Confer *Carmen sæculare* Horatii. • Ut solet, carmini miscet historiam. Nam hoc templum in Palatio ab Augusto factum est : sed quia Augustus coëaret Julio (*al.* Iulo), qui ab Æneа ducebat originem, vult Augustum parentum vota solvisse. » *S.* Sequentia de *Iudis Apollinaribus*, ab Augusto instauratis. — 40 Secreta templorum, adyta. In templo enim Apollinis Palatini (*hîc*) servabantur libri Sibyllini, eo translati a Capitolio. *Sortes*, oracula. — 41 Quindecimviros, qui hæc ora-

cula in publicis necessitatibus *adirent*, inspicerent et interpretarentur. *Foliis ne manda* etc., secundum Heleni monita, III, 443-457. — 42 His Lucilium imitando corrigere videtur, qui scripserat : *Hæc ubi dicta dedit, pausam facit ore loquendi.* — 43 Explicat Statius, de alio vate dicens, *Impatiensque dei, fragili quem mente receptum, Non capit.* Nam grave est et plenum cruciatus, dei numen pectore recipere : itaque reluctatur Sibylla, conaturque deum se insinuantem excutere. Adde notam seq. De conjunctione *si* videnda not. 55 Eclogæ VI. — 44 In his metaphoræ omnes petitæ sunt ab equo feroci quem domat sessor : *impatiens* sessoris et *excutere* equitem ; *fatigat os* exercendo

Ne turbata volent, rapidis ludibria ventis :
Ipsa canas, oro. » Finem dedit[42] ore loquendi.
At, Phœbi nondum patiens[43], immanis in antro
Bacchatur vates, magnum si pectore possit
Excussisse deum : tanto magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans, fingitque[44] premendo.
Ostia jamque domus patuere ingentia centum
Sponte sua, vatisque ferunt responsa per auras :
« O tandem magnis pelagi defuncte periclis !
Sed terræ[45] graviora manent. In regna Lavini[46]
Dardanidæ venient ; mitte hanc de pectore curam :
Sed non et venisse volent. Bella, horrida bella,
Et Thybrim multo spumantem sanguine cerno.
Non Simois tibi, nec Xanthus, nec Dorica[47] castra
Defuerint ; alius Latio jam partus Achilles[48],
Natus et ipse dea ; nec Teucris addita[49] Juno
Usquâ aberit : quum tu, supplex in rebus egenis,
Quas gentes Italûm aut quas non oraveris urbes !
Causa mali tanti conjux iterum hospita[50] Teucris,
Externique iterum thalami.
Tu ne cede malis ; sed contra audentior ito[51],
Quam tua te fortuna sinet. Via prima salutis,
Quod minime reris, Graia pandetur ab urbe[52]. »
Talibus ex adyto dictis Cumæa Sibylla
Horrendas canit ambages[53], antroque remugit,
Obscuris vera involvens : ea[54] frena furenti
Concutit et stimulos sub pectore vertit Apollo.
Ut primum cessit furor et rabida ora quierunt,
Incipit Æneas heros : « Non ulla laborum,
O virgo, nova mi facies inopinave surgit :

frenis ; tum *fingere*, id est ad voluntatem sessoris componere, *premendo*, coercendo frenis. Nisi tamen in postremis, *fingit* corda *premendo*, statuendum est aliam succedere metaphoram, videlicet ceræ vel argillæ digitis subactæ et formatæ. — 45 *Terræ* pericula *graviora* te *manent*. — 46 In locum ubi Lavinium condet et regnabit Æneas. Nunc tandem manifeste indicatus locus, hucusque obscure significatus. Recte Servius : « Alii *Latini* legunt, cujus tunc erant regna. Sed quia divina loquitur, præoccupat futura ; postea enim Lavinium dicetur. » — 47 Græca ; v. II, 27, n. 16. Jam vidimus ad fluvios Simoentem et Xanthum maxime exarsisse furorem Achillis. — 48 Turnus, *cui diva Venilia mater*, X, 76. — 49 Inhærens, semper eos persequens. Vide Macrob. *Saturn.* IV, c. 6 initio. *Quum*, vide III, n. 10, 5. « *Rebus egenis* : per transitum ostendit famem futuram. » *S.* — 50 Ut olim Helena. De Lavinia a Latino data Æneæ in matrimonium, Turno primum promissa. — 51 *Contra ito*, obsiste his malis *audentior*, majore cum audentia *quam tua* tum *fortuna te sinet* hoc facere : quam rerum tuarum conditio permittet. — 52 Pallanteo, urbe Evandri Arcadis. A quo Æneas auxilia accepit contra Rutulos et Turnum. — 53 *Ambages*, oracula implexis et obscuris verbis comprehensa, in quibus vera (ut statim dicit) *involvuntur obscuris*. — 54 Sensus : Adeo concitaverat eam Apollo. Quod exprimit figurâ qua paullo ante usus est n. 44. *Ea frena concutit*, id est, talia sunt frena quibus motis regit furentem, tali imperio moderatur ejus animum : *eos* (nam hoc repetendum) *stimulos* adactos *vertit sub pectore* vatis, ita animum accensum iterato concitat.

Omnia præcepi[55], atque animo mecum ante peregi.
Unum oro : quando hic[56] inferni janua regis
Dicitur et tenebrosa palus Acheronte refuso,
Ire ad conspectum cari genitoris et ora
Contingat ; doceas iter, et sacra ostia[57] pandas.
Illum ego per flammas et mille sequentia tela
Eripui his humeris, medioque ex hoste recepi ;
Ille meum comitatus iter maria omnia mecum
Atque omnes pelagique minas cœlique ferebat[58],
Invalidus, vires ultra sortemque senectæ.
Quin, ut te supplex peterem et tua limina adirem,
Idem orans[59] mandata dabat. Gnatique patrisque,
Alma, precor, miserere (potes namq omnia[60] ; nec te
Nequicquam lucis Hecate præfecit Avernis),
Si potuit Manes arcessere conjugis Orpheus[61],
Threïcia fretus cithara fidibusque canoris ;
Si fratrem Pollux[62] alterna morte redemit,
Itque reditque viam toties. Quid Thesea, magnum
Quid memorem Alciden[63] ? et mi genus ab Jove sum-
Talibus orabat dictis, arasque tenebat[64], [mo. »
Quum sic orsa loqui vates : « Sate sanguine divûm,
Tros[65] Anchisiada, facilis descensus Averno ;
Noctes atque dies patet atri janua Ditis :
Sed revocare gradum superasque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est. Pauci, quos æquus amavit
Juppiter, aut ardens[66] evexit ad æthera virtus,
Dis geniti, potuere. Tenent media[67] omnia silvæ,
Cocytusque sinu labens circumvenit atro.
Quod si tantus amor menti, si tanta cupido
Bis Stygios innare lacus, bis nigra videre
Tartara, et insano juvat indulgere labori,
Accipe quæ peragenda prius. Latet arbore opaca
Aureus et foliis et lento vimine[68] ramus,
Junoni infernæ dictus sacer : hunc tegit omnis
Lucus, et obscuris claudunt convallibus umbræ.
Sed non ante datur telluris operta subire,
Auricomos[69] quam qui decerpserit arbore fœtus.

55 Scilicet ante percepta ex Heleno et e patre. — 56 *Hic* esse, ad lacum sive paludem Acheruslam Cumis vicinam, quam ex Acheronte exundante (*refuso*) ortam putabant. — 57 *Ostia* regni inferni. — 58 « *Ferebat* : ut ante morte prævenlus sit quam ferre desierit. Et mire imperfecto usus est tempore, ac si diceret : adhuc si viveret ferret. » *Serv.* — 59 Libro V, 731 seqq. — 60 *Omnia* contra consuetudinem dictum, nec vere. Veterem lapsum hic deprehendit Peerlkampius et correxit : *potes namque* : OPTIMA *nec te Nequicquam l. Hecate* etc. Jungenda sunt : *miserere, si potuit* etc., et conferenda not. 9 p. 52. — 61 Quod narratur *Georg.* IV, v. 467 seqq. « Nititur exemplis quæ inferiora sunt per comparationem : ut ipse videatur justius velle descendere. » *S.* — 62 Qui, Jove patre natus et immortalis, a diis impetravit, ut frater, e mortali patre natus Tyndareo, Castor, in cœlo versaretur, dum ipse pro eo apud inferos ageret tanquam mortuus, vicibus semestribus : unde *alterna morte* et *itque reditque viam*. — 63 Herculem, qui Cerberum petiturus descendit ; Theseus ob amicitiam Pirithoi Proserpinam amantis. — 64 Vide IV, 219, n. 7. — 65 Τρώς, Trojane. *Averno* (dativus), in Avernum, ad Inferos. *Ditis*, Plutonis. — 66 Virtus *ardens*, hinc ætheri igneo affinis. — 67 *Media*, inter terram et *januam Ditis*. Cocytus, fluvius infernus, gr. κωκυτός, fletus, ejulatus. — 68 Ramus, cujus folia sunt aurea et *vimen*, virga, lignum, *tentum*, flexile. Fabulam de arbore habes apud Servium. *Juno infernæ*, Proserpinæ. *Dictus*, dicatus. — 69 Foliis aureis. *Quam qui* pro : quam si quis decerpserit. Est autem duplicis structuræ in unum confusio : non ante datur quam *si quis...*, et : non *alii* datur quam (ei) qui... *Fœtus* etiam

de surculis dicitur, non modo de fructu. — 70 Sibi proprium, aut carum. *Pulchra* est Proserpinæ epitheton frequens apud Græcos. — 71 Strue *repertum carpe rite, manu*, non falce aut cultro. — 72 Si fatis destinatum est tibi, ut inferos adeas. — 73 Polluit. *Funere*, de corpore mortuo, ut capi potest II, 539, n. 42. — 74 Hæres, moraris. *Refer* ad quem ritum spectet, vide V, 64, not. 30. — 75 *Duc* ad aram. *Ea prima piacula sunto*, id est: hoc sacrum piaculare præcedat oportet tuum ad inferos descensum. — 76 Ignotos; de quibus Sibylla dixerat, *Heu! nescis.* — 77 Corrigitur hic Quum *socium exanimem Misenum in litore* etc., mediis deletis, quæ nemo non mirabitur, quum paucis ante horis Æneas Palinurum *nudum in ignota arena jacentem* ploraverit. — 78 Filium Æoli Trojani (conf. XII, 542). Erat tubicen Æneæ. — 79 *Ære ciere viros.* Huic hemistichio Virgilius quum sextum librum Augusto recitaret, narratur « in præsentia Augusti ex abundantia intellectus addidisse subito: *Martemque accendere cantu.* » *S.* De qua re non relinquit dubitandi locum *Vita Virgilii* c. 12: « Erotem, librarium et libertum ejus, exactæ jam senectutis, tradunt referre solitum, quondam eum in recitando duos dimidiatos versus complesse ex tempore... huic *Ære c. v.*, simili calore actutum subjunxisse, *Martemque acc. c.*; statimque sibi imperasse, ut utrumque volumini adscriberet. » In altero exemplo error est vel librarii vel narrantis. — 80 « Ubique Æneam Hectori comparat, ut XI (289 seqq.). » *S.* — 81 *Concha* proprie capiendum, non figurate de lituo. Tritonem æmulaturus et provocans, Tritonis concha utebatur. Non infrequens *persono* cum accusativo loci. — 82 Insidiis circumventum et oppressum, ut III, 332 et *Ecl.* III, n. 17. *Si credere dignum est*, formula apte posita in *Georg.* III, 391, hoc loco non satis intelligitur qua causa sit adjecta; hinc non temere hemistichium damnavit Peerlkampius p. 378.

Hoc sibi pulchra suum[70] ferri Proserpina munus
Instituit. Primo avulso, non deficit alter
Aureus, et simili frondescit virga metallo.
Ergo alte vestiga oculis, et rite repertum[71]
Carpe manu: namque ipse volens facilisque sequetur,
Si te fata vocant[72]; aliter, non viribus ullis
Vincere nec duro poteris convellere ferro.
Præterea jacet exanimum tibi corpus amici
(Heu! nescis), totamque incestat[73] funere classem,
Dum consulta petis nostroque in limine pendes[74].
Sedibus hunc refer ante suis et conde sepulchro.
Duc[75] nigras pecudes: ea prima piacula sunto.
Sic demum lucos Stygis et regna invia vivis
Aspicies. » Dixit, pressoque obmutuit ore.
Æneas mœsto defixus lumina vultu
Ingreditur, linquens antrum, cæcosque[76] volutat
Eventus animo secum: cui fidus Achates
It comes, et paribus curis vestigia figit.
Multa inter sese vario sermone serebant, [mandum
Quem socium exanimem[77] vates, quod corpus humDiceret. Atque illi Misenum in litore sicco,
Ut venere, vident indigna morte peremptum;
Misenum Æoliden[78], quo non præstantior alter
Ære ciere viros[79] Martemque accendere cantu.
Hectoris hic magni fuerat comes; Hectora circum
Et lituo pugnas insignis obibat et hastâ.
Postquam illum vita victor spoliavit Achilles,
Dardanio Æneæ sese fortissimus heros
Addiderat socium, non inferiora[80] secutus.
Sed tum, forte cava dum personat æquora conchâ[81],
Demens! et cantu vocat in certamina divos,
Æmulus exceptum[82] Triton, si credere dignum est,
Inter saxa virum spumosa immerserat unda.
Ergo omnes magno circum clamore fremebant,

Præcipue pius Æneas. Tum jussa Sibyllæ,
Haud mora, festinant flentes, aramque sepulchri [83]
Congerere arboribus cœloque educere certant.
Itur in antiquam silvam, stabula alta ferarum :
Procumbunt piceæ; sonat icta securibus ilex,
Fraxineæque trabes cuneis et fissile robur
Scinditur; advolvunt ingentes montibus [84] ornos.
Nec non Æneas opera inter talia primus
Hortatur socios, paribusque accingitur armis.
Atque hæc ipse suo tristi cum corde volutat,
Aspectans silvam immensam, et sic forte [85] precatur :
« Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus
Ostendat nemore in tanto! quando omnia vere
Heu! nimium de te vates, Misene, locuta est. »
Vix ea fatus erat, geminæ quum forte [86] columbæ
Ipsa sub ora viri cœlo venere volantes,
Et viridi sedêre solo. Tum maximus heros
Maternas agnoscit aves, lætusque precatur :
« Este duces, o, si qua via est, cursumque per auras [87]
Dirigite in lucos, ubi pinguem dives opacat
Ramus humum! Tuque, o, dubiis ne defice rebus,
Diva parens. » Sic effatus, vestigia pressit [88],
Observans quæ signa ferant, quo tendere pergant.
Pascentes illæ tantum prodire [89] volando,
Quantum acie possent oculi servare sequentum.
Inde ubi venere ad fauces graveolentis [90] Averni,
Tollunt se celeres, liquidumque [91] per aëra lapsæ,
Sedibus optatis [92] gemina super arbore sidunt,
Discolor unde auri per ramos aura [93] refulsit.
Quale solet silvis brumali frigore viscum [94]
Fronde virere nova, quod non sua seminat arbos [95],
Et croceo fœtu teretes circumdare truncos :
Talis erat species auri frondentis opacâ
Ilice; sic leni crepitabat bractea [96] vento.
Corripit Æneas extemplo, avidusque refringit
Cunctantem [97], et vatis portat sub tecta Sibyllæ.

83 Rogum, in modum aræ ligni constructum. *Cœlo*, ad cœlum. — 84 De montibus; nam advolvunt *devolvendo*. — 85 *Forte* referendum est ad alterum *forte* quod mox sequitur : *geminæ quum* FORTE *columbæ* etc., cui respondet. Ubi sic forte precatus erat animo, forte evenit ut columbæ etc., fortuita voti et eventi συνευχία. — 86 « Auguria aut oblativa sunt, quæ non poscuntur; aut impetrativa, quæ optata veniunt. Hoc ergo quia oblativum est, dixit *forte*. Bene autem a columbis datur Æneæ augurium, et Veneris filio et regi : nam ad reges pertinet columbarum augurium. » *S. Ora*, aspectum. — 87 Volatum. Mox nullatenus debebat reprehendi quod ramum tam potentem Æneas magnificentius dicit *opacare humum*. — 88 Inhibuit gressum, substitit. *Ferunt* columbæ. — 89 Prodibant ita, ut crebrius ad

pascendum subsiderent : quod columbæ facere consueverunt. — 90 Vide p. 127, n. 68. — 91 « Purum, Averni comparatione. Dicit eas alte volasse ad vitandum Averni odorem. » *S.* — 92 *Optatis* ab Ænea. Arbore *gemina*, « quæ frondem dupliciem materiamque portabat. » *Donatus*, rectissime, ut *gemina* a poetis latinis dici solent quæ Græcis διφυῆ, « duplici naturâ. » Alii commiscuntur « arborem duplicis trunci in commune fastigium coeuntis. » — 93 *Discolor*, diversa a cetero colore de viridi fronde repercusso, *auri aura* est quam occupat auri in eam effusus splendor et repercussus fulgor. Sic Prisicianus γλωρὰ διαυγάζουσα ἴασπις vertit : *aurâ viridi quæ splendet iaspis*. — 94 Nobis *le gui*, « hieme maturum, et auri imitans colorem. » *S.* — 95 Quod nascitur in aliena arbore, planta parasitica. — 96 « *Bractea* dicitur tenuissima lamina, ἀπὸ τοῦ βραχεῖν, id est a crepitando. » *Isidor.* — 97 *Cunctantem* videtur adversari verbis Sibyllæ, v. 146 : *ipsa volens facilisque*

sequetur. Servius : « *Cunctantem*, quia *avidus* : ut ostendat tantam fuisse avellendi cupiditatem, ut ei nulla satisfacere posset celeritas. » Putarim indicari *viridis* rami naturam, qui non ita sequitur et manui tanquam incidit ut qui *refringitur siccus*. — 98 « *Nec minus* et *Nec minus interea* crebra est apud Virgilium formula transeundi ad aliam rem vel similem vel dissimilem, quæ fit eodem tempore quo res ante commemorata. » *Wagn.* — 99 *Ingrato*, « gratiam haud sentienti. » *S.* — 1 *Atris*, nigricantibus, qualis est viror cupressorum, pinuum. Figurate accepit Servius : « aptis ad funera. » Qui deinde annotat : « M. Varro dicit, pyras cypresso circumdari propter gravem ustrinæ odorem : ne eo offendatur populi circumstantis corona ; quæ tamdiu stabat respondens fletibus præficæ, quamdiu, consumpto cadavere et collectis cineribus, diceretur novissimum verbum *ilicet*. » — 2 Quibus ipse, dum vivebat, usus erat. — 3 More patrum, majorum. — 4 *Dapes*, victimæ, vel sanguis certe victimarum ; vide infra XI, 197-9. Κρεαγχέες, unde *ea* breve. « Diis superis tantum libabant ; inferis vero sacrificantes etiam vasa in ignem mittebant. » *S.* — 5 *Socios circumtulit undæ*, aquam circa eos tulit (quæ structura frequens in verbo *circumdo*, id est lustravit. « purgavit. Antiquum verbum est. Plautus : *Pro larvato te circumferam*, i. e. purgabo. Nam lustratio fit circumlatione vel tædæ vel sulphuris vel humidæ laurûs. » *S.* — 6 Arbores *felices* (vide p. 23, n. 31) solæ usum habebant in sacris, quæ superis diis fiebant. « Sed moris fuerat ut de *lauro* lieret. Sane dicit Donatus quod hoc propter Augustum mutavit. Nam nata erat laurus in Palatio eo die, quo natus est Augustus, unde triumphantes coronari consueverant. Quare noluit *laurum* dicere in officio lugubri. » *S.* — 7 Supremum illud *Vale* vel *Ave* vel *Salve* ; v. XI, 97 seq. — 8 Hodieque *Capo Miseno*. — 9 Vide supra 153 seqq. — 10 « *Tuta*, quia hinc lacu, hinc cingitur silvis. Dicit autem locum quem nunc *Dotiola* vocant, apud Cumas. » *Serv.* De sequentibus vide Varronis locum, supra p. 127, n. 68. — 11 Spurius versus abest ab optimis codicibus, ignoratus etiam Servio et Nonio. — 12 Vide V, 97, n. 45.

Nec minus[98] interea Misenum in litore Teucri
Flebant, et cineri ingrato[99] suprema ferebant.
Principio pinguem tædis et robore secto
Ingentem struxere pyram ; cui frondibus atris[1]
Intexunt latera, et ferales ante cupressos
Constituunt, decorantque super fulgentibus armis.
Pars calidos latices et ahena undantia flammis
Expediunt, corpusque lavant frigentis et ungunt.
Fit gemitus. Tum membra toro defleta reponunt,
Purpureasque super vestes, velamina nota[2],
Conjiciunt ; pars ingenti subiere feretro,
Triste ministerium ! et subjectam more parentum[3]
Aversi tenuere facem. Congesta cremantur
Thurea dona, dapes[4], fuso crateres olivo.
Postquam collapsi cineres et flamma quievit,
Reliquias vino et bibulam lavêre favillam,
Ossaque lecta cado texit Corynæus aheno.
Idem ter socios pura circumtulit[5] unda,
Spargens rore levi et ramo felicis[6] olivæ,
Lustravitque viros, dixitque novissima verba[7].
At pius Æneas ingenti mole sepulchrum
Imponit, suaque arma viro, remumque tubamque,
Monte sub aerio, qui nunc Misenus ab illo
Dicitur, æternumque[8] tenet per sæcula nomen.

His actis, propere exsequitur præcepta[9] Sibyllæ.
Spelunca alta fuit vastoque immanis hiatu,
Scrupea, tuta[10] lacu nigro nemorumque tenebris,
Quam super haud ullæ poterant impune volantes
Tendere iter pennis ; talis sese halitus atris
Faucibus effundens supera ad convexa ferebat !
[Unde[11] locum Graii dixerunt nomine Aornon.]
Quattuor hic primum nigrantes terga[12] juvencos

Constituit, frontique invergit[13] vina sacerdos;
Et summas carpens media inter cornua setas[14]
Ignibus imponit sacris, libamina prima,
Voce vocans[15] Hecaten, cœloque Erebоque potentem.
Supponunt[16] alii cultros, tepidumque cruorem
Suscipiunt pateris. Ipse atri velleris agnam
Æneas matri Eumenidum[17] magnæque sorori
Ense ferit, sterilemque[18] tibi, Proserpina, vaccam.
Tum Stygio regi nocturnas inchoat aras,
Et solida[19] imponit taurorum viscera flammis,
Pingue supèr oleum infundens ardentibus extis.
Ecce autem, primi sub lumina solis et ortus,
Sub pedibus mugire solum, et juga cœpta moveri
Silvarum[20], visæque canes ululare per umbram,
Adventante dea. « Procul, o, procul este, profani,
Conclamat vates, totoque absistite luco;
Tuque invade viam, vaginaque eripe ferrum[21]:
Nunc animis opus, Ænea, nunc pectore firmo. »
Tantum effata, furens[22] antro se immisit aperto,
Ille ducem haud timidis vadentem passibus æquat.

Di, quibus imperiū est animarū, Umbræq; silentes,
Et Chaos[23], et Phlegethon, loca nocte silentia late,
Sit mihi fas audita loqui; sit[24] numine vestro
Pandere res alta terra et caligine mersas.

Ibant obscuri sola[25] sub nocte per umbram,
Perque domos Ditis vacuas et inania regna:
Quale per incertam lunam[26] sub luce maligna
Est iter in silvis, ubi cœlum condidit umbrâ
Juppiter, et rebus nox abstulit atra colorem.

Vestibulum ante ipsum primisque in faucibus Orci
Luctus[27] et ultrices posuere cubilia Curæ;
Pallentesque habitant Morbi, tristisque Senectus,
Et Metus, et malesuada Fames, et turpis[28] Egestas,
Terribiles visu formæ, Letumque, Labosque[29];
Tum consanguineus Leti Sopor, et mala mentis
Gaudia[30], mortiferumque adverso in limine Bellum,

13 « *Vergere* est conversâ in sinistram partem manu ita fundere, ut patera convertatur: quod in infernis sacris fit. Hæc autem pertinent ad victimarum explorationem: ut, si non stupuerint, aptæ probentur. » *S.* — 14 Vide de hoc rītu n. 6 ad IV, 698. — 15 Vide ibid. 681, n. 1. — 16 Vide *Georg.* III, 492, n. 98. — 17 Nocti; cujus soror Terra. — 18 Vaccam *sterilem*, « congruam deæ nunquam enitenti. » *Serv. Nocturnas*, in quibus noctu sacra fiunt diis inferis. *Inchoat*, « verbum sacrorum, » si Servio credimus. — 19 *Solida viscera*, id est victimam totam, non *exta* solum, quæ superis diis offeruntur. Nam inferis fit holocaustum, unde nihil degustant sacrificantes. Itaque ad alendum ignem infunditur oleum. Junge *superinfundens*. — 20 *Juga silvarum*, montium juga tecta silvis, ut XI, 544: *juga longa solorum nemorum*. Canum ululatu indicabatur adventus Hecates deæ. — 21 Ad deterrenda monstra, quæ ei obvia futura erant. — 22 « Deo plena; aut certe, furenti similis. » *S.* — 23 *Chaos* etiam de Orco dicitur, spatio ingenti semper aperto. In theogonia est Noctis et Erebi pater. *Phlegethon*, dictus *amnis Tartareus* v. 550 seq. — 24 *Sit* fas, vel *sit pandere* pro: liceat, *numine vestro*, voluntate vestra, per vestrum numen. — 25 Nocte *sola*, solitaria, per quam nemo obviam fit euntibus. — 26 Cujus lux incerta est, modo clara, modo obscurata nubibus. *Maligna*, tenuis, parca. — 27 « Ea dicit in aditu esse inferorum, quæ vicina sunt morti, ut Luctus. *Curæ*, conscientiæ, quæ puniunt semper nocentes. » *S.* Hoc inest in *ultrices*. Apud Horatium *Curæ malæ laqueata circum tecta volant, scandunt naves, post equitem sedent.* — 28 « Quia turpes facit. » *S.* Silio *sceleri proclivis egestas*. — 29 Verte: *la Souffrance*. — 30 *Mala mentis Gaudia*, gaudia quæ facinorosi ex suis sceleri-

bus capiunt; « ac si diceret malæ mentis gaudia. » *S.* Scite Peerlkampius : « Virgilius *Invidiam*, a nemine imitatorum omissam, diserte non nominavit. Expressit, credo, hic per *mala mentis gaudia*, profecta scilicet ex lætitia propter alienas calamitates. » — 31 Cubicula ferreis claustris seu foribus. Ut alibi Furiis, ita hic Discordiæ tribuuntur crines anguinei. — 32 Passim, ut III, 643, n. 2. « Miarum phantasma est Somniis sedem assignans in ulmo. Sed diis alatis, levibus, vagis, bene ea convenit, et subnatum poetæ suspicor ex Homero, *Iliad.* XIV, 286 seqq., ubi Somnus a Junone adductus in arbore considet, donec possit opprimere Jovem. » Sic *Heyn.* — 33 In ipso aditu Orci. Scyllæ *biformes* ut superne puellari forma, in

Ferreiq Eumenidū thalami[31], et Discordia demens,
Vipereum crinem vittis innexa cruentis.

In medio ramos annosaque brachia pandit
Ulmus opaca, ingens, quam sedem Somnia vulgo[32]
Vana tenere ferunt, foliisque sub omnibus hærent.
Multaque præterea variarum monstra ferarum,
Centauri in foribus[33] stabulant, Scyllæque biformes,
Et centumgeminus Briareus[34], ac bellua Lernæ
Horrendum stridens, flammisque armata Chimæra[35],
Gorgones, Harpyiæq, et forma tricorporis umbræ[36].
Corripit hic subita trepidus formidine ferrum
Æneas, strictamque aciem venientibus offert;
Et, ni docta comes tenues sine corpore vitas[37]
Admoneat volitare cava sub imagine formæ,
Irruat, et frustra ferro diverberet umbras.

Hinc via, Tartarei quæ fert Acherontis ad undas.
Turbidus hic cœno vastaque voragine[38] gurges
Æstuat, atque omnem Cocyto[39] eructat arenam.
Portitor has horrendus aquas et flumina servat
Terribili squalore Charon; cui plurima mento
Canities inculta[40] jacet; stant lumina flammâ;
Sordidus ex humeris nodo[41] dependet amictus.
Ipse ratem conto subigit[42], velisque ministrat,
Et ferruginea[43] subvectat corpora cymbâ;
Jam senior, sed cruda deo viridisque senectus[44].
Huc omnis turba ad ripas effusa ruebat,
Matres[45] atque viri, defunctaque corpora vitâ
Magnanimûm heroum, pueri innuptæque puellæ,
Impositique rogis juvenes ante ora parentum :
Quam multa in silvis autumni frigore primo
Lapsa cadunt folia; aut ad terram gurgite ab alto[46]

---

belluam marinam desinentes. Plurali *Scyllæ* utitur post Lucretium IV, 731; V, 891. — 34 Gigas centimanus, quinquaginta capitibus, etc., de quo Hom. *Il.* A, 402, Hesiod. *Theog.* 149 seqq. *Bellua*, hydra Lernæa. — 35 Typhonis et Echidnæ filia ignem exspirans, a Bellerophonte domita; Hom. *Il.* Z, 180 seqq. De *Gorgonibus* multa Servius, et Ovid. *Metam.* IV, 769 seqq. *Harpyiæ*, v. III, 212, n. 8. — 36 Umbra Geryonis tricorporis, regis olim Erythiæ insulæ in sinu Gaditano, ab Hercule occisi, cui ob immanem magnitudinem corpora tria esse ferebantur. — 37 *Vitas*, εἴδωλα, spectra viventia, animas. *Cava*, inani, nihil solidi intus habente. *Formæ* corporeæ. — 38 *Vasta voragine* est ablativus qualitatis, qui adjectivi locum obtinet, respondens alteri *turbidus*. — 39 In Cocytum. *Arenam*, de limo, ut *Georg.* IV, 291, n. 65. — 40 « *Mento* ; nam veteres non solum comam ornabant, sed etiam barbam, ut nonnullas videmus statuas. » *S.* Nam *canities* de cana barba. *Stant*, horrent, rigent, plena sunt flamma immobili. Conf. *Ecl.* VII, n. 52. — 41 *Nodo* in lævo humero facto, non fibula adstrictus. — 42 Regit. *Ministrat*, operam dat velis, curat vela. — 43 Nigricante, lugubri; v. *Georg.* I, 467, n. 18. — 44 Illve in suam orationem ascivit Tacitus, *Agric.* c. 23. « *Senior* est virens senex, ut *junior* intra juvenem est; quam rem a Varrone tractatam confirmat etiam Plinius. » *S.* — 45 Versus septem cum aliqua mutatione ducti ex *Georg.* IV, 472-477. — 46 Mari. *Frigidus annus*, anni pars frigida, hiems.

Quam multæ glomerantur aves, ubi frigidus annus
Trans pontum fugat et terris immittit apricis.
Stabant orantes primi[47] transmittere cursum,
Tendebantque manus ripæ ulterioris amore :
Navita sed tristis[48] nunc hos, nunc accipit illos;
Ast alios longe submotos arcet arenâ.
Æneas miratus enim[49] motusque tumultu,
« Dic, ait, o virgo, quid vult concursus ad amnem ?
Quidve petunt animæ ? vel quo discrimine ripas
Hæ linquunt, illæ remis vada livida verrunt ? »
Olli sic breviter fata est longæva sacerdos :
« Anchisa generate, deûm[50] certissima proles,
Cocyti stagna alta vides Stygiamque paludem,
Di cujus jurare timent et fallere numen. [est;
Hæc omnis, quam cernis, inops[51] inhumataq; turba
Portitor ille, Charon; hi, quos vehit unda, sepulti.
Nec ripas datur[52] horrendas et rauca fluenta
Transportare prius quam sedibus ossa quierunt.
Centum errant[53] annos volitantque hæc litora circû;
Tum demum admissi[54] stagna exoptata revisunt. »
Constitit Anchisa satus et vestigia pressit[55],
Multa putans, sortemque animo miseratus iniquam.
Cernit ibi mœstos, et mortis honore[56] carentes,
Leucaspim, et Lyciæ ductorem classis[57] Oronten,
Quos simul, a Troja ventosa per æquora vectos,
Obruit Auster, aquâ involvens navemque virosque.
Ecce gubernator sese Palinurus agebat[58],
Qui Libyco nuper cursu, dum sidera servat,
Exciderat puppi, mediis effusus in undis.
Hunc ubi vix multa mœstum cognovit in umbra,
Sic prior alloquitur : « Quis te, Palinure, deorum
Eripuit nobis[59] medioque sub æquore mersit ?
Dic age; namque mihi, fallax haud ante repertus,
Hoc uno responso animum delusit Apollo,
Qui fore te ponto incolumem, finesque canebat
Venturum Ausonios. En[60] hæc promissa fides est ? »
Ille autem : « Neque te Phœbi cortina[61] fefellit,

47 Orabant ut primi *transmitterent cursum*, id est navigationem transmissionis in alteram ripam vel transmissionem facerent sive transirent primi. — 48 Severus, asper. — 49 De hac particula vide not. 90 ad *Georg.* II, 509. — 50 Vide de hoc plurali observata p. 19, not. 47. *Certissima*, ut de Hercule VIII, 301; *Salve*, VERA *Jovis proles*. — 51 Cui nemo opem tulit, justa persolvens. Inani acumine Servius : « *inopem* dicit qui est sine pulveris jactu : nam *Ops* terra est. » *Inhumatus* negative etiam apud Ciceronem. — 52 Licet ei. *Transportare* mortuos, cum accusativo loci, sicut Cæsar *milites navibus flumen transportat* (B. C. I, 54). *Sedibus*, sepulchro. — 53 *Errant* ii qui sepulchro carent. — 54 *Admissi* a Charonte in cymbam. — 55 Vide 197, n. 88. *Putans*, reputans secum. — 56 Honore quo mortui afficiuntur, exsequiis et sepultura. — 57 « Apertum exemplum (inquit Servius), *classem* dici etiam unam navem. » Sic enim liquido Virgilius supra I, 113 seqq. Mox *vectos* cum significatione præsentis, ut p. 60, n. 9. — 58 « *Sese agere* est sine negotio incedere. » *S.* Sequitur episodium longius (337-383) de Palinuro (vide quinti libri finem), in quo confitendum est multa languere neque eamdem conspici quam in præcedentibus et sequentibus artem atque gravitatem. Quare dubitatum est de authentia quamquam a Statio jam laeti. *Silv.* V, 3, v. 127 (ubi v. Markland.). Mirum *Libyco cursu*, quum de Sicilia solvissent. *Servat*, observat. — 59 « Bene *nobis* : gubernator enim communi perit periculo. » *S.* — 60 Vide p. 5, n. 71. *Fides* dicitur de eventu, in quo cernitur fides promittentis. — 61 Tripus; v. III, 92.

Dux Anchisiada, nec me deus æquore mersit.
Namque gubernaclum multa vi forte revulsum,
Cui datus hærebam custos, cursusque regebam,
Præcipitans[62] traxi mecum. Maria aspera juro
Non ullum pro me tantum cepisse[63] timorem,
Quam tua ne spoliata armis, excussa magistro,
Deficeret tantis navis surgentibus undis.
Tres Notus hibernas immensa per æquora noctes
Vexit me violentus aqua[64] : vix lumine quarto
Prospexi Italiam summa sublimis ad unda.
Paulatim adnabam terræ; jam tuta tenebam,
Ni[65] gens crudelis madida cum veste gravatum,
Prensantemque uncis manibus capita[66] aspera montis,
Ferro invasisset, prædamque ignara putasset.
Nunc me fluctus habet, versantque in litore venti.
Quod[67] te per cœli jucundum lumen et auras,
Per genitorem oro, per spes surgentis Iuli,
Eripe me his, invicte, malis! aut tu mihi terram
Injice, namque potes, portusque require Velinos[68];
Aut tu, si qua via[69] est, si quam tibi diva creatrix
Ostendit (neque enim, credo, sine numine divûm
Flumina tanta paras Stygiamque innare paludem),
Da dextram misero, et tecum me tolle[70] per undas,
Sedibus ut saltem placidis in morte quiescam. »
Talia fatus erat, cœpit quum talia vates[71] :
« Unde hæc, o Palinure, tibi tam dira cupido?
Tu Stygias inhumatus aquas amnemque severum
Eumenidum aspicies, ripamve injussus adibis?
Desine fata deûm[72] flecti sperare precando;
Sed cape dicta memor, duri solatia casus :
Nam tua finitimi, longè lateque[73] per urbes
Prodigiis acti cœlestibus, ossa piabunt,

62 Intransitive, dum præcipitarer. — 63 Animo concepisse. *Armis* hîcde gubernaculo; nam universe significare instrumenta agendi, jam aliis exemplis vidimus. *Excuti* aliqua re dicuntur quibus ea violenter abripitur, ut apud Horatium, *Excussus propriis, aliena negotia curo*. Sequentia non satis respondent narrationi de tuto et placido cursu, quæ exhibetur in fine quinti libri atque sexti initio. — 64 Ut violentos fluctus excitans. Neque dies hic *quartus* cum præcedenti narratione potest conciliari. — 65 Supple : ET OBTINUISSEM, *nisi* etc. *Cum veste* idem quod : indutum madida veste eaque gravatum. — 66 Extrema saxorum prominentium. Similem usum habes p. 84, n. 72. *Ignara*, nesciens me casu in mare præcipitatum et omnium egenum, non naufragum esse, qui pretiosiora eorum quæ vehebat de pereunte nave eripuerit. — 67 Quapropter, ut II, 141, not. 68. — 68 Ibi jacebat corpus Palinuri, loco qui olim futurus erat portus Veliæ, Lucaniæ urbis, hodie *Castellamare della Bruca*. Ea urbs Cyri demum temporibus est condita a Phocæensibus, quos ille patria depulerat. « Ergo anticipatio est, quæ si ex poetæ persona fiat, tolerabilis est; si autem per aliam, vitiosissima est, ut nunc a Palinuro. Quamquam alii ad divinandi scientiam referunt, quasi ab umbra dictum. *Velia* autem dicta a paludibus quibus cingitur, quas Græci ἕλη dicunt : hinc *Helia* vel *Elea* [celebris ob philosophos Eleaticos], sed accepit digammon, ut *Enetus, Venetus*. » *S*. — 69 *Via* ex his locis in Elysium. *Creatrix*, genitrix. — 70 Vide III, 601, n. 84. Tum junge *saltem in morte*, « quia nautæ semper vagantur. » *S*. — 71 *Vates*, timens videlicet, ne forte Æneas aliquid tentaret pro amico quod fas non erat. *Dira*, insano et inexplebilis. — 72 Quod certa et immutabili voluntate deorum constitutum est. *Cape*, accipe. « *Duri*, impossibilis ad mutationem. » *S*. — 73 *Longè lateque* capiendum relative, ut intelligatur tota, quaqua patet, regio propinqua agro Velino. « De historia hoc traxit. Lucanis enim pestilentia laborantibus respondit oraculum, manes Palinuri esse placandos. Ob quam rem non longe a Velia ei et lucum et cenotaphium dedicarunt. » *S*.

Et statuent tumulum, et tumulo sollemnia mittent[74],
Æternumque locus Palinuri nomen habebit. »
His dictis curæ emotæ, pulsusque parumper
Corde dolor tristi; gaudet cognomine terrâ.

Ergo iter inceptũ peragunt, fluviosq propinquant.
Navita quos jam inde ut Stygia prospexit ab unda
Per tacitum nemus ire pedemque advertere ripæ,
Sic prior aggreditur dictis, atque increpat ultro :
« Quisquis es, armatus qui nostra ad flumina tendis,
Fare age quid venias, jam istinc[75], et comprime [gressum.
Umbrarum hic locus est, Somni Noctisque soporæ :
Corpora viva nefas Stygia vectare carina.
Nec vero Alciden me sum lætatus[76] euntem
Accepisse lacu, nec Thesea Pirithoumque[77],
Dis quamquam geniti atque invicti viribus essent :
Tartareum ille manu custodem in vincla[78] petivit,
Ipsius a solio regis[79], traxitque trementem;
Hi dominam Ditis thalamo deducere adorti. »

Quæ contra breviter fata est Amphrysia[80] vates :
« Nullæ hic insidiæ tales; absiste moveri;
Nec vim tela ferunt : licet[81] ingens janitor antro
Æternum latrans exsangues terreat umbras,
Casta licet patruĭ[82] servet Proserpina limen.
Troïus Æneas, pietate insignis et armis,
Ad genitorem imas Erebi descendit ad umbras.
Si te nulla movet tantæ pietatis imago[83],
At ramum hunc (aperit ramum, qui veste latebat)
Agnoscas. » Tumida ex ira tum corda residunt.
Nec plura his[84]. Ille admirans venerabile donum
Fatalis virgæ, longo post tempore visum,
Cæruleam advertit puppim ripæque propinquat.
Inde alias animas, quæ per juga[85] longa sedebant,
Deturbat, laxatque foros; simul accipit alvĕo
Ingentem Æneam. Gemuit sub pondere cymba
Sutilis[86], et multam accepit rimosa paludem.
Tandem trans fluvium incolumes vatemque virumque
Informi limo[87] glaucaque exponit in ulva.

74 Inferias fundent, quales describuntur III, 63 seqq. Auditur etiam hodie *Capo Palinuro*, dictum et *Punta dello Spartimento*. — 75 *Jam istinc* fare mihi, ex eo loco ubi tu pedem modo posuisti, nolique procedere ulterius. Minus apte alii supplebant « facesse. » — 76 *Non sum lætatus* idem est quod : non impune tuli, ex noto illo usu græci verbi χαίρω. « Lectum est in Orpheo quod, quando Hercules ad inferos descendit, Charon territus eum statim suscepit. Ob quam rem anno integro in compedibus fuit. Ideo ergo *non lætatus*, scilicet propter supplicium suum. » *S. Lacu*, in palude Stygia. — 77 Vide 122, not. 63. Theseus a Neptuno, Pirithous ab Jove geniti credebantur. — 78 Ut vinciret et vinctum abduceret. — 79 « Hoc ad naturam canum est referendum, qui exterriti confugiunt ad dominos suos. » *S.* Theseus tum ab Hercule ex Orco liberatus, narrat apud Senecam : *extimuit sedens Uterque solio dominus* (Pluto et Proserpina), *et duci jubet* (Cerberum); *Me quoque petenti munus Alcidæ dedit*. Mox junge *thalamo Ditis* (Plutonis). — 80 Vates Apollinea, ab Apolline artem vaticinandi docta; vide *Georg.* III, n. 2. — 81 *Licet* per nos, non impediemus quin... — 82 Nam Jovis filia est ex Cerere. *Servet limen*, intra limen, domi se contineat. — 83 Cogitatio. *Nulla*, non. — 84 *Nec plura his* addidit sive locuta est Sibylla. Cur *fatalis*, dictum supra v. 146 seq. — 85 Transtra, græce ζυγά. « *Laxat foros*, tabulata navis vacuat. Multitudine enim remotâ quasi laxantur spatia. » *S.* — 86 Ex coriis vel viminibus vel utrisque consuta. — 87 Confer *Georg.* IV, 478 seq.

Cerberus hæc ingens latratu regna trifauci[88]
Personat, adverso recubans immanis in antro.
Cui vates, horrere videns jam colla colubris[89],
Melle soporatam et medicatis frugibus[90] offam
Objicit : ille, fame rabida tria guttura pandens,
Corripit objectam, atque immania terga resolvit[91]
Fusus humi, totoque ingens extenditur antro.
Occupat Æneas aditum, custode sepulto[92],
Evaditque celer ripam irremeabilis undæ.

Continuo auditæ voces, vagitus et ingens,
Infantumque animæ flentes, in limine primo,
Quos, dulcis vitæ exsortes et ab ubere raptos,
Abstulit atra dies et funere mersit acerbo[93].
Hos juxta falso damnati crimine mortis.
Nec vero hæ sine sorte datæ, sine judice[94], sedes :
Quæsitor Minos urnam movet; ille silentum
Conciliumque vocat, vitasque et crimina discit.
Proxima deinde tenent mœsti loca, qui sibi letum
Insontes[95] peperere manu, lucemque perosi
Projecere animas. Quam vellent æthere in alto
Nunc et pauperiem[96] et duros perferre labores!
Fas obstat, tristique palus inamabilis[97] unda
Alligat, et novies Styx interfusa coercet.

Nec procul hinc partem fusi monstrantur in omnē
Lugentes campi[98]; sic illos nomine dicunt.
Hic, quos durus amor crudeli tabe peredit,
Secreti celant calles, et myrtea circum
Silva tegit; curæ non ipsa in morte relinquunt.
His Phædrā Procrinq[99] locis, mœstamq; Eriphylen
Crudelis nati monstrantem vulnera, cernit,
Evadnenque[1], et Pasiphaen : his Laodamia

88 E trium capitum faucibus edito. *Adverso in antro*, in anteriore parte antri. — 89 *Colubris*, quos Cerberus pro jubis colli villisque capitis habebat. — 90 Offam soporifica vi instructam, confectam ex pulte herbarum vim medicam habentium, soporem adducentium, admixto melle. Conf. V, 855, n. 54. — 91 Immane corpus in somnum solutum laxavit, quasi detendit. — 92 Consopito; v. II, 265. *Evadit*, transit. — 93 Immaturo. — 94 Id est : sine judice vel judicibus sorte lectis; dictum per notam hendiadyn. Sunt autem hæc de Romano more adumbrata. Apud quos in causa capitali vel *quæstione* prætor, sive judex ab eo delegatus, qui tum dicitur *quæsitor*, sortitur judices qui in causam inquirant (nobis *instructeurs*). Sic cogitandus apud Virgilium Minos *quæsitor urnam movere*, injectas sortes agitans. Deinde (post diem trigesimum) prætor reos vocat in judicium, pro tribunali, circumstante populo. Ita accipiendum est, *vocat concilium silentum* sive umbrarum, de audientibus, non deliberantibus cum quæsitore. Ibique per judices sortitos, per testes et oratores *discit vitas et crimina* judicandorum. — 95 Nullo crimine polluti, sed tædio vitæ. « *Projecere*, quasi rem vilem. » *S.* — 96 Respicit ad celebres versus Homeri, *Odyss.* A, 488 seqq. « Homerus enim Achillis umbram introducit dicentem libentius se apud superos cuncta adversa tolerare quam apud inferos imperare. *Ætherem* autem nostrum habitaculum vocavit poetice, inferorum comparatione. » *S.* — 97 Vide not. 59 ad *Georg.* IV, 479-80, ubi eadem. — 98 « Hi finguntur late patentes, non multitudinis causa, quam excepturi sunt, sed ut solitudinem in iis, quam quærunt, habeant amantes. » *Heyn.* — 99 Fabula Procridis, Cephalo nuptæ, apud Ovidium, *Metam.* VII, 672-862, et *Art. Amat.* III, 695-746. Eriphyle Amphiaraum vatem, maritum suum, latentem prodidit Polynici aureum monile offerenti; sic pertractus in bellum Thebanum periit; sed illa ab Alcmæone patris ultore interempta. — 1 Capanei uxorem, quæ se in ardentem mariti rogum conjecit. In scena exhibita ab Euripide, *Supplicibus*, 990 seqq. De Pasiphae supra v. 24 seqq. « *Laodamia*, uxor Protesilai; quæ ut maritum in bello Trojano primum periisse cognovit, optavit ut um-

It comes, et, juvenis quondam, nunc femina, Cæ-
Rursus et in veterem fato revoluta figuram. [neus[2],
Inter quas Phœnissa, recens a vulnere, Dido
Errabat silva in magna; quam[3] Troïus heros
Ut primum juxta stetit agnovitque per umbram
Obscuram, qualem[4] primo qui surgere mense
Aut videt aut vidisse putat per nubila lunam,
Demisit lacrimas, dulcique affatus amore est:
« Infelix Dido, verus mihi nuntius[5] ergo
Venerat exstinctam, ferroque extrema secutam[6]?
Funeris heu! tibi causa fui! Per sidera juro,
Per Superos, et si[7] qua fides tellure sub ima est,
Invitus, regina, tuo de litore cessi.
Sed me jussa deûm, quæ nunc has ire per umbras,
Per loca senta[8] situ cogunt noctemque profundam,
Imperiis egere suis; nec credere quivi
Hunc tantum tibi me discessu ferre dolorem.
Siste gradum, teque aspectu[9] ne subtrahe nostro.
Quē fugis? extremū fato[10], quod te alloquor, hoc est.»
Talibus Æneas ardentem et torva tuentem[11]
Lenibat dictis animum, lacrimasque ciebat.
Illa solo fixos oculos aversa tenebat,
Nec magis incepto[12] vultum sermone movetur,
Quam si dura silex aut stet Marpesia cautes.
Tandem corripuit sese, atque inimica refugit
In nemus umbriferum, conjux ubi pristinus illi
Respondet curis[13] æquatque Sychæus amorem.
Nec minus Æneas, casu percussus iniquo[14],
Prosequitur lacrimans longe, et miseratur euntem.

Inde datum[15] molitur iter. Jamque arva tenebant
Ultima, quæ bello clari secreta frequentant.
Hic illi occurrit Tydeus, hic inclytus armis
Parthenopæus[16], et Adrasti pallentis imago:

bram ejus videret; qua re concessa, non deserens eam, in amplexibus ejus exspiravit. • *S.* — 2 Alii *Cænis*. Fabulam habes in *Metamorphoseon* XII, 171-209, 470-532. — 3 *Quam* pendet ex *juxta* simul et ex *agnovit*. — 4 Est structura: *qualem* videt *lunam* is *qui* eam *primo* (sive ineunte) *mense aut videt surgere per nubila, aut putat vidisse*. — 5 *Nuntius*, ex igne quem collucentem vidit digressus, unde *tristæ augurium* ducebat (libri V initio). Sed nihil impedit (ut opinor) quominus proprie intelligatur κατὰ τὸ σιωπώμενον, ut grammatici loquuntur in re suo loco non relata. — 6 Mortem obiisse; secundum Homericum ἐπιστεῖν. — 7 Et per numen, si quod est apud inferos quod fidem facere possit. De structura v. II, 142, n. 69. — 8 Loca *senta* sunt aspera, dumis, vepribus, *sentibus* obducta: *situs* autem dicitur squalor terræ incultæ (*sitæ*, neglectæ), et quæcumque sordes ex longo neglectu aut in rebus sole et aere carentibus nascuntur. Homerus quoque Ἀΐδεω δόμων εὐρώεντα (situ et mucore squalidum) dixit. — 9 Aspectui. *Quem?* scilicet non hostem, sed amantem tui. — 10 Fata volunt ut hoc quod te alloquor, hæc verba quibus te alloquor, sint extrema. Nota vim inversionis. — 11 Audacter dictum *animus torva tuens*, sed apte, quod per iracundiam (*ardentem animum*) aspectus fit torvus, eoque declaratur ille animi affectus. *Lenibat*, imperfectum quod *de conatu* vocant grammatici: conabatur lenire. *Lacrimas ciebat*, excitabat, excitabat, sibi nimirum dictis suis, quibus illacrimabat animo commotus. — 12 *Sermone incepto*, nam plura locuturus erat Æneas, sed non audiente Didone attentius hæret. *Quam si stet*, immobilis sit, ut silex aut cautes *Marpesia*, in Marpesso monte Pari insulæ, marmor Parium. — 13 Amore; • pari eam diligit affectione, quod in Ænea non fuit. • *S.* — 14 Morte violenta Didonis ex ingenti dolore quem ipse ei attulerat. *Prosequitur*, oculis eam sequitur. — 15 Iter *datum*, quod • se dabat •, se offerebat, patebat progredienti. *Tenebant* ipse et Sibylla. — 16 Arcas, Atalantes vel ex Meleagro vel

ex Milanione filius, inter septem illos duces belli Thebani, cum Tydeo, Œnei filio, Diomedis patre, et Adrasto, rege Argorum. — 17 Apud superos, sive inter homines. *Caduci*, qui ceciderunt. — 18 Polybus, Agenor, Acamas, filii Antenoris. Omnes hi Trojani memorantur ab Homero. Polyphœtes erat Cereris sacerdos, Idæus autem auriga Priami. — 19 *Circumstant* Æneam. — 20 *Quondam*, et in illa pugna quam Homerus narravit, *Il.* O, 322 seqq., et in expugnatione urbis, supra I, II, 399 seqq. *Tollere vocem*, ad bellicum clamorem et resistere conantes; atqui ea vox erat *exigua*, « murmur exiguum » Ovidio, τρισμός ut vespertilionum Homero, *Odyss.* Ω, 5 seqq. — 21 Tollendi clamoris conatus eos frustratur atque desipit ita, ut non clament, sed *hieut* tantum, ore aperto, vocevix percepta. Sequitur episodium de *Deiphobo*, Priami filio post Hectorem fortissimo, Æneæ amico. Quod episodium apparet non satis fuisse a poeta expolitum, sed novis curis et severiori limæ repositum. Singula quæ possunt offendere acute persequitur Peerlkamp. p. 411-419. — 22 « Timentem ne agnosceretur. » *S.* — 23 *Optavit* refer ad *eligendum* tale genus pœnæ. — 24 *De te*, ut de te faceret : quod plus est quam *in te*. — 25 Vide III, 108, n. 55, et de sequentibus II, 644, n. 82. — 26 Locum signant eoque signo memoriam servant. *Te* non elisum, sed græco more correptum; conf. p. 41, n. 90. Mox junge *ponere* in *patria terra*, humare. — 27 Omissum, neglectum. *Funeris*, mortui corporis, ut IX, 491 : *funus lacerum tellus habet*; sed *umbræ* modo Deiphobi tum justa solvi poterant. — 28 Helenæ, quam post mortem Paridis duxerat Deiphobus. Ob sequentem narrationem duo et viginti versus a Tucca et Vario sublati fuisse feruntur ex libro II, 567 seqq., ubi v. not. 54. — 29 Amarè de corpore atrociter mutilato. — 30 Vide II, 238 seqq. — 31 Quasi saltu,

Hìc multum fleti ad[17] superos belloque caduci
Dardanidæ; quos ille omnes longo ordine cernens
Ingemuit, Glaucumque, Medontaque, Thersilochumque,
Tres Antenoridas[18], Cererique sacrum Polyphœten,
Idæumque, etiam currus, etiam arma tenentem.
Circumstant[19] animæ dextra lævaque frequentes.
Nec vidisse semel satis est; juvat usque morari,
Et conferre gradum, et veniendi discere causas.
At Danaûm proceres Agamemnoniæque phalanges,
Ut vidère virum fulgentiaque arma per umbras,
Ingenti trepidare metu : pars vertere terga,
Ceu quondam[20] petiere rates; pars tollere vocem
Exiguam : inceptus clamor frustratur hiantes[21].

Atque hìc Priamiden laniatum corpore toto
Deiphobum videt et lacerum crudeliter ora,
Ora manusque ambas, populataque tempora raptis
Auribus, et truncas inhonesto vulnere nares.
Vix adeo agnovit pavitantem[22] ac dira tegentem
Supplicia, et notis compellat vocibus ultro : [cri,
« Deiphobe armipotens, genus alto a sanguine Teu-
Quis tam crudeles optavit[23] sumere pœnas?
Cui tantum de te[24] licuit? Mihi fama supremâ
Nocte tulit, fessum vasta te cæde Pelasgûm
Procubuisse super confusæ stragis acervum.
Tunc egomet tumulum Rhœteo[25] in litore inanem
Constitui, et magna Manes ter voce vocavi.
Nomen et arma locũ servant[26]; te, amice, nequivi
Conspicere et patria decedens ponere terra. »
Ad quæ Priamides : « Nihil o tibi, amice, relictum[27];
Omnia Deiphobo solvisti et funeris umbris.
Sed me fata mea et scelus exitiale Lacænæ[28]
His mersere malis; illa hæc monumenta[29] reliquit.
Namque ut supremam falsa inter gaudia[30] noctem
Egerimus, nosti; et nimium meminisse necesse est!
Quum fatalis equus saltu[31] super ardua venit

Pergama, et armatum peditem gravis attulit alvo ;
Illa, chorum simulans, evantes[32] orgia circum
Ducebat Phrygias ; flammam[33] media ipsa tenebat
Ingentem, et summa Danaos ex arce vocabat.
Tum me confectum curis[34] somnoque gravatum
Infelix habuit thalamus, pressitque jacentem
Dulcis et alta quies placidæque simillima morti.
Egregia interea conjux arma omnia tectis
Amovet, et fidum capiti[35] subduxerat ensem :
Intra tecta vocat Menelaum, et limina pandit :
Scilicet id magnum sperans fore munus amanti,
Et famam exstingui veterum sic posse malorum.
Quid moror ? irrumpunt thalamo ; comes additus una
Hortator scelerum Æolides[36]. Di, talia Graiis
Instaurate[37], pio si pœnas ore reposco !
Sed te qui vivum casus, age fare vicissim,
Attulerint : pelagine venis erroribus actus[38],
An monitu divûm ? an quæ[39] te fortuna fatigat,
Ut tristes sine sole domos, loca turbida, adires ? »

Hæc vice sermonum roseis Aurora[40] quadrigis
Jam medium ætherio cursu trajecerat axem :
Et fors[41] omne datum traherent per talia tempus ;
Sed comes admonuit breviterque affata Sibylla est :
« Nox ruit[42], Ænea ; nos flendo ducimus horas.
Hic locus est, partes ubi se via findit in ambas[43] :
Dextera quæ Ditis magni sub mœnia[44] tendit,
Hac iter Elysium nobis ; at læva malorum
Exercet[45] pœnas, et ad impia Tartara mittit. »
Deiphobus contra : « Ne sævi[46], magna sacerdos ;
Discedam, explebo numerum[47], reddarque tenebris.
I, decus, i, nostrum ; melioribus utere fatis. »
Tantum effatus, et in verbo[48] vestigia torsit.

Gravis, gravida. Imitatur hæc Ennii : *Maximo saltu superabit gravidus armatis equus, Qui suo partu ardua perdet Pergama.* — 32 Strue : *circumducebat* (in circulum et chorum κύκλιον ducebat) *Phrygias* mulieres *evantes orgia*, orgia celebrantes evando, cum hilari clamore εὐάν, sicut bacchantes. — 33 Facem, specie festam, re proditricem, quæ ex ipsa arce signum daret Danais, tempus esse invadendi. — 34 « *Curis*, ex pristino bellorum tumultu ; quod Statius ait, *Stant veteres ante ora metus.* » *Serv.* — 35 *Capiti*, quippe qui ad caput in pariete cubiculi suspendi solet. — 36 Ulysses, Æoli nepos et Sisyphi sceleratissimi filius : nam ab hoc esse genitus ex Anticlea ante Laertæ nuptias jactabatur ab inimicis. — 37 Talia facite ut iterum accidant, sed Græcis ; renovate in Græcis. — 38 *Actus*, scilicet ad fines Oceani, ubi lucus Proserpinæ et aditus Orci, apud Homerum. — 39 *An quæ* sic intellige : *an* alia te fortuna fatigat ? et *quæ* est ea ? Sed properat ad graviorem interrogationem, statim dicens *an quæ ?* « *Fatigat*, fatigando impellit, impulit. » *S. Turbida*, tenebricosa ; ut obscurantur turbidus aer, turbida aqua. — 40 « Donatus dicit, Auroram cum quadrigis positam, Solem significare. » *S.* Vide V, 105, n. 49. Nimirum in Homericis carminibus Aurora Solem fratrem per totum cœli iter comitatur. *Axem*, cœlum, ut II, 331. Hos inter sermones jam præterierat medius dies et nox appropinquabat. Quod poeta usitato modo dicere voluit, ut in rebus terra et luce gestis. — 41 Forsitan. *Traherent*, ex traherent. — 42 Ingruit, prope adest. — 43 Uno vocabulo : bivium. — 44 Ad regiam Plutonis. — 45 *Læva* via *pœnas malorum exercere* dicitur, ut quæ sit ipsa initium pœnarum illarum, quam calcant jam damnati et obnoxii cruciatibus. Nihil hic reprehendendum, neque altero in hemistichio. *Impia*, ubi versantur impii. — 46 Ne irascere. — 47 *Explebo numerum* animarum vel umbrarum ; a quibus parumper discesserat. Quem numerum Pluto, diligens et avarus, accurate observabat. « *Reddar tenebris* : nam circa Æneam et Sibyllam aliquid lucis fuisse intelligimus : quippe circa vivos. » Ita Servius, neque alia patet explicandi via. — 48 Simul hæc dicens vestigia *torsit*,

retro vertit, reversus est. — 49 • Tartarum dicit, quem vult esse carcerem inferorum. • *S. Mœnia* hîc non tam est ædificium (v. p. 162, not. 13), quam ipsum spatium muro circumdatum. — 50 Volvit. *Columnæ*, postes. — 51 *Stat*, erecta est, eminet *ad auras*, altissima. *Tisiphone* (cædis ultrix) Furia, *Georg.* III, 552, n. 34. — 52 *Exaudiri*, infinitivo narrationis, quia fit identidem, variis et infinitis momentis. — 53 Quod infra *scelerum formæ*, v. 626. Interrogatio cum sequenti jungenda, hoc sensu: Hi propter quæ scelera quibus pœnis afficiuntur? *Ad auras*, conf. *Ect.* I, 57. — 54 Pœnas a diis constitutas nocentibus. — 55 Minois Cretensis frater, unde *Gnosius*. Qui ab aliis in Elysio ponitur, a Virgilio in Tartaro,

Respicit Æneas subito, et sub rupe sinistra
Mœnia lata[49] videt, triplici circumdata muro,
Quæ rapidus flammis ambit torrentibus amnis
Tartareus Phlegethon, torquetque[50] sonantia saxa.
Porta adversa, ingens, solidoque adamante columnæ,
Vis ut nulla virûm, non ipsi exscindere ferro
Cœlicolæ valeant; stat ferrea turris ad[51] auras;
Tisiphoneque sedens, palla succincta cruentâ,
Vestibulum exsomnis servat noctesque diesque.
Hinc exaudiri[52] gemitus et sæva sonare
Verbera; tum stridor ferri, tractæque catenæ.
Constitit Æneas, strepituque exterritus hæsit.
« Quæ scelerum facies[53]? o virgo, effare; quibusve
Urgentur pœnis? quis tantus plangor ad auras? »
Tum vates sic orsa loqui: « Dux inclyte Teucrûm,
Nulli fas casto sceleratum insistere limen;
Sed me quum lucis Hecate præfecit Avernis,
Ipsa deûm[54] pœnas docuit, perque omnia duxit.
Gnosius hæc Rhadamanthus[55] habet, durissima regna,
Castigatque auditque dolos, subigitque fateri[56]
Quæ quis apud superos, furto lætatus inani[57],
Distulit in seram commissa piacula mortem
Continuo[58] sontes ultrix accincta flagello
Tisiphone quatit insultans, torvosque sinistrâ
Intentans angues, vocat agmina sæva sororum.
Tum demum[59] horrisono stridentes cardine sacræ
Panduntur portæ. Cernis, custodia qualis[60]
Vestibulo sedeat? facies quæ limina servet?
Quinquaginta atris immanis hiatibus Hydra
Sævior intus habet sedem: tum Tartarus ipse
Bis patet in præceps[61] tantum tenditque sub umbras,
Quantus ad ætherium cœli suspectus[62] Olympum.

• non tam judex et magistratus, qui causas capitales persequitur, ut Minos v. 432, sed qui, Triumvirorum capitalium more, judicum sententias exsequitur, supplicium sumit, et de inferioris ordinis hominibus, furti, grassationis, sacrilegii etc. reis ipse cognoscit. • *Heyn.* Nota *hysteron proteron* figuram in *Castigatque auditque dolos*. — 56 Tormentis adhibitis (ut Triumviri capitales) cogit *fateri piacula commissa, quæ* etc. — 57 Frustra gavisus latere ea quæ commisit. Nam *furta* dicuntur a poetis quæcunque quis furtim doloseque fecit, latere putans. — 58 *Continuo*, post factum judicium. Tisiphone personam agit lictoris, qui virgis feriebat noxios ante supplicium. — 59 *Tum demum*, post judicium et verbera. « Secutus est ordinem juris antiqui. Nam post habitam quæstionem, in Tullianum ad ultimum supplicium mittebantur. • *S.* — 60 Qualis custos, nimirum Tisiphone, extra vestibulum sedens, dum Hydra intra. *Quæ facies*, quam terribilis. Sed hac etiam *sævior* Hydra, non illa Lernæa, quæ est inter monstra in foribus Orci stabulantia (v. 287), sed alia, multis et ipsa capitibus. Lernææ, ut videtur, capita quinquaginta tribuebat Simonides, a Servio memoratus. — 61 In profundum. — 62 *Quantus* est *cæli suspectus*, quasi dicas sursum-prospectus per *cælum*, id est per aerem, a terra usque *ad Olympum*, cœlum, deorum sedem. Ex Homero, *Il.* Θ, 16, et Hesiodo, *Theogon.* 720 seqq.

Hic genus antiquum [63] Terræ, Titania pubes,
Fulmine dejecti, fundo volvuntur in imo.
Hic et Aloidas [64] geminos, immania, vidi,
Corpora, qui manibus magnum rescindere cœlum
Aggressi, superisque Jovem detrudere regnis.
Vidi et crudeles dantem Salmonea [65] pœnas,
Dum flammas Jovis et sonitus imitatur Olympi:
Quattuor hic invectus equis et lampada quassans,
Per Graiûm populos mediæque per Elidis urbem [66]
Ibat ovans, divûmque sibi poscebat honorem,
Demens! qui nimbos et non imitabile fulmen
Ære et cornipedum pulsu simularat equorum [67].
At Pater omnipotens densa inter nubila telum
Contorsit, non ille faces, nec fumea tædis [68]
Lumina, præcipitemque immani turbine adegit.
Nec non et Tityon, Terræ omniparentis alumnum [69],
Cernere erat; per tota novem cui jugera corpus
Porrigitur, rostroque immanis vultur obunco
Immortale [70] jecur tondens fœcundaque pœnis
Viscera, rimaturque epulis, habitatque sub alto
Pectore; nec fibris requies datur ulla renatis.
Quid memorem Lapithas [71], Ixiona, Pirithoumque?
Quos super atra silex jamjam lapsuræ cadentique
Imminet assimilis; lucent genialibus altis [72]
Aurea fulcra toris, epulæque ante ora paratæ
Regifico luxu: Furiarum maxima juxta
Accubat, et manibus prohibet contingere mensas,
Exsurgitque facem attollens, atque intonat ore [73].
Hic, quibus invisi fratres [74], dum vita manebat,
Pulsatusve parens, et fraus innexa [75] clienti;

63 Soboles antiqua. Titanes, Cœli et Terræ filii, ab Jove in imum Tartarum detrusi. Masculinum et plurale post *pubes* est synesis sat nota, in prosam quoque admissa. — 64 Aloei vel Neptuni ex Aloei uxore Iphimedia filios, Otum et Ephialtem; quorum ausa et pœna nota ex Homero, *Odyss.* Λ, 304-320. De verbo *rescindere* vide p. 63, n. 72. — 65 Filium Æoli, non regis ventorum, sed Thessaliæ, fratrem Sisyphi: qui deum se haberi cupiebat, et Jovem tonantem agere ausus est. Quod sequitur *dum imitatur*, eximie dictum pro vulgari « quòd imitabatur »: hæc talia *agentem* assecuta est et interpellavit pœna illa, quam vidi. — 66 Urbem quam ipse condiderat in Elide, Salmoniam, ad Alpheum. « Et *mediæ Elidis* est indignatio, quod in ea civitate Jovem imitabatur, in qua specialiter Jupiter colitur. » *S.* — 67 Planissime hæc explicantur versibus Manilii, qui leguntur in *Astronomicon* lib. V, 91 : *Salmoneus, qui cœlum imitatus in urbe Pontibus impositis missisque per æra quadrigis Expressisse sonum mundi sibi visus et ipsum Admovisse Jovem terris, male fulmina fingi Sensit, et immissos ignes super ipse secutus, Morte Jovem didicit.* — 68 Lumina qualia fiunt tædis, *fumea*, fumo ex piceæ combustione involuta. « Sed ætherius ignis caret fumo, et solo splendore viget. *Adegit*, impegit. » *S.* Sive huc (in Tartarum) egit. — 69 « Hunc alii Terræ filium, alii a Terra nutritum dicunt. Unde elegit sermonem qui utrumque significaret. Tityos amavit Latonam, propter quod Apollinis confixus sagittis est, et damnatus hac lege apud inferos, ut ejus jecur vultur exedat. » *S.* Vide Hom. *Odyss.* Λ, 575 seqq. — 70 Quippe usque renascens. *Pœnis*, in pœnas, quas secum regenerant. Item *epulis*, in epulas sibi. — 71 Antiquum populum Thessaliæ : quorum rex Ixion Junonem, Pirithous, et ipse Lapitha, Proserpinam appetierant. Illius quæ a plerisque traditur pœnam vidimus *Georg.* III, 38, n. 35, et IV, 484, n. 63; hujus infra videbimus not. 82. Nunc Virgilius, ignotum quo auctore, Tantali notam pœnam tanquam ipsis irrogatam describit. — 72 *Altis*, ut II, 2. *Genialibus*, positis ad epulas geniales, lautas et hilares habendas. — 73 Horrendam vocem edit. — 74 « Hæc quidem constat dicta esse generaliter. Possunt tamen etiam ad speciem trahi, ut Ægyptum et Danaum, Atreum et Thyesten, Eteoclem et Polynicem significare videatur. » *S.* — 75 *Innexa*, cum laqueo

metaphora, ut fraude *illaqueamur*. « Ex Lege duodecim tabularum venit, in quibus scriptum est : *Patronus si clienti fraudem fecerit, sacer esto*. » *S.* — 76 Acquisitis, partis. *Soli* non ad incubandi notionem referendum (quod esset absurdum), sed ad sententiam metaphora illa expressam, solis sibi servandi divitias universas. *Posuere*, apposuerunt, tribuerunt; nisi PROMERE scripseris cum Peerlkampio. Quos pulchre pingit Horatius, *Satira* I, 75 seqq. — 77 *Cæsi* fortasse dixit indicaturus non sufficere hanc pœnam crimini tanto. Nam exspectes : « in adulterio *prehensi*, adulteri. » — 78 Multa de his disputant Servius et alii, ad civilia bella vario modo referentes. Sed *servile* bellum spectari apparet ex addito *dominorum*, ut videtur Spartaci, quod statuit Wagnerus, *dextras* explicans de fide dominis sponsa et debita. Minime tamen prætereunda sunt extrema annotationis Servianæ : « Melius ergo ut bellum a Sexto Pompeio Pompeii filio in Siculo freto gestum accipiamus. Nam occiso patre Siciliam tenuit, et collectis undique servitiis vastavit sex annis ultro citroque Siciliam; postea victus est ab Augusto et Agrippa. Horatius (*Epod.* IX, 9) : *Minatus Urbi vincla, quæ detraxerat Servis amicus perfidis*. Et hoc sensu tam *arma impia* quam *dominorum* congruit commemoratio. » — 79 *Pœnam exspectant :* quod gravius est. Nam in exspectatione et præsens metus est et dolor futurus; in ipsa autem pœna solus est dolor. » *Serv.* Melius intelligas poetam comprehendere voluisse nocentes qui vivunt, quos manet illa in Tartaro pœna. — 80 *Quam pœnam* exspectent, qualis pœna eos maneat, aut *quæ forma* pœnarum, suppliciorum, *vel* quæ *fortuna*, sors infausta sub iniquo sidere natorum, *viros merserit*, his malis obruerit. « *Forma* (inquit Servius), regula : singulis enim sceleribus sunt statuta supplicia ex more Romano, quem sequitur. » Quorum suppliciorum apud inferos exempla subjiciuntur, Sisyphi et Ixionis. — 81 *Radiisque* idem sonat quod : *et alii radiis*; sic I, 701; II, 442, et alibi. — 82 Sed hunc pleræque fabulæ ab Hercule liberatum ferunt, *Pirithoum* vero non potuisse a saxo inferno avelli et æternas pœnas luere. « *Phlegyas*, Ixionis pater, habuit Coronidem filiam, quam Apollo vitiavit; unde suscepit Æsculapium. Quod pater dolens, accendit Apollinis templum; et ejus sagittis est ad inferos trusus. » *S.* — 83 *Moniti* meo exemplo, mea pœna. — 84 « Etiam hæc licet generaliter dicantur, habent tamen specialitatem. Nam Lasthenes Olynthum Philippo vendidit, Curio Cæsari viginti septem millibus sestertiis Romam. » *S.* Wagnero « probabile est Virgilium, hæc quum scriberet, de Marco Antonio cogitasse, qui et tributanum suum Cæsari et in consulatu suo multis decreta falsa vendebat. » Et sequentia Servius diserte ad Antonium retulit « secundum Ciceronem in *Philippicis*. *Fixit*, quia inciæ in æreis tabulis affigebantur. » — 85 « Quod Donatus dicit, nefas est credi : dictum esse de Tullio; quod convicium a Sallustio, Ciceronis inimico, natum est, qui de illo inquit : *Filia matris pellex*. » *S.* — 86 Vide *Georg.* II, 43, n. 35. — 87 *Perfice munus* dictum de oblatione muneris, aurei rami Proserpinæ deferendi (v. 142); ut mox de oblato v. 637 : *perfecto munere divæ*. — 88 *Ca-*

Aut qui divitiis soli incubuere repertis [76],
Nec partem posuere suis, quæ maxima turba est;
Quique ob adulterium cæsi [77], quique arma secuti
Impia [78], nec veriti dominorum fallere dextras,
Inclusi pœnam exspectant [79]. Ne quære doceri, [sit.
Quam pœnam [80], aut quæ forma viros fortunave mer-
Saxum ingens volvunt alii, radiisque [81] rotarum
Districti pendent; sedet æternumque sedebit
Infelix Theseus [82]; Phlegyasque miserrimus omnes
Admonet, et magna testatur voce per umbras :
« Discite justitiam moniti [83], et non temnere divos. »
Vendidit hic auro patriam, dominumque potentem [84]
Imposuit; fixit leges pretio, atque refixit;
Hic thalamum invasit natæ [85] vetitosque hymenæos :
Ausi omnes immane nefas, ausoque potiti.
Non, mihi [86] si linguæ centum sint oraque centum,
Ferrea vox, omnes scelerum comprendere formas,
Omnia pœnarum percurrere nomina possim. »
Hæc ubi dicta dedit Phœbi longæva sacerdos :
« Sed jã age, carpe viã et susceptũ perfice munus [87];
Acceleremus, ait; Cyclopum educta caminis [88]

Mœnia conspicio atque adverso fornice[89] portas,
Hæc ubi nos præcepta[90] jubent deponere dona.» Dixerat; et pariter, gressi per opaca viarum,
Corripiunt[91] spatium medium foribusque propinquant.
Occupat Æneas aditum, corpusque recenti[92]
Spargit aqua, ramumque adverso in limine figit.

His demum exactis, perfecto munere divæ,
Devenere locos lætos[93] et amœna vireta
Fortunatorum nemorum, sedesque beatas.
Largior[94] hic campos æther et lumine vestit
Purpureo; solemque suum, sua sidera norunt.
Pars in gramineis exercent membra palæstris,
Contendunt ludo, et fulva luctantur arena;
Pars pedibus plaudunt[95] choreas, et carmina dicunt.
Nec non Threicius longa cum veste sacerdos[96]
Obloquitur[97] numeris septem discrimina vocum,
Jamque eadem[98] digitis, jam pectine pulsat eburno.
Hic genus antiquum Teucri, pulcherrima proles,
Magnanimi heroes, nati melioribus annis[99],
Ilusque, Assaracusque, et Trojæ Dardanus auctor.
Arma procul currusque virûm miratur inanes[1].
Stant terra defixæ hastæ, passimque soluti
Per campos pascuntur equi: quæ gratia[2] curruum
Armorumque fuit vivis, quæ cura nitentes
Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos.
Conspicit ecce alios dextra lævaque per herbam
Vescentes[3], lætumque choro Pæana canentes,
Inter odoratum lauri nemus, unde superne
Plurimus[4] Eridani per silvam volvitur amnis.
Hic manus ob patriam pugnando vulnera passi[5],
Quique sacerdotes casti, dum vita manebat;
Quique pii vates, et Phœbo digna locuti[6];
Inventas aut qui vitam[7] excoluere per artes,
Quique sui memores alios fecere merendo:
Omnibus his nivea cinguntur tempora vitta[8].

minis, ferro in Cyclopum caminis cuso. — 89 Portas arcuatas, quarum fornix sive arcus, ac proinde portæ ipsæ, nobis sunt ex adverso. — 90 *Præcepta*, Sibyllæquidem, ut est v. 136, 236, sed a numine ipsi quoque data. — 91 Vide p. 96, n. 83. — 92 Modo hausta, viva; quali opus est in lustrationibus. — 93 In Elysium. — 94 Patentior. Deseqüenti versu vide p. 61, n. 41. — 95 Choreas ducunt cum plausu pedum. — 96 Orpheus, ab Horatio quoque dictus *sacer interpresque deum*, videlicet sacrorum orgiorum auctor. Vestem longam, ad pedes demissam, talarem, gestabant et sacerdotes veteres et citharœdi. — 97 Occinit, ἀντιφωνεῖ *numeris* canentium atque saltantium *discrimina septem vocum*, sonos septem inter se distantes (nobis *la gamme*) ἑπτατονόδου lyræ. — 98 *Eadem* discrimina, scilicet

Stante et florente regno Trojano. Trois filii erant Ilus et Assaracus. — 1 *Inanes*, non enim sunt veri solidique, sed tantum species quædam curruum et εἴδωλα (Homerico vocabulo), ut cetera apud inferos. — 2 Delectatio et studium. Substantive dictum « τὸ gratum esse » est *gratia*, v. c. « hujus rei apud me gratia nulla. » — 3 Epulas celebrantes geniales, græce θαλίας: quod nonnunquam exprimitur verbo *vescor*, minime humili. — 4 Junge *plurimus volvitur*, ut *magnus fluens*, p. 93, n. 25. *Eridani*, postea Padi, multa mentio in fabulis, quas partim memorat Servius. Ad inferna etiam loca relatus esse videtur, quia non longe a fontibus terram subit et duorum fere millium cuniculum perfluit latens. — 5 *Manus* (multitudo) *passi*, per synesin supra n. 63 memoratam. — 6 Qui præclara, sublimia carmina fecerunt; conf. *Ect.* VII, n. 22. — 7 *Vita* et græcum βίος dicuntur de communi vita, de hominum vita universa, de genere humano. *Merendo*, bene merendo de iis. — 8 Vitta alba est sanctorum virorum insigne, sacerdotum atque vatum; adeoque

chordas ea discrimina vocum edentes. *Pecten*, gr. πλῆκτρον. — 99

Quos circumfusos sic est affata Sibylla,
Musæum[9] ante omnes; medium nam plurima turba
Hunc habet, atque humeris exstantem suspicit altis:
« Dicite, felices animæ, tuque, optime vates,
Quæ regio Anchisen, quis habet locus? illius ergo
Venimus et magnos Erebi tranavimus amnes. »
Atque huic responsum paucis ita reddidit heros:
« Nulli certa domus[10]; lucis habitamus opacis,
Riparumque toros[11] et prata recentia rivis
Incolimus. Sed vos, si fert ita corde voluntas[12],
Hoc superate jugum, et facili jam tramite sistam. »
Dixit, et ante tulit gressum, camposque nitentes
Desuper ostentat; dehinc suăna cacumina linquunt[13].
At pater Anchises penitus convalle virenti
Inclusas[14] animas superumque ad lumen ituras
Lustrabat studio recolens[15], omnemque suorum
Forte recensebat numerum, carosque nepotes,
Fataque, fortunasque virûm, moresque, manusque[16].
Isque ubi tendentem adversum per gramina vidit
Æneam, alacris palmas utrasque tetendit,
Effusæque genis[17] lacrimæ, et vox excidit ore:
« Venisti tandem, tuaque exspectata[18] parenti
Vicit iter durum pietas! datur ora tueri,
Nate, tua, et notas audire et reddere voces!
Sic equidem ducebam animo rebarque futurum,
Tempora dinumerans; nec me mea cura[19] fefellit.
Quas ego te terras et quanta per æquora vectum
Accipio! quantis jactatum, nate, periclis!
Quam metui ne quid Libyæ tibi regna[20] nocerent! »
Ille autem: « Tua me, genitor, tua tristis[21] imago,
Sæpius occurrens, hæc limina tendere adegit;
Stant sale[22] Tyrrheno classes. Da jungere dextram,
Da, genitor, teque amplexu ne subtrahe nostro. »
Sic memorans, largo fletu simul ora rigabat.
Ter[23] conatus ibi collo dare brachia circum;
Ter frustra comprensa manus effugit imago,

(auctore Servio) « ostendit eos meruisse divinos honores ». — 9 Antiquum vatem, Lunæ et Eumolpi filium, Orphei discipulum. — 10 « *Domus*, id est habitatio, quam animæ tam diu habent, quamdiu sunt in corporibus; quorum post solutionem vagantur pro vitæ merito in circulis (uno ex novem circulis, quos poeta constituit secundum philosophos). » *S.* — 11 Ripas tororum speciem exhibentes, supinas et molli herba vestitas; conf. V, 388. *Recentia rivis*, irrigua et semper virentia. — 12 Si Anchisem cupitis convenire. — 13 « *Linquunt* Æneas et Sibylla, et in plana descendunt. » *S.* — 14 « *Inclusas*, non revera inclusas, sed loco separatas a multitudine. » *Serv.* Jam vide quam feliciter poeta utatur dogmate illo Platonis de *præexistentia* animarum, quæ terrestria corpora aliquando induent. Æneas offendit Anchisen in recensu virorum qui olim nascentur Romæ atque ostensam fatis urbem efficient Orbis caput. — 15 *Lustrabat* oculis, studiose *recolens* mente, considerans, scilicet quis qualisque esset quisque eorum futurus apud superos. — 16 *Manusque* accipiendum de rebus manu gerendis, vi et virtute bellica. Et inest in hac oppositione, *mores* et *manus*, nova illa et arguta brevitas Virgilii, cui non debebat substitui vulgare *moresque animosque*. — 17 *Genæ* poetis dicuntur etiam oculi. Servius: « Palpebris. Ennius de dormiente: *Imprimitque genæ genam.* » Et apud Festum: *Pandite, sulci, genas et corde relinquite somnum.* — 18 Nam Æneam exspectabat Anchises; vide V, 731 seqq. — 19 *Cura* in dinumerando tempore posita. — 20 Ne hæc te in oblivionem agerent majoris imperii fatis destinati. — 21 « Severa. » *S. Tendere limina*, ad limina. — 22 In mari. — 23 Tres versus expressi de Homericis, *Odyss.* A, 204 seqq., ubi Ulysses amplecti vult matris umbram.

Par levibus ventis volucrique[24] simillima somno.
Interea videt Æneas in valle reducta
Seclusum nemus, et virgulta sonantia silvis[25],
Lethæumque, domos placidas qui prænatat[26], amnem.
Hunc circum innumeræ gentes populique volabant;
Ac velut in pratis, ubi apes æstate serena
Floribus insidunt variis, et candida circum
Lilia funduntur; strepit omnis murmure[27] campus.
Horrescit visu subito, causasque requirit
Inscius Æneas, quæ sint ea flumina porro[28],
Quive viri tanto complèrint agmine ripas.
Tum pater Anchises: « Animæ, quibus altera fato
Corpora debentur, Lethæi ad fluminis undam
Securos latices[29] et longa oblivia potant.
Has equidem memorare tibi atque ostendere corâ[30],
Jampridem hanc prolem cupio enumerare meorum,
Quo magis Italia mecum[31] lætere repertâ. » [est
« O pater, anne aliquas ad cœlum hinc ire putandû
Sublimes[32] animas, iterumque ad tarda reverti
Corpora? quæ lucis miseris tam dira cupido? »
« Dicam equidem, nec te suspensum, nate, tenebo, »
Suscipit Anchises, atque ordine singula pandit.
« Principio cœlum ac terras, camposq; liquentes[33],
Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque[34] astra
Spiritus[35] intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, et magno se corpore[36] miscet.
Inde hominum pecudumque genus, vitæq; volantum,
Et quæ marmoreo[37] fert monstra sub æquore pontus.
Igneus est ollis vigor et cœlestis origo
Seminibus[38], quantum non noxia corpora tardant
Terrenique hebetant artus moribundaque membra:
Hinc[39] metuunt cupiuntque, dolent gaudentq; neq;
Dispiciunt, clausæ tenebris et carcere cæco. [auras

24 Vide II, 794, n. 43. — 25 *Sonantia silvis*, ideo quod tanquam silvæ sunt illa in ripis Lethes virgulta, densa modo silvarum, ut vento mota inter se collidantur et dent sonum. — 26 Prælluit, cum aliqua notione latitudinis, ut intelligitur ex his Ovidii: *Qua se Tiberinus in altum Dividit et campo liberiore natat.* — 27 *Murmure* apum: ejusmodi namque est ille stridor, τρισμὸς animarum. — 28 Procul, gr. πόῤῥω, vel longo cursu hunc campum ambientia. — 29 « Latices qui securos, sine cura, ἀφροντίστους faciunt. » *S.* Adde quæ infra dicet Anchises v. 719-51. — 30 Supple: jampridem cupio, quod est alteri membro additum, tanquam novo initio facto ob id quod dictu erat gravissimum: *hanc meorum prolem.* — 31 *Mecum*, v. III, 710, n. 33. — 32 Jungendum *ire sublimes*, sursum tendere, in altum ferri. « *Tarda*, animæ comparatione, qua velocius nihil est. » *S.* Alii acutius intelligunt impatienter exspectata, ex sequentibus. *Lucis*, vitæ sub hoc sole in corporibus agendæ. Ea vitæ cupido *dira* habetur Æneæ, tantis per suam vitam laboribus agitato. — 33 Maria. — 34 Et Solem: quod plurali dixit, quia præter Solem (vide IV, 119, n. 63) etiam Luna sive Phœbe soror est Titania; ut novum addatur unà cum quadam epexegesi præcedentis. Sic Wagnerus recte. Alii esse pluralem pro singulari vel stellas simul indicari putant. — 35 Est illa philosophorum *anima mundi*. Quod dogma Cicero quoque tetigit versibus quos inseruit libro I *de Divinatione*, c. 11. « *Intus alit*, vegetat et in æternitatem custodit; quia mixtus est, et nulla pars est elementi sine Deo. » *Serv.*, qui in hac ὁῆσει multa philosophatur. — 36 Ablativo, ut *miscetur*. *Inde*, ex hac consociatione Spiritus et Elementorum, tanquam patris et matris. — 37 Vide p. 62, n. 51. Ennius: *placidum mare marmore flavo*. — 38 Animabus ex illa Mente ætheria satis. « Intantum in omnibus viget pars divinitatis, inquantum sinit corporum qualitas. » *S. Noxia*, noxâ materiæ et terrestris naturæ laborantia. — 39 Ex corporis conjunctione et contagione. *Auras*, æthera, lucem. *Clausæ*

mentem revocat ad *animas*, de quibus Anchises se dicturum promiserat : quia sunt eorum animæ clausæ etc. — 40 *Reliquit* eos *vita* quæ est *supremo lumine*, quæ habet lumen de supernо, quo fruimur dum vivimus. — 41 Per totum vitæ tempus, quo anima concreta est cum corpore. *Inolescere*, v. *Georg.* II, 77, not. 61. *Ergo* « quia deposito corpore sordes supersunt. » *S.* — 42 Hinc recensentur purgationum tres modi ; de quibus præter alia Servius : « Etiam in sacris omnibus tres sunt istæ purgationes : nam aut tæda purgantur et sulphure, aut aqua abluuntur, aut aere ventilantur, quod erat in sacris Liberi (unde *oscilla* ei suspendi solita, p. 85, n. 95). » *Inanes*, v. p. 148, n. 10. — 43 Vide V, 541, not. 34. « Quid sit *infectum*, optime ex Seneca intelligitur, *Epist.* LIX : *Diu in istis vitiis jaciumus. Elui difficile est. Non enim inquinati sumus, sed infecti.* » *Peerlk.* — 44 Suam quisque nostrum patitur sortem apud Manes ; sive, omnes, qui Manes sumus, patimur suam quisque sortem. Quod poetæ dicere licebat *suos Manes*, quia Manes sunt non simpliciter animæ, sed in certo statu positæ animæ ; hinc illam apud inferos conditionem animarum vocat *Manes*. Ea varia est pro vita ante acta. Simplicior est explicatio Servii, sed nescio an humilior : « *Manes*, supplicia varia quæ sunt apud Manes ; ut si quis dicat *judicium patimur*, et significet quod in judicio pronuntiatur. » Hæc autem, *Quisque suos patimur Manes*, plurimis interpretibus cohærere videntur cum iis quæ altero post versu sequuntur *Donec longa dies* etc. ; ut parenthetice interposita sint *Exinde per amplum* seqq. ; sed ea ratio multis incommodis laborat. Ipse poeta hic loquitur brevius et obscurius, quare singula verba premenda sunt. *Exinde*, post acres illas pœnas et purgationes, quas enumeravit, animæ aliquatenus purgatæ mittuntur in locum meliorem, *Elysium* AMPLUM ; quæ notio adduxit præpositionem *per*, quasi dicas : mittimur *in varias partes* Elysii ampli ; usu præpositionis hujus minime insolenti. Itaque ibi perficitur purgatio, sed *pauci læta arva tenent*, id est, ut videtur, pauci pervenerunt ad plenam purgationem ante illum mille annorum circuitum, quem statim commemorat. Cogitaverit Virgilius (id quod exprimere neglexerit) animarum conditionem et sedem quæ sensim reddantur meliores progressu et successu purgationis cuique adhibitæ. Hoc si statuas, obscuritas loci minuitur. — 45 *Orbe* mille annorum, quos mox dicet. — 46 Auctæ, archaice. Pythagoreis et Stoicis humana anima erat particula delibata ex anima mundi, unde Horatio dicta *divinæ particula auræ*. Sic intellige *sensum ætherium*, animam ex æthere natam, et, ut æther, igneam, et auram *simplicem*, non compositam, quare æternam. Comparantur hæc Ciceronis *Tusc.* I, c. 18 : *Animi necesse est ut ferantur ad cælum. Calidior est enim, vel potius ardentior, animus quam hic aer crassus atque concretus ; nam corpora nostra, terreno principiorum genere confecta, ardore animi concalescunt.* — 47 « Exegerunt statutum tempus per annorum volubilitatem. Est autem sermo Ennii. » *S. Mille* anni sunt a Platone. — 48 *Immemores* eorum quæ in Elysio viderunt. — 49 *Sonantem* illo murmure vel τοιούτῳ, quem descripsit supra v. 707-9, n. 27. — 50 *Posset*, non *possit*, quia *capit*, *trahit*, sunt præsentia historica. *Ad-*

Quin et, supremo quum lumine vita reliquit [40],
Non tamen omne malum miseris nec funditus omnes
Corporeæ excedunt pestes ; penitusque necesse est
Multa diu [41] concreta modis inolescere miris.
Ergo exercentur pœnis, veterumque malorum
Supplicia expendunt : aliæ [42] panduntur inanes
Suspensæ ad ventos ; aliis sub gurgite vasto
Infectum [43] eluitur scelus, aut exuritur igni :
Quisque suos patimur Manes [44] ; exinde per amplum
Mittimur Elysium, et pauci læta arva tenemus,
Donec longa dies, perfecto temporis orbe [45],
Concretam exemit labem, purumque relinquit
Ætherium sensum atque aurai [46] simplicis ignem.
Has omnes, ubi mille rotam volvêre [47] per annos,
Lethæum ad fluvium deus evocat agmine magno ;
Scilicet immemores [48] supera ut convexa revisant
Rursus, et incipiant in corpora velle reverti. »
Dixerat Anchises, natumque unaque Sibyllam
Conventus trahit in medios turbamque sonantem [49],
Et tumulō capit, unde omnes longo ordine posset [50]

Adversos legere, et venientum discere vultus.
« Nunc age, Dardaniâ prolē quæ deinde sequatur
Gloria, qui maneant [51] Itala de gente nepotes,
Illustres animas nostrumque in nomen ituras [52],
Expediam dictis, et te tua fata docebo.
« Ille, vides, pura [53] juvenis qui nititur hasta,
Proxima sorte tenet lucis [54] loca, primus ad auras
Ætherias, Italo commixtus sanguine, surget,
Silvius, Albanum nomen [55], tua postuma proles,
Quem tibi longævo serum Lavinia conjux
Educet silvis regem regumque parentem,
Unde genus Longa nostrum dominabitur Alba.
Proximus [56] ille Procas, Trojanæ gloria gentis;
Et Capys, et Numitor, et, qui te nomine reddet,
Silvius Æneas, pariter pietate vel armis
Egregius, si unquam [57] regnandam acceperit Albam.
Qui juvenes! quantas ostentant, aspice, vires!
Atque [58] umbrata gerunt civili tempora quercu:
Hi tibi Nomentum [59] et Gabios urbemque Fidenam,
Hi Collatinas imponent montibus arces [60],
Pometios, Castrumque Inui, Bolamque, Coramque:
Hæc tum nomina erunt [61], nunc sunt sine nomine ter-
« Quin et avo [62] comitē sese Mavortius addet [ræ.
Romulus, Assaraci quem sanguinis Ilia [63] mater

versos, coram se positos, *legere* oculis, cernere, considerare alium post alium. — 51 *Qui maneant* cum prolem Dardaniam. — 52 Locutio propria in adoptionibus, apta ita ris germinibus Trojanæ stirpi insertis. De celebri recensu qui sequitur hæc fere Servius: « Qui bene considerant, invenient omnem Romanam historiam ab Æneæ illo adventu usque ad sua tempora summatim celebrasse Virgilium. Multa hic indicat locus; cetera, quæ hic in ermissa sunt, in ἀποπροσῳπῆσις (lib. VIII, 626-728) commemorat. Unde etiam in antiquis invenimus, opus hoc

appellatum esse non *Æneidem*, sed *Gesta populi Romani*. » — 53 Hasta *pura*, non ferro præfixa, quæ apud antiquos præmium dabatur fortissimo militum et victori, ut Plinius Siccium Dentatum narrat *donatum hastis puris duodeviginti*. Hic de sceptro accipiendum videtur, insigni regio. — 54 Genitivus a *proxima* pendens. — 55 *Albanum nomen* dici poterat pro simplici *Albanus*; sed respicitur haud dubie nominis usus constans et communis omnibus regibus Albæ. Post mortem Æneæ « Lavinia timens insidias Ascanii, gravida confugit ad silvas, et latuit in casa pastoris Tyrrhi (vide infra VII, 485 seqq.). Et illic enixa est Silvium. Cui Ascanius, qui sine liberis periit, suum reliquit imperium. » *S. Postuma* et sequens *longævo* quomodo conciliare tentaverint grammatici, jucundum lectu est ap. Gellium II, c. 16. Non attenderunt illi narrationis velocitatem, quæ ad eventum properat; in qua brevitate sponte intelligitur voluisse poetam: *quem* ex te longævo conceptum pariet post mortem tuam (quod jam dictum) *serum* et *educet* etc. — 56 « *Proximus*, standi ordine, non nascendi. Nam duodecimus fuit rex Albanorum. *Capys* sextus, *Numitor* decimus tertius. » *S.* — 57 « *Si unquam*... poeta refert ad tutorem, qui ejus invasit imperium, quod ei vix anno quinquagesimo secundo *al.* tertio] restituit. » *S.* — 58 *Atque*, præter hoc bellicum robur, ornantur corona civica, ob colonias quas deducent. Triginta autem memorantur coloniæ ab Alba Longa deductæ, in quibus ipsa Roma. — 59 *Nomentum*, in Sabinorum agro ad Allīæ fontes situm, hodie *Mentana* vicus a *via Nomentana*. *Gabii*, non ignobile olim oppidum Latii, inter Romam et Præneste, Virgilii tempore prope desertum. *Fidena* sive *Fidenæ*, in extrema valle Tiberina, urbs olim potens, a Romanis deleta a. 328. — 60 Condent *Collatiam*, Sabinorum oppidum, Roma non multum distans, notum ex Lucretiæ historia. *Pometii*, qui habitant Suessam Pometiam, mature a Volscis occupatam, deletam a. U. 250. *Castrum Inui*, apud Rutulos, inter Ardeam et Antium. *Bola* sive *Bolæ*, in Æquis, cis Anienem sitæ. *Cora* [hodieque *Cori*], in Latio, Volscis fœdere juncta. — 61 Famam habebunt. — 62 Numitori. *Comitem* in vita; in luce vivet una cum Numitore. — 63 Poeticum nomen Rheæ Silviæ, filiæ Numitoris: proinde *sanguinis Assaraci* (adjective, ut *Pompilius sanguis* apud Horatium, *Rhenum flumen*, etc.), de genere Æneæ et Anchisæ,

cujus pater, Capys, avus Assaracus. — 64 Galea cum crista duplici. Qualem galeam Mars gestare credebatur, id quod significat Valerius Maximus I, c. 8, § 6. Deinde jungenda *pater Superûm*, Jupiter. Is Romulum jam tum reddit insignem *suo honore*, majestate quadam atque dignitate oris, quæ in ipso deorum rege cernitur. — 65 *Hujus auspiciis*, iis quæ Romulus cepit de Urbe condenda, faustissimis. — 66 *Æquabit imperium terris* est proprie dictum, sed figurate *animos Olympo*, animis et virtute par erit diis. — 67 *Una*, quum ipsa una sit, septem tamen eadem montes suo

Educet. Viden' ut geminæ stant vertice cristæ[64],
Et pater ipse suo Superûm jam signat honore?
En hujus, nate, auspiciis[65] illa inclyta Roma
Imperium terris, animos æquabit[66] Olympo,
Septemque una[67] sibi muro circumdabit arces,
Felix prole virûm: qualis Berecyntia[68] mater
Invehitur curru Phrygias turrita per urbes,
Læta deûm partu, centum[69] complexa nepotes,
Omnes cœlicolas, omnes supera alta tenentes.

« Huc geminas nunc flecte acies, hanc aspice gentẽ
Romanosque tuos. Hic Cæsar, et omnis Iuli
Progenies[70], magnum cœli ventura sub axem.
Hic vir, hic est, tibi quem promitti sæpius audis,
Augustus Cæsar, Divi[71] genus; aurea condet
Sæcula qui rursus Latio, regnata[72] per arva
Saturno quondam; super et Garamantas[73] et Indos
Proferet imperium; jacet[74] extra sidera tellus,
Extra anni solisque vias, ubi cœlifer Atlas
Axem[75] humero torquet stellis ardentibus aptum.
Hujus in adventum[76] jam nunc et Caspia regna
Responsis horrent divûm, et Mæotia tellus[77],
Et septemgemini turbant trepida ostia Nili.
Nec vero Alcides[78] tantum telluris obivit,
[Fixerit æripedem cervam licet, aut Erymanthi
Pacarit nemora, et Lernam tremefecerit arcu;]

muro complectetur. Additum est *una*, ut illata oppositione augeatur vis vocis *septem*. Idem versus *Georg.* II, 535, n. 7. *Virûm* est fortium virorum. — 68 Cybele, Mater deûm, dicta a Berecyntio, Phrygiæ monte ipsi sacro. *Turrita* vel *turrigera*, ob muralem coronam. — 69 Sacer numerus, ut dictum p. 93, n. 15. — 70 Vide I, 288, n. 58. *Cæsar* de Augusto. — 71 *Divi* (in deorum numerum recepti) Julii filius (ut omnes sciunt, per adoptionem). *Condet rursus*, instaurabit. — 72 Vide infra VIII, 319-325. — 73 Vide notam 40 Eclogæ VIII. Hi devicti sunt a L. Cornelio Balbo, uno fere anno ante mortem Virgilii. *Indos*, in universum de populis remotioribus Orientis; vide p. 78, n. 37. — 74 *Jacet* etc. Dicunt fervore poetico abreptum Virgilium neglexisse usitatam sententiarum junctiuram, talem fere: « et super eam terram (proferet imperium) quæ jacet extra etc. » Fit sane quod dicunt, sed non eo quem hic cernimus modo. Probabilius est descriptioni telluris illius extra sidera sitæ Anchisen subjecturum fuisse: *hanc quoque junget imperio*, sed aliarum regionum imaginibus, nunquam ante Augustum subactarum, confertim se offerentibus ablatum neglexisse. *Extra sidera* sequentibus exponitur, *extra anni solisque vias*, extra decursum solis per duodecim signa Zodiaci. Respicitur Candace victa et Æthiopia a C. Petronio copiis peragrata; Æthiopia autem a Lucano quoque ultra Zodiaci lines ponitur III, 253: *Æthiopumque solum, quod non præmeveatur ab ulla Signifero regione poli, nisi poplite lapso Ultima curvati procederet ungula Tauri.* — 75 Vide IV, 482, n. 15. — 76 Animis in exspectationem adventus Augusti intentis. *Caspia regna*, populi circa mare Caspium, ut Hyrcani et Bactriani. Parthis fere subjecti, et ipsi quoque Parthi. « Quod autem dicit, verum est. Nam et Suetonius ait in Vita Cæsarum, responsa esse data per totum orbem, nasci invictum imperatorem. » *S.* — 77 Ubi Scythæ degebant ad paludem Mæotidem. *Turbant*, intransitive: turbantur, trepidant. — 78 Hercules, hinc *vagus* Horatio dictus. Ei imperatum erat ut *vivam* adduceret Eurystheo cervam æripedem (χαλκόποδα, sive Cerynitidem, ex Cerynea monte in confiniis Arcadiæ et Achaiæ; quæ fugiens persequentem heroem (ut Pindarus canit) usque ad Hyper-

Nec, qui pampineis victor juga[79] flectit habenis,
Liber, agens celso Nysæ de vertice tigres.
Et dubitamus[80] adhuc virtutem extendere factis?
Aut metus Ausonia prohibet consistere terra[81]? »
« Quis procul ille autem ramis insignis olivæ,
Sacra ferens. » — « Nosco crines incanaque menta
Regis Romani[82], primam qui legibus urbem
Fundabit, Curibus[83] parvis et paupere terra
Missus in imperium magnum. Cui deinde subibit,
Otia qui rumpet patriæ, residesque[84] movebit,
Tullus, in arma viros et jam desueta triumphis
Agmina. Quem juxta sequitur jactantior Ancus[85].
Nunc quoque jam nimium gaudens popularibus auris.
Vis et Tarquinios reges, animamque superbam[86]
Ultoris Bruti, fascesque videre receptos[87]?
Consulis imperium hic primus sævasque[88] secures
Accipiet; natosque pater, nova bella moventes,
Ad pœnam pulchra pro libertate vocabit,
Infelix! Utcumque ferent[89] ea facta minores,
Vincet amor patriæ, laudumque immensa cupido.
« Quin Decios[90] Drusosque procul sævumque securi

boreos deduxit. Hæc igitur ærumna Herculis apte hic poterat commemorari; at *fixerit* sagittis staverit et fabulæ et menti poetæ est contrarium; ususque excludit interpretationem quæ est in Servianis: « statuerit et delassaverit. » Aper autem Erymanthius atque Lernæa Hydra prorsus inepte commemorantur hic. Quare secludendi erunt hi versus cum Peerlkampio p. 442 — 79 *Jugum* dicitur animalium par jugo junctum; hic bijuges tigres, qui Bacchi currum trahunt, dum tri-

umphator ex India Asiam et Græciam peragrat. *Nysa*, mons et urbs Indiæ, de qua lege Curtium VIII, c. 35 seqq. — 80 « *Dubitamus*, pro *dubitas*: miscuit personam suam (per figuram quæ dicitur *communicatio*). Est autem sensus: Quum tibi sit tanta præparata posteritas, dubitas *virtutem factis extendere?* id est gloriam; nam e virtute gloria nascitur. » *S.* Sic græco ἀρετή et singularum virtutum aut vitiorum nominibus simpliciter positis nonnunquam exprimitur laus aut crimen inde redundans. — 81 Bene observat Peerlkampius, « Romano, ista legenti, in memoriam venire potuisse tempora, quibus de Italia relinquenda actum fuit. Metellum et alios in bello Punico secundo P. Corn. Scipio retinuit. C. Julium Cæsarem fama percrebuit, migraturum Alexandriam vel Ilium translatis simul opibus imperii. Ipsum Augustum fortasse idem aliquando esse meditatum, eoque consilio Horatium scripsisse oden III libri III, ut dehortaretur, nonnulli putant. » — 82 Numæ. « Ilic canus fuit a prima ætate, ad quod alludit poeta. » *S. Primam fundabit legibus*, primum constituet firmabitque legibus positis. — 83 Sabinorum oppidum, unde ducitur nomen *Quiritium*. — 84 Confer I, 722, n. 46. *Tullus* Hostilius. — 85 De quo Pomponius Sabinus hæc attulit, ex scriptore hodie perdito hausta: « Ancus Marcius, vivente Tullo, ægre ferebat, quum e stirpe regia se *jactaret* [erat enim Numæ nepos], prælatum sibi Tullum [nepotem Hosti Hostilii, ducis strenuissimi]. Itaque statuerat, *favore populari*, Tullum regem cum tota familia occidere. » Is igitur jam in Elysio conspiciebatur popularis auræ appetentior. Sed in tanto silentio scriptorum omnium de tali ingenio Anci Marcii, tot autem disertis testimoniis de populari animo Servii Tullii, quem Tarquinius in senatu appellavit *fautorem infimi generis hominum*, vix credi potest sequentia non esse dicta de *Servio Tullio*. Aut exciderunt quædam, aut mutatum initium versûs contra mentem poetæ: quod optime ostendit Peerlkampius p. 444-5, qui *jactantior* cepit de tanto ædificandi studio, ut a Floro vocaretur *ædificator*. — 86 In bonam partem dictum: excelsam. — 87 Captos ut rem debitam [quod inest in particula *re*]; imperium a regibus jure translatum ad consules. — 88 Ut capitalis pœnæ potestatem indicantes, non « quia sævierunt in liberos », ut Servius. — 89 Quamcumque in partem hoc factum interpretabuntur posteri, laudent an damnent ejectam animo pietatem, plus apud Brutum valebit patriæ amor et *laudum* (veræ gloriæ) maxima cupido quam caritas liberorum. Ita *eruit patrem, ut consulem ageret*, verbis Valerii Maximi. — 90 Patrem et filium, qui se pro patria devoverunt, alter bello Latino, alter bello Gallico vel Etrusco. Quibus Cicero addit

nepotem, « qui se e continenti genere *tertiam* victimam præbuit rei publicæ. » *de Finibus* II, c. 19, § 61; *Tusc.* I, c. 37, § 89. Inter *Drusos*, qui ob Liviam Augusti uxorem ex illa gente memorari videntur in tot gentibus illustrioribus, eminebat M. Livius Salinator, victor Hasdrubalis. — 91 Est Titus ille Manlius Torquatus Imperiosus, qui victorem filium supplicio capitali affecit; v. Liv. VIII, 7. *Camillus* retulit, recepit ab Gallis victis signa militaria, quæ illi Romanis eripuerant in famosissima pugna Alliensi; vide Liv. V, 49. — 92 Pompeius Magnus et Julius Cæsar, qui et socer Pompeii. *Fulgo, is*, antique pro *fulgeo, es*. — 93 Quando; vide V, 64, n. 30. — 94 Montibus Alpium; ex Gallia Transalpina veniens. *Arx Monœci*, promontorium Liguriæ cum portu et templo Herculis Monœci, hodieque *Monaco*. Jam vero Cæsarem constat *opposita* Italiæ parte ex Alpibus descendisse, Ariminique transivisse Rubiconem, nullatenus autem attigisse occidentale litus Italiæ. Quare videtur poeta, in divo Julio, Herculis memoriam excitare voluisse legentibus hac Alpini loci mentione, ubi geographi diligentiam nemo erat requisiturus. — 95 Adversis copiis in Oriente collectis, *ruribus Orientis*, ut Antonius VIII, 687. — 96 *Adsuesco* cum accusativo, dativi loco, nec a prosa alienum. « Mire *id est* egregie, dictum. Ab illis enim quasi consuetudinem fecit populus Romanus bellorum civilium. Septies *al.* octies enim gesta sunt. » *Serv.*, deinde singula recensens. — 97 Apostrophe admirabilis. « Cæsari dicit, quem clementem circa Pompeianos legimus; cui vult tunc hoc esse mandatum. » *Serv.* — 98 Lucius Mummius, inde nactus cognomen Achaici. De passivo *triumphata* vide p. 94, n. 30. — 99 Minus certum quis hic sit intelligendus. *Æacides* quidem de Macedoniæ rege capi debet; nam ob Olympiadem, Alexandri M. matrem, Epiri regis Neoptolemi filiam, hi reges maternam stirpem ducebant ab Achille Æacida. Jam ultimum Macedoniæ regem, Perseum, devicit Lucius Æmilius Paullus, in hoc Achillis nepote explens ultionem Trojanorum, etiam Epirum, Neoptolemi seu Pyrrhi olim regnum, ferociter depopulatus. Sed idem Æmilius dici non potest *eruisse Argos et Mycenas* sive Græciæ potentiam destruxisse, quod Mummio potius tribuendum erat. Hinc apparet poetam aut non absolutum reliquisse hunc locum, aut statuisse una cum Macedoniæ casu fractas esse vires totius Græciæ, quæ quidem, stante regno illo, haud dubie fuisset rebellatura. — 1 *Avos Trojæ* ambiguum et prorsus inconcinne dictum, vix est virgilianum. Quod et veteres grammatici senserunt, jungentes *Troiæ* (pro: Trojanæ *Minervæ*. *Temerata* a Græcis et Palladium rapientibus et turpem vim inferendo sacerdoti; v. II, 165 seqq., 403 seqq. — 2 Censorium dicit; nam Uticensem, præsente Augusto, contra quem pater ejus et dimicavit et Anticatones scripsit, laudare non poterat. *Cosse*: Aulus Cornelius Cossus, tribunus militaris consulari potestate, qui regem Tuscorum, Lartem Tolumnium, occidit, et secunda post Romulum opima spolia reportavit. » *S.* Vide Livium IV, c. 16, 20. — 3 Tib. Sempronium Gracchum, bis consulem bello Punico secundo; ejus nepotem cognominem, item bis consulem, victorem Celtiberorum, patrem duorum Gracchorum hodie celebriorum, quos sine tali patre et abavo tali poeta in hoc recensu haud dubie non commemorasset.

Aspice Torquatum [91], et referentem signa Camillum.
Illæ autem, paribus quas fulgere cernis in armis,
Concordes animæ [92] nunc et dum nocte premuntur,
Heu! quantum inter se bellum, si [93] lumina vitæ
Attigerint, quantas acies stragemque ciebunt!
Aggeribus [94] socer Alpinis atque arce Monœci
Descendens, gener adversis instructus Eois [95],
Ne, pueri, ne tanta animis adsuescite [96] bella;
Neu patriæ validas in viscera vertite vires!
Tuque prior [97], tu parce, genus qui ducis Olympo;
Projice tela manu, sanguis meus!
Ille [98] triumphata Capitolia ad alta Corintho
Victor aget currum, cæsis insignis Achivis.
Eruet ille [99] Argos Agamemnoniaspue Mycenas,
Ipsumque Æaciden, genus armipotentis Achilli,
Ultus avos Trojæ [1], templa et temerata Minervæ.
Quis te, magne Cato [2], tacitum, aut te, Cosse relinquat?
Quis Gracchi genus [3]? aut geminos, duo fulmina belli,

Scipiadas[4], cladem Libyæ? parvoque potentem[5]
Fabricium? vel te sulco, Serrane[6], serentem?
Quo[7] fessum rapitis, Fabii? Tu Maximus ille es,
Unus[8] qui nobis cunctando restituis rem.
Excudent alii[9] spirantia mollius æra,
Credo equidem; vivos ducent[10] de marmore vultus;
Orabunt causas[11] melius, cœlique meatus
Describent radio[12] et surgentia sidera dicent:
Tu regere imperio populos, Romane, memento;
Hæ tibi erunt artes, pacisque imponere morē[13],
Parcere subjectis, et debellare superbos[14]. »

Sic pater Anchises, atque hæc mirantibus addit:
« Aspice ut insignis spoliis Marcellus[15] opimis
Ingreditur, victorque viros supereminet omnes!
Hic rem Romanam, magno turbante tumultu[16],
Sistet eques, sternet Pœnos[17] Gallumque rebellem,
Tertiaque arma patri suspendet capta Quirino[18]. »

Atque hic Æneas (una namque ire videbat
Egregium forma juvenem[19] et fulgentibus armis;
Sed frons læta parum, et dejecto lumina vultu):
« Quis, pater, ille, virū qui sic[20] comitatur euntē?
Filius, anne aliquis magna de stirpe nepotum?

4 Scipiones, Africanum majorem et minorem. Vide p. 78, n. 36. — 5 *Potens* non raro, præsertim apud scenicos poetas, significat: dives, opulentus. — 6 Est Caius Attilius Regulus Serranus, quem qui missi fuerant ad deferendam ei dictaturam, « sua manu spargentem semen convenerunt, » ut dixit Cicero. Et Plinius in *Hist. Nat.* XVIII, 4: *Serentem*, ait, *invenerunt dati honores Serranum, unde cognomen.* — 7 *Quo*, in quantam rerum copiam? Quippe quæ gens una tot viros fortes protulit, ut sola

se exercitui Vejentium opponeret, *unius familiæ viribus Vejenti populo pestem minitans*. Liv. II, 48, 49. — 8 Nobilis versus Ennii; vide Cic. *de Offic.* I, c. 24. — 9 *Alii*: dicit Græcos, quos Romanis futuros esse superiores credit arte plastica, eloquentia et astronomia. *Spirantia æra*, de signis æneis tam affabre factis, ut vivere et spirare videantur. Conf. *Georg.* III, 34, n. 31.) Ea autem artis perfectio exprimitur voce *mollis*, quia jam « mobilis », ad tactum cedens et flexibilis, sicut vivum corpus, apparet materia rigida. — 10 *Ducere* et gr. ἐλκύειν proprie dicebantur de metallis malleo *ducendis*, id est extendendis et temandis, quibus laminis a vetustissimis artificibus signa conficiebantur; deinde hæc verba translata sunt ad omne genus *plastices*, etiam fusile et sculptile. — 11 Narrabunt *causas*, ut *philosophia* intelligatur, malit Peerlkampius, cujus digna cognitu nota p. 447-8. — 12 Vide not. 41 Eclogæ III. — 13 Id quod Livius dixit *aliis modum belli et pacis facere* (IX, c. 14). — 14 Talem animum usque voluisse ostendere Romanos, historiæ eorum clamant, eumque Augusto tribuit Horatius (in *Carm. Sæc.*): *bellante prior, jacentem Lenis in hostem.* — 15 Marcum Claudium Marcellum, qui, post Romulum et Cossum, tertia spolia opima reportavit a Viridomaro, duce Gallorum Insubrium, a. U. 532, ad Clastidium. — 16 *Tumultus* dicitur bellum subitum, quod celeriter depellendum est: quales erant incursiones Gallorum subitæ. « *Sistet*, confirmabit, corroborabit. » *S. Eques*, nam equitatu multo, peditibus paucis in illo prœlio utebatur. — 17 Primus Romanorum Marcellus de Hannibale victoriam retulit, ad Nolam, a. U. 538. — 18 « Secundum legem Numæ, qui præcepit prima opima spolia Jovi Feretrio debere suspendi, quod jam Romulus fecerat; secunda Marti, quod Cossus fecit; tertia Quirino, quod fecit Marcellus. » *Serv.* Eadem ex Commentariis Numæ memorat Plutarchus, *Marc.* c. 8, quamquam cum aliis referens, *tria* spolia opima fuisse dedicata in templo Jovis Feretrii. — 19 Marcum Marcellum, filium Octaviæ, sororis Augusti, ab Augusto adoptatum, ipsique et populo gratissimum ob eximiam morum jucunditatem. « Ille sexto decimo anno incidit in valetudinem, et periit octavo decimo in Baiano, quum ædilitatem gereret. Hujus mortem vehementer civitas doluit. Cum ingenti pompa est relatus, et in campo Martio sepultus. Huic ergo poeta quasi epitaphion dicit. Et constat, hunc librum tanta pronuntiatione Augusto et Octaviæ esse recitatum, ut fletu nimio imperarent silentium, nisi Virgilius finem esse dixisset. » *Serv.* — 20 *Sic*, vultu adeo tristi.

Quis strepitus circa comitum ! quantùm[21] instar in
Sed nox atra caput tristi circumvolat umbra. » [ipso !
Tum pater Anchises lacrimis ingressus[22] obortis :
« O gnate, ingentem luctum ne quære tuorum ;
Ostendent terris hunc tantum fata, neque ultra
Esse sinent. Nimium vobis Romana propago
Visa[23] potens, Superi, propria hæc si dona fuissent.
Quantos ille virûm magnam Mavortis ad urbem
Campus aget gemitus ! vel quæ, Tiberine[24], videbis
Funera, quum tumulum præterlabere recentem !
Nec puer Iliaca quisquam de gente Latinos
In tantum spe[25] tollet avos ; nec Romula quondam
Ullo se tantum tellus jactabit alumno.
Heu pietas ! heu prisca fides, invictaque bello
Dextera ! non illi se quisquam impune tulisset
Obvius[26] armato, seu quum pedes iret in hostem,
Seu spumantis equi foderet calcaribus armos[27].
Heu, miserande puer, si[28] qua fata aspera rumpas !
Tu Marcellus[29] eris. Manibus date lilia plenis,
Purpureos spargam[30] flores, animamque nepotis
His saltem accumulem[31] donis, et fungar inani
Munere. » Sic tota passim regione vagantur
Aeris[32] in campis latis, atque omnia lustrant.
Quæ postquam Anchises natum per singula duxit,
Incenditque animum famæ venientis amore,
Exin bella viro memorat quæ deinde gerenda,
Laurentesque[33] docet populos, urbemque Latini,
Et quo quemque modo fugiatque feratque laborem.
Sunt geminæ Somni portæ[34], quarum altera fertur

21 Quantorum; ipse pro quam multis est ! ut infra VII, 707 : *Agmen agens Clausus, magnique ipse agminis instar.* — 22 Incepit; vide IV, 107, n. 58. — 23 *Visa* esset. « Invidistis et gloriæ Romanæ et vestris muneribus. » *S. Propria*, v. 1, 73, n. 49. — 24 *Tiberine* pater, ut *Georg.* IV, 369. *Quæ funera*, ob ingentem apparatum ; nam « ad funeris hujusce honorem Augustus sexcentos lectos intrare civitatem jussit ; hoc enim apud majores gloriosum fuerat. Nam Sylla sex *alii* quinque milia habuit. » *S.* — 25 Spe de sese conceptâ adeo tollet, in tantam de se spem tollet animos Romanorum. « Et rhetorice spem laudat in puero, quia facta non invenit. Est autem Ciceronis in dialogo : *Fauni causa difficilis, laudare puerum. Non enim res laudanda, sed spes est.* » *Serv.* Tellus *Romula*, v. p. 273, n. 63. — 26 Pro vulgari *obvium*, ut p. 166, not. 77. — 27 *Armos* latiore sensu de lateribus equi, quæ incipiunt ab armis ; nam ipsi armi non possunt calcaribus fodi. — 28 Præcedentibus vix digna sententia talis : Si dura fata rumpere possis et ad virilitatem pervenire, tu eris *Marcellus*, « talis qualis est Marcellus, ille vir amplissimus superius dictus. » *S.* Quare melius particula *si* optantis esse statuitur : Utinam tibi liceat aliqua ratione effugere hanc duritiem fati ! — 29 Hic primum poeta nomen juvenis ponit. Quo nomine solo magna spes, maximus dolor populi et Augusti in animis æqualium ita reviviscebat, ut Virgilius nihil de illis addendum censeret, sed Anchisen ipsum faceret funebres ei honores commoto animo præstantem. Nulla igitur hic lacuna, quod statuebat Peerlkamp., cetera bene disscrens p. 452. — 30 Pro : ut spargam. Similis locus IV, 683, n. 2. Lilia *rubentia*, quæ Græci vocant κρίνα, aliaque *purpurea* memorat Plinius *Hist. Nat.* XXI, 11 et 12. — 31 Pro consueto *cumulem*. Munere *inani*, nihil profuturo, ut in eadem re XI, 52, *vano honore*. *Sic*, his dictis, deinde. — 32 *Aer* homerico usu positum de plena nebulis et tenebricosa *atmosphæra* ut loquimur : in campis caliginis, caliginosis. Talia sane habentur loca infera, sed quum heroes non egrediantur Elysium *æthere et lumine purpureo vestitum* (640), et hic et supra v. 827, n. 92, poetam « dormitasse » apparet. — 33 Nimirum bella gerenda cum Laurentinis populis, Tiberim accolentibus. — 34 Quum emittendus esset Æneas e locis inferis porta alia quam qua intraverat.

Cornea, qua veris facilis datur exitus Umbris;
Altera candenti perfecta nitens elephanto[35],
Sed falsa ad cœlum mittunt insomnia Manes[36].
His ubi tum natum Anchises unaque Sibyllam
Prosequitur dictis, portaque emittit eburnâ,
Ille viam secat ad naves, sociosque revisit;
Tum se ad Caietæ recto fert litore[37] portum.
Ancora de prora jacitur; stant litore puppes.

aptissime poeta Somni illis portis duabus utitur, per quas quidem Somnia prodire credebantur. Eaque in Orci vestibulo sedem habere vidimus supra v. 282 seqq. De geminis autem portis jam Homerus cecinerat, *Odyss.* T, 562-7, ex eoque refert Ovidius, *Metamorph.* XI, 623-8. *Umbris*, Somniis. — 35 Ebore. — 36 Sic etiam Tibullus II, eleg. 6, 37: *Ne tibi neglecti mittant mala somnia Manes.* Sequens *his dictis* non habet in præcedentibus quo referatur, atque adeo tota narratio de reditu Æneæ ita properata est, ut poetam hæc retractaturum fuisse appareat. — 37 *Recto litore*, rectâ secundum litus viâ. Eodem modo dictum VIII, 57: *Ego te ripis et recto flumine ducam.* De Caieta videndum initium libri sequentis.

LIBER VII

Tu quoque[1] litoribus nostris, Æneïa nutrix,
Æternam moriens famam, Caieta, dedisti :
Et nunc servat honos sedem tuus[2], ossaque[3] nomen
Hesperia in magna, si qua est ea gloria[4], signat.
At pius exsequiis[5] Æneas rite solutis,
Aggere composito tumuli, postquam alta quierunt
Æquora, tendit iter velis[6], portumque relinquit.
Aspirant auræ in noctem, nec candida cursus
Luna negat, splendet tremulo sub lumine pontus.
Proxima Circææ[7] raduntur litora terræ,
Dives inaccessos[8] ubi Solis filia lucos
Assiduo resonat[9] cantu, tectisque superbis
Urit odoratam[10] nocturna in lumina cedrum,
Arguto[11] tenues percurrens pectine telas.
Hinc exaudiri gemitus iræque leonum
Vincla recusantum et sera sub nocte rudentum,
Setigerique sues, atque in præsepibus[12] ursi
Sævire, ac formæ magnorum ululare luporum ;
Quos hominum ex facie dea sæva potentibus herbis
Induerat Circe in vultus ac terga ferarum.

1 • *Tu quoque*, sicuti Misenus, et Palinurus etiam. • *S.* — 2 Nomen honoris tui causa datum Caietæ et urbi et promontorio, *servat sedem*, permanet ei loco ubi es sepulta. — 3 *Nomen* tuum loco datum *signat ossa*, tanquam titulus sepulchri indicat ubi ossa tua requiescant. — 4 Litotes, pro : quæ est magna gloria. — 5 *Exsequiis*, intellige Miseni, de quibus VI, 212-235. — 6 Velificatione. — 7 Terra Circææ, id est Circeii, promontorium extremi Latii, h. *monte Circello* : • qui mons antehac insula fuit ; paludibus enim a continenti segregabatur, quas fluminum limus aggestus exclusit. • *S.* Ea sedes famosæ Circes, filiæ Solis. — 8 Inaccessibiles (quod non dicunt Latini, neque • invincibilis •, sed *invictus*). — 9 • Resonare facit. • *S.* — 10 • Odoriferam. Et hoc ideo, quia usus olei apud majores non fuit, præcipue in Italia. • *S.* — 11 Stridulo, sonanti ; ut *ilex arguta* Ecl. VII, 1. De re confer p. 122, not. 86. Sequuntur infinitivi, quibus narrantur res quæ non tenore ullo aut ordine succedendi, sed carptim fiunt. — 12 Stabulis, • cavéis ubi aluntur. • *S.* Item infra v. 275.

Quæ ne monstra pii paterentur talia[13] Troes
Delati in portus, neu litora dira subirent,
Neptunus ventis implevit vela secundis,
Atque fugam dedit, et præter vada fervida[14] vexit.
Jamque rubescebat radiis mare, et æthere ab alto
Aurora in roseis fulgebat lutea[15] bigis,
Quum venti posuere[16], omnisque repente resedit
Flatus, et in lento luctantur marmore[17] tonsæ.
Atque hic Æneas ingentem ex æquore lucum[18]
Prospicit: hunc inter fluvio Tiberinus amœno,
Verticibus[19] rapidis, et multa flavus arena,
In mare prorumpit: variæ circumque supraque
Assuetæ ripis volucres et fluminis alveo
Æthera mulcebant cantu, lucoque volabant.
Flectere iter sociis terræque advertere proras
Imperat, et lætus fluvio succedit opaco.

Nunc age, qui reges, Erato[20], quæ tempora rerŭ,
Quis Latio antiquo fuerit status, advena classem
Quum primum Ausoniis exercitus appulit oris,
Expediam, et primæ revocabo[21] exordia pugnæ:
Tu vatem, tu, Diva, mone. Dicam horrida bella,
Dicam acies, actosque animis in funera[22] reges,
Tyrrhenamque manum, totamque sub arma coactam
Hesperiam. Major rerum mihi nascitur ordo;
Majus opus moveo. Rex arva Latinus et urbes
Jam senior longa placidas in pace regebat.
Hunc Fauno et nympha genitum Laurente Marica[23]
Accipimus; Fauno Picus pater; isque parentem
Te, Saturne, refert; tu sanguinis ultimus auctor.
Filius huic, fato divŭm, prolesque virilis
Nulla fuit, primaque[24] oriens erepta juventa est.
Sola domum et tantas servabat filia[25] sedes,
Jam matura viro, jam plenis nubilis annis.
Multi illam magno e Latio totaque petebant
Ausonia; petit ante alios pulcherrimus omnes
Turnus[26], avis atavisque potens, quem regia conjux

13 Ne ejusmodi in monstra conversionem subirent. — 14 Mare æstuosum, quale esse solet circa promontoria. — 15 Sive *crocea*, homericum ροδοδάκτυλος. — 16 Intransitive et hic et X, 103: *posuerunt* se, quieverunt. — 17 Æquore; vide p. 62, n. 51. *Tonsæ*, poetica vox: remi. — 18 • *Lucum*, in quo erat numen fluminis. Non umquam enim sine religione *lucus* a Virgilio ponitur. *Hunc inter*, per hunc. • *S* — 19 Verticibus. *Flavus*, sollemne epitheton Tiberis. — 20 Erato Musam poeta invocat Apollonium Rhodium secutus, qui *Argonauticorum* librum tertium similiter orditur: nam ut Medeæ amor Iasonis expeditioni successum attulit, ita Æneæ nuptiæ cum filia regis indigenæ Trojanorum fatis suum dederunt exitum. *Quæ tempora rerum*, quæ illo tempore rerum conditio. — 21 In prosa: repetam. — 22 Cædes. Mox *totam Hesperiam* hyperbolice dixit, ut Servius quoque admonuit. In Latio enim et Etruriæ parte bellum illud continebatur. — 23 • Est *Marica* dea litoris Minturnensium juxta Lirim fluvium. Dicunt alii Venerem intelligi debere, cujus fuit sacellum juxta Maricam. Sane Hesiodus Latinum Circes et Ulyssis filium dicit; quod et Virgilius tangit dicendo, *Solis avi specimen* (XII, 161). • *Serv.* Laurentem sive Laurentinum agrum Liberis alluebat, sed poeta eodem nonnumquam nomine de toto Latio utitur. De *Pico* vide Ovid. *Metamorph.* XIV, 320 seqq. — 24 Solutius adjectum pro: quippe quæ in prima juventa erepta est ei. Aliter: historia • apud Servium: • Amata (uxor Latini) duos filios, voluntate patris Æneæ spondentes sororem, factione interemit. • — 25 Lavinia nomine. *Servabat*, ut heres futura. *Sedes*, possessiones et regnum. — 26 Rutulorum rex, ex regio genere antiquo, Dauni et Veniliæ nymphæ filius, Juturnæ nymphæ fra-

Adjungi generum miro properabat[27] amore ;
Sed variis portenta deûm terroribus obstant.
Laurus erat tecti medio in penetralibus[28] altis,
Sacra comam[29], multosque metu servata per annos :
Quam pater inventam, primas quũ[30] conderet ar-
Ipse ferebatur Phœbo sacrasse Latinus, [ces,
Laurentesque ab ea nomen posuisse colonis.
Hujus apes summum densæ (mirabile dictu !),
Stridore ingenti liquidum trans æthera vectæ,
Obsedere apicem, et, pedibus per mutua[31] nexis,
Examen subitum ramo frondente pependit[32].
Continuo vates, « Externum cernimus, inquit,
Adventare virum, et partes petere agmen easdem[33]
Partibus ex isdem, et summa dominarier arce. »
Præterea, castis[34] adolet dum altaria tædis,
Et juxta genitorem adstat Lavinia virgo,
Visa (nefas !) longis comprendere[35] crinibus ignem,
Atque omnem ornatum flamma crepitante cremari.
Regalesque accensa comas, accensa coronam
Insignem gemmis ; tum fumida lumine fulvo
Involvî, ac totis Vulcanum[36] spargere tectis.
Id vero horrendum ac visu mirabile ferri :
Namque fore illustrem fama fatisque canebant
Ipsam, sed populo magnum portendere bellum.
At rex, sollicitus monstris, oracula Fauni,
Fatidici genitoris, adit, lucosque sub alta[37],
Consulit Albunea, nemorum quæ maxima sacro
Fonte sonat, sævamque exhalat opaca mephitim[38].
Hinc Italæ gentes omnisque OEnotria[39] tellus
In dubiis responsa petunt : huc dona sacerdos
Quum tulit, et cæsarum ovium sub nocte silenti
Pellibus incubuit[40] stratis somnosque petivit,
Multa modis simulacra videt volitantia miris,
Et varias audit voces, fruiturque deorum
Colloquio, atque imis Acheronta[41] affatur Avernis.
Hic et tum pater ipse petens responsa Latinus
Centum[42] lanigeras mactabat rite bidentes,
Atque harum effultus tergo stratisque jacebat
Velleribus : subita ex alto vox reddita luco est :

ter. *Conjux* regis Latini, Amata. — 27 Valde studebat. — 28 • *Penetrale* est omnis interior pars domus, licet sit intecta. • *S.* Cogitandum *impluvium* quod vocabant Romani, arboribus fere consitum : vide p. 170, n. 32 ; et IV, 494, 501 : *tecto interiore* et *penetrali sede sub auras*. — 29 Intactis frondibus. *Metu*, religione. — 30 Prosaice est : quum primum condoret, • circa laurum videlicet : nam jam civitas fuerat. • *S.* — 31 Invicem. — 32 *Examen* ab *ramo pependit*, uvæ formam effingens, de qua *Georg.* IV, 558, n. 94. Jam • uva ab apibus facta (inquit Plinius) dirum ostentum existimatur. • — 33 Scilicet urbem Latini. *Ex iisdem partibus*, unde venerant apes, ut apparet, a mari. — 34 Puris, ut in sacro faciendo. *Adolet*, v. not. 58 Eclogæ VIII. — 35 Concipere. *Ornatum*, videlicet capitis, ex præcedenti *crinibus*. — 36 Ignem. — 37 • *Alta*, quia est in Tiburtinis altissimis montibus. • *S. Albunea* est silva cum fonte aquæ sulfureæ, hodie *Acque Albule*. Cui silvæ subjacebat Fauno sacer lucus. Observa autem poetam variasse vulgare • adit lucos et oracula consulit », et potuisse, quia sacer locus cogitatur plenus numine. — 38 • *Mephitis* proprie est terræ putor, qui de aquis nascitur sulfuratis, gravior in nemoribus ex densitate silvarum. Est etiam *Mephitis* dea odoris gravissimi. • *S.* — 39 Vide I, 532, n. 64. — 40 Divinationis genus quod dicitur *incubatio*, græce ἐγκοίμησις. — 41 Deos inferos et Manes. *Averno*, vide p. 127, n. 68. — 42 De hoc numero *sacro* jam aliquoties admonuimus.

« Ne pete connubiis natam sociare Latinis,
O mea progenies, thalamis neu crede paratis[43] :
Externi veniunt generi, qui sanguine[44] nostrum
Nomen in astra ferant, quorumque ab stirpe[45] nepotes
Omnia sub pedibus, qua Sol utrumque recurrens
Aspicit Oceanum, vertique[46] regique videbunt. »
Hæc responsa patris Fauni monitusque silenti
Nocte datos non ipse suo premit ore[47] Latinus;
Sed circum late volitans jam Fama per urbes
Ausonias tulerat, quum Laomedontia pubes[48]
Gramineo ripæ religavit ab aggere classem.

Æneas, primique duces, et pulcher Iulus
Corpora sub ramis deponunt arboris altæ,
Instituuntque dapes, et adorea[49] liba per herbam
Subjiciunt epulis (sic Jupiter ille[50] monebat),
Et Cereale solum[51] pomis agrestibus augent.
Consumptis hic forte aliis, ut vertere morsus
Exiguam in Cererem[52] penuria adegit edendi,
Et violare manu malisque audacibus[53] orbem
Fatalis crusti, patulis nec parcere quadris :
« Heus! etiam mensas consumimus! » inquit Iulus;
Nec plura alludens[54]. Ea vox audita laborum
Prima tulit[55] finem, primamque loquentis ab ore
Eripuit pater, ac stupefactus numine[56] pressit.
Continuo, « Salve fatis mihi debita Tellus,
Vosque, ait, o fidi[57] Trojæ salvete Penates!
Hic domus, hæc patria est. Genitor mihi talia namque
(Nunc repeto[58]) Anchises fatorum arcana reliquit :
« Quum te, nate, fames ignota ad litora vectum
« Accisis[59] coget dapibus consumere mensas,
« Tum sperare domos defessus, ibique memento
« Prima locare manu molirique aggere tecta[60].

43 *Paratis* ab Amata cum Turno, ut innuitur supra v. 56. Sed melius intelliguntur nuptiæ *parabiles*, quæ in promptu sunt et facile junguntur, cum Italo et vicino aliquo principe. — 44 Genere suo per connubium misto cum nostro. — 45 Et qui ab horum stirpe nascentur nepotes. *Sub pedibus*, sub imperio suo atque potestate. Imago sumpta a victoribus, qui finguntur pedem imponentes in cervicibus victi. Consequitur periphrasis terræ universæ. *Sol recurrens*, quotidianum iter faciens ortu et occasu. — 46 *Verti* in aliqua re dicuntur ea quæ pendent ex illa re vel in ea nituntur, sicut janua *vertitur* in cardine. Novavit autem poeta *sub pedibus verti* dicens, feliciter, si quid video. — 47 « Ut quidem repelleret generos. »

Serv. Sed multo magis quam Latinus *Fama tulerat* etc. — 48 Trojani. Religare *ab* ripa dicitur, non *in* ripa, quia protensi *ab* vel *ex* ripa funes nautici naves retinent; unde *retinacula* dicta. — 49 « *Ador* proprie est genus farris; *liba* autem sunt placentæ de farre, melle et oleo. » *S.* — 50 *Jupiter ille* sive illud Jovis oraculum, quod Harpyia edidit Æneæ, libro III, 250 seqq. — 51 « *Solum* omne dicitur quod aliquid sustinet. Sic nunc paniceas mensas, ut epularum sustentaculum, *solum* vocavit. » *S. Augent*, cumulant, onerant. — 52 Placentas. Penuria *edendi*, edendorum, cibi. — 53 Bene observat Wagnerus, *violare* et *audax* spectare ad pollutionem cærimoniarum, mensasque videri sacras esse a veteribus habitas. *Fatalis*, ut oraculo monstrati. *Patulis*, latis. — 54 Ludens, jocans ad socios. — 55 Attulit, nuntiavit. *Primum*, ut primum exiit ex ejus ore, statim *eripuit*, celeriter excepit. — 56 *Numine* quod inesse sensit ei voci, ut numinis alicujus instinctu editæ ab Ascanio. Eam *pressit* animo, in animum demisit et intus mente volutavit. — 57 *Fidi* : nam servant fidem promissorum in somnis Æneæ, supra III, 147 seqq. — 58 *Repeto* animo, memini. Supra quidem hæc prædicta ab Harpyia, III, 255, confirmataque ab Heleno, III, 394 : nihil de Anchise; de qua re varie potest statui, ut hic quidem non censendus sit poeta « dormitavisse. » — — 59 Ad nimis pauca redactis. — 60 Domos, urbem ducto vallo ædificare.

Hæc erat illa fames; hæc nos suprema manebat,
Exitiis[61] positura modum.
Quare agite et primo læti cum lumine solis,
Quæ loca quive habeant homines, ubi mœnia gentis,
Vestigemus, et a portu diversa petamus.
Nunc pateras[62] libate Jovi, precibusque vocate
Anchisen genitorem, et vina reponite mensis. »
Sic deinde[63] effatus frondenti tempora ramo
Implicat, et Geniumque loci[64] primamque deorum
Tellurem, Nymphasque, et adhuc ignota precatur
Flumina, tum Noctem, Noctisque orientia signa,
Idæumque Jovem, Phrygiamque ex ordine[65] Matrem
Invocat, et duplices Cœloque Ereboque parentes[66].
Hic pater omnipotens ter cœlo clarus[67] ab alto
Intonuit, radiisque ardentem lucis et auro[68]
Ipse manu quatiens ostendit ab æthere nubem.
Diditur hic subito Trojana per agmina rumor,
Advenisse diem quo debita[69] mœnia condant.
Certatim instaurant epulas, atque omine magno
Crateras læti statuunt, et vina coronant[70].

Postera quum prima lustrabat lampade terras
Orta dies, urbem et fines et litora gentis
Diversi explorant; hæc fontis stagna Numici[71],
Hunc Thybrim fluviū, hic fortes habitare[72] Latinos.
Tum satus Anchisa delectos ordine ab omni[73]
Centum oratores augusta ad mœnia regis
Ire jubet, ramis velatos Palladis[74] omnes,
Donaque ferre viro, pacemque exposcere Teucris.
Haud mora; festinant jussi, rapidisque feruntur
Passibus. Ipse humili designat mœnia fossâ[75],
Moliturque locum, primasque[76] in litore sedes,
Castrorum in morem, pinnis atque aggere cingit.

Jamque, iter emensi, turres ac tecta Latinorum
Ardua cernebant juvenes, muroque subibant.
Ante urbem pueri et primævo flore juventus

61 Ærumnis gravissimis. — 62 *Pateras* vini, vinum e pateris. *Reponite*, iterum ponite, in secundis mensis; vide p. 124, n. 11. — 63 Vide V, 14, n. 7. — 64 Vide V, 95, n. 40. Sed Servius : « Apollinem vult intelligi. In tutela enim ejus tota fuerat regio Laurentia, ut supra (v. 62) significatum. » — 65 Deinceps. De Cybele III, 111, n. 56. — 66 Et Venerem et Anchisen. — 67 Serenus, id est cœlo sereno. — 68 Nubem illustratam radiis solis aureis sive auri colore micantibus. Sic plerique; sed intelligendum videtur fulmen illustrans nubem lumine placido, quale est solis, non *rubenti*, ut apud Horatium I, oda 2. — 69 *Debita* fatis, ut est v. 120. — 70 Vide I, 724, n. 48. — 71 « Verum est quod dicit *stagna*. Nam Numicus ingens ante fluvius fuit; postea, paullatim decrescens, in fontem redactus est, qui et ipse siccatus est, scatebris interceptis. » *Serv.* Esse videtur quod hodie vocant *Stagno di Levante*, haud procul ab antiquo et exsiccato Tiberis alveo (nunc *Fiume Morto*) situm, ex quo etiamnum prodit fluvius sive rivus, qui a multis existimatur esse ipse ille Numicus vel Numicius Virgilii. — 72 *Habitare*, supple : rescisceunt, utpote consequens præcedentis verbi *explorant*. — 73 « Delectos ex omni qualitate dignitatum : quod apud Romanos in legatione mittenda hodieque servatur. » *S.* — 74 Ramis olivæ; vide p. 78, n. 45; p. 86, n. 24. *Velatos*, quia vittæ vel infulæ dependebant ex illis ramis supplicum atque manus tegebant; v. infra 237. — 75 Sulco aratri; vide V, 755, not. 13. Locum *molitur*, scilicet ædificia ibi exstruendo. — 76 Sedes *primæ* poetice dicuntur quas tum *cæpit* condere; neque audiendus Servius : « ideo *primas*, quia imperium Lavinium translaturus est »; sed recte addens : « Sciendum, civitatem quam primo fecit Æneas, Trojam dictam esse secundum Catonem et Livium : quod et ipse dicit (IX, 644) : *Nec te Troja capit.* »

Exercentur equis, domitantque in pulvere currus[77],
Aut acres[78] tendunt arcus, aut lenta lacertis
Spicula contorquent, cursuque ictuque lacessunt :
Quum prævectus equo longævi regis ad aures
Nuntius ingentes[79] ignota in veste reportat
Advenisse viros. Ille intra tecta vocari
Imperat, et solio medius consedit avito.
Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis,
Urbe fuit summa[80], Laurentis regia Pici,
Horrendum silvis et religione parentum.
Hic sceptra accipere et primos attollere fasces
Regibus omen[81] erat : hoc illis curia templum,
Hæc sacris sedes epulis ; hic, ariete cæso[82],
Perpetuis soliti patres considere mensis.
Quin etiam veterum effigies ex ordine avorum
Antiqua e cedro[83], Italusque, paterque Sabinus
Vitisator[84], curvam servans sub imagine falcem,
Saturnusque senex, Janique bifrontis imago
Vestibulo adstabant, aliique ab origine reges[85],
Martiaque ob patriam pugnando vulnera passi.
Multaque præterea sacris in postibus arma,
Captivi pendent currus, curvæque secures[86],
Et cristæ capitum, et portarum ingentia claustra,
Spiculaque, clipeique, ereptaque rostra carinis.
Ipse[87] Quirinali lituo, parvaque sedebat
Succincta trabea, lævaque ancile[88] gerebat
Picus, equûm domitor ; quê capta cupidine conjux[89]

77 Equos jugales sub curribus; ut *Georg.* I, in fine : *neque audit currus habenas.* — 78 *Acres* pueri, pro adverbio : strenue, fortiter. *Lenta*, confecta ex materie lenta, ligno flexili, non rigido. *Lacessunt* est : contendunt et certant. — 79 • Ex stupore nuntii hæc ostenditur Trojanorum. • *S.* — 80 *Fuit* in *summa urbe*, ἐν τῇ ἀκροπόλει, aut homerice ἐν πόλει ἀκροτάτῃ, in arce. *Horrendum*, venerandum, de sacro qui dicitur horrore. — 81 Auspicium ac faustum principium. *Fasces*, qui præferantur novo regi, potestatis insigne, uti postea consulibus. *Templum*, • quia *curia* nisi in augurato loco non erat. • *S.* — 82 • Hoc sacrificium in janua Palatii fiebat festis diebus. Majores autem nostri *sedentes* epulabantur : quem morem habuerunt a Laconibus et Cretensibus, ut Varro docet in libris de gente populi Romani. • *S.* Mensæ *perpetuæ* sunt in longam seriem continuatæ. — 83 Non elisum, suo, ut aliquoties dictum, loco. • Hoc genus ligni tineam nescit, corruptionemque ex antiquitate non sentit. • *S. Italus*, antiquus Œnotrorum rex, qui ex Arcadia venisse, illosque agriculturam et mores molliores docuisse fertur. — 84 Attii poetæ vocabulum de Baccho. *Sabinus* sive *Sabus* habebatur auctor Sabinorum gentis. *Sub imagine*, in basi statuæ. *Falx*, qua vites putantur. Sed et culturam hanc et insigne alii omnes tribuunt *Saturno* : ut nescias utrum priscam nobis eruditionem hic ingerat poeta, an in verbis sit aliquid turbatum. — 85 • Vult *Aboriginum reges* ; sed est metro prohibitus. • *S.* — 86 Arma pastorum Italicorum, quæ hinc aliquoties memorabuntur. *Cristæ*, • galeæ : a parte totum. • *S.* — 87 *Ipse* Picus instructus *lituo* (ablativo quem grammatici vocant qualitatis ; vide p. 197, n. 92). • *Lituus* est incurvum augurum baculum, quo utebantur ad designanda cœli spatia : nam manu non licebat. *Quirinalem* autem ex sua persona dixit poeta : qualem postea Romulus habebat (usus in auspiciis de condenda urbe capiendis). *Trabea* est toga augurum (et regum) de cocco et purpura. • *S.* Notum est, vetustissimos reges simul sacerdotes summos populorum fuisse. — 88 Scutum parvum, oblongum, utroque latere incisum. Ovidio Picus est *utilium bello studiosus equorum*. — 89 Amica ; v. not. 17 Eclogæ VIII. Scande *Aurâ*, ut p. 152, n. 34. Fabulam narrat Ovidius, *Metam.* XIV, 320-396. Servius : • Picum amavit Pomona, dea pomorum, et ejus volentis est sortita conjugium. Postea Circe quum eum amaret, et sperneretur, irata eum in avem picum Martium [*pivert*] convertit : nam altera est (?) pica. Hoc autem fingitur ob picum, per quem futura noscebat augur : quod Pontificales indicant libri. •

Aureâ percussum virga, versumque venenis,
Fecit avem Circe, sparsitque coloribus alas.
Tali intus templo divûm patriaque Latinus
Sede sedens, Teucros ad sese in tecta vocavit;
Atque hæc ingressis placido prior edidit ore:

« Dicite, Dardanidæ (neq; enim nescimus et urbê
Et genus, auditique[90] advertitis æquore cursum),
Quid petitis? quæ causa rates, aut cujus egentes
Litus ad Ausonium tot per vada cærula vexit?
Sive errore viæ, seu tempestatibus acti,
Qualia multa mari nautæ patiuntur in alto,
Fluminis intrastis ripas, portuque sedetis,
Ne fugite hospitium, neve ignorate Latinos,
Saturni gentem, haud vinclo nec legibus[91] æquam,
Sponte sua veterisque dei se more tenentem[92].
Atque equidem memini (fama est obscurior annis)
Aurunco[93] ita ferre senes, his ortus ut agris
Dardanus Idæas Phrygiæ penetrarit ad urbes
Threiciamque Samon, quæ nunc Samothracia fertur.
Hinc illum Corythi[94] Tyrrhena ab sede profectum
Aurea nunc solio stellantis regia cœli
Accipit, et numerum divorum altaribus addit[95]. »

Dixerat; et dicta Ilioneus[96] sic voce secutus:
« Rex, genus egregium Fauni, nec fluctibus actos
Atra subegit hiems vestris succedere terris,
Nec sidus regione viæ litusve fefellit[97]:
Consilio hanc omnes animisque volentibus urbem
Afferimur[98], pulsi regnis, quæ maxima quondam
Extremo[99] veniens Sol aspiciebat Olympo.
Ab Jove principium generis; Jove Dardana pubes
Gaudet avo; rex ipse Jovis de gente suprema,
Troïus Æneas, tua nos ad limina misit.
Quanta per Idæos sævis effusa Mycenis
Tempestas[1] ierit campos, quibus actus uterque
Europæ atque Asiæ fatis concurrerit orbis,
Audiit et si quem[2] tellus extrema refuso
Submovet Oceano, [et si quem extenta[3] plagarum

90 *Auditi*, de quibus audivimus, fama noti. *Rates* vestras. — 91 Poetice pro : non legum vinculo et necessitate æquam atque justam, sed *sponte* et animo jubente, sive ut Ovidius ait de ætate Saturnia : *Sponte sua, sine lege fidem rectumque colebat.* — 92 *Se tenere* est sese vitamque suam moderari et regere aliquo modo. — 93 *Aurunci*, gens antiquissima Campaniæ, circa Liris flumen, alia, ut videtur, nominis *Ausones* forma. Quibus imperavisse Latinum apparet ex XI, 516 sqq. *Ferre*, narrare; *ut*, gr. ὡς. • Apud veteres historiæ hoc genus fuit, ut majores natu anteacta posteris indicarent; quia adhuc nec annales erant nec historiæ. • *S.* De Dardano jam supra III, 167 sqq.; videas Servium ibi p. 181, n. 52. — 94 Veteris oppidi Etruriæ; v. p. 183, n. 84. — 95 Numero auget altaria deorum, addito eo in quo ipsi sacra fiunt. — 96

Ut maximus natu; v. I, 521, n. 58. — 97 *Fefellit* nos : quo verbo adhibito permissum erat poetæ ut *sidus litusve* breviter diceret pro : observatio siderum falsa aut ignoratio litoris (cui appelleremus). — 98 Ferimur ad urbem. — 99 *Extremo Olympo*, ab ultima parte (orientali) cœli. — 1 • Vis belli. *Actus*, collisus. Deinde dicens *fatis*, et Trojanos eximit culpâ, et Græcorum deterit laudem. • *S.* — 2 Sensus : audierunt omnes, etiam qui extremam oram terræ incolunt, et qui zonam torridam. *Submovet*, removet, remotum tenet ab nostris regionibus *terra extrema* quæ est ad Oceanum *refusum*, qui se refundit, in se ipsum redit circulari cursu terram ambiens. ἀξόδῳ ῥοῇ Homero. Melius potius *Oceano refuso* jungendum cum *submovet*, ut terra dicatur quam Oceanus separat ab nostro orbe, velut Britannia aut Thule ultra Oceanum. — 3 Strue : *plaga solis iniqui* (intemperati, a

Quattuor in medio dirimit plaga Solis iniqui].
Diluvio[4] ex illo tot vasta per æquora vecti,
Dis sedem exiguam patriis litusque rogamus
Innocuum[5], et cunctis undamque auramque patentem.
Non erimus regno indecores; nec vestra feretur
Fama levis, tantive abolescet gratia facti;
Nec Trojam Ausonios gremio excepisse pigebit.
Fata per Æneæ juro dextramque potentem,
Sive fide, seu quis bello est expertus et armis[6]:
Multi nos populi, multæ (ne temne quod ultro
Præferimus manibus vittas ac verba precantia)
Et petiere sibi et voluere adjungere gentes;
Sed nos fata deûm vestras exquirere terras
Imperiis egere suis. Hinc Dardanus ortus;
Huc repetit[7] jussisque ingentibus urget Apollo
Tyrrhenum ad Thybrim et fontis vada sacra Numici[8].
Dat tibi præterea fortunæ parva prioris
Munera, reliquias Troja ex ardente receptas.
Hoc pater Anchises auro libabat ad aras;
Hoc Priami gestamen erat[9], quum jura vocatis
More daret populis, sceptrumque, sacerque tiaras[10],
Iliadumque labor vestes. »

Talibus Ilionei dictis defixa Latinus
Obtutu tenet ora, soloque immobilis hæret,
Intentos volvens oculos. Nec purpura regem
Picta[11] movet, nec sceptra movent Priameïa tantum,
Quantum in connubio natæ thalamoque moratur[12];
Et veteris Fauni volvit sub pectore sortem:
Hunc illum[13] fatis externa ab sede profectum
Portendi generum, paribusque in regna vocari
Auspiciis[14]; huic progeniem virtute futuram
Egregiam, et totum quæ viribus occupet orbem.
Tandem lætus ait: « Di nostra incepta secundent,
Auguriumque suum! Dabitur, Trojane, quod optas.
Munera nec sperno. Non vobis, rege Latino,
Divitis uber[15] agri Trojæve opulentia deerit.
Ipse modo Æneas, nostri si tanta cupido est,
Si jungi hospitio properat, sociusque vocari,
Adveniat, vultus neve exhorrescat amicos:
Pars mihi pacis[16] erit dextram tetigisse tyranni.

sole exusta *extenta in medio quatuor plagarum*; et videas *Georg.* I, v. 233 seqq. Sed hæc vix esse Virgilii vidit et demonstravit H. Peerlkamp. p. 20. — 4 Figurate dicit de vastata Troja, item ut modo n. 1) *tempestas* de bello. — 5 Tutum, ubi secure vivamus. Longius rem petit Servius: « quod vindicatum nulli possit nocere, » quod sine aliorum damno possideamus. Communia sunt aqua et aer. — 6 Apte comparantur illa Ciceronis in epistola ad Cæsarem: *Manum tuam istam et victoria et fide præstantem.* — 7 Revocat, ut in nostra. — 8 Vide supra n. 71. Tiberim in Etruria oriri notum est. *Dat* Æneas. *Præterea*, præter societatem non indecoram et ab aliis multis expetitam. — 9 Scilicet sceptrum. — 10 Phrygum pileus, vulgo fem. *tiara*, etiam *mitra*. — 11 *Picta* acu. — 12 *Moratur* animo, cogitatione. *Sortem*, oraculum. — 13 Hunc esse illum, quem fata portendant generum. Infinitivi autem exprimunt quid

Latinus oraculum mente volvens cognoverit et in animo quasi dixerit sibi. — 14 Vide IV, 102, n. 55. — 15 Vide p. 80, n. 86. « Et est major petitione promissio: nam illi tantum litus petierant. » *S.* — 16 Fœderis. *Pars erit* significat: magna pars mihi erit, magnopere ad jungendum fœdus me profecisse arbitrabor, si tetigerim dextram *tyranni*, id est regis vestri, ex antiquo usu vocis sero in malam partem tractæ. « Hæc fides ex dextra apud gentem Saturni maxima fuisse debet. »

Vos contra regi mea nunc mandata referte.
Est mihi nata, viro gentis quam jungere nostræ
Non patrio ex adyto sortes[17], non plurima cœlo
Monstra sinunt : generos externis affore ab oris,
Hoc Latio restare canunt[18], qui sanguine nostrum
Nomen in astra ferant. Hunc illum poscere fata
Et reor, et, si quid veri[19] mens augurat, opto. »
Hæc effatus equos numero pater eligit omni.
Stabant ter centum nitidi in præsepibus[20] altis :
Omnibus extemplo Teucris jubet ordine duci
Instratos ostro alipedes pictisque[21] tapetis ;
Aurea pectoribus demissa monilia[22] pendent ;
Tecti auro, fulvum mandunt sub dentibus aurum ;
Absenti Æneæ currum geminosque jugales
Semine ab ætherio, spirantes naribus ignem.
Illorum de gente[23], patri quos dædala Circe
Supposita de matre nothos furata creavit.
Talibus Æneadæ donis dictisque[24] Latini
Sublimes in equis redeunt, pacemque reportant.
Ecce autem Inachiis[25] sese referebat ab Argis
Sæva Jovis conjux, aurasque invecta tenebat,
Et lætum Æneam classemque ex æthere longe
Dardaniam Siculo prospexit ab usque Pachyno[26].
Moliri jam tecta videt, jam fidere terræ,
Deseruisse rates. Stetit[27] acri fixa dolore.
Tum quassans caput hæc effundit pectore dicta :
« Heu stirpem invisam, et fatis contraria nostris[28]
Fata Phrygum ! num Sigeis occumbere campis,
Num capti potuere capi ? num incensa cremavit
Troja viros ? mediasque acies mediosque per ignes
Invenere viam ! At, credo[29], mea numina tandem
Fessa jacent, odiis aut exsaturata quievi.
Quæne[30] etiam patriâ excussos infesta per undas
Ausa sequi, et profugis toto me opponere ponto ?
Absumptæ in Teucros vires cœlique marisque :
Quid Syrtes[31] aut Scylla mihi, quid vasta Charybdis
Profuit ? optato conduntur Thybridis alveo,
Securi pelagi atque mei ! Mars perdere gentem

Schol. veron. — 17 Iterum est oraculum Fauni. *Monstra*, v. supra 64 seqq. — 18 Vaticinantur. *Sanguine*, vide supra not. 44. — 19 Si vere, ut mente præsagio, Æneas est generi fato designatus, non alium generum opto. — 20 Vide 17, n. 12. *Teucris*, oratoribus illis centum, v. 153. *Ordine*, deinceps, singulis singulos equos. — 21 *Pictis* acu, sive potius intexto purpuræ auro, quia mox sequitur, *Tecti auro*. — 22 • *Monilia* non nisi hominum dicimus ; quæ nunc ad laudem pro *phaleris* ponuntur. • *S.* — 23 Genere. *Dædala*, ingeniosa. Junge *patri* (Soli) *furata*, ei furto, clam auferens divinum semen equorum, submissa iis equa mortali. • *Nothos*, materno ignobiles genere. Est autem nomen græcum : nam in latinitate deficit. • *S.* Homerica fictio : vide *Iliad.* E. 265 seqq. — 24 Talia quum essent dona et dicta ; absolute posito ablativo. — 25 Argis ab Inacho, antiquo rege, conditis. Sedes cara Junoni. — 26 Est Siciliæ promontorium australe. Carthaginem igitur se ferebat Juno ; vide I. 13 seqq. — 27 • Quod esse solet cogitantium. • *S.* — 28 Contraria fatis quæ meo numine Trojanis irrogavi. Sic sæpe vidimus *fata deum, fata Jovis. Sigeis*, Trojanis, a noto promontorio. Hoc hemistichium et sequens versus ab Ennio petiti, qui diverat : *Quæ neque Dardanius campis potuere perire, Nec, quum capta, capi ; nec, quum combusta, cremari.* — 29 Ironice de eo quod ahi possint credere, non ipsa. — 30 Sic Peerlkampius ; vulgo *Quin.* — 31 Ad naufragium in Africo litore respicit, de quo in libro I. Scylla et Charybdis vitantur III, 555 seqq. • Bene *mihi* ; ac si diceret : Etiam quæ per suam naturam

Immanem Lapithûm[32] valuit; concessit in iras
Ipse[33] deûm antiquam genitor Calydona Dianæ;
Quod scelus aut Lapithas tantum, aut Calydona merentem[34]?
Ast ego, magna Jovis conjux, nil linquere inausum
Quæ potui[35], infelix! quæ memet in omnia verti,
Vincor ab Æneâ! Quodsi mea numina non sunt
Magna satis, dubitem haud equidem implorare quod usquam est.
Flectere si nequeo Superos, Acheronta movebo.
Non dabitur regnis (esto!) prohibere[36] Latinis,
Atque immota manet fatis Lavinia conjux:
At trahere, atque moras tantis licet addere rebus;
At licet amborum populos exscindere regum:
Hac gener atque socer coeant[37] mercede suorum.
Sanguine Trojano et Rutulo dotabere, virgo,
Et Bellona manet te pronuba: nec face tantum
Cisseis[38] prægnans ignes enixa jugales;
Quin idem[39] Veneri partus suus et Paris alter,
Funestæque iterum recidiva[40] in Pergama tædæ.»

Hæc ubi dicta dedit, terras horrenda petivit;
Luctificam Allecto[41] dirarum ab sede dearum
Infernisque ciet tenebris, cui tristia bella
Iræque insidiæque et crimina noxia cordi.
Odit et ipse pater[42] Pluton, odere sorores
Tartareæ monstrum: tot[43] sese vertit in ora,
Tam sævæ facies, tot pullulat atra colubris!
Quam Juno his acuit[44] verbis, ac talia fatur:

«Hunc mihi da propriũ[45], virgo sata Nocte, laborẽ,
Hanc operam, ne noster honos infractave[46] cedat
Fama loco, neu connubiis ambire Latinum
Æneadæ possint, Italosve obsidere fines.

solent nocere, me rogante non potuerunt obesse Trojanis. • — 32 • Lapitharum rex, Pirithous, quum uxorem deduceret, vicinos populos Centauros, etiam sibi cognatos, et deos omnes, Marte excepto, ad convivium convocavit. Unde iratum numen immisit furorem, quo Centauri et Lapithæ in bella venerunt. • *S.* Conf. p. 87, n. 45. — 33 Ipse Jupiter concessit Dianæ, ab OEneo simili injuria affectæ, antiquam urbem Ætoliæ, Calydonem (cujus ille rex erat), *in iras* explendas, ad ultionem. Ovidius rem narravit in *Metamorph.* VIII, 270 seqq., post Homerum, *Iliad.* IX, 229 seqq. — 34 *Merentem* ausus videtur poeta pro: meritâ pœnâ luentem. Nam differt II, 229, n. 10. — 35 Sustinui. *In omnia*, in omnes partes, quæque tentando et audendo; ad omnia me demisi, ut istos perderem. — 36 *Prohibere* Æneam. Conjux *immota*, immutabili fato decreta Æneæ. — 37 Fœdere et matrimonio Laviniæ conjungantur. Voce *suorum* iterum exprimitur qualis futura sit *merces* illius fœderis, suorum pernicie empti. — 38 Hecuba; v. V, 537, n. 33. Sensus: Non sola Hecuba peperit filium Trojæ incendii auctorem, sed etiam Veneri filius suus erit similis Paridi et nuptiæ ejus iterum funestæ erunt Trojanis. *Face prægnans*, nam gravida Hecuba facem utero gestare somniavit, et vates *Asiæ incendium* parituram prædixerunt: hinc Paris dicitur *ignes jugales*, conjugales, in matrimonio sati et editi. — 39 Prorsus similis Paridi. • Sicut per Parin Troja incensa est, sic per Æneam reliquiæ Trojanorum. Ceterum dea injuriose Veneri Hecubam, Parin Æneæ, Helenam Laviniæ comparavit. • *S.* — 40 Vide IV, 344, n. 56. — 41 Ἀλληκτώ (duplicato *l* ut *a* producatur), una Furiarum, quæ dicuntur et *Diræ*. — 42 • *Pater*, non quia pater ejus sit; Eumenidum enim mater est Nox, pater Acheron: sed quia *Dilem patrem* dicimus. • *Schol. veron.* — 43 Hæ sunt *causæ* illius odii. — 44 • Irritavit et instigavit ejus insaniam. • *S.* — 45 Laborem mea solius gratia ineundum (idem fere quod hodie dicimus *service personnel*). — 46 Ab *infringo*. *Cedere loco, loco moveri*, proprie dicuntur milites repulsi. Item proprie dicitur puella *ambiri*, insolentius pater, a quo petitur filia in matrimo-

Tu potes unanimos armare in prœlia fratres,
Atque odiis versare [47] domos, tu verbera tectis
Funereasque inferre faces; tibi nomina mille [48],
Mille nocendi artes: fœcundum [49] concute pectus,
Disjice compositam pacem, sere crimina belli [50];
Arma velit poscatque simul rapiatque juventus. »

Exin Gorgoneis [51] Allecto infecta venenis
Principio Latium et Laurentis tecta tyranni
Celsa petit, tacitumque [52] obsedit limen Amatæ,
Quam super adventu Teucrûm Turnique hymenæis
Femineæ [53] ardentem curæque iræque coquebant.
Huic [54] dea cæruleis unum de crinibus anguem
Conjicit, inque sinum præcordia ad intima subdit,
Quo [55] furibunda domum monstro permisceat omnĕ.
Ille inter vestes et lævia pectora lapsus
Volvitur attactu nullo, fallitque furentem [56],
Vipeream inspirans animam: fit tortile collo
Aurum [57] ingens coluber, fit longæ tænia vittæ,
Innectitque comas, et membris lubricus errat.
Ac dum prima lues udo sublapsa veneno [58]
Pertentat sensus atque ossibus implicat ignem,
Necdum animus toto percepit pectore flammam,
Mollius et solito matrum de more locuta est, [næis:
Multa super natæ [59] lacrimans Phrygiisque hyme-
« Exsulibusne datur ducenda Lavinia Teucris,
O genitor? nec te miseret natæque tuique?
Nec matris miseret, quâ primo Aquilone [60] relinquet
Perfidus, alta petens, abducta virgine, prædo?
At [61] non sic Phrygius penetrat Lacedæmona pastor,
Ledæamque Helenam Trojanas vexit ad urbes.
Quid [62] tua sancta fides? quid cura antiqua tuorum,
Et consanguineo [63] toties data dextera Turno?
Si gener externa petitur de gente Latinis,
Idque sedet [64], Faunique premunt te jussa parentis,

---

nium. — 47 Exagitare, turbare: ita ut in domibus e rixis discordiisque oriantur *verbera*, inde cædes et funera. — 48 Juno blanditur Furiæ tribuens *nomina mille* vel plurima, ut πολυώνυμο propter variam et multiplicem potestatem, quæ in diis significabatur per nomina et cognomina multa ad honorem iis imposita. — 49 *Fœcundum* consilii aut « plenum pectus malitiæ efficaciâ. » *S.* — 50 Criminationes mutuas, causas belli. — 51 Infecta venenis qualibus Gorgo (v. VI, 289, n. 35) Medusa, serpentibus venenatis caput cincta. — 52 Limen *tacitum*, quippe quò sola secesserat Amata curis intenta. — 53 « Vehementissimæ et impatientes. *Coquebant*, macerabant. » *S.* Secundum hæc Enniana : *cura, Quæ nunc te coquit et versat sub pectore fœa.* — 54 In hanc conjicit. Crines cærulei, qui est serpentium color, crinibus Furiæ intermixtorum. — 55 *Quo monstro*, ut hoc monstro. — 56 « Injicit furorem sine accipientis sensu. *Furentem* autem, ut furore teneatur : nam nondum furebat. » *S.* Et arcte cum verbo *fallit* jungendum est *inspirans animam vipeream* (noxiam), ut sit : clam inspirat inde furenti; secundum græcum morem loquendi, λανθάνει εἰσπνέων. — 57 Torques in antiquis artis operibus sæpe cernuntur anguibus similes. « *Tænia* est vittarum extremitas. » *S.* — 58 Humore veneni furtim se in corpus insinuans. « Namque uda sunt corpora serpentium, adeo ut, quaqua eunt, viam humore designent. » *S.* — 59 *Super* hymenæis *natæ* et Æneæ *Phrygiis*. — 60 Quum primum ventus secundus flare cœperit. Vide notam 2 initio libri V. — 61 Ironia amara, quasi honesto exemplo defendentis mores juvenum Trojanorum. Cum vi dixit *penetrat*, tamquam de re quæ nunc ipsum fit ante oculos audientis. — 62 *Quid* nunc est *tua fides* Turno data? Jam nulla est. — 63 « Est enim filius Veniliæ, sororis Amatæ. » *S.* Mox junge *petitur Latinis*, a Latinis: si nos Latini petimus generum externum. — 64 Vide II, 660, n. 92.

Omnem[65] equidem sceptris terram quæ libera nostris
Dissidet, externam reor, et sic dicere[66] divos.
Et Turno, si prima domûs repetatur origo,
Inachus Acrisiusque[67] patres, mediæque Mycenæ. »
Hîs ubi nequicquam dictis experta Latinum
Contra stare videt, penitusque in viscera lapsum
Serpentis furiale malum totamque pererrat,
Tum vero infelix, ingentibus excita monstris[68],
Immensam sine more[69] furit lymphata per urbem :
Ceu quondam torto volitans sub verbere turbo,
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum[70]
Intenti ludo exercent : ille actus habenâ
Curvatis fertur spatiis ; stupet inscia[71] suprà
Impubesque manus, mirata volubile buxum ;
Dant animos[72] plagæ. Non cursu segnior illo
Per medias urbes agitur populosque feroces.
Quin etiam in silvas, simulato numine Bacchi[73],
Majus adorta nefas majoremque orsa furorem,
Evolat, et natam frondosis montibus abdit,
Quo thalamum eripiat Teucris tædasque[74] moretur,
Euœ Bacche ! fremens, solum te virgine dignum
Vociferans ; etenim molles tibi sumere[75] thyrsos,
Te lustrare choro[76], sacrum tibi pascere crinem.
Fama volat ; furiisque accensas pectore matres
Idem omnes simul ardor agit nova quærere tecta[77].
Deseruere domos ; ventis dant colla comasque ;
Ast aliæ tremulis[78] ululatibus æthera complent,
Pampineasque gerunt incinctæ pellibus hastas[79].
Ipsa inter medias flagrantem fervida pinum[80]
Sustinet, ac natæ Turnique canit hymenæos[81],
Sanguineam torquens aciem, torvumque[82] repente
Clamat : « Io, matres, audite, ubi quæque, Latinæ :
Si qua piis animis manet infelicis Amatæ
Gratia, si juris materni cura remordet[83],
Solvite crinales vittas, capite orgia mecum. »

65 « Vult Turnum extraneum esse definire per callidam argumentationem : quippe non Latinum, adeoque Græcum origine. » — 66 Hanc esse mentem deorum. — 67 Noti reges Argivi. *Mycenas* autem, Argolidis urbem olim illustrissimam, jam vidimus a poeta fere *Græciæ* loco poni. Servius : « Danaen a Jove vitiatam Acrisius pater arcâ inclusam præcipitavit in mare ; quæ delata ad Italiam, inventa est a piscatore cum Perseo, quem illic enixa fuerat, et oblata regi Pilumno, qui eam sibi fecit uxorem, cum qua etiam Ardeam condidit : a quibus Turnum vult originem ducere. » — 68 Phantasmatibus terrificis. — 69 Vide V, 694, n. 91. — 70 Per atria huc et illuc. — 71 Nesciens causam, et rem pro monstro accipiens. Confer II, 307, not. 41. — 72 Plagæ *dant animos* turbini, id est, motum ejus reddunt concitatiorem. Cursu *illo*, illius turbinis. — 73 Se Bacchico furore correptam esse simulans. — 74 Nuptias, ut IV, 18, n. 12. Notus bacchantium clamor est Εὐοῦ Βάκχε. — 75 Infinitivi pendentes a *vociferans* quod repetendum est ; supple *virginem* ut subjectum. *Tibi*, in tuum honorem. — 76 Circum te, ut præsentem, ducere choros. Comam longam Bacchæ jactabant solutam, ut videre est in anaglyphis et vasorum picturis, quæ ostendunt illas *ventis dantes colla comasque*. Confer I, 319. — 77 *Nova tecta*, nimirum silvas. — 78 Ululatibus tremula lingua editis, qualis est ebriorum. Vocibus *ut aliæ* indicatur supplendum esse *aliæ* in præcedenti versu, ante *ventis dant colla*. — 79 Thyrsos ; vide *Ecl.* V, not. 24 ; et de *pellibus* p. 122, not. 90. — 80 « Facem pineam, ut fiebat in Liberalibus. » *S.* — 81 De prosodia vide p. 29, n. 51. Quum Bacchum canere debuisset, cui se consecrasse simulabat filiam, ostendit quid vere velit. — 82 Torvo vultu. — 83 Conf. I, 261. « *Crinales vittas*, quæ solarum matronarum erant. » *S. Capite*, suscipite, agite.

Talem[84] inter silvas, inter deserta ferarum
Reginam Allecto stimulis agit undique Bacchi.
Postquam visa satis primos acuisse furores,
Consiliumque omnemque domum vertisse Latini,
Protinus hinc fuscis tristis dea tollitur alis
Audacis Rutuli[85] ad muros, quam dicitur urbem
Acrisioneis Danae fundasse colonis,
Præcipiti delata Noto. Locus Ardea quondam
Dictus avis[86]; et nunc magnum tenet Ardea nomen;
Sed fortuna fuit[87]. Tectis hic Turnus in altis
Jam mediam nigra carpebat nocte quietem.
Allecto torvam faciem et furialia membra
Exuit; in vultus sese transformat aniles,
Et frontem obscœnam[88] rugis arat; induit albos
Cum vitta crines; tum ramum innectit olivæ.
Fit Calybe, Junonis anus templique sacerdos[89].
Et juveni ante oculos his se cum vocibus offert:
« Turne, tot incassum fusos patiere labores,
Et tua Dardaniis transcribi[90] sceptra colonis?
Rex tibi conjugium et quæsitas sanguine[91] dotes
Abnegat, externusque in regnum quæritur hæres!
I nunc, ingratis[92] offer te, irrise, periclis;
Tyrrhenas, i, sterne acies; tege[93] pace Latinos.
Hæc adeo tibi me, placida quum nocte jaceres,
Ipsa palam fari omnipotens Saturnia jussit.
Quare age, et armari pubem portisque moveri [chro
Lætus[94] in arma para, et Phrygios, qui flumine pul-
Consedere, duces pictasque exure[95] carinas.
Cœlestum vis magna[96] jubet. Rex ipse Latinus,
Ni dare conjugium et dicto parere fatetur[97],
Sentiat et tandem Turnum experiatur in armis. »
Hic juvenis, vatem iridens, sic orsa[98] vicissim
Ore refert: « Classes invectas Thybridis undam,
Non, ut rere, meas effugit nuntius aures;
Ne tantos mihi finge metus[99]; nec regia Juno
Immemor est nostri:
Sed te victa situ[1] verique effœta senectus,
O mater, curis nequicquam exercet, et arma

84 *Talem*, ut sit talis; pro vulgari: ita. — 85 Turni. Vide supra not. 67. *Acrisionei* non sunt ab Acrisio missi (nam Danae sola venerat), sed ad Danaen collecti, patronymice. — 86 A majoribus. — 87 Confer II, 325. — 88 Fœdam; v. pag. 68, n. 20. — 89 Jungendum *sacerdos anus*, adjective. *Junonis templique* pro: templi Junonii, ut II, 319: *arcis Phœbique sacerdos*. — 90 « Sermo tractus est de pecunia, pro: tradi. » *S.* — 91 Ex sequentibus etiam patet, Turnum antea bella gessisse pro Latino. — 92 Quorum nulla est gratia sive merces. — 93 Protege, pacem iis comparando victis hostibus. — 94 « Alacer, festinus. » *S. In arma* explicant: in pugnam, vel: alacer ad arma capienda; sed utcumque offendit post *armari*, neque ulla vis est repetitionis tali. Perrikampius scripsit *in* ARVA. — 95 Non opus est ut post *duces* zeugma (p. 144, n. 25), statuatur: in navium incendio enim vectores quoque igne pereunt. — 96 Magnum aliquod numen, Juno. — 97 Nisi promissis satisfacere se velle profitetur. — 98 Passive. — 99 Animo fingere noli, *mihi esse metus tantos*, quantos oratio tua mihi tribuere videtur; neque novam mihi nuntias tutelam Junonis. — 1 *Situs*: de quo jam VI, 462, n. 8) dicitur corruptio longo *situ* et diuturnitate contracta, hic de vitiis quæ vitæ longinquitate sensim in corpore animove nascuntur et naturam debilitant: qualis est vana senum sollicitudo. Frequens epitheton vetularum *effœta* nove jungitur genitivo *veri*, inhabilis ad verum cdendum (sicuti dicas *fruguni effœtus ager*), inepta ad videndum verum.

Regum inter[2] falsa vatem formidine ludit.
Cura[3] tibi divûm effigies et templa tueri;
Bella viri pacemque gerant, quis bella gerenda. »
Talibus Allecto dictis exarsit in iras.
At juveni oranti[4] subitus tremor occupat artus;
Deriguere oculi : tot Erinys sibilat hydris,
Tantaque se facies aperit[5] ! Tum flammea torquens
Lumina, cunctantem et quærentem dicere plura
Reppulit, et geminos erexit crinibus angues,
Verberaque insonuit[6], rabidoque hæc addidit ore :
« En ego victa situ, quam veri effœta senectus
Arma inter regum falsa formidine ludit;
Respice ad hæc : adsum dirarum ab sede sororum;
Bella manu letumque gero. »
Sic effata, facem juveni[7] conjecit, et atro
Lumine fumantes fixit sub pectore tædas.
Olli somnum ingens rumpit pavor, ossaque et artus
Perfundit toto proruptus[8] corpore sudor.
Arma amens fremit[9], arma toro tectisque requirit :
Sævit amor ferri, et scelerata insania belli,
Ira supèr[10] : magno veluti quum flamma sonore
Virgea[11] suggeritur costis undantis aheni,
Exsultantque æstu latices; furit intus aquaï[12]
Fumidus atque alte spumis exuberat amnis;
Nec jam se capit[13] unda; volat vapor ater ad auras.
Ergo iter ad regem, polluta[14] pace, Latinum
Indicit primis juvenum, et jubet arma parari,
Tutari Italiam, detrudere finibus hostem :
Se satis[15] ambobus Teucrisque venire Latinisque.
Hæc ubi dicta dedit, divosque in vota vocavit,
Certatim sese Rutuli exhortantur in arma :
Hunc decus[16] egregium formæ movet atque juventæ;
Hunc atavi reges; hunc claris dextera factis.
Dum Turnus Rutulos animis audaeibus implet,
Allecto in Teucros Stygiis se concitat alis.
Arte nova, speculata locum quo litore pulcher
Insidiis[17] cursuque feras agitabat lulus,
Hic subitam canibus rabiem Cocytia[18] virgo
Objicit, et noto nares contingit odore,
Ut cervum ardentes agerent : quæ prima malorum
Causa fuit, belloque animos accendit agrestes.
Cervus erat forma præstanti et cornibus ingens,

2 Inter arma regum : quæ regibus esse curæ debent, non sacerdoti. — 3 *Cura* sit *tibi*. — 4 Loquenti. — 5 « Semoto anili vultu quem finxerat. Sic supra (I, 405) de Venere : *Et vera incessu patuit dea.* » *S.* — 6 Flagellum resonare fecit, flagello increpuit. — 7 In juvenem. — 8 Vide p. 139, n. 45. — 9 Cum clamore poscit. *Toro*, vide VI, 524, n. 35. — 10 Insuper ira, ex amissione sperati conjugii. — 11 Flamma de virgis vel viminibus. Similiter dicta vide in n. 3 ad I, v. 165. — 12 Ex errore natum videtur, sed non præteundum est hoc Servii : « Hanc diæresin, *aquat*, Tucca et Varius fecerunt. Nam Virgilius sic reliquerat : *furit intus aquæ vis, Fumidus atque* etc., quod satis asperum fuit. » — 13 Se continet (in aheno). — 14 Vide V, 5, not. 3. « *Indicit* est verbum bellicum. » *S.* — 15 Sufficientem, parem ambobus. *In vota*, v. V, 234, n. 8. — 16 Turni virtutes intelliguntur. — 17 *Insidiis* (quas vide *Georg.* III, 371-372) venabatur. Zeugma hîc bene indicat Servius : « cursu agitabat; nam si *insidiis* circumvenimus, non agitamus. » — 18 Inferna; vide p. 94, n. 31. Idem : « *Noto*, cervino odore : solent enim ita instituì. Horatius *Epist.* I, 2, 65) : *venaticus ex quo Cervinam catulus pellem latravit in aula.* »

Tyrrhidæ pueri quem matris ab ubere raptum
Nutribant, Tyrrheusque[19] pater, cui regia parent
Armenta, et late custodia credita campi.
Assuetum imperiis soror omni Silvia cura
Mollibus intexens ornabat cornua sertis,
Pectebatque ferum[20], puroque in fonte lavabat.
Ille manum patiens, mensæque assuetus herili,
Errabat silvis, rursusque ad limina nota
Ipse[21] domum sera quamvis se nocte ferebat.
Hunc procul errantem rabidæ venantis Iuli
Commovêre[22] canes, fluvio quum forte secundo
Defluxeret, ripaque æstus viridante levaret.
Ipse etiam, eximiæ laudis succensus amore,
Ascanius curvo direxit spicula cornu[23] :
Nec dextræ erranti[24] deus afuit; actaque multo
Perque uterum sonitu perque ilia venit arundo.
Saucius at quadrupes nota intra tecta refugit,
Successitque gemens stabulis, questuque, cruentus
Atque imploranti similis, tectum omne replebat.
Silvia prima[25] soror, palmis percussa lacertos,
Auxilium vocat, et duros conclamat[26] agrestes.
Olli (pestis enim tacitis latet aspera silvis)
Improvisi adsunt : hic torre armatus obusto,
Stipitis hic gravidi nodis[27]; quod cuique repertum
Rimanti, telum ira facit. Vocat agmina Tyrrheus,
Quadrifidam quercum cuneis ut forte coactis[28]
Scindebat, rapta spirans immane[29] securi.

At sæva e speculis tempus dea nacta nocendi
Ardua[30] tecta petit stabuli, et de culmine summo
Pastorale canit signum[31], cornuque recurvo
Tartaream intendit[32] vocem, qua protinus omne
Contremuit nemus, et silvæ insonuere profundæ.
Audiit et Triviæ[33] longe lacus : audiit amnis
Sulfurea Nar[34] albus aqua, fontesque Velini[35],
Et trepidæ matres pressere ad pectora natos.
Tum vero ad vocem[36] celeres, qua buccina signum
Dira dedit, raptis concurrunt undique telis

19 Alii *Tyrrhusque*. Est is pastor ille quem memoravit Cato in not. 55 ad VI, 763. « Hic Latini villicus traditur fuisse. » *Asper*. — 20 Quadrupedem : ut de equo II, 51. — 21 Sponte sua. *Rabidæ*, quo genere uti solent Latini, ubi de venaticis canibus loquuntur. — 22 Excitavere. Sequentia si accurate capere velis, inter se pugnant. Quare hoc solum dicere poetam statuimus : cervum qui tanquam in tuto se otio oblectabat, modo placide natans secundo flumine, modo super gramine recumbens. — 23 Arcu, ut *Ecl.* X, n. 46. — 24 Nec deus ita abfuit dextræ Ascanii, ut erraret (vide p. 151, n. 20); divino nutu non aberravit a cervo. Alii intelligunt *errantem dextram* « de Ascanio fugientem et huc illuc erratico cursu se ferentem cervum sequente oculis et arcu. » — 25 « Bene puellæ dat doloris impatientiam. » Š. Similiter Claudianus, de Proserpina rapta : *planctuque lacertos verberat*. — 26 Clamore convocat. *Pestis*, Alecto, exstimulans agrestes. — 27 Stipite nodoso, ideoque gravi. — 28 Adactis. — 29 Immanes spiritus gerens, iratissimus. — 30 *Ardua*, non alta, sed in apicem fastigata, ut sunt tuguria agrestium. — 31 Quo convocabantur pastores in repentino aliquo metu. — 32 Pauci codd. *incendit*, quod ποιητικώτερον. — 33 Dianæ. Est *lacus Aricinus*, cum luco et templo Dianæ, hodie *lago di Nemi*, olim, ut Servius annotat, dictus etiam *Speculum Dianæ*. — 34 Inter Sabinos et Umbros ad Tiberim descendens, hodie *Nera*. Nomen ex natura aquæ, si vere dixit Servius sulfur Sabinis vocari *nar*. — 35 *Velinus* et amnis et lacus, amne inter montium juga super Reate stagnante; hodie *Pie di Luco*. — 36 *Vocem* buccinæ; conf. p. 198, n. 11.

Indomiti agricolæ ; nec non et Troïa pubes
Ascanio auxilium castris effundit apertis.
Direxere acies : non jam certamine agresti,
Stipitibus duris agitur sudibusve præustis ;
Sed ferro ancipiti[37] decernunt, atraque late
Horrescit strictis seges[38] ensibus, æraque fulgent
Sole lacessita[39], et lucem sub nubila jactant :
Fluctus[40] uti primo cœpit quum albescere vento,
Paulatim sese tollit mare, et altius undas
Erigit, inde imo consurgit ad æthera fundo.
Hic juvenis primam ante aciem, stridente sagittâ,
Natorum Tyrrhei fuerat[41] qui maximus, Almo,
Sternitur : hæsit enim sub gutture vulnus[42], et udæ
Vocis iter[43] tenuemque inclusit sanguine vitam.
Corpora multa virûm circa, seniorque Galæsus,
Dum paci medium[44] se offert, justissimus unus
Qui fuit Ausoniisque olim ditissimus arvis ;
Quinque greges illi balantum, quina rediabant[45]
Armenta, et terram centum vertebat aratris.

Atque ea per campos æquo dum Marte geruntur,
Promissi dea facta potens[46], ubi sanguine bellum
Imbuit[47], et primæ commisit funera pugnæ,
Deserit Hesperiam, et cœli conversa[48] per auras
Junonem victrix affatur voce superbâ :
« En perfecta tibi bello discordia tristi[49] !
Dic, in amicitiam cocant et fœdera jungant !
Quandoquidem Ausonio respersi sanguine Teucros,
Hoc etiam his addam, tua si mihi certa voluntas :
Finitimas in bella feram rumoribus urbes,
Accendamque animos insani Martis amore,
Undiq ut auxilio veniant ; spargam arma per agros. »
Tum contra Juno : « Terrorum et fraudis abunde est :
Stant[50] belli causæ ; pugnatur cominus armis ;
Quæ fors prima dedit, sanguis novus[51] imbuit arma.
Talia conjugia et tales celebrent hymenæos
Egregium Veneris genus et rex ipse[52] Latinus.
Te super[53] ætherias errare licentius auras
Haud Pater ipse velit, summi regnator Olympi.

37 • Utrimque noxio. Dicit autem aut gladios aut bipennes. • *S.* — 38 Campus ensibus et hastis quasi aristis horrens. — 39 Percussa. — 40 Similia videas in *Georg.* III, 237-41. • Sic bella dixit surrexisse paulatim, sicut ventis flantibus sensim mare turgescit. • *S.* — 41 *Fuerat*, ut qui desiit esse, in pugnastratus. — 42 De re quæ vulnus fecit, spiculum ; conf. p. 170, n. 38. — 43 • Intellige *udum iter vocis* ; non enim vox uda est, sed per udam arteriarum labitur viam. • *S.* Quod epitheton hoc loco miror æque ac Peerlkampius p. 48. *Inclusit vitam*, quod prosa dicit : interclusit animam. — 44 *Medius* dicitur qui pacem conciliat inter adversos, barbare *mediator*. De *unus* v. p. 167, n. 97. — 45 *Rediabant* a pascuis in stabula sua. — 46 *Promissi potens*, græce ἐγκρατὴς ὧν ὑπέσχετο, postea quam fecit quæ promiserat, effectum promissorum assecuta. Etiam in prosa, ut Livius : *Dii vos hujus consilii potentes fecere.* — 47 • *Imbuit*, initiavit. Et bene *sanguine* : nam potest bellum etiam a discordia vel dissensione inchoare. • *S.* Idcirco etiam pro vulgari • primam commisit pugnam • poeta dixit : *primæ commisit funera pugnæ* : nam ea cædes Latinis erat causa belli, non, ut solet, effectus. — 48 *Conversa* ad Junonem, ad ejus sedem tendens. — 49 • Juno semina tantum belli poposcerat : hæc ipsa etiam bella perfecit. • *S.* Sequitur ironia : *dic*, jube nunc. • Ita bella commovi, ut ne tuo quidem imperio possint in pacem redire. • *S.* — 50 Paratæ, effectæ sunt. — 51 Cœptus effundi. — 52 • *Ipse* ; ac si diceret : quem Æneæ causa cogor odisse. • *S.* — 53 *Super* quando ponitur pro *per*, vide p. 151, n. 28.

Cede locis : ego, si qua super fortuna laborum est[54],
Ipsa regam. » Tales dederat Saturnia voces ;
Illa autem attollit stridentes anguibus alas,
Cocytique petit sedem, supera ardua linquens.
Est locus Italiæ medio[55] sub montibus altis,
Nobilis et fama multis memoratus in oris,
Amsancti[56] valles : densis hunc frondibus atrum
Urget utrimque latus nemoris, medioque fragosus
Dat sonitum saxis et torto vertice[57] torrens :
Hic specus horrendum et sævi spiracula[58] Ditis
Monstrantur, ruptoque ingens Acheronte vorago
Pestiferas aperit fauces, quis condita Erinys,
Invisum numen, terras cœlumque levabat[59].

Nec minus interea extremam Saturnia bello
Imponit regina manum. Ruit omnis in urbem
Pastorum ex acie numerus, cæsosque reportant,
Almonem puerum, fœdatique ora Galæsi[60] ;
Implorantque deos, obtestanturque Latinum.
Turnus adest, medioque in crimine cædis et igni[61]
Terrorem ingeminat : Teucros in regna vocari ;
Stirpem admisceri Phrygiam[62] ; se limine pelli.
Tum, quorum attonitæ Baccho nemora avia matres[63]
Insultant thiasis (neque enim leve nomen Amatæ),
Undique collecti coeunt, Martemque fatigant[64].
Ilicet infandum cuncti contra omina bellum,
Contra fata deûm, perverso numine[65] poscunt.
Certatim regis circumstant tecta Latini ;
Ille velut pelagi rupes immota resistit,
[Ut[66] pelagi rupes, magno veniente fragore,]
Quæ sese multis circumlatrantibus undis
Mole tenet, [scopuli nequicquam et spumea circùm
Saxa fremunt], laterique illisa refunditur[67] alga.
Verum ubi nulla datur cæcum[68] exsuperare potestas
Consilium, et sævæ nutu Junonis eunt res,

54 Si quid orte agendum superest. — 55 « Hunc locum *umbilicum Italiæ* chorographi dicunt. Est autem in latere Campaniæ et Apuliæ, ubi Hirpini incolunt (non procul ab Æculano, hodie *Fricenti*), atque habet aquas sulfureas, ideo graviores, quia ambiuntur silvis. Ibi aditus dicitur Inferorum, quod gravis odor juxta accedentes necat ; adeo ut victimæ circa hunc locum non immolarentur, sed odore perirent ad aquam applicatæ : et hoc erat ibi genus litationis. » *Serv.* — 56 *Amsanctus*, nomen ab geographis memoratum in Hirpinis, explicatur « ab omni parte sanctus », ex *amb* (gr. ἀμφί), circum. — 57 Vortice ; vide p. 128. n. 80. — 58 Plinius : « *Spiracula* vocant Charoneas (sive Plutonias) scrobes, mortiferum spiritum exhalantes. » Quæ hodie Italis *moffete*. — 59 « Releyabat, recreabat, ut quibus præsentia ipsius erat oneri. » *S.* — 60 Pro vulgari : Galæsum ore fœdatum. Interpungendum putavi post *reportant*, ut sit : cæsos, in quibus Almonem et Galæsum, quorum cædes magis indigne ferebatur quam ceterorum. — 61 *Et* in medio *igni*, in medio ardore irarum ex illa cæde. Sic iræ *ignescere* dicuntur IX, 66. — 62 *Phrygiam*, quod sonabat « mollem », quum Latinorum celebraur fortitudo. — 63 Matronæ, conjuges Latinorum. Vide supra v. 385-405. *Nemora insultant thiasis* (abl.), per nemora saltant choreis. *Nomen*, dignitas, auctoritas. — 64 Breviter significat : fatigando (Latinum) clamoribus et precibus, poscunt bellum. *Ilicet*, continuo. *Omina* vidimus v. 64 seqq., *fata* v. 96 seqq. — 65 Pervertentes et conturbantes voluntatem deorum. — 66 Loci hujus interpolationem critici prope omnes agnoverunt ; in quo seclusimus quæ orationem, deinde ipsam imaginem pessumdant. *Sese* cum utroque verbo struendum, *circumlatrantibus* et *tenet*. — 67 *Refunditur* cum undis rupem identidem impellentibus. — 68 Temerarium. « Fremitui populi bonum nomen imposuit *consilii*. » *Serv.*

Multa deos aurasque[69] pater testatus inanes,
« Frangimur, heu, fatis, inquit, ferimurque procellâ !
Ipsi has[70] sacrilego pendetis sanguine pœnas,
O miseri ! Te, Turne, nefas, te triste manebit
Supplicium, votisque deos venerabere seris.
Nam mihi parta quies, omnisque in limine portus[71];
Funere felici spolior. » Nec plura locutus,
Sæpsit se tectis, rerumque reliquit habenas.

Mos erat Hesperio in Latio, quem protinus urbes
Albanæ[72] coluere sacrum, nunc maxima rerum
Roma colit, quum prima movent in prœlia Martem[73],
Sive Getis inferre manu lacrimabile bellum
Hyrcanisve Arabisve[74] parant, seu tendere ad Indos,
Auroramque sequi[75] Parthosque reposcere signa :
Sunt geminæ Belli portæ[76], sic nomine dicunt,
Religione sacræ et sævi formidine Martis;
Centum ærei claudunt vectes, æternaque ferri
Robora[77]; nec custos absistit limine Janus.
Has, ubi certa sedet[78] Patribus sententia pugnæ,
Ipse Quirinali[79] trabea cinctuque Gabino
Insignis reserat stridentia limina[80] Consul;
Ipse vocat pugnas[81]; sequitur tum cetera pubes,
Æreaque assensu conspirant cornua rauco.
Hôc et tum Æneadis indicere bella Latinus
More jubebatur, tristesque recludere portas :
Abstinuit tactu pater, aversusque refugit
Fœda ministeria, et cæcis se condidit umbris.
Tum regina deûm, cælo delapsa, morantes
Impulit ipsa manu portas, et cardine verso
Belli ferratos rumpit Saturnia postes[82].
Ardet inexcita Ausonia atque immobilis ante;
Pars pedes ire parat campis; pars, arduus altis
Pulverulentus equis furit : omnes arma requirunt.
Pars læves clipeos et spicula lucida[83] tergent

69 *Auras*, cœlum; *inanes*, utpote non auditurum preces Latini, non profuturum; v. IV, 439, n. 98. — 70 *Has pœnas*, hujus sceleris pœnas. Sanguine *sacrilego*, vestrûm sacrilegorum et contemnentium numina. — 71 « Securitas omnis in promptu mihi est, vicina morte. » *Serv.* Donatus autem : « Portus erit mihi, limen domus meæ, quod egressurus non sum. » Sed vocem *omnis* ferri non posse, et ejusmodi sententiam posci : SUM *in limine portûs*, in quem mox intrabo, exposuit Peerlkampius p. 55. — 72 Alba Longa triginta in Latio oppidorum mater esse ferebatur. Morem ipsum plurimi ad Numam auctorem referunt. Vide Servium, *Rerum*, τῶν ὄντων, ut *Georg.* II, 534, n. 6. — 73 Ubi primum bellum movent, prœlia inituri. Non cogitandum hic est de more, quem Servius memoravit, « indicto bello in Martis sacrario ancilia commovendi. » Cupide autem poeta arripit oblatam Augusti sui bella in transitu celebrandi occasionem. — 74 Ab *Arabus*, ut dicebatur etiam *Æthiopus* pro *Æthiops*. — 75 Usque ad extremum Orientem progredi. Quod sequitur, satis notum ex omnibus poetis Augustei ævi. « Hujus facti notæ repræsentantur in arcu qui est juxta ædem divi Julii. » *Schol. veron.* — 76 Vide I, 294, n. 72. — 77 Repagula ferrea. — 78 Constituta est animo; conf. II, 660, n. 92. — 79 Trabea regali, « purpurea, cui album aliquid admixtum. *Gabinus cinctus* est toga sic in tergum rejecta, ut ima ejus lacinia a tergo revocata hominem cingat, simul caput tegat et ambiat. » *Serv.*, qui plura de hoc vestimento. — 80 *Stridentia limina* additum a poeta, quamquam præcessit *has*, sed longinquius. — 81 Pugnandi potestatem facit, indicit bellum. *Sequitur*, ob formulam sollemnem : *Qui rempublicam salvam esse vult, me sequatur.* — 82 Ennius : *Belli ferratos postes portasque refregi.* — 83 Tergent ut fiant lucida; prolepsi jam aliquoties explicata. *Arvina* dicitur « durum pingue quod est inter cutem et viscus. » (*Suetonius*), laridum.

Arvina pingui, subiguntque in cote secures;
Signaque ferre juvat, sonitusque audire tubarum.
Quinque adeo magnæ positis incudibus urbes
Tela novant[84], Atina potens, Tiburque superbum,
Ardea[85], Crustumerique, et turrigeræ Antemnæ.
Tegmina tuta cavant capitum, flectuntque salignas[86]
Umbonum crates; alii thoracas ahenos
Aut læves ocreas lento ducunt[87] argento.
Vomeris huc et falcis honos, huc omnis aratri
Cessit amor; recoquunt[88] patrios fornacibus enses.
Classica jamque sonant; it[89] bello tessera signum.
Hic galeam tectis trepidus[90] rapit; ille frementes
Ad juga cogit equos; clipeumque auroque trilicem[91]
Loricam induitur, fidoque accingitur ense.

Pandite nunc Helicona[92], Deæ, cantusque movete,
Qui bello exciti reges, quæ quemque secutæ
Complêrint campos acies, quibus Itala jam tum
Floruerit terra alma viris, quibus arserit[93] armis:
Et meministis enim, divæ, et memorare potestis;
Ad nos vix tenuis famæ perlabitur aura.

Primus init bellum Tyrrhenis asper ab oris[94]
Contemptor divûm Mezentius, agminaque armat.
Filius huic juxta Lausus, quo pulchrior alter
Non fuit, excepto Laurentis corpore Turni.
Lausus, equûm domitor debellatorque ferarum,
Ducit Agyllina[95] nequicquam ex urbe secutos
Mille viros; dignus, patriis qui lætior[96] esset
Imperiis, et cui pater haud Mezentius esset.

Post hos insignem palma per gramina currum
Victoresque ostentat equos satus Hercule pulchro[97]
Pulcher Aventinus, clipeoque insigne paternum
Centum angues cinctamq»[98] gerit serpentibus Hydrâ
Collis Aventini silva quem Rhea sacerdos
Furtivum partu sub luminis edidit oras[99],
Mixta deo mulier, postquam Laurentia victor,

84 Nova conficiunt. *Atina*, Volscorum oppidum in orientali parte Latii, ad Melpim (h. *Melfa*) fluvium. Notum *Tivoli*, situm in monte, ad quem situm spectare videtur epitheton. Sed Servius: « *Superbum*, aut nobile; aut per transitum tetigit illud, quod aliquando, quum a senatu Tiburtes auxilia poscerent commemorantes sua antè beneficia, hoc tantum ab senatu responsum accepère: *Superbi estis.* » — 85 Vide supra dicta 411 seqq. *Crustumeri* sunt incolæ Crustumii s. Crustumerii, oppidi in Sabinis haud procul a Tiberi. *Antemnæ*, ad Tiberis et Anienis confluentes, itidem in Sabinis. *Turrigeræ*, « bene muratæ. » *Serv.* — 86 « Sic Sallustius de Lucanis: *Qui de vimine facta scuta recens detractis coriis quasi glutino adolescebant.* » *S. Alii* in altero membro expressum, in priore supplendum est: (*alii*) *cavant flectuntque sal.* etc. — 87 *Ducunt* jam exposuimus VI, 848, n. 10. *Lento*, flexili, in laminas redacto. — 88 Candentes refingunt. — 89 Diditur, circumfertur. *Signum bello*, quo signo cognoscerent se inter se milites et ab hostibus discernerent. — 90 Festinus. — 91 Vide III, 467, n. 24. — 92 *Pandite Heliconem*, ut ex hoc sacrario vestro, Musæ, prodeant cantus de rebus antiquis, quas solæ nostis, Mnemosynes (Memoriæ) filiæ. — 93 Quam ardentes et strenuos in armis viros habuerit. Sequentes versus duo ex Homero conversi, *Iliad.* B, 485-6. — 94 Ex Etruria. — 95 *Agylla*, antiquum nomen urbis quæ postea *Cære*, hodieque *Cervetere* vel *Cervetro* (vetus). *Nequicquam*, nam casuri erant ipse et viri. — 96 Magis gauderet; qui æquiorum et minus crudelium testis esset imperiorum patris (cujusmodi habes VIII, 485 seqq.); qui non adeo inhumanum patrem haberet. Sequentem versum, talem si fudit, non edidisset Virgilius. — 97 Forti. Sic Ennius: *Romulu' polcer.* De Aventino vide Servium. — 98 *Cinctam* his centum *serpentibus.* — 99 Vide p. 73, n. 39.

Geryone exstincto, Tirynthius[1] attigit arva,
Tyrrhenoque boves in flumine lavit Iberas.
Pila manu sævosque gerunt in bella dolones[2],
Et tereti pugnant mucrone veruque Sabello.
Ipse, pedes[3], tegumen torquens immane leonis,
Terribili impexum sæta, cum dentibus albis
Indutus[4] capiti, sic regia tecta subibat
Horridus, Herculeoque humeros innexus amictu.

Tum gemini fratres Tiburtia mœnia linquunt,
Fratris Tiburti dictam cognomine gentem,
Catillusque, acerque Coras, Argiva[5] juventus,
Et primam ante aciem densa inter tela feruntur :
Ceu duo nubigenæ[6] quum vertice montis ab alto
Descendunt Centauri, Homolen Othrymque[7] nivalem
Linquentes cursu rapido ; dat cuntibus ingens
Silva locum et magno cedunt virgulta fragore.

Nec Prænestinæ[8] fundator defuit urbis,
Vulcano genitum pecora inter agrestia regem
Inventumque focis omnis quem credidit ætas,
Cæculus. Hunc legio late comitatur agrestis,
Quique altum Præneste viri, quique arva Gabinæ[9]
Junonis, gelidumque Anienem[10], et roscida rivis
Hernica saxa[11] colunt ; quos dives Anagnia pascit ;
Quos[12], Amasene pater. Non illis omnibus arma,
Nec clipei currusve sonant : pars maxima glandes
Liventis plumbi spargit[13] ; pars spicula gestat
Bina manu ; fulvosque lupi de pelle galeros
Tegmen habent capiti ; vestigia nuda sinistri
Instituere[14] pedis ; crudus tegit altera pero.

1 Tirynthe, Argolidis oppido, Hercules erat educatus. De eadem re poeta iterum VIII, 201 seqq. — 2 « *Dolo* secundum Varronem est ingens contus cum ferro brevissimo. Et multi volunt per *teretes mucrones* (id est verua habentia teretem mucronem) dici *dolones*, per *veru Sabellum* autem significari *pila*, hastas romanas. » *S. Gerunt*, illi scilicet quos duxit Aventinus, sed non expressum est (ut in ceteris) unde et quos adduxerit. Fuerint Sabelli ; secundum antiquiorem scholiasten Samnites. — 3 *Pedes* (posteaquam currum descenderat) junge cum *subibat*. *Torquens*, id est retorquens ita, ut pellis ejus laciniæ essent pro cingulo, secundum illa VIII, 460 : *Demissa ab læva pantheræ terga retorquens*. Unde mox *innexus*. — 4 *Indutus* hanc ipsam pellem, nimirum caput ejus et rictum suo capiti circumimpositum habens, ut alius *lupi hiatum* et *metas cum dentibus albis*, XI, 681. *Sic*, tali habitu. — 5 Amphiarai, vatis Argivi, qui ad Thebas terrâ absorptus interiit, filii, sive potius nepotes, ex Catillo majore. « Ili tres unam simul fecere civitatem, et eam a fratris majoris, Tiburti, nomine Tibur appellaverunt, licet et alias fecerint singuli. » *S.* — 6 Centauros genitos esse constat ex nube Ixioni pro Junone supposita. « Ex hac comparatione equites eos fuisse intelligimus. » *S.* — 7 Montes Thessaliæ. — 8 Prænestæ, urbs Latii, hodie *Palestrina*. « Cato in Originibus ait, virgines aquam petentes Cæculum in foco invenisse, ideoque Vulcani (filium) existimasse ; et quod oculos exiguos haberet, Cæculum appellatum. Hic collectis pastoribus Prænestæ fundavit. » *Schol. veron.* Multo explicatius relatum a Servio, quem vide. — 9 « Gabini diu in agris morati, tandem Gabios (VI, 773, n. 59) condiderunt. Unde perite *arva* dixit, non *mœnia*. Illic Juno religiosissime colitur. » *S.* — 10 Regionem adjacentem Anieni, disterminanti Latinos et Sabinos, hod. *Teverone*. — 11 Hernicorum regionem saxosam. Et Marsi Sabinique saxa dicebant *hernas*. Hernicorum caput Anagnia, hodieque *Anagni*. — 12 *Quos* tu pascis. Amasenus fluvius (eodem nunc quoque nomine) « vicinus civitati Privernatium, quæ est in Campania. » *S.* — 13 Funditores. — 14 In solo statuerunt, id est statuere vel ponere solent (vide p. 51, n. 51) vestigia *nuda*, quippe nudi pedis sinistri. *Pero*, rustici calceamenti genus. Videntur illi in acie, diverso ab aliis more, processisse pede *dextro*. Nullos quum gesserint clipeos, non quadrant hæc Servii : « Pes sinister, in pugnantibus

primus, bene est nudus, quoniam tegitur scuto ; dextrum autem tectum convenibat esse, quasi ab armis remotum. » — 15 Messapiorum gentis conditor, de quo aliqua in Servio. — 16 *Hi*, hic exercitus a Messapo ductus, *habent Fescenninas acies*, milites ex Fescennio oppido ad Tiberim ; hi pars sunt hujus exercitus, item ut incolæ *ÆquiFalisci* (g. neutro), oppidi siti in meridionali parte Etruriæ, non longe a Tiberi, quod *Falisci* (*orum*) dici solet. In sequentibus verbum *habent* accipitur proprie, modo supplentur notione alia, ut in structura liberiore, zeugmatis aliquod genus referente.

At Messapus[15], equùm domitor, Neptunia proles,
Quem neque fas igni cuiquam nec sternere ferro,
Jam pridem resides populos desuetaque bello
Agmina in arma vocat subito, ferrumque retractat.
Hi[16] Fescenninas acies, Æquosque Faliscos,
Hi Soractis habent arces[17], Flaviniaque arva,
Et Cimini cum monte lacum[18], lucosque Capenos.
Ibant æquati numero[19], regemque canebant :
Ceu quondam nivei liquida inter nubila cycni
Quum sese e pastu referunt, et longa canoros
Dant[20] per colla modos ; sonat amnis, et Asia longe
Pulsa palus.
Nec[21] quisquam æratas acies ex agmine tanto
Misceri putet, aeriam sed gurgite ab alto
Urgeri volucrum raucarum[22] ad litora nubem.

Ecce, Sabinorum prisco de sanguine magnum
Agmen agens Clausus, magnique ipse agminis instar,
Claudia nunc a quo diffunditur et tribus et gens
Per Latium, postquam in partē data Roma Sabinis[23].
Una ingens Amiterna[24] cohors, priscique Quirites,
Ereti[25] manus omnis, oliviferæque Mutuscæ :
Qui Nomentum[26] urbem, qui Rosea rura Velini,
Qui Tetricæ horrentes rupes[27], montemque Severum,
Casperiamq[28] colunt, Forulosq, et flumen Himellæ ;
Qui Tiberim Fabarimq[29] bibunt ; quos frigida misit
Nursia[30], et Hortinæ classes, populique Latini ;

15 Montem, in Hirpinis, prope Faliscos, hodie *monte di San-Oresto*. Flavinæ sive Flavinii (mature deleti) situs incertus. — 18 De hoc monte lacuque fabulam narrat Servius ; hodie *Lago di Vico* et *di Ronciglione*. In agro Capenæ, Faliscis conterminæ, hod. *Civitella*, situs erat celeber lucus Feroniæ. — 19 Æqualibus ordinibus. « Ennius dicit se originem ducere a Messapo : unde nunc Virgilius et cantantes inducit ejus socios, et eos comparat cycnis. » *Serv.* — 20 Edunt. *Amnis* Cayster ; *Asia palus*, v. *Georg*, I, 383, n. 55. *Pulsa* sono. — 21 Sensus : Nemo videns hoc tantum agmen putet esse militum, qui in acie pugnaturi sunt, sed nubem avium migrantium (qualem supra descriptam legimus VI, 310 seqq.). *Gurgite*, mari. — 22 Velut anserum, gruum, aliarumve migrantium. Male Servius cycnos intelligit, ob XI, 458. — 23 Fœdere inter Titum Tatium et Romulum pacto. Sed Servius : « Clausus, dux Sabinorum, *post exactos reges* cum quinque millibus clientum et amicorum Romam venit, et susceptus habitandam partem urbis accepit : ex quo *Claudia* et tribus et familia nominata. » — 24 De oppido Amiterno, in Sabinis. *Quirites*, prisci oppidi *Curium* incolæ ; v. VI, 811, n. 83. — 25 *Eretum*, ad Allian flumen, nec procul a Tiberi, hod. *Monte Rotondo*. Ignoratur situs *Trebulæ Mutuscæ*, Sabinorum oppidi. — 26 Urbs ab Albanis condita in Latio, postea Sabinis subjecta, hod. *Mentana*. « Hoc ex sua persona dicit poeta : nam nondum fuerat civitas Nomentana » *S.* Ad lacum *Velinum* sive Reatinum paludem, a vicina urbe Reate (hod. *Rieti*) dictam, extendebantur *Campi Roseæ*, sive ager Rosulanus, admirandæ fertilitatis ; v. Serv. — 27 *Tetricus* mons asperrimus in Sabinis, hod. *Monte San-Giovanni*. Montem *Severum*, alibi non memoratum, putant esse qui hodie *Vissa*. — 28 *Casperia* vel *Casperula* (hod. *Aspra*, ut videtur), ad fontes *Himellæ*, rivi in Aventem influentis, qui hod. *Aja*. *Foruli*, vicus in monte ad Himellam, fortasse *Civita Tomussa*. — 29 Qui aliis *Farfarus*, hodie *Farfa*. — 30 Hodieque *Norcia*, in septemtrionalibus montibus Sabinorum sita ; *Horta*, quæ et ipsa nomen retinet, ad confluentes Naris et Tiberis. « Hortini equites dicuntur

Quosque secans infaustum interluit Allia[34] nomen :
Quam[32] multi Libyco volvuntur marmore fluctus,
Sævus ubi Orion hibernis conditur undis ;
Vel[33] quum sole novo densæ torrentur aristæ
Aut Hermi campo[34], aut Lyciæ flaventibus arvis.
Scuta sonant, pulsuque pedum conterrita[35] tellus.

Hinc[36] Agamemnonius, Trojani nominis hostis,
Curru jungit Halæsus equos, Turnoque feroces
Mille rapit[37] populos, vertunt felicia Baccho
Massica qui rastris, et quos de collibus altis
Aurunci[38] misere patres, Sidicinaque juxtà
Æquora ; quique Cales[39] linquunt ; amnisque vadosi
Accola Vulturni, pariterque Saticulus[40] asper,
Oscorumque manus. Teretes sunt aclydes[41] illis
Tela, sed hæc lento mos est aptare flagello ;
Lævas cetra[42] tegit ; falcati cominus enses.

Nec tu carminibus nostris indictus abibis,
Œbale, quem generasse Telon Sebethide[43] nymphâ
Fertur, Teleboûm Capreas[44] quum regna teneret,
Jam senior : patriis sed non et filius arvis
Contentus, late jam tum ditione premebat
Sarrastes[45] populos, et quæ rigat æquora Sarnus,
Quique Rufras Batulumq[46] tenent, atq arva Celennæ,
Et quos maliferæ despectant mœnia Abellæ[47] :
Teutonico ritu soliti torquere cateias[48] ;
Tegmina quis capitum raptus[49] de subere cortex,
Æratæque micant peltæ, micat æreus ensis.

classes : unde et eorum tubas *classica* dicimus, et partes populi *classes* vocamus. » *S. Latini*, quorum quidem oppida in Sabinis erant. — 31 Parvus fluvius Nomentum alluens, in Tiberim se effundens, *infaustum nomen* ob funestam cladem Romanorum in bello Gallico ; narrat Livius V, 37 seqq. — 32 Tam multi sunt *quam* etc. *Marmore*, mari. *Orion*, vide pag. 147, n. 67. — 33 *Vel* quam multæ sunt *aristæ*, *quum torrentur sole novo*, id est novis adhuc et integris viribus pollente, nondum absoluto ejus medio cursu, post quem calor decreseit. — 34 In Lydia ; vide p. 76, n. 9. Cui vicina *Lycia* ab aliis non celebratur ob fertilitatem ; quare nonnulli *Libyæ*, e correctione. — 35 *Conterrita* est. Alii *tremit excita*, ex XII, 445. — 36 *Hinc*, ex hac (id est, ex alia) parte veniens Halæsus, Agamemnonis vel comes olim vel nothus filius, cæso illo in Italiam profugus : fabula nunc obscura. — 37 Raptim adducit. *Massica*, de monte Massico in Campania, vitium optimarum feracissimo ; nam montium pleraque nomina etiam neutro genere plurali efferri possunt. — 38 Vide 206, n. 93. Sensu jungenda *de collibus* et *juxta Sidicina æquora* (campos), id est, de montibus juxta Teanum Sidicinum, Campaniæ oppidum campestre, hodie *Teano*. — 39 Item in Campania, hod. *Calvi*, et amnis hodieque *Volturno*. — 40 Pro : Saticulanus, civis *Saticulæ*, oppidi montani in confinibus Campaniæ et Samnii, ubi hodie *Caserta Vecchio*. — 41 « *Aclydes* sunt tela quædam antiqua adeo, ut nec usquam commemorentur in bello. Legitur tamen quod sint clavæ cubito semis factæ, eminentibus hinc et hinc acuminibus ; quæ ita in hostem jaciuntur religatæ loro vel lino (*flagello*, amento), ut peractis vulneribus possint ad dominos redire. » *S.* — 42 « Scutum loreum, quo utuntur Afri et Hispani. » *S. Cominus*, ad pugnam cominus ineundam. — 43 Filia Sebethi fluvii, hodie *Fiume della Maddalena*. — 44 *Capreæ*, insula ad litus Campaniæ, hod. *Capri*. Quo habitatum concessit gens græca *Teleboarum*, ex Tapho, Echinadum insularum una (hod. *Meganisi*). — 45 Græca origine accolas Sarni fluminis, hodieque *Sarno* (olim, ut videtur, dictus *Sarrus*). Vide quæ attulit Servius ex Cononis libro *de Italia*. — 46 « Castella Campaniæ sunt, a Samnitibus condita. *Celenna*, locus sacer Junoni. » *S.* — 47 Hodieque *Avella vecchia*, prope Clanis fluvii fontem et Nolam urbem, « cujus nomen Virgilius ex carminibus suis detraxerit ob negatum sibi hospitium. » *Serv.*, qui in exponenda hac fama sibi placet. — 48 Vox celtica de hastæ genere longiore. Apud Servium « quidam asserunt teli genus esse tale quale sunt aclydes (n. 41). » — 49 « Bene dixit *raptus*, raptim subla-

tus : quia recens suberis cortex in quamvis formam facile flectitur. • — 50 Nunc ignotæ. In paucis codd. est *Nursæ*, verum *Nursiæ* jam memorata v. 716. — 51 Cui ager est durus et aratu difficilis. *Æquicula* gens (adjective), oppidi dicti *Æquicolæ (arum)* vel *Æquicoli (orum)*, ad Latii fines orientem versus, Marsis vicini. — 52 Ex urbe dicta *Marruvium*, ad Fucinum lacum (h. *Lago di Celano)* ; erat caput Marsorum gentis, bellica virtute et serpentium incantationibus nobilitatæ. — 53 Id est : fronde vel corona oleaginea. — 54 Somnos *spargere*, conficere sparsis papaveribus aliisve herbis medicatis. Iras *mulcebat* manuum contactu. — 55 Quum vulneratus esset. — 56 Situm ad meridionalem extremitatem lacus Fucini, appellatum a sorore Medeæ *Anguitia*, quæ divinis ibi honoribus colebatur. — 57 In bellum, Sequebatur vox *Virbius*, in qua vitium agnovit et correxit Peerlkamp., quem vide p. 72 seq. *Mater*, patria urbs, hodieque *Ariccia* vel *La Riccia*. — 58 Ad lacum Aricinum, de quo v. 516, not. 33. Ibi erat lucus Egeriæ. Ara *pinguis* ex frequenti sacrificio, victimis abundans. *Placabilis* additum ob Tauricam illam aram, ad quam hospites mactari sibi jubebat Diana. — 59 A patre irrogatas, propter Phædram. — 60 Hoc solum dicit : revixisse. Scande *Pæonijs* (a Παιών, Παιῆονος, qui Homero medicus deorum), medicinalibus. Diana virgo amat castos et pudicos. — 61 • *Talis*, quæ etiam fata dissolveret. • *S. Phœbigenam*, Æsculapium. — 62 • Commendat ab aliis segregatum. *Solus*, in solis locis. *Ignobilis*, ignotus. • *S.* De re confer *Metamorph.* XV, 479 seqq. — 63 *Currum* everterunt *et juvenem effuderunt*, ex quo verbo illud eliciendum, propter zeugma.

Et te montosæ misere in prœlia Nersæ[50],
Ufens, insignem fama et felicibus armis;
Horrida præcipue cui gens, assuetaque multo
Venatu nemorum, duris Æquicula glebis[51];
Armati terram exercent, semperque recentes
Convectare juvat prædas, et vivere rapto.
Quin et Marruvia[52] venit de gente sacerdos,
Fronde super galeam et felici comptus olivâ[53],
Archippi regis missu, fortissimus Umbro;
Vipereo generi et graviter spirantibus hydris
Spargere[54] qui somnos cantuque manuque solebat,
Mulcebatque iras, et morsus arte levabat.
Sed non Dardaniæ medicari cuspidis ictum
Evaluit, neque eum juvere in vulnere[55] cantus
Somniferi et Marsis quæsitæ montibus herbæ.
Te nemus Anguitiæ[56], vitrea te Fucinus undâ,
Te liquidi flevere lacus.
Ibat et Hippolyti proles pulcherrima bello[57],
Viribus insignem quem mater Aricia misit,
Eductum Egeriæ lucis humentia circum
Litora[58], pinguis ubi et placabilis ara Dianæ.
Namque ferunt fama Hippolytum, postquâ arte novercæ
Occiderit, patriasque[59] explêrit sanguine pœnas,
Turbatis distractus equis, ad sidera rursus
Ætheria et superas cœli venisse sub auras[60],
Pæoniis revocatum herbis et amore Dianæ.
Tum Pater omnipotens, aliquê indignatus ab umbris
Mortalem infernis ad lumina surgere vitæ,
Ipse repertorem medicinæ talis[61] et artis
Fulmine Phœbigenam Stygias detrusit ad undas.
At Trivia Hippolytum secretis alma recondit
Sedibus, et nymphæ Egeriæ nemorique relegat[62],
Solus ubi in silvis Italis ignobilis ævum
Exigeret, versoque ubi nomine Virbius esset.
Unde etiam templo Triviæ lucisque sacratis
Cornipedes arcentur equi, quod litore currum[63]
Et juvenem monstris pavidi effudere marinis.

Filius ardentes haud secius[64] æquore campi
Exercebat equos, curruque in bella ruebat.
Ipse inter primos præstanti corpore Turnus
Vertitur[65] arma tenens, et toto vertice supra est.
Cui triplici crinita juba galea alta Chimæram
Sustinet, Ætnæos[66] efflantem faucibus ignes;
Tam[67] magis illa fremens et tristibus effera flammis,
Quam magis effuso crudescunt sanguine pugnæ.
At lævem clipeum sub latis cornibus Io[68]
Auro insignibat, jam sætis obsita, jam bos,
Argumentum ingens, et custos virginis Argus,
Cælataque amnem fundens pater[69] Inachus urnâ.
Insequitur nimbus peditum, clipeataque totis
Agmina densantur campis, Argivaque[70] pubes,
Auruncæque manus[71], Rutuli, veteresque Sicani,
Et Sacranæ acies[72], et picti scuta Labici;
Qui saltus, Tiberine, tuos, sacrumque Numici[73]
Litus arant, Rutulosque exercent vomere colles,
Circæumque[74] jugum; quis Juppiter Anxurus arvis
Præsidet, et viridi[75] gaudens Feronia luco;
Qua Saturæ jacet atra palus[76], gelidusque per imas
Quærit iter valles atque in mare conditur Ufens.
Hos super advenit Volsca de gente Camilla,
Agmen agens equitum et florentes[77] ære catervas,
Bellatrix: non illa colo calathisve Minervæ
Femineas assueta manus, sed prœlia virgo
Dura pati[78], cursuque pedum prævertere ventos.
Illa vel intactæ[79] segetis per summa volaret
Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas;
Vel mare per medium, fluctu suspensa tumenti,
Ferret iter, celeres nec tingueret æquore plantas.

64 Nihilo minus; patriâ fortunâ non monitus. — 65 Versatur, incedit. *Supra est*, eminet inter ceteros. — 66 Ignes tantos, quantos Ætna evomit. — 67 Tanto *magis* illa Chimæra est *fremens*, quanto *magis* etc. — 68 Inachi filia in vaccam mutata. *Latis*, patulis. — 69 « *Pater*, non tantum ipsius Ionis, sed etiam auctor originis Turni. » *Serv.* Quod supra vidimus v. 371 seq., n. 67. — 70 Ex illis colonis *Acristoneis*, de quibus 410, n. 85. — 71 Ex Auruncis cis Lirin habitantibus; trans Lirin degentes intelligebantur supra 727, n. 38. « Bene *veteres Sicani*: etenim ubi nunc Roma est, ibi olim fuerunt Sicani, quos postea pepulerunt Aborigines. » *S.* Adde XI, v. 316 seq. — 72 De his ipsi veteres hærebant inter

duas explicationes, quæ referuntur a Servio: « Dicunt quemdam Corybantem venisse ad Italiam, et tenuisse loca quæ nunc Urbi vicina sunt, et ex eo populos ducentes originem *Sacranos* appellatos: nam sacrati sunt Matri deûm Corybantes. Alii vero esse acies Ardeatium volunt, qui aliquando, quum pestilentia laborarent, *ver sacrum* voverunt, id est diis voverunt quæcumque proximo vere nata essent. Unde *Sacrani* dicti. » *Labici*, vulgo *Labicani*, ex oppido Latii dicto Labicum, hodie *la Colonna*. De nomine fabulam vide ap. Servium. — 73 Vide 242, n. 8. Litus *sacrum*, ut fluminis sacri, « aut jam tum sacri, aut per prolepsin: nam invento illic cadavere Æneæ sacratus est. » *S.* Arare enim non licebat agros diis sacros. — 74 Vide supra 10, not. 7. De Jove Anxuro Servius: « Circa hunc tractum Campaniæ colebatur puer Jupiter, qui *Anxurus* dicebatur, quasi ἄνευ ξυροῦ, id est sine novacula, qui barbam numquam rasisset; et Juno virgo, quæ *Feronia* dicebatur. Est autem fons in Campania juxta Terracinam, quæ aliquando *Anxur* est dicta. » Alibi Feronia appellatur nympha. Fons ejus et templum erat ubi hodie turris antiqua, dicta *Torre Otto-Faccia*. — 75 « Non vacat quod addidit *viridi*: nam quum aliquando hujus fontis lucus fortuito arsisset incendio, et vellent incolæ inde transferre simulacra, subito reviruit. » *S.* — 76 Quæ pars fuisse videtur paludum Pomptinarum, quas alit etiam Ufens, angustum flumen, hodie *Uffente*. — 77 « Ennius et Lucretius *florens* dicunt omne quod nitidum est: hos est secutus Virgilius. » *S.* — 78 *Pati*, repete *assueta*. — 79 Ita ut videatur ne tacta quidem esse.

Illam omnis tectis agrisque effusa juventus
Turbaque miratur matrum, et prospectat euntem
Attonitis inhians animis, ut regius ostro
Velet honos[80] læves humeros, ut fibula[81] crinem
Auro internectat, Lyciam[82] ut gerat ipsa pharetram
Et pastoralem[83] præfixa cuspide myrtum.

80 Ornatus regius, chlamys purpurea. *Læves*, carnosos et nitentes. Sic XI, 10. *læve pectus*. — 81 *Fibula*, non acus, quæ consuetudo est feminarum. Observavit Donatus : « Crinem ejus non ars feminea, sed virilis fibula militarisque nectebat. » — 82 Ut alibi legimus *Cretenses* vel *Creticas sagittas* : nam Lycii quoque arte sagittandi excellebant. — 83 « Quia myrto pugnare pastores solent. » *Serv.* De qua confer supra III, 23. et *Georg.* II, 447. not. 39. Similiter Statius, *Theb.* IV, 300. de parte Arcadum : *hi Paphias myrtos a stirpe recurvant Et pastorali meditantur prœlia trunco.*

LIBER VIII.

Ut belli signum[1] Laurenti Turnus ab arce
Extulit, et rauco strepuerunt cornua cantu,
Utque acres concussit equos[2], utque impulit arma,
Extemplo turbati animi[3]; simul omne tumultu
Conjurat trepido Latium, sævitque juventus
Effera. Ductores primi, Messapus et Ufens
Contemptorque deûm Mezentius[4], undique cogunt
Auxilia, et latos vastant cultoribus[5] agros.
Mittitur et magni Venulus[6] Diomedis ad urbem,
Qui petat auxilium, et, Latio consistere Teucros,
Advectum Æneân classi, victosque Penates
Inferre, et fatis regem se dicere posci[7],
Edoceat, multasque viro se adjungere gentes
Dardanio[8], et late Latio increbrescere nomen:
Quid struat his cœptis, quem, si fortuna sequatur,

1 Vexilla; vide not. 3. *Turnus; nam Latinus reliquerat rerum habenas*, VII, v 600. — 2 • Hoc ad equites pertinet, *arma* ad pedites. *Impulit*, movit. Es autem id sacrorum. Nam is qui belli susceperat curam, sacrarium Martis ingressus, primo ancilia commovebat, post hastam simulacri dicens: *Mars vigila.* • *Serv.* — 3 *Animi* Latinorum. *Conjurat*: nam • si esset *tumultus*, id est bellum Italicum vel Gallicum, quia singulos interrogare non vacabat, is qui fuerat ducturus exercitum, ibat ad Capitolium, et exinde proferens duo vexilla, unum russeum, quod pedites evocabat, alterum cæruleum, quod erat equitum, dicebat: *Qui rempublicam salvam vult esse, me sequatur;* et qui convenissent, simul jurabant, et dicebatur ista militia *conjuratio.* • Hæc Servius inter plura quæ narrat de veteri militia. — 4 De quibus vide VII, 691, 647, 745. — 5 • Abducendo cultores, vastos et desertos efficiunt. • *S.* — 6 • Hunc fuisse constat Argivum. Alii Lavini imperasse olim tradunt. • *S.* Diomedes, Troja redux quum Argos brevi reliquisset, post multos errores in Italiam delatus, a Dauno, Apuliæ rege, exceptus est, et filiæ matrimonio regnique parte potitus condidit, præter urbes alias, Argos Hippium, quæ postea dicta Argyrippa, denique *Arpi*, quod nomen hodieque perstat. — 7 Strue: *et dicere, se a fatis posci regem.* — 8 • Bene non *Æneæ* dixit, sed *viro Dardanio*: ut non sit mirum, si sequebantur hominem sibi cognatione sociatum. • *S.* Quæ metuenda esse videbantur, ea narraturi erant legati jam evenisse, ad commovendum Diomedem.

Eventum pugnæ cupiat[9], manifestius ipsi
Quam Turno regi aut regi apparere Latino.
Talia per Latium[10]. Quæ Laomedontius heros
Cuncta videns, magno curarum fluctuat æstu;
Atque[11] animum nunc huc celerē, nunc dividit illuc,
In partesque rapit varias, perque omnia versat :
Sicut aquæ tremulum labris ubi lumen ahenis,
Sole repercussum aut radiantis imagine[12] lunæ,
Omnia pervolitat late loca, jamque sub auras
Erigitur, summique ferit laquearia tecti.
Nox erat, et terras animalia fessa per omnes,
Alituum[13] pecudumque genus, sopor altus habebat,
Quum pater in ripa gelidique sub ætheris axe[14]
Æneas, tristi turbatus pectora bello,
Procubuit, seramque dedit[15] per membra quietem.
Huic deus ipse loci, fluvio Tiberinus[16] amœno,
Populeas inter senior se attollere frondes
Visus : eum tenuis glauco velabat amictu
Carbasus, et crines umbrosa tegebat arundo.
Tum sic affari, et curas his demere dictis :
« O sate gente deûm, Trojanam ex hostibus urbem
Qui revehis[17] nobis, æternaque Pergama servas,
Exspectate solo Laurenti arvisque Latinis,
Hic tibi certa domus, certi, ne absiste, Penates;
Neu belli terrēre minis : tumor omnis et iræ
Concessere[18] deûm.
Jamque tibi, ne vana putes hæc fingere somnum,
Litoreis[19] ingens inventa sub ilicibus sus,
Triginta capitum fœtus enixa, jacebit,
Alba, solo recubans; albi circum ubera nati.
Hic locus urbis erit, requies ea certa laborum,
Ex quo[20] ter denis urbem redeuntibus annis
Ascanius clari condet cognomínis Albam.
Haud incerta cano. Nunc qua ratione quod instat
Expedias victor[21], paucis, adverte, docebo.
Arcades his oris, genus a Pallante[22] profectum,
Qui regem Evandrum comites, qui signa[23] secuti,
Delegere locum, et posuere in montibus urbem
Pallantis proavi de nomine Pallanteum.
Hi bellum assidue ducunt cum gente Latinâ;

9 Eum nempe eventum, ut patriæ suæ excidionem acerbe ulcisci possit in hoste acerrimo, ipsum impetens bello. — 10 Supple : gerebantur. — 11 Eadem IV, 285, 286, ubi v. not. 32. — 12 *Imagine*, quia ipsa imago lunæ in aqua conspicitur. Sumpta comparatio ab Apollonio, *Argonaut.* III, 755 seqq. — 13 Poetice pro *alitum*. — 14 « Sub dio. Attius in Philoctete : *Sub axe positum, unde horridus aquilonis stridor gelidas molitur nives.* » *Schol. veron.* — 15 « Sero indulsit quietem corpori. » *S. Per membra*, nam somnus dicitur « didi per corpus, spargi per membra, » etc. — 16 « Sic in sacris vocatur; in cœnolexia (vulgari sermone) *Tiberis*, in poesi *Thybris.* » *Serv.* — 17 *Revehis*, propter Dardanum. « Pergama servas et in Italiam vehendo efficis æterna. Bene ex persona ominatur Romanis. » *Sch. veron. Exspectate*, propter deorum vaticinia. — 18 Resederunt. — 19 Quatuor versus repetiti ex vaticinio Heleni, III, 390-393, ubi vide. — 20 *Ex quo* tempore : triginta annis postquam hanc suem inveneris. *Clari cognominis*, utpote ab *alba* sue ducti. Incommoda quædam hujus loci notavit Peerlkamp. p. 84-5. — 21 Feliciter. *Adverte* animum. — 22 Filio Lycaonis, primi regis Arcadiæ, avo Evandri. De exilio Pallantis, qui Pallantion urbem in Arcadia condiderat, vide Servium. — 23 *Signa* ejus, Evandri. *In montibus*, in monte Palatino.

Hos castris adhibe socios et fœdera junge.
Ipse ego te ripis et recto[24] flumine ducam,
Adversum remis superes subvectus ut amnem.
Surge age, nate dea, primisque[25] cadentibus astris,
Junoni fer rite preces, iramque minasque
Supplicibus supera votis. Mihi victor[26] honorem
Persolves. Ego sum, pleno quem flumine cernis
Stringentem ripas et pinguia culta secantem,
Cæruleus Thybris, cœlo gratissimus amnis.
Hic[27] mihi magna domus, celsis caput urbibus, exit.»
Dixit, deinde lacu[28] Fluvius se condidit alto,
Ima petens; nox Æneam somnusque reliquit.
Surgit, et ætherii spectans orientia solis
Lumina, rite cavis undam de flumine palmis
Sustinet[29], ac tales effundit ad æthera voces: [est[30],
« Nymphæ, Laurentes Nymphæ, genus Amnibus unde
Tuque, o Thybri tuo genitor cum flumine[31] sancto,
Accipite Æneam, et tandem arcete periclis.
Quo te cumq[32] lacus miserantem incommoda nostra
Fonte tenet, quocumque solo pulcherrimus exis,
Semper honore[33] meo, semper celebrabere donis,
Corniger Hesperidum Fluvius regnator[34] aquarum.
Adsis o tantum et propius[35] tua numina firmes.»
Sic memorat, geminasque legit de classe biremes,
Remigioque aptat; socios simul instruit armis.
Ecce autē (subitū atque oculis mirabile monstrū!)
Candida per silvam cum fœtu concolor albo
Procubuit viridique in litore conspicitur sus:
Quam pius Æneas tibi enim[36], tibi, maxima Juno,
Mactat, sacra ferens, et cum grege sistit ad aram.
Thybris ea fluviū, quā longa est[37], nocte tumentem
Leniit, et tacita refluens ita substitit undâ,
Mitis ut in morem stagni placidæque paludis
Sterneret æquor[38] aquis, remo ut luctamen abesset.
Ergo iter inceptum celerant rumore secundo[39].

24 Vide extremam not. libri VI. *Ripis*, inter ambas ripas. — 25 Ubi primum astra cadent, occident; vel, sub primum diluculum. « *Fer preces*, quemadmodum *sacra ferri* dicimus. » *S.* — 26 Compos voti, hic et XI, 565. — 27 « *Hic*, scilicet circa exitum suum in mare, quamvis alibi ortus suos incolant fluvii. » *Servius*. Apparet dictum esse de Roma futura, in qua Tiberinus consecrabitur. *Exit*, pro futuro *exibit*, surget, ut prædictæ rei eventus certissimus dicatur, æque ac res præsens. Peerlkampius de Æneæ vaticinandam fuisse disputat, et conjicit, *Hic* TIBI *magna domus*, CELSUM HIC *caput urbibus exit*, quod Virgilio non indignum. — 28 *Lacu*, de alveo lato; item mox v 74. — 29 *Sustinet* in optimis codd., non *sustulit*. Ac videntur deum et Nymphas fluminis precaturi aquam ex eo fluminе haustam manu cava tenuisse, dum facerent preces. — 30 Fontium quippe deæ sunt Nymphæ. — 31 « Nam Tibris sic invocatur in precibus: *Adesto, Tiberine, cum tuis undis.* » *S.* Conf. IX, 816, n. 25. — 32 *Quocumque fonte lacus te tenet*, id est, quicumque est fons fluvii (v. not. 28) in quo tu habitas; ubicumque est fons, domus tua, et in quocumque solo exis. Nam habitare credebantur dii fluviorum in antris, unde scatent fontes eorum; conf. p. 122, n. 80. — 33 Vide p. 133, n. 37. — 34 Princeps fluviorum Italiæ. *Corniger*, vide p. 123, n. 5. — 35 Præsentiore aliquo modo. — 36 Vide p. 90, n. 90. Imitatur Silius XIII, 136: *Mactat, Diva, tibi, tibi enim, hæc gratissima sacra.* — 37 Vide IV, 193, n. 90. *Refluens*, se reprimens nec prolabens, « ut Æneas contra undas pergens descendentis celeritate propemodum uteretur. » *S.* — 38 Sternendo undas æquor efficeret aquis, aquas quasi complanaret. — 39 Clamore læto et alacri. Ex Pacuvio poeta, qui dixit: *Solvere imperat secundo rumore, adversâque avi* (apud Cic. *de Divin.* I, 16)

Labitur uncta[40] vadis abies; mirantur et undæ,
Miratur nemus insuetum fulgentia longe
Scuta virûm fluvio pictasque innare carinas.
Olli remigio[41] noctemque diemque fatigant,
Et longos superant flexus[42], variisque teguntur
Arboribus, viridesq; secant placido æquore silvas[43].
Sol medium cœli conscenderat igneus orbem,
Quum muros arcemque procul ac rara domorum
Tecta vident, quæ nunc Romana potentia cœlo
Æquavit; tum res inopes Evandrus habebat.
Ocius advertunt[44] proras, urbique propinquant.

Forte die sollemnem illo rex Arcas honorem
Amphitryoniadæ[45] magno divisque ferebat
Ante urbem in luco. Pallas huic filius una,
Una omnes juvenum primi, pauperque senatus
Thura dabant, tepidusque cruor fumabat ad aras.
Ut celsas vidêre rates, atque inter opacum
Allabi nemus, et tacitis incumbere remis[46],
Terrentur visu subito, cunctique relictis
Consurgunt mensis. Audax quos rumpere Pallas
Sacra vetat, raptoque volat telo obvius ipse[47],
Et procul e tumulo : « Juvenes, quæ causa subegit
Ignotas[48] tentare vias? quo tenditis? inquit. [ma? »
Qui genus? unde domo? pacemne huc fertis, an ar-
Tum pater Æneas puppi sic fatur ab alta,
Paciferæque manu ramum prætendit olivæ :
« Trojugenas ac tela vides inimica Latinis,
Quos illi bello profugos egere[49] superbo.
Evandrum petimus : ferte[50] hæc, et dicite lectos
Dardaniæ venisse duces, socia arma rogantes. »
Obstipuit tanto percussus nomine Pallas :
« Egredere, o quicumque es, ait, coramq; parentem
Alloquere, ac nostris succede penatibus hospes. »
Excepitque manu, dextramque amplexus inhæsit.
Progressi subeunt luco, fluviumque relinquunt.

Tum regem Æneas dictis affatur amicis :
« Optime Grajugenûm, cui[51] me Fortuna precari
Et vitta comptos voluit prætendere ramos,
Non equidem extimui, Danaûm quod ductor et Arcas,
Quodq; ab stirpe fores geminis conjunctus[52] Atridis;

40 *Uncta* pice, picata; ex Ennio. *Abies*, navis lignea. — 41 Remigatione assidua nec intermissa agunt noctem et diem : quod poetice dictum *fatigare noctem diemque*, ut IX, 605, assidue venantes dicuntur *fatigare silvas*. — 42 Libri Augurum Tiberim vocant *colubrum*, tanquam flexuosum. » *S.* — 43 *Silvas*, nimirum imaginem nemorum in undis, ut bene exponit Servius. Conferendi Mæcenatis versus, apud Senecam, *Epist.* CXIV. — 44 *Advertunt* ripæ. — 45 Herculi. *Divisque* : « nam, cuicumque deo sacrificaretur, necesse erat post ipsum reliquos invocari. » *S. Ante urbem in luco* : « in eo loco, qui nunc *Velabrum* dicitur. Id enim est lucus Herculis et collis, ubi postea Ara maxima consecrata. » *Sch. veron.* — 46 In voce *remis* continetur subjectum *remiges*, qui sine strepitu in placido amne vel (ut Servius) sine celeusmate remigabant. — 47 Solus, ut XI, 218 et alibi. — 48 *Ignotas*, « quia videt eos esse peregrinos. » *S.* — 49 Exagitavêre. *Superbo*, utpote in supplices, qui ad eos confugerant. — 50 Nuntiate ei. — 51 *Cui* propter sequens *prætendere* : cui prætendens ramos olivæ precer (eum). Vide VII, 154, n. 74. — 52 Per Jovem, a quo Evander et Atridæ genus suum repetebant. Alia habes apud Servium. Sequentia, *mea me virtus* etc., non ex nostro sensu judicanda sunt, sed ex veterum, « qui hoc fiduciam morum, non arrogantiam arbitrabantur, » ut Taciti

Sed mea me virtus, et sancta oracula divûm[53],
Cognatique patres, tua terris didita[54] fama
Conjunxere tibi, et fatis egere[55] volentem.
Dardanus, Iliacæ[56] primus pater urbis et auctor,
Electrâ, ut Graii perhibent, Atlantide cretus,
Advehitur Teucros[57]; Electram maximus Atlas
Edidit, ætherios humero qui sustinet orbes.
Vobis Mercurius pater est, quem candida Maia
Cyllenæ gelido conceptum vertice fudit[58];
At Maiam, auditis si quidquam credimus, Atlas,
Idem Atlas generat [cœli qui sidera tollit].
Sic genus amborum scindit se sanguine ab[59] uno.
His fretus, non legatos neque prima per artem
Tentamenta tui pepigi[60]; me, me ipse meumque
Objeci caput, et supplex ad limina veni.
Gens eadem, quæ te, crudeli Daunia[61] bello
Insequitur; nos si pellant, nihil afore credunt
Quin omnem Hesperiâ penitus sua sub juga mittant,
Et mare quod supra[62], teneant, quodque alluit infra.
Accipe daque fidem. Sunt nobis fortia bello
Pectora, sunt animi, et rebus spectata[63] juventus. »

Dixerat Æneas. Ille os oculosque loquentis
Jamdudum et totum lustrabat lumine corpus.
Tum sic pauca refert: « Ut te, fortissime Teucrûm,
Accipio agnoscoque libens! ut verba parentis
Et vocem Anchisæ magni vultumque recordor!
Nam memini Hesionæ visentem[64] regna sororis
Laomedontiaden Priamum, Salamina petentem,
Protinus Arcadiæ gelidos invisere fines.
Tum mihi prima genas vestibat flore[65] juventa;
Mirabarque duces Teucros, mirabar et ipsum
Laomedontiaden; sed cunctis altior ibat
Anchises. Mihi mens juvenali ardebat amore
Compellare virum, et dextræ conjungere dextram;
Accessi, et cupidus Phenei[66] sub mœnia duxi.
Ille mihi insignem pharetram Lyciasque[67] sagittas
Discedens chlamydemque auro dedit intertextam,
Frenaque bina[68], meus quæ nunc habet aurea Pallas.
Ergo et, quâ petitis, juncta est mihi[69] fœdere dextra,
Et, lux quum primum terris se crastina reddet,
Auxilio lætos dimittam, opibusque[70] juvabo.

verbis utar. — 53 Quæ dixerant ita: *Via prima salutis* GRAIA *pandetur ab urbe*, VI, 97. — 54 Per terras divulgata. — 55 *Egere* ut te adirem; et volens secutus sum Fata agentia. — 56 Illum condidit Ilus, Dardani filius. *Ut Graii*, « id est vestræ literæ. Firmius enim est quod ab ipsorum testimonio infertur. » *Serv.* — 57 Vehitur ad Teucros, in Troadem. — 58 Enixa est, ut in *Georgic.* I, 13. Infra hemistichium, merito suspectum, seclusimus. — 59 Ut ab uno fonte profluentia fluvii brachia duo. *Per* est supplendum ante *legatos*. — 60 *Tentamenta pepigi*, nove dictum per scitam juncturam pro his: tentamenta pactionis feci. — 61 Est Rutula, a Dauno, genitore Turni. — 62 Vide *Georg.* II, 158, n. 25. — 63 « Experimentis probata, decennali scilicet prœlio. » *Serv.* — 64 Invisere volentem. « Hercules, eversa Troja, Laomedontis filiam Hesionam Telamoni suo comiti dedit, ex qua natus est Teucer. Priamus postea quum Samina tenderet, ad visendum regnum sororis, per Arcadiam iter fecit, et tunc ab Evandro susceptus est Anchises. » *S.* — 65 Lanugine. — 66 *Pheneum*, gr. Φενεός, vetus oppidum Arcadiæ in parte Azanum. — 67 *Pharetram* Lyciam *et sagittas Lycias*; vide VII, fine, n. 81. — 68 Duo. — 69 A me juncta est tecum. Jam olim junxi tibi dextram quam nunc petis. — 70 Copiis militaribus.

Interea sacra hæc, quando huc venistis amici,
Annua[71], quæ differe nefas, celebrate faventes
Nobiscum, et jam nunc sociorum assuescite mensis »
Hæc ubi dicta, dapes jubet et sublata reponi
Pocula, gramineoque viros locat ipse sedili,
Præcipuumque[72] toro et villosi pelle leonis
Accipit Æneam, solioque invitat acerno.
Tum lecti juvenes certatim aræque[73] sacerdos
Viscera tosta ferunt taurorũ, onerantque canistris[74]
Dona laboratæ Cereris, Bacchumque ministrant.
Vescitur Æneas simul et Trojana juventus
Perpetui tergo[75] bovis et lustralibus extis.
Postquã exempta fames et amor compressus edendi,
Rex Evandrus ait : « Non hæc sollemnia nobis,
Has ex more dapes, hanc tanti numinis aram
Vana superstitio[76] veterumque ignara deorum
Imposuit : sævis, hospes Trojane, periclis
Servati facimus meritosque novamus[77] honores.
Jam primum saxis suspensam hanc aspice rupem,
Disjectæ procul ut moles, desertaque montis
Stat domus[78], et scopuli ingentem traxere ruinam.
Hic spelunca fuit, vasto submota[79] recessu,
Semihominis Caci facies quam dira tenebat,
Solis inaccessam radiis; semperque recenti
Cæde tepebat humus, foribusque affixa superbis[80]
Ora virũm tristi pendebant pallida tabo.
Huic monstro Vulcanus erat pater : illius atros
Ore movens[81] ignes, magna se mole ferebat.
Attulit et nobis aliquando optantibus ætas
Auxilium adventumque dei : nam maximus ultor,
Tergemini nece Geryonæ spoliisque superbus,
Alcides[82] aderat, taurosque hac victor agebat
Ingentes; vallemque boves amnemque[83] tenebant.
At furiis Caci mens effera, ne quid inausum
Aut intractatum scelerisve dolive fuisset,

71 Servius de illo sacro annuo Herculis cogitabat quod *polluctum* vocabatur; vide Varron. *L. L.* VI, 54. — 72 Præcipuo honore affectum, præ ceteris honoratum eo quod in solio toroque pelle leonis instrato jubetur considere. *Solio*, in solium, ut IX, v. 676 : *invitant mœnibus hostem*. — 73 « Sacerdos *aræ*, scilicet Maximæ. Nondum enim templum Herculis fuerat, sed ara tantummodo. » *Serv.* — 74 Eadem ratione explicandum qua I, 195, n. 21. « *Laboratæ Cereris* est frumenti quod eget labore. Glandes enim sine ullo labore nascuntur. » *Serv.* — 75 Longe porrecto tergo bovis, quod apud Homerum νῶτα ὀτυγκτά. Exta *lustralia*, ut in sacrificio expiatorio. Nam heroicis temporibus exta in sacris epulis apponebantur, sed sequentibus ætatibus cremabantur in ara.

Doctas hariolationes veterum grammaticorum de *perpetui* et *lustralibus* refert Servius. — 76 « Duo dicit : non ideo Herculem colimus, aut quia omnem religionem veram putamus, aut quia deos ignoramus antiquos. » *S.* Adde Lactantium, *Inst.* IV, 28. — 77 Instituimus novos ; novum cultum Herculis addimus antiquis religionibus. Minus recte alii de anniversario, quotannis instaurato sacro accipiunt. Sequitur celebre episodium de *Caco*, quam fabulam tractarunt etiam Propertius, IV, eleg. 9, et Ovidius, *Fast.* I, 543 seqq., denique paucis egregie Livius I, 7. — 78 *Montis domus*, rupes hæc in monte, quondam hominis domicilium. *Traxere*, vide p. 168, n. 13. — 79 Longe reducta, remota. — 80 Foribus *superbis*, monstri superbi, crudeliter insolentis, gr. ὑβριστικοῦ. *Ora*, capita. Junge *ora tristi tabo* (infecta; ablativo qualitatis; vide p. 197, n. 62). — 81 Efflans ore. « *Et nobis* ; etiam nobis, sicuti multis, quibus Hercules profuit monstra purgando. » *Serv.* — 82 Alcei nepos Hercules; cujus notissima est ærumna in Geryone et tauris ejus. — 83 Tiberis ripas.

Quattuor a stabulis[84] præstanti corpore tauros
Avertit, totidem forma superante[85] juvencas ;
Atque hos, ne qua forent pedibus vestigia rectis,
Caudâ in speluncam tractos, versisque viarum
Indiciis raptos, saxo occultabat opaco.
Quærenti nulla ad speluncam signa ferebant[86].
Interea, quum jam stabulis saturata moveret
Amphitryoniades armenta abitumque pararet,
Discessu mugire boves, atque omne querelis
Impleri nemus, et colles clamore[87] relinqui.
Reddidit una boum vocem, vastoque sub antro
Mugiit, et Caci spem custodita[88] fefellit.
Hic vero Alcidæ furiis[89] exarserat atro
Felle dolor : rapit arma manu nodisque gravatum
Robur, et aerii cursu petit ardua montis.
Tum primum nostri Cacum vidêre timentem
Turbatumque oculi[90] : fugit ilicet ocior Euro,
Speluncamque petit; pedibus timor addidit alas.
Ut sese inclusit, ruptisque immane catenis
Dejecit saxum, ferro quod et arte paternâ
Pendebat, fultosque emuniit[91] objice postes,
Ecce furens animis aderat Tirynthius, omnem[que
Accessum lustrans huc ora ferebat et illuc,
Dentibus infrendens. Ter totum fervidus irâ]
Lustrat Aventini montem; ter saxea tentat
Limina nequicquam; ter fessus valle resedit.
Stabat acuta[92] silex, præcisis undique saxis,
Speluncæ dorso insurgens, altissima visu,
Dirarum[93] nidis domus opportuna volucrum.
Hanc, ut prona jugo lævum incumbebat ad amnem,
Dexter in adversum nitens concussit, et imis
Avulsam solvit radicibus; inde repente
Impulit : impulsu quo maximus intonat æther,
Dissultant ripæ, refluitque exterritus amnis.
At specus et Caci detecta apparuit ingens
Regia[94], et umbrosæ penitus patuere cavernæ :
Non secus ac si qua penitus vi terra dehiscens
Infernas reseret sedes, et regna recludat
Pallida, dis invisa, supêrque[95] immane barathrum
Cernatur, trepidentque immisso lumine Manes.

84 A pascuis ubi procubuerant; et mox iterum, v. 213, *stabulis saturata*. • Erat proprium *abegit*; sed respexit ad prædam quæ *averti* dicitur. • *S.* Nihil reprehendendum est in subjecto *Cacus meus*, quod procedente periodo jam fit : *tali mente agitatus Cacus*. — 85 Excellenti. Mox intellige, *vestigia* facta *rectis pedibus*. — 86 Breviter pro : nulla signa vel vestigia ad speluncam ferentia apparebant. — 87 Cum clamore. Quod debile visum varie corrigitur, a Peerlkampio *et colles* CLAMARE PROFINQUI, de repercussa voce. — 88 Quamquam bene custodita. — 89 Præ iracundia, ut infra v. 494. Plusquamperfectum *exarserat* ponit propter sequentia, quæ jam nunc in mente habet Evander. *Felle*, quod sedes iræ. *Robur*, clavam. — 90 *Oculi* apud Servium vulgo *oculis*, quod minus est aptum, etiamsi conferas v. 266. — 91 Ita emunivit postes, ut essent fulti præstructo objice Hercules *Tirynthius*, vide VII, 662, n. 1. Hinc uncis illatis indicamus quæ faventibus Musis resecavit Peerlkampius, quem vide p. 102 seq. — 92 • Pæne omnes *hunc silicem* dixerunt, ut Varro et Lucretius. Tanta tamen est Virgilii auctoritas, ut persuadeat nobis etiam *hanc silicem* dici. • *Serv.* — 93 • Volucrum, modo non mali ominis, ut alibi, sed quæ humanis cadaveribus vescebantur; ob præcedentia (v. 196. n. 80). • *S.* — 94 Recte Servius : • *Regia*, sicut Cacus putabat et vocabat. • — 95 Superne, ἄνωθεν.

Ergo insperata deprensum in luce repente,
Inclusumque cavo saxo, atque insueta rudentem[96]
Desuper Alcides telis premit, omniaque arma
Advocat, et ramis vastisque molaribus instat.
Ille autem (neq; enim fuga jam super[97] ulla pericli
Faucibus ingentem fumum (mirabile dictu!)
Evomit, involvitque domum caligine cæcâ[98],
Prospectum eripiens oculis, glomeratque sub antro
Fumiferam[99] noctem, commixtis igne tenebris.
Non tulit Alcides animis[1], seque ipse per ignem
Præcipiti jecit saltu, qua plurimus undam
Fumus agit[2], nebulaque ingens specus æstuat atrâ.
Hic Cacum in tenebris incendia vana vomentem
Corripit, in nodum complexus[3], et angit inhærens
Elisos oculos et siccum sanguine guttur.
Panditur extemplo foribus domus atra revulsis,
Abstractæque boves abjurataque[4] rapinæ
Cœlo ostenduntur; pedibusque informe cadaver
Protrahitur. Nequeunt expleri corda tuendo[5]
Terribiles oculos, vultum, villosaque setis
Pectora semiferi, atque exstinctos faucibus ignes[6]
Ex illo celebratus honos, lætique minores
Servavere diem, primusque Potitius[7] auctor
Et domus Herculei custos Pinaria sacri.
Hanc aram luco statuit[8], quæ Maxuma semper
Dicetur nobis, et erit[9] quæ maxima semper.
Quare agite, o juvenes[10], tantarum in munere laudûm
Cingite fronde comas, et pocula porgite[11] dextris,
Communemq; vocate[12] deum, et date vina volentes.»
Dixerat, Herculea[13] bicolor quum populus umbrâ
Velavitque comas foliisque innexa pependit,
Et sacer implevit dextram scyphus[14]. Ocius omnes

96 Insuetos ruditus edentem. — 97 Supererat. — 98 *Cæca*, per quam non licet quicquam dispicere. — 99 Noctem quæ pro tenebris inducebat fumum. — 1 Præ ira. — 2 *Undam agit*, undat. Sic *Georg.* I, 472: *undantem ruptis fornacibus Ætnam.* — 3 Ita Cacum complexus manibus suis vel brachiis, ut fiant nodus, ut sint tamquam nodus laquei. Tam arcte autem constringit fauces, ut elidantur etiam oculi. Perfecti participia in talibus jam aliquoties observavimus. — 4 Quas se habere Cacus perjurio negaverat. — 5 Intuendo. — 6 Verius hoc quam vulgare: et fauces exstinctis ignibus, vel quarum ignes jam exstincti. *Minores*, posteri. — 7 Gentes *Potitiorum* et *Pinariorum* sacerdotium Herculis hereditarium habebant. De quibus multa Servius ad hunc locum, breviter Livius I, capitis 7 parte ultima. — 8 *Statuit* Hercules. Quod quamquam et alii sic narrant, durissima est ellipsis et vix ferenda novi subjecti; ut hinc commendetur Pomponii emendatio, STATUI. « *Maxima*: ingens enim est ara Herculis, sicut videmus hodieque post januas Circi maximi. » *S.* — 9 Pro eo quod sic effert prosa: dicetur, ut vere est et semper erit, maxima. — 10 Trojanos alloquitur. *In munere laudum tantarum*, in sacrificio Herculi ob facinus tam præclarum instituto. — 11 Porrigite, proferte; nam libatio fiebat exporrecta manu et prolato poculo. — 12 Invocate deum qui jam *communis* est nobis et Trojanis, fœdere junctis. *Date*, fundite, libate Hercule. — 13 Vide p. 73, n. 54, arboris epitheto ad umbram translato. *Bicolor* in frondibus, id quod fabula pulchre explicat: « Hercules ad inferos descendens quum fatigaretur labore, dicitur coronâ de populo factâ caput velasse: unde foliorum pars temporibus cohærens ex capitis albuit sudore; pars vero exterior propter inferorum colorem nigra permansit. *Pependit populus*, scilicet corona de populo. » *S.* Quod indicat *foliis innexa*, foliis ejus inter se nexis et consertis. — 14 « *Scyphus* Herculis poculum est, ita ut Liberi patris *cantharus*. Antiqua historia est, Herculem poculo tamquam navigio vectum immensa maria transisse. » *Macrob.* Et Servius « Legitur in libris antiquis, Herculem ad Italiam ingens ligneum poculum attu-

In mensam [15] læti libant, divosque precantur.
Devexo [16] interea propior fit Vesper Olympo :
Jamque sacerdotes primusque Potitius ibant,
Pellibus in morem cincti, flammasque [17] ferebant.
Instaurant epulas, et mensæ grata secundæ
Dona [18] ferunt, cumulantque oneratis lancibus aras.
Tum Salii ad cantus [19] incensa altaria circum
Populeis adsunt evincti tempora ramis,
Hic juvenum chorus, ille senum; qui carmine laudes
Herculeas et facta ferunt [20] : ut prima novercæ
Monstra manu geminosque premens eliserit angues;
Ut bello egregias idem disjecerit urbes,
Trojamque OEchaliamque [21]; ut duros mille labores
Rege sub Eurystheo [22], fatis Junonis iniquæ,
Pertulerit. « Tu nubigenas, invicte, bimembres [23],
Hylæumque Pholumque, manu, tu Cresia [24] mactas
Prodigia, et vastum Nemeæ sub rupe leonem.
Te Stygii tremuere lacus, te janitor Orci [25]
Ossa super recubans antro semiesa cruento;
Nec te ullæ facies [26], non terruit ipse Typhoeus,
Arduus arma tenens; non te rationis egentem [27]
Lernæus turba capitum circumstetit anguis.
Salve, vera Jovis proles, decus addite divis;
Et nos et tua dexter [28] adi pede sacra secundo ! »
Talia carminibus celebrant; super omnia Caci
Speluncam adjiciunt, spirantemque ignibus ipsum.
Consonat omne nemus strepitu, collesque resultant.
Exin se cuncti divinis rebus ad urbem
Perfectis referunt. Ibat rex obsitus ævo [29],
Et comitem Æneam juxta natumque tenebat
Ingrediens, varioque viam sermone levabant.
Miratur facilesque [30] oculos fert omnia circum
Æneas, capiturque locis, et singula lætus
Exquiritque auditque virûm monumenta priorum.

lisse, quo utebantur in sacris : quod ne carie consumeretur, pice oblitum servabatur. • — 15 • Nam apud antiquos etiam mensam cum aris mos erat consecrari, quo die templum consecrabatur. In eam igitur illi libant cum ara maxima consecratam. • *Serv.* De qua re plura Macrobius, *Saturn.* III, 11. — 16 *Devexo Olympo*, cœlo se inclinante, ruente in noctem. — 17 Faces; v. VI, 518, n. 33. — 18 Vina; vide I, 723 seqq., et not. 47. Lances oneratæ extis, quæ in ara cremantur, intelligendæ (v. *Georg.* II, 194, n. 56), potius quam thure. — 19 Qui cantent circa altaria tripudiantes. De his vero *Saliis* Herculis sacerdotibus et Numâ multo antiquioribus, vide Servium, et Macrob. III, c. 12. — 20 Efferunt, celebrant. • Senes tantum voce laudes Herculis exsequebantur; juvenes et gestu corporis ejus facta monstrabant. • *S.* Inde memorat angues ab Junone immissos infanti, *prima* tot monstrorum quæ Hercules per vitam domuit. Eximium de hac prima ærumna est idyllium Theocriti XXIV. — 21 Eubœæ insulæ oppidum, eversum ab Hercule propter perfidiam Euryti regis, qui promissam ei filiam Iolen non dedit. De *Troja* jam sæpe memoratum. — 22 Tamquam domino. Res nota. *Fatis Junonis*, fatali necessitate, quam odium Junonis ei imposuerat. — 23 Centauros; vide VII, 674, n. 6, et *Georg.* II, 456-7. — 24 Cretica; v. p. 203, n. 10. Intelligitur taurus Cretensis sive Gnossius : at hunc vivum Hercules ad Eurystheum perduxit; ut doctus poeta fabulas nobis ignotas secutus esse videatur. — 25 Vide VI, 392 seqq. — 26 Species monstrosæ, monstra Orci, de quibus VI, 285 seqq. *Typhoeus*, Gigantum unus, ab Jove in Tartarum præcipitatus. — 27 Non circumstetit inopem consilii ex pavore et consternatum (sed firmum animo et constantem). — 28 Propitius. *Pede secundo*, omine prospero. • *S.* — 29 Comice Terentius (*Eun.* II, sc 2, 5) : *Annis pannisque obsitus*, de sene. — 30 Mobiles, volubiles.

Tum rex Evandrus, Romanæ conditor arcis[31] :
« Hæc nemora indigenæ Fauni Nymphæq; tenebant,
Gensque virûm truncis et duro robore nata[32],
Quis neque mos neq; cultus erat; nec jungere tauros,
Aut componere[33] opes norant, aut parcere parto;
Sed rami atque asper victu[34] venatus alebat.
Primus[35] ab ætherio venit Saturnus Olympo,
Arma Jovis fugiens, et regnis exul ademptis.
Is genus indocile ac dispersum montibus altis
Composuit[36], legesque dedit, Latiumque vocari
Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris[37].
Aurea quæ perhibent, illo sub rege fuere
Sæcula : sic placida populos in pace regebat;
Deterior donec paulatim ac decolor[38] ætas,
Et belli rabies, et amor successit habendi.
Tum manus Ausonia et gentes venere Sicanæ[39];
Sæpius et nomen posuit[40] Saturnia tellus;
Tum reges, asperque immani corpore Thybris[41],
A quo post Itali fluvium cognomine Thybrim
Diximus; amisit verum vetus Albula nomen.
Me pulsum patria[42], pelagique extrema sequentem
Fortuna omnipotens et ineluctabile fatum
His posuere locis, matrisque egere tremenda
Carmentis[43] nymphæ monita et deus auctor Apollo.»
Vix ea dicta; dehinc progressus monstrat et aram[44]
Et Carmentalem Romani nomine portam
Quam memorant, nymphæ priscū Carmentis honorē,
Vatis fatidicæ, cecinit quæ prima futuros
Æneadas magnos et nobile Pallanteum[45].
Hinc lucum ingentem, quem Romulus acer Asylum
Rettulit[46], et gelida monstrat sub rupe Lupercal,

31 Pallantei, ubi Virgilii tempore erat Palatium, *arx Romæ*. — 32 Dicere videtur homines prorsus agrestes; ut duro animo homines et immisericordes dicuntur *saxis* et *duris cautibus nati*, IV, 366. Aliter Servius : « Hoc figmentum ortum ex antiqua hominum habitatione, qui ante factas domos aut in cavis arboribus aut in speluncis manebant. » — 33 Horreis condere *opes* ruris, rumenta. « *Parcere parto* (parato), quod dicitur *de die vivebant*. » *Serv.* — 34 Venatus præbens victum asperum, multo labore et molestia parandum. — 35 *Primus* videlicet aliquem cultum vitæ afferens. Addimus hæc Servii, quæ hausit ex Annalibus, ut videtur : « Saturnus rex fuit Cretæ, quem Jupiter filius bello pepulit. Hic fugiens ab Jano rege, qui urbem habuit ubi nunc Janiculum est, est susceptus; quem quum docuisset usum vinearum et falcis, et humaniorem victum, in partem est admissus imperii, et sibi oppidum fecit sub clivo Capitolino, ubi nunc ejus ædes videtur. » — 36 Collegit in unum. — 37 Addit Servius : « Varro autem *Latium* dici putat quòd *latet* Italia inter prærupta juga Alpium et Apennini. » — 38 Degenerans ab aurea et mutato quasi colore ferrea facta. — 39 Dicendum erat *Siculæ* : sic enim, non *Sicana*, vocabatur gens olim inter Tiberim et Lirim habitans. — 40 Deposuit, mutavit : quippe Hesperia, Ausonia, Œnotria aliisque nominibus dicta. — 41 « Rex Tuscorum, secundum Varronem Latinorum, qui juxta hunc fluvium pugnans cecidit. » *Serv.*, qui alia plura addit. Conf. Liv. I, 3. *Albula* olim dictus a colore aquæ. — 42 Ob parricidium, de quo Serv. ad v. 51. *Extrema pelagi* esse hæc circa Italiam maria videbantur homini Græco, regionum ad Occidentem spectantium prorsus ignaro. — 43 « Suo nomine Nicostrata, ideo est *Carmentis* appellata a suis, quod divinatione fata canebat; nam antiquæ vates *carmentes* dicebantur. » *S.* — 44 *Aram* ad radices Capitolii, vicinam portæ « quæ primum a Carmente *Carmentalis* dicta est; post *Scelerata*, a Fabiis trecentis, qui per ipsam in bellum profecti, non sunt reversi. » *S.* — 45 Canentem habes apud Ovidium, *Fast.* I, 509 seqq. — 46 « Quem lucum Romulus nobis tradidit nomine Asyli; ex eo fecit Asylum. » *Peerlk.* Argute Wagnerus : « *Rettulit*, appellavit; verba

Parrhasio[47] dictum Panos de more Lycæi.
Nec non et sacri monstrat nemus Argileti[48],
Testaturque[49] locum, et letum docet hospitis Argi.
Hinc ad Tarpeiam sedem et Capitolia ducit,
Aurea nunc, olim silvestribus horrida dumis.
Jam tum relligio pavidos terrebat agrestes
Dira[50] loci; jam tum silvam saxumque tremebant.
« Hoc nemus, hunc, inquit, frondoso vertice collem
(Quis deus, incertum est) habitat deus: Arcades ipsũ
Credunt se vidisse Jovem, quum sæpe nigrantem[51]
Ægida concuteret dextra, nimbosque cieret.
Hæc duo præterea disjectis oppida muris[52],
Relliquias veterumque vides monumenta virorum.
Hanc Janus pater, hanc Saturnus condidit arcem;
Janiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen. »
Talibus inter se dictis ad tecta subibant
Pauperis Evandri, passimque armenta videbant
Romanoque foro et lautis mugire Carinis[53].
Ut ventum ad sedes: « Hæc, inquit, limina victor[54]
Alcides subiit; hæc illum regia cepit.
Aude[55], hospes, contemnere opes, et te quoque dignũ
Finge deo, rebusque veni non asper[56] egenis. »
Dixit, et angusti subter fastigia tecti
Ingentem Æneam duxit, stratisque locavit
Effultum foliis et pelle Libystidis[57] ursæ.
Nox ruit, et fuscis tellurem amplectitur alis.
At Venus haud animo nequicquam exterrita mater,
Laurentumque minis et duro[58] mota tumultu,
Vulcanum alloquitur, thalamoq; hæc conjugis aureo
Incipit, et dictis divinum[59] adspirat amorem:
« Dum bello Argolici vastabant Pergama reges

enim sunt notæ, quibus res quasi *referimus*, repræsentamus. • Perperam Servius: fecit ad imitationem Atheniensis Heraclidarum asyli. *Lupercal* vocatum est antrum sub monte Palatino Pani sacrum, de quo Livius I, 5, et multis Servius. — 47 More *Parrhasio*, id est Arcadico, ab urbe Arcadiæ Parrhasia. Nimirum sicut Græci Panis Lycæi cognomen non a Lycæo monte, sed a voce λύκος ducebant, ita Romani Lupercal a *lupo*.— 48 • Evander Argum quemdam excepit hospitio; qui quum de ejus cogitaret interitu, ut ipse regnaret, Evandro hæc non sentiente, socii intellexerunt et Argum necaverunt. Cui Evander et sepulchrum fecit et locum sacravit, ob hospitalitatem. Ergo *Argiletum* ab Argo

---

Ilic sepulto. • *S.* — 49 Tamquam ad testimonium vocat, hospitii jura et sacra ab ipso non fuisse violata. Locus erat sub Capitolio, regione undecima. — 50 *Dira*, quippe horrorem incutiens ob varia prodigia, quæ ibi evenerant. — 51 Ægida *nigrantem*, nigris nubibus, quæ motu ægidis adducuntur, involutam. Ægidem movere Jupiter dicitur quando fulminibus dirisque tempestatibus terret homines. Ipsæ procellæ Græcis vocantur καταιγίδες. *Quum sæpe*, v. I, 148, n. 92. — 52 Secundum veterem famam, quæ Jani oppidum in Janiculo, et Saturni narrabat in Capitolino monte, olim Saturnio dicto. — 53 *Carinæ*, vicus Urbis in quarta regione, magnificis et sumptuosis ædificiis conspicuus, unde *lautæ*. Veterum interpretum opiniones de nomine et epitheto habes apud Servium. — 54 Hoc vocabulo non sola de Caco victoria respicitur, sed *Herculis Victor*, qui Romæ duas ædes habebat; vide Varronem ap. Serv. Qui de voce *regia*: • Virgilius hic jus pontificale quibusdam videtur subtiliter tangere; domus enim in qua Pontifex habitat, *regia* dicitur, quod in ea rex sacrificulus habitare consueset. • *Cepit*, tam magnum heroem, ut eum potuisse *capere* non videretur. Nam cum negatione fere dicitur: *Nec te Troja capit* (IX, 644); *orbis terrarum te non caperet* (Curt.), etc. — 55 Sustine, impetrat abs te. — 56 • Non aspernator, id est non fastidiosus. • *S.* — 57 Vide p. 221, n. 17. — 58 Aspero, pleno periculis. — 59 Amorem *divinum*, quam *dea* Venus adspirare potest.

Debita[60] casurasque inimicis ignibus arces,
Non ullum auxilium miseris, non arma rogavi
Artis opisque tuæ; nec te, carissime conjux,
Incassumve tuos[61] volui exercere labores,
Quamvis et Priami deberem plurima natis,
Et durum Æneæ flevissem sæpe laborem.
Nunc Jovis imperiis Rutulorum constitit oris :
Ergo eadem[62] supplex venio, et sanctũ mihi numen
Arma rogo, genitrix nato. Te filia Nerei[63],
Te potuit lacrimis Tithonia flectere conjux.
Aspice qui coeant populi, quæ mœnia[64] clausis
Ferrum acuant portis in me excidiumque meorum.»
Dixerat, et niveis hinc atque hinc diva lacertis
Cunctantem amplexu molli fovet. Ille repente
Accepit solitam flammam, notusque medullas
Intravit calor, et labefacta[65] per ossa cucurrit :
Non secus atque olim tonitru quum rupta corusco
Ignea rima[66] micans percurrit lumine nimbos.
Sensit læta dolis et formæ conscia conjux.
Tum pater æterno fatur devinctus amore[67] :
« Quid causas petis ex alto[68]? fiducia cessit
Quo tibi, diva, mei? Similis si cura fuisset[69],
Tum quoque fas nobis Teucros armare fuisset;
Nec Pater omnipotens Trojam nec fata vetabant
Stare, decemq; alios[70] Priamum superesse per annos.
Et nunc, si bellare paras, atque hæc tibi mens est,
Quidquid in arte mea possum promittere curæ,
Quod fieri ferro liquidove potest electro[71],
Quantum ignes animæq; valent[72]; absiste precando
Viribus indubitare tuis. » Ea verba locutus,
Optatos dedit amplexus, placidumque petivit
Conjugis infusus gremio per membra[73] soporem.
Inde ubi prima[74] quies medio jam noctis abactæ
Curriculo expulerat somnum, quum femina primum,
Cui tolerare colo vitam tenuique Minervâ[75]

60 *Debita* vastari : quæ ex fato debebant vastari; sicut IX, 107 : *tempora Parcæ Debita complérant*, i. e. quæ debebant compleri. Hinc per attractionem quamdam *casuras* pro *cadentes*. — 61 Strue : *te tuosve labores incassum* etc. — 62 « *Eadem* ego, quæ tunc silui et nihil petii. » *Serv. Sanctum mihi numen*, te. — 63 Thetis Achilli petiit arma a Vulcano, item Memnoni filio conjux Tithonis, Aurora. — 64 Quæ urbes. *In me* dicit ut mater et dea. Nimis urget Servius : « Artificiose arma petit etiam sibi profutura : nisi enim subvenis, iterum vulnerabor. Nam a Græcis fuerat vulnerata. » — 65 *Labefacta* illo calore, soluta et tamquam liquefacta. Vide p. 101, not. 87. — 66 *Ignea rima* de fulgure tenuem faciente sulcum; *rupta*, videlicet ruptis nubibus apparens, sese erumpens ex nubibus; conf. II, 416, n. 91. — 67 Lucretianum hemistichium est, I, 35. — 68 Quid argumenta longe petis, id quippe multis verbis orans, quod sola gratia obtinere debes? Sic Cicero ad Brutum : *Si Pompeius non* ex alto *peteret et multis verbis me jam hortaretur*. — 69 *Fuisset* tibi. — 70 Nimirum *differri* possunt fata, ut dictum jam VII, 315. Quod etiam ex sacris libris aruspicum et Tagetis docet Servius. — 71 Vide p. 109, not. 17. *Animæ*, spiritus follium. — 72 Supple : *id promutto*. Nam aposiopesis est potius quam structura inversa pro : *id* precari absiste atque precando indubitare etc. — 73 Vide not. 15 ad v. 30. De hoc versu legendus Gellius VIII, c. 10. — 74 Sensus : postquam ex primo somno evigilaverat, media jam nocte. *Abactæ* pro vulgari : exactæ (ad medium). « Vulcanus tanta cura urgetur ut Veneris mandata perficiat, quantâ mulier vidua ut proli egenæ sua diligentia prospiciat. Vidua paucas somni horas sibi permittit : ita Vulcanus; neutrum sollicitudo dormire diutius sinit. » *Peerlk.* — 75 Lanificio; quod docuisse homines credebatur Minerva.

Impositum, cinerem et sopitos suscitat[76] ignes,
Noctem addens operi, famulasque ad lumina longo
Exercet penso, castum ut servare cubile
Conjugis et possit parvos educere natos :
Haud secus Ignipotens nec tempore segnior illo
Mollibus e stratis opera ad fabrilia surgit.
Insula Sicanium juxta latus Æoliamque[77]
Erigitur Liparen, fumantibus ardua saxis,
Quam subter specus et Cyclopum exesa caminis
Antra Ætnæa[78] tonant, validique incudibus ictus
Auditi referunt gemitum, strideuntque cavernis
Strictura[79] Chalybum, et fornacibus ignis anhelat :
Vulcani domus, et Vulcania nomine tellus[80].
Hoc tunc Ignipotens cœlo descendit ab alto.
Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro,
Brontesque Steropesque[81], et nudus membra Pyracmon.
His informatum manibus[82], jam parte polita,
Fulmen erat, toto[83] Genitor quæ plurima cœlo
Dejicit in terras, pars imperfecta manebat.
Tres imbris torti[84] radios, tres nubis aquosæ
Addiderant, rutili tres ignis et alitis Austri;
Fulgores nunc terrificos, sonitumque metumque
Miscebant operi, flammisque sequacibus iras[85].
Parte alia Marti currumque rotasque volucres
Instabant[86], quibus ille viros, quibus excitat urbes;
Ægidaque[87] horriferam, turbatæ Palladis arma,
Certatim squamis serpentum auroque[88] polibant,
Connexosque angues, ipsamque in pectore divæ
Gorgona[89], desecto vertentem lumina collo.
« Tollite cuncta, inquit, cœptosque auferte labores,
Ætnæi[90] Cyclopes, et huc advertite mentem :
Arma acri facienda viro. Nunc viribus usus[91],

76 Sic Baucis ovidiana *foco lepidum cinerem dimovit et ignes suscitat hesternos.* — 77 Lipara *Æolia*, quippe una ex insulis Æoliis sive Vulcaniis, hodieque *Lipari*. — 78 Talia, qualia sunt Ætnæ : ignivoma. *Ictus* qui fiunt *incudibus.* — 79 « *Strictura* est terra ferri in massam coacta. *Chalybes* autem proprie sunt populi, apud quos ferrum nascitur. » *S.* Vide *Georg.* I, 58, n. 59. — 80 Quæ geographis est *Hiera*, i. e. Sacra (Vulcano). *Hoc* antique pro *huc*, quod docet Verrius Flaccus ap. Serv. — 81 Græca quæ sonant *tonitru* et *fulgetrum*. *Pyracmon*, « qui nunquam a calenti incude discedit, ex πῦρ, *ignis*, et ἄκμων, *incus*. Per hunc etiam ceteros fuisse *nudos* significat. » *Serv.* — 82 *His* Cyclopibus *erat* in *manibus* formatum (vide 447) fulmen, partim jam politum, partim imperfectum. — 83 « Ab omni parte cœli. Pluralis *quæ* post singularem *fulmen* exprimit : Faciebant fulmen in eorum similitudinem, quæ (vel qualia) Jupiter etc. » *S.* Hujusmodi enallage numeri nec in prosa infrequens. — 84 « Constricti et coacti in grandinem. » *Serv.*, qui de his versibus non inscite ex physica et ex augurali disciplinis disputat. — 85 *Iras*, vim qua velut iratum fulmen res tactas percutit et disjicit; quam vim ignis comitatur ut pedissequus minister; unde *sequaces flammæ*. — 86 Urgebant, festinabant; « nove, » inquit Servius. Et est rarum. Nævius : *Instat mercaturam; spero, rem faciet. Excitat* in bellum. — 87 *Ægidem* hic alii de lorica Minervæ accipiunt, alii de clipeo, ut lorica vel thorax in sequentibus demum describatur. Præferenda ratio prior. *Turbatæ*, concitatæ, iratæ. — 88 Squamis aureis. *Polibant*, politis ornabant. Angues connexi et inter se impliciti extremas oras ægidis cingebant. — 89 Caput Medusæ a Perseo desectum; vide *Metamorph.* libro IV exeunte. Quæ artificiose fingebatur *vertens lumina*, immutans oculorum aspectum, torvius spectans, ut *desecto collo*; quod poeta secundum naturam expressit. Servius : « adversa lumina habentem, ut habuit quum secaretur ei collum, et quæreret aspectibus vindicari. » Non probabiliter alii : oculos huc et illuc flectentem tamquam vivos. — 90 Ut in Sicilia habitantes; v. III, 678, n. 13. — 91 Opus est.

Nunc manibus rapidis, omni nunc arte magistrâ[92],
Præcipitate moras. » Nec plura effatus; at illi
Ocius incubuere omnes pariterque laborem
Sortiti. Fluit æs rivis aurique metallum,
Vulnificusque chalybs vasta fornace liquescit.
Ingentem clipeum informant, unum omnia contra
Tela Latinorum, septenosque orbibus orbes
Impediunt[93]. Alii ventosis follibus auras
Accipiunt redduntque; alii stridentia tinguunt
Æra lacu; gemit impositis incudibus antrum.
Illi inter sese multa vi brachia tollunt
In numerum, versantque tenaci forcipe massam.

Hæc pater Æoliis properat dum Lemnius[94] oris,
Evandrum ex humili tecto lux suscitat alma,
Et matutini volucrum sub culmine[95] cantus.
Consurgit senior, tunicaque inducitur artus,
Et Tyrrhena pedum circumdat vincula[96] plantis;
Tum lateri atque humeris Tegeæum[97] subligat ensem,
Demissa ab læva pantheræ terga retorquens[98].
Nec non et gemini custodes limine ab alto[99]
Præcedunt gressumque canes comitantur herilem.
Hospitis Æneæ sedem et secreta[1] petebat,
Sermonum memor et promissi muneris, heros;
Nec minus Æneas se matutinus[2] agebat.
Filius huic Pallas, illi comes ibat Achates.
Congressi jungunt dextras, mediisque residunt
Ædibus, et licito tandem sermone fruuntur.
Rex prior hæc:

« Maxime Teucrorum ductor, quo sospite numquā
Res equidem Trojæ victas aut regna fatebor,
Nobis ad belli auxilium pro nomine tanto[3]
Exiguæ vires: hinc Tusco claudimur amni,
Hinc Rutulus premit, et murum circumsonat armis.
Sed tibi ego ingentes populos opulentaque regnis[4]
Jungere castra paro, quam fors inopina salutem
Ostentat: fatis huc te poscentibus affers.
Haud procul hinc saxo colitur fundata vetusto
Urbis Agyllinæ[5] sedes, ubi Lydia quondam

92 *Magistra*, quæ docet quo quidque modo faciendum effingendumque sit. Omnibus artis præceptis opus est. • *Præcipitate*, præcipitanter, festinanter adjicite. • *S.* — 93 Laminas rotundas septem ita inter se jungunt, compinguntque ut divelli non possint. Sequentia repetita sunt e *Georg.* IV, 171 ad 175, ubi v. notas 98, 99. — 94 Vulcanus. — 95 Scilicet gallorum vel hirundinum: quo indicium fit casæ prorsus rusticanæ. — 96 • Calceamenta Tusca. Et dicit poeta *crepidas*, quas primo habuere senatores, post equites Romani, nunc milites. • *S.* — 97 Arcadicum, a Tegea, oppido in Arcadia. — 98 Pellem a sinistro humero demissam per dexteram partem torquens in tergum. Vide VII, 666, n. 3. — 99 Casæ modo *humilis* dictæ limen poterat esse *altum*, gradibus pluribus subnixum; qualia hodieque videmus in multis tuguriis rusticorum. Quare non corrigendum *ab* ARTO. — 1 Recessum (ut p. 124, n. 24), ubi sine arbitris colloqui possent soli de rebus gravissimis, ubi talis sermo esset *licitus*, ut mox dicitur. *Promissi*, vide 170 seq. — 2 • Rem temporis ad personam transtulit. • *S.* Quod sæpe fit a poetis. *Se agebat*, v. VI, 337, n. 58. — 3 *Tanto*, quantum est tuum. Tua tanta est gloria, ut non videaris nostrarum opum tenuitate posse valde adjuvari. — 4 Castra potentia *regnis*: nam Etruria, quam intelligit, • duodecim Lucumones habuit sive reges. • De cujus antiqua potentia narrat Livius V, 33. — 5 Vide VII, 652, n. 95. Postea dicta Cære. De Lydorum colonia in Etruriam deducta vide II, 781, n. 38, ubi multa Servius, et Tacitum in *Annal.* IV, 55

Gens, bello præclara, jugis insedit Etruscis.
Hanc multos florentem annos rex deinde superbo
Imperio et sævis tenuit Mezentius armis.
Quid memorem infandas cædes? quid facta tyranni
Effera? Di capiti ipsius generique reservent!
Mortua quin etiam jungebat corpora vivis,
Componens manibusque manus atque oribus ora
(Tormenti genus[6]!), et sanie taboque fluentes
Complexu in misero longa sic morte necabat.
At fessi tandem cives infanda[7] furentem
Armati circumsistunt ipsumque domumque:
Obtruncant socios, ignem ad fastigia jactant.
Ille, inter cædem, Rutulorum elapsus in agros
Confugere, et Turni defendier[8] hospitis armis.
Ergo omnis furiis surrexit Etruria justis;
Regem ad supplicium præsenti Marte[9] reposcunt.
His ego te, Ænea, ductorem millibus addam.
Toto namque fremunt condensæ litore puppes,
Signaque ferre[10] jubent: retinet longævus haruspex,
Fata canens: « O Mæoniæ[11] delecta juventus,
« Flos veterum virtusq; virûm, quos justus in hostem
« Fert dolor et meritâ accendit Mezentius irâ,
« Nulli fas Italo tantam subjungere[12] gentem;
« Externos optate[13] duces. » Tum Etrusca resedit
Hoc acies campo, monitis exterrita divûm.
Ipse oratores ad me regnique coronam[14]
Cum sceptro misit, mandatque insignia Tarchon,
Succedam castris, Tyrrhenaque regna capessam.
Sed mihi tarda gelu sæclisque[15] effœta senectus
Invidet imperium, seræque ad fortia vires.
Natum exhortarer, ni mixtus[16] matre Sabellâ
Hinc partem patriæ traheret. Tu, cujus et annis
Et generi fata indulgent, quem Numina poscunt,
Ingredere[17], o Teucrû atq; Italûm fortissime ductor.
Hunc tibi præterea, spes et solatia nostri,
Pallanta adjungam: sub te tolerare magistro
Militiam et grave Martis opus, tua cernere facta
Assuescat, primis et te miretur[18] ab annis.
Arcadas huic equites bis centum, robora pubis
Lecta, dabo, totidemque suo tibi nomine Pallas[19]. »
Vix ea fatus erat, defixique ora tenebant

6 • Est exclamatio et detestatio inventi supplicii. Tusci diu piraticam exercuerunt, ut docet etiam Cicero in Hortensio, quum captivos novis pœnis affligerent, occisorum eos religantes corporibus. Quod Virgilius dat Mezentio, sciens id lectum esse de gente Tyrrhenorum. • *Serv.* — 7 Infando modo. — 8 Defendi. Infinitivo qui vocatur narrationis. • Et vertit historiam: nam Turnus magis confugit ad Mezentium. • *S.* — 9 Bello sine ulla dilatione illato. — 10 Inferre hostibus. — 11 Etruriæ; ab antiquo nomine Lydiæ. Sequentis versus pars prior est Enniana. — 12 *Subjungere* veluti jugo, summittere. — 13 Legite. De plurali *duces*, pro uno, confer observata p. 19, n. 47. — 14 • *Regni coronam*, insigne, non revera coronam, quam Tusci reges non unquam habuerunt. Et *mandat insignia*, id est magna, scilicet ut *succedam castris*, etc. • Sic Servius. Qua explicatione multo etiam minus procedit vulgata: tradit mihi

insignia cetera (sellam eburneam, vestem palmatam, etc.), jubens ut *succedam* etc. — 15 Annorum multitudine. Antiquis enim *sæculum* triginta annorum erat. *Seræ*, tardæ nec amplius sufficientes. — 16 Genus mixtum habens, ut ex matre Sabina. *Hinc*, ex hac, ergo ex Italia. — 17 Vide p. 53, n. 44. — 18 • Imitetur. Optima enim ingenia necesse est ut ea quæ mirentur imitentur. • *S.* — 19 *Pallas* dabit.

Æneas Anchisiades et fidus Achates,
Multaque dura suo tristi cum corde putabant[20],
Ni signum cœlo Cytherea dedisset aperto[21].
Namque improviso vibratus[22] ab æthere fulgor
Cum sonitu venit, et ruere omnia visa repente,
Tyrrhenusque[23] tubæ mugire per æthera clangor.
Suspiciunt; iterūm atque iterūm fragor[24] increpat ingens:
Arma inter nubem, cœli in regione serenâ
Per sudum rutilare vident et pulsa tonare.
Obstipuere animis alii; sed Troïus heros
Agnovit sonitum et divæ promissa parentis.
Tum memorat: « Ne vero, hospes, ne quære profecto
Quem casum portenta ferant: ego poscor[25]. Olympo
Hoc signum cecinit missuram diva creatrix,
Si bellum ingrueret, Vulcaniaque arma per auras
Laturam auxilio.
Heu! quantæ miseris cædes Laurentibus instant!
Quas pœnas mihi, Turne, dabis! quam multa sub un-
Scuta virûm galeaque et fortia corpora volves,
Thybri pater! Poscant acies, et fœdera rumpant. »

Hæc ubi dicta dedit, solio se tollit ab alto,
Et primum Herculeis sopitas ignibus aras[26]
Excitat, hesternumque[27] Larem parvosque Penates
Lætus adit; mactant lectas de more bidentes
Evandrus pariter, pariter Trojana juventus.
Post hinc ad naves graditur, sociosque revisit:
Quorum de numero, qui sese in bella sequantur,
Præstantes virtute legit; pars cetera pronâ
Fertur aqua, segnisque[28] secundo defluit amni,
Nuntia ventura Ascanio rerumque patrisque.
Dantur equi Teucris Tyrrhena petentibus arva;
Ducunt exsortem[29] Æneæ, quem fulva leonis
Pellis obit totum, præfulgens unguibus aureis.

Fama volat, parvam subito vulgata per urbem,
Ocius ire equites Tyrrheni ad litora[30] regis.
Vota metu duplicant[31] matres, propiusque periclo
It timor[32], et major Martis jam apparet imago.

---

20 In prosâ : cum animo suo vel secum reputabant. Unde consequens subintelligitur : *et diutius in ea cogitatione defixi perstitissent*, NISI etc. : ex qua voce et sequentis verbi modo hæc satis apparent. Eadem ellipsis VI, 359, not. 65. — 21 Sereno, ut *Georg.* I, 393, n. 63. — 22 « *Vibratus* : propriùm telorum ad fulgura transtulit. *Ruere omnia* : sic enim sonat ut videatur ruina; unde (I, 129) *cœli ruina*. » *S.* — 23 Quod tuba inventa a Tyrrhenis ferebatur, apud græcos poetas Τυρσηνικὴ σάλπιγξ. — 24 « *Fragor* dicitur proprie armorum sonus. *Inter nubem*, per nubem, suo more dixit (v. p. 281, n. 18). » *S.* — 25 *Ego poscor*, quasi compellor : ad me spectant hæcce portenta. *Olympo* i. e. de cœlo) cum sequentibus jungendum esse intellexit Peerlkamp. p. 128, ibidem de præcedente *profecto* merito dubitans. *Cecinit*, prædixit. — 26 *Aræ sopitæ ignibus* poetice dicuntur aræ quæ habent sopitos ignes, exstinctæ. *Herculeis* epitheton non potest intelligi, nisi statuas titiones relictos ex hesterno sacrificio in Ara maxima (v. 102 seqq.) fuisse collectos et translatos in domesticam aram Laris et Penatium. Heynius corrigebat HERCEIS, in ara Jovis Herceï, cujus mentio aptissima — 27 « Cui jam pridie sacrificaverat. » *Serv.* Sive, quem heri jam adierat. Quod non necesse erat ut narraretur v. 366 seq. — 28 « Sine remigatione. » *S.* — 29 Eximium; v. V. 534, n. 31. — 30 *Litora*, ad quæ Tyrrhenum regem castra classemque habere vidimus v. 497. In aliis est *ad limina*. — 31 Duplicia, id est solito majora faciunt : « nam inest semper in matribus votum. » *S.* — 32 Ipso periculo fit ut timor accedat propius, et gravius sollicitet. *Propius eundi* imaginem contiinuant sequentia *major jam apparet imago*.

Tum pater Evandrus dextram complexus euntis[33]
Hæret, inexpletus lacrimans, ac talia fatur :
« O mihi præteritos referat si Juppiter annos !
Qualis eram quum primam aciem[34] Præneste sub ipsâ
Stravi, scutorumque incendi victor acervos[35],
Et regem hac Erilum dextra sub Tartara misi,
Nascenti cui tres animas Feronia[36] mater
(Horrendum dictu !) dederat ; terna arma movenda,
Ter leto[37] sternendus erat : [cui tum tamen omnes
Abstulit hæc animas dextra, et totidem exuit armis :]
Non[38] ego nunc dulci amplexu divellerer usquam,
Nate, tuo ; neque finitimo Mezentius umquam
Huic capiti[39] insultans tot ferro sæva dedisset
Funera, tam multis viduasset civibus urbem.
At vos, o Superi, et divûm tu maxime rector
Juppiter, Arcadii, quæso, miserescite regis,
Et patrias audite preces : Si numina vestra
Incolumem Pallanta mihi, si fata reservant,
Si visurus eum vivo et venturus in unum[40],
Vitam oro ; patior quemvis durare laborem[41] :
Sin aliquem infandum casum, Fortuna, minaris,
Nunc, nunc o liceat crudelem[42] abrumpere vitam,
Dum curæ ambiguæ, dum spes incerta futuri,
Dum te, care puer, mea sola et sera[43] voluptas,
Complexu teneo ; gravior nec nuntius aures
Vulneret. » Hæc genitor digressu dicta supremo
Fundebat ; famuli collapsum in tecta ferebant.

Jamque adeo exierat portis equitatus apertis,
Æneas inter primos et fidus Achates,
Inde alii Trojæ proceres ; ipse agmine Pallas
In medio, chlamyde et pictis conspectus[44] in armis :
Qualis ubi Oceani perfusus Lucifer undâ[45],
Quem Venus ante alios astrorum diligit ignes,
Extulit os sacrum cœlo, tenebrasque resolvit.
Stant pavidæ in muris matres, oculisque sequuntur
Pulvereum nubem et fulgentes ære catervas.
Olli per dumos, qua proxima meta viarum[46],
Armati tendunt : it clamor, et agmine facto[47]

33 *Euntis* filii : « nam quum dicit *pater*, ostendit cujus. » *S.* *Hæret*, inhæret ei ; v. 124. — 34 Primos in acie, fortissimos πρωμάχους. *Sub ipsâ*, supple : urbe ; neutrum est *Præneste* (hodie *Palestrina*). — 35 « Hoc traxit de historia. Victis enim Sabinis, Tarquinius Priscus, in honorem Vulcani, eorum arma succendit. » *S.* — 36 Vide VII, 800, n. 74. Nemo *Erilum* hunc memorat, ut poeta fingendo Italiam antiquam Geryone donare voluisse videatur. — 37 Est dativus, ut sternere *morti* (XII, 464) ; *morti demitte* (V, 691), etc. Interpolationem sequentium argumentis invictis demonstravit H. Peerlkamp. p. 133. — 38 *Non*, scilicet *si Juppiter referret* etc., quod supra optative dictum est. — 39 Mihi, *finitimo* ipsi. Alii explicant : in *finitimo* loco. De sententia hæc Servius : « Ad curam viri boni et fortis pertinet ne quid injuriose fiat alicui homini : ergo Evander contuenturus. — 41 « Sustinere laborem et mala, videlicet senectutis, quæ *ipsa morbus est*, ut ait Terentius. » S. — 42 Scilicet futuram crudelem tua morte. — 43 Ut seniore jam patre prognatus, ὀψίγονος. — 44 Conspicuus. *Pictus* de Arcadum armis etiam XII, 281, qui « in scutis numina depicta habebant, ut Bacchylides in dithyrambis dicit. » *S.* — 45 Surgens ex Oceano, ubi poetæ dicebant stellas *lavare*. — 46 Qua brevissimo itinere perveniur eo quo tendunt. Eunt autem *armati*, arma in manibus habentes parata, intenti in hostem fortasse propinquum. — 47 Vide p. 134, n. 54. Sonitu *quadrupedante*, qui excitatur a currente quadru-

meliam inde ducit, quod finitimos a tyranni injuria non defenderit. » — 40 Conventurus. — 41 « Sustinere laborem et mala, videlicet senectutis, quæ *ipsa morbus est*, ut ait Terentius. » S. — 42 Scilicet futuram crudelem tua morte. — 43 Ut seniore jam patre prognatus, ὀψίγονος. — 44 Conspicuus. *Pictus* de Arcadum armis etiam XII, 281, qui « in scutis numina depicta habebant, ut Bacchylides in dithyrambis dicit. » *S.* — 45 Surgens ex Oceano, ubi poetæ dicebant stellas *lavare*. — 46 Qua brevissimo itinere perveniur eo quo tendunt. Eunt autem *armati*, arma in manibus habentes parata, intenti in hostem fortasse propinquum. — 47 Vide p. 134, n. 54. Sonitu *quadrupedante*, qui excitatur a currente quadru-

Quadrupedante putrē sonitu quatit ungula campum.
Est ingens gelidum lucus prope Cæritis[48] amnem,
Religione patrum late sacer; undique colles
Inclusere cavi[49], et nigra nemus abiete cingunt.
Silvano fama est veteres sacrasse Pelasgos,
Arvorum pecorisque deo, lucumque diemque[50],
Qui primi fines aliquando habuere Latinos.
Haud procul hinc Tarcho et Tyrrheni tuta tenebant
Castra locis[51], celsoque omnis de colle videri
Jam poterat legio, et latis tendebat in arvis.
Huc pater Æneas et bello lecta juventus
Succedunt[52], fessique et equos et corpora curant.
At Venus ætherios inter dea candida nimbos
Dona ferens aderat, natumque in valle reductâ
Ut procul et gelido secretum[53] flumine vidit,
Talibus affata est dictis, seque obtulit ultro[54]:
« En perfecta mei promissa conjugis arte
Munera; ne mox aut Laurentes, nate, superbos,
Aut acrem dubites in prœlia poscere Turnum. »
Dixit, et amplexus nati Cytherea petivit;
Arma sub adversa posuit radiantia quercu.
Ille, deæ donis et tanto lætus honore[55],
Expleri nequit atque oculos per singula volvit,
Miraturque, interque manus et brachia versat
Terribilem cristis galeam flammasque vomentem,
Fatiferumque[56] ensem, loricam ex ære rigentem,
Sanguineam[57], ingentem, qualis quum cærula nubes
Solis inardescit radiis longeque refulget,
Tum læves ocreas electro[58] auroque recocto,
Hastamque, et clipei non enarrabile textum[59].
Illic res Italas Romanorumque triumphos,
Haud vatum[60] ignarus venturique inscius ævi,
Fecerat Ignipotens; illic genus omne futuræ
Stirpis ab Ascanio, pugnataque[61] in ordine bella.

pede. *Putrem*, in pulverem resolutum. Versus hic ob rhythmorum artem impense celebratur; at illa haud usquam deficit in poeta nostro. — 48 Genitivus a *Cæris*, ut videtur: alibi *Cæretanus amnis*, hodie *Vacina*. Quidam apud Servium intelligebant *Mimonem*, de quo X, 183. — 49 Colles *cavi*, utpote cavam vallem efficientes, elati ipsi. *Abiete* collective positum. — 50 *Diem* festum, sollemnia stato die redeuntia, annua. — 51 Naturâ locorum. — 52 Ut Tarchon Evandrum jusserat *succedere castris*, v. 507. Et recte Servius observat, « ingenti arte quod sequebatur hîc omisisse Virgilium, redditurum in decimo (v. 148 seqq.). » — 53 *Secretum* a sociis *flumine*, solum. — 54 « Videlicet confessa deam, ut supra dixit (II, 590 seq.). » *S.* — 55 *Honore* accipiendum de insigni pulchritudine et splendore armorum. — 56 Letiferum. — 57 « Cruentam, terribilem » Servio; aliis « rutilam, quippe ex ære factam. » Eximie correxit Peerlkampius: *Sanguineum ardentem;* quod solum huic loco aptum. — 58 Vide p. 109, n. 17. *Recocto*, coctione iterum iterumque purgato, unde splendidissimo. — 59 Compositionem artificiosam, cujus argumentum varium vix possit enarrari. Sequitur descriptio clipei, in quo effictæ res Romanæ quas Anchises non erat vaticinatus in Elysio, ut jam monitum VI, 760, n. 52. Nota Homeri et Hesiodi carmina in simili argumento. — 60 *Vatum* breviter pro: eorum quæ vates cecinerant, fatorum. In tanta apud Romanos antiquorum vatum veneratione non nimis miranda est ea vox, quasi indigna deo. Erant tamen, narrante Servio, « quibus videretur hunc versum omitti potuisse. » — 61 *Pugnata* consulto positum, ni fallor, non *pugnanda*, ut terminus indicetur, qui nullus est in *pugnanda*, sed est in *pugnata*; in quo et hoc intelligi potest, cessatura esse bella Romanis post Augusti victorias illas, in clipeo effictas. Insequentia autem vocabula *Fecerat et* non esse Virgilii nobis quoque persuasum est.

Fecerat et viridi fœtam[62] Mavortis in antro
Procubuisse lupam : geminos huic ubera circum
Ludere pendentes pueros, et lambere matrem[63]
Impavidos ; illam tereti cervice reflexam
Mulcere alternos, et corpora fingere[64] linguâ.
Nec procul hinc Româ, et raptas sine more[65] Sabi-
Consessu cavæ, magnis Circensibus actis[66], [nas
Addiderat, subitoque novum consurgere[67] bellum
Romulidis, Tatioque seni, Curibusque severis[68].
Post idem, inter se posito certamine, reges
Armati Jovis ante aram paterasque tenentes
Stabant, et cæsa jungebant fœdera porcâ[69].
Haud procul inde citæ Mettum[70] in diversa quadrigæ
Distulerant, (at tu dictis, Albane, maneres!)
Raptabatque viri mendacis viscera Tullus
Per silvam, et sparsi rorabant sanguine vepres.
Nec non Tarquinium ejectum Porsenna jubebat
Accipere, ingentique urbem obsidione premebat ;
Æneadæ in ferrum pro libertate ruebant.
Illum indignanti similem, similemque minanti
Aspiceres, pontem auderet quia vellere Cocles,
Et fluvium vinclis innaret Cœlia ruptis.
In summo custos Tarpeiæ Manlius arcis
Stabat pro templo[71] et Capitolia celsa tenebat,
Romuleoque[72] recens horrebat regia culmo.
Atque hic[73] auratis volitans argenteus anser
Porticibus, Gallos in limine adesse canebat ;
Galli per dumos aderant, arcemque tenebant[74],
Defensi tenebris et dono noctis opacæ :
Aurea cæsaries ollis, atque aurea vestis ;
Virgatis[75] lucent sagulis ; tum lactea colla

62 I. e. enixam. « Totum hunc locum » de lupa et infantibus Servius dicit esse Ennianum ; idem ex Fabio Pictore memorat *speluncam Martis*. — 63 « Hunc gestum cernimus in ipsius lupæ statuis. Veteres etiam nutrices vocabant *matres*. » *S.* — 64 *Fingere* : nam lambendo et lingua detergendo efficitur ut nativa forma catuli melius appareat et tamquam fingi videatur a matre. — 65 Præter humanitatem, per vim. *Cavea* ad theatrum pertinet, sed hic circo tribuitur. — 66 *Actis*, id est : quum agerentur ; quem usum jam vidimus in participiis perfectis. Generaliori voce *Circenses* utitur de Consualibus ; v. Liv. I, 9. — 67 Supple *fecerat*, repetendum ex præcedenti *addiderat* (id est, præterea fecerat). — 68 Nota est severitas disciplinæ Sabinorum, qui indicantur oppidi sui nomine. — 69 « Hujus pacti in Sacra via signa stant, Romulus a parte palatii, Tatius venientibus a Rostris. » *S.* — 70 Metti Fuffetii, principis Albani, supplicium narrant Livius I, 27, 28, et Servius. *At tu*, eo tempore quo te distrahebant equi, *dictis maneres!* id est, promissis tuis stetisse velles. — 71 Defensurus templum Jovis Capitolini. *Tenebat*, tuebatur, « defendebat ; et est militare verbum, etiam apud Sallustium ; e contrario victos, *loco motos* dicimus. » *S.* — 72 Ita loqui maluit, solutius, quam dicere : *ubi* erat etiam casa Romuli (quam Romulus texerat culmis), magnæ illa venerationis apud Romanos. Quare poeta eam exhibere videtur a Vulcano fictam *recentem*, honoris causa, non veterem, ut erat ætate Manlii. Minus probabiliter alii : « nempe culmi, quibus tecta erat casa Romuli, in auro efficti erant, flavi igitur et *recentium speciem* habentes. » — 73 *Hic* de tempore dictum, pro : tunc ; non de loco. *Auratis*, auro expressis ab artifice. « Voce *argenteus* significavit rem veram. Nam Capitolio, in honorem anseris qui Gallorum nuntiaverat adventum, positus fuerat anser argenteus. » *S.* — 74 In eo erant ut tenerent ; atque adeo *unus summum tenuit*, narrante Livio. *Dono*, quod alibi est *beneficio*. — 75 « Quæ habebant in virgarum modum deductas vias (*raies*). » *S.* Deinde *torques* illos Gallorum dicit, unde cognomen Manlio Torquato. *Quisque* sequenti plurali etiam VI, 743, n. 44. *Coruscant*, vibrant, ut p. 242, n. 75. Vox

Auro innectuntur; duo quisque Alpina coruscant
Gæsa manu, scutis protecti corpora longis.
Hinc exsultantes Salios[76], nudosque Lupercos,
Lanigerosque apices[77], et lapsa ancilia cœlo
Extuderat[78] : castæ ducebant sacra per urbem
Pilentis matres in mollibus. Hinc procul addit
Tartareas etiam sedes, alta ostia Ditis[79],
Et scelerum pœnas; et te, Catilina, minaci
Pendentem[80] scopulo, Furiarumque ora trementem;
Secretosque pios; his dantem jura Catonem.

Hæc inter[81] tumidi late maris ibat imago
Aurea, sed fluctu spumabant cærula cano;
Et circùm argento clari[82] delphines in orbem
Æquora verrebant caudis æstumque secabant.
In medio classes æratas, Actia bella[83],
Cernere erat, totumque instructo Marte[84] videres
Fervere Leucaten, auroque effulgere fluctus.
Hinc Augustus agens Italos in prœlia Cæsar,
Cum Patribus, populoque, Penatibus et magnis dis[85],
Stans celsa in puppi; geminas cui tempora flammas
Læta vomunt[86], patriumque aperitur vertice sidus.
Parte alia ventis et dis Agrippa secundis
Arduus agmen agens; cui, belli insigne superbum,
Tempora navali fulgent rostrata[87] coronâ.
Hinc[88] ope barbarica variisque Antonius armis,
Victor ab Auroræ populis[89] et litore rubro,
Ægyptum viresque Orientis et ultima secum
Bactra[90] vehit; sequiturque (nefas!) Ægyptia conjux.
Una omnes ruere[91], ac totum spumare, reductis
Convulsum remis rostrisque tridentibus, æquor.

celtica *gæsum*, jaculum grave. — 76 Tripudia Saliorum ancilia gestantium describit Ovidius, Fast. III, 373 seqq., et *Lupercaliorum* solemnitatem II, v. 267 seqq. — 77 Intelliguntur *Flamines*, qui « in capite habebant pileum, in quo erat brevis virga, desuper habens lanæ aliquid. » *Serv.*, qui plura de his sacerdotibus. — 78 Proprie : tundendo, malleo fecerat, quod erat antiquissimæ artis. Sequebatur pompa matronarum, quæ in *pilentis*, vehiculis pensilibus, sacra per urbem deducebant, velut in festis Cereris et Carmentis. *Mollibus* explicant motu facilibus, ut p. 85, n. 95, quia pensilia erant; inde vero etiam proprie vocari poterant mollia. — 79 Apud quas Orci portas est aditus ad Tartarum; vide VI, 575 seqq. *Scelerum pœnas*, pœnas quibus scelerati afficiuntur; idem quod : sceleratos pœnas dantes Sed jure suspecti habentur hi versus quatuor, vituperabiles haud uno nomine; v. Peerlkamp. p. 144-6. — 80 Affixum. *Catonem* Censorium intelligebat Servius, perperam. Est Uticensis, in quo summam justitiam et sanctitatem morum etiam Augustei ævi poetæ non dubitabant celebrare. — 81 Inter has imagines circa oram clipei sculptas, in media parte clipei. *Cærula* substantive, de mari. — 82 Candentes. Mox « *æstum* naturalem rem ostendit : nam semper mare turbatur, quum delphini apparuerint. » *S.* — 83 Actiacam pugnam. — 84 Poetice de classe. *Leucaten*, promontorium Actio vicinum; vide p. 187, n. 36. Tertiæ sunt *fervere* (p. 68, n. 7) et *effulgere* (p. 276, n. 92). *Auro* junxerim cum fluctus : fluctus aureos, ex auro affabre fictos. Haud probabiliter alii : aureo splendore ornamentorum militarium et armorum. — 85 Vide III, 12, n. 6. — 86 Ob galeam utrimque fulgentes radios emittentem; conf. v. 620. Ejusdem galeæ in vertice Augustus stellam gerebat, ob *Julium* illud *sidus* (p. 44, n. 43), de quo v. Servium. *Aperitur*, apparet. — 87 Tempora *rostrata*, id est ornata *coronâ rostratâ*, qua Agrippam donavit Augustus post victoriam navalem de Sexto Pompeio ad Mylas. — 88 « A contraria parte veniens. Crimen Antonii, quod *ope barbarica* Romanus pugnet. » *S.* Et armis *variis*, exercitu ex diversis gentibus collecto. — 89 Parthis et Armeniis. *Rubro*, maris Rubri. — 90 Quod caput Bactrianæ, hod. *Balkh*. Ac historici testantur, omnes fere reges Orientis, Romano imperio vicinos, Antonio socios adfuisse. — 91 Impetu ferebantur. *Reductis* ad corpus vel *ad*

Alta petunt; pelago credas innare revulsas
Cycladas, aut montes concurrere montibus altos:
Tanta mole[92] viri turritis puppibus instant!
Stuppea flamma[93] manu telisque volatile ferrum
Spargitur; arva nova[94] Neptunia cæde rubescunt.
Regina in mediis patrio vocat agmina sistro[95];
Necdum etiam geminos a tergo[96] respicit angues.
Omnigenûmque deûm monstra[97] et latrator Anubis
Contra Neptunum et Venerem contraque Minervam
Tela tenent: sævit medio in certamine Mavors
Cælatus ferro, tristesque ex æthere[98] Diræ;
Et scissa gaudens vadit Discordia palla,
Quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.
Actius hæc cernens arcum intendebat Apollo[99]
Desuper: omnis eo terrore Ægyptus, et Indi,
Omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabæi.
Ipsa videbatur ventis regina vocatis
Vela dare, et laxos jam jamque immittere[1] funes.
Illam inter cædes pallentem morte futurâ
Fecerat Ignipotens undis et Iapyge[2] ferri;
Contrà autem magno mœrentem corpore Nilum,
Pandentemque sinus, et tota veste[3] vocantem
Cæruleum in gremium latebrosaque[4] flumina victos.
At Cæsar, triplici[5] invectus Romana triumpho
Mœnia, dîs Italis votum immortale sacrabat,
Maxima ter centum[6] totam delubra per Urbem.
Lætitia ludisque viæ plausuque fremebant;
Omnibus in templis matrum chorus[7], omnibus aræ:
Ante aras terram cæsi stravere juvenci.

pectora, ut loquitur Ovidius, *Tridentibus*, vide p. 228, n. 66. — 92 Tanto molimine, tam ingenti vi propellunt viri naves ingentes. Antonii præsertim navium altitudo, ad denos remorum ordines assurgentium et turribus insuper instructarum, in Actiaco prœlio commemoratur; nihilominus *turritis* de utraque acie capiendum. Serv.: « Agrippa primus hoc genus turrium invenit, ut de tabulatis subito erigerentur, simul ac ventum esset in prœlium, turres hostibus improvisæ. » Et Plinius: « Armatæ classes imponunt sibi turrium propugnacula, ut in mari quoque pugnetur velut e muris. » — 93 Stuppa incensa; ut dictum *virgea flamma* VII, 463, et similia p. 137, n. 3. *Telis* jaciendis, telorum jactu. — 94 Insolita, maxima. Nisi præstat explicare: denuo, ut jam aliquoties acciderat in bellis civilibus. — 95 *Sistro* acerbe dictum; nam ludis modo choreisque inserviebat sistrum Ægyptiorum. « Augustus in commemoratione vitæ suæ refert, Antonium jussisse ut legiones suæ apud Cleopatram excubarent, ejusque jussu et nutu parerent. Bene ergo *vocat agmina*, quæ signum dabat. » *Serv.* — 96 « Hoc est: nondum videbat mortem futuram. » *S.* Cujus genus notum. Putandus est Vulcanus duos serpentes finxisse in summa puppi, ut videtur, navis regiæ. — 97 Dii Ægyptii, qui belluinis capitibus fingebantur, ut Anubis canino, unde *latrator*. — 98 Fortasse secundum homericum ἠεροφοῖτις Ἐριννύς, *Iliad.* T, 87. *Diræ*, deæ ultrices, Κῆρες. Conferendus Hesiodus, *Scut.* 248 seqq. — 99 *Actius Apollo*, v. III, 275, n. 37. *Desuper*, ab Actio. *Eo*, quem Apolline viso conceperat orientalis exercitus Antonii. — 1 Laxare; ut videmus *habenis immissis*, laxatis. — 2 « Vento qui de Apulia flans, optime ad Orientem ducit. *Iapygia* enim Apulia dicta est. » *S. Contra*, ex adverso. — 3 Non parte aliqua vestis, ut solemus, sed *tota veste* agitata, præ studio in Cleopatram. — 4 Ubi latere et effugere possent victorem. « Hoc de historia est. Nam legitur, Cleopatram præsagio mortis futuræ oblitam esse recessus Ægypti petere, in quibus facile poterat bella reparare. De qua re se moriens dicitur increpasse. » *S.* — 5 Suetonius, c. 22: « Curules triumphos *tres* egit: Dalmaticum, Actiacum, Alexandrinum; continuo triduo omnes. » — 6 Vide p. 216, n. 27, et Suetonium, c. 29 — 7 Est supplicatio matronarum. Deinde Peerlkamp.: *omnibus aræ* ARDENTES; *terram* etc. Nam *aræ* solum vix est explicabile.

Ipse, sedens niveo candentis limine Phœbi[8],
Dona recognoscit populorum[9], aptatque superbis
Postibus; incedunt victæ longo ordine gentes,
Quam variæ linguis, habitu tam vestis et armis.
Hic Nomadum genus[10] et discinctos Mulciber Afros,
Hic Lelegas, Carasque[11], sagittiferosque Gelonos
Finxerat; Euphrates ibat jam mollior[12] undis,
Extremique hominum Morini[13], Rhenusque bicornis,
Indomitique Dahæ[14], et pontem indignatus Araxes.
Talia per clipeum Vulcani, dona parentis,
Miratur, rerumque ignarus imagine gaudet,
Attollens humero famamque et fata[15] nepotum.

8 **Sub porticu et aditu templi Apollinis Palatini**, prospectans ibi succedentem pompam triumphalem. *Niveo candentis;* « id templum enim factum de solido marmore, quod allatum fuerat de Portu Lunæ, qui est in confinio Tusciæ ac Liguriæ. » *S.* — 9 Quæ dona appellabantur *aurum coronarium*, « quod (inquit Servius) triumphantibus hodieque a victis gentibus datur. Imponebant autem hoc imperatores ob concessam vitam. Hinc dicit *dona;* nam si hoc non esset, *spolia* diceret. *Aptat postibus :* porticum enim Augustus fecerat in quo simulacra omnium gentium collocaverat, quæ porticus appellabatur *Ad nationes.* » — 10 Numidæ. *Discincti,* ob mollitiem. Sic Plautina persona hominem Carthaginiensem his alloquitur : *Tu, qui zonam non habes,* etc. Fuerat autem in partibus Antonii Africæ pars magna a Cyrenis usque ad Æthiopiam. — 11 His indicantur populi et reges Asiæ Minoris. De *Gelonis* vide p. 75, n. 94. Quos Horatius quoque *pharetratos* vocavit. — 12 Leniore amne, « sentiens quasi se esse superatum. Sic eumdem Horatius (*Od.* II, 9) dicit, *gentibus additum victis, minores volvere vortices.* » *S.* — 13 *Morini* habitabant in extrema Galliæ Belgicæ ora ad fretum Britannicum (in Picardia septentrionali); unde epitheton. *Rhenus bicornis,* nimirum Vahalis et Rhenus, ut tum quidem fluebat, antequam Drusus tertium ostium, Flevum, fossa ducta aperiret. In Dalmatico autem triumpho (v. not. 5) Augustus simul triumphabat de Morinis et aliis Galliæ Germaniæque populis, rebellionis sociis. — 14 Gens Scythica, in orientali litore maris Caspii habitans, Oxum fluvium versus, ultra Hyrcanos. *Araxes* (hodieque *Aras*), Armeniæ majoris fluvius valde rapidus, et pontis impatiens. Unde ipsorum etiam accolarum ingenium non civile, sed durum ferumque intelligitur. — 15 Nempe clipeum, in quo fata et gloria posterorum suorum, ipso insciente, erant efficta.

LIBER IX

Atque ea diversa penitus dum parte geruntur,
Irim de cœlo misit Saturnia Juno
Audacem ad Turnum. Luco tum forte parentis [1]
Pilumni Turnus sacrata valle sedebat.
Ad quem sic roseo Thaumantias [2] ore locuta est :
« Turne, quod optanti divûm promittere nemo
Auderet, volvenda dies [3] en attulit ultro.
Æneas, urbe et sociis et classe relictâ,
Sceptra Palatini sedemque [4] petit Evandri.
Nec satis : extremas Corythi penetravit ad urbes [5],
Lydorumque manum collectosque armat agrestes.
Quid dubitas? nunc tempus equos, nunc poscere curr-
Rumpe moras omnes, et turbata arripe [6] castra. » [rus.
Dixit, et in cœlum paribus [7] se sustulit alis,
Ingentemque fuga secuit sub nubibus arcum.
Agnovit juvenis, duplicesque ad sidera palmas
Sustulit, ac tali fugientem est voce secutus :
« Iri, decus cœli, quis te mihi nubibus actam
Detulit in terras? unde hæc tam clara repente
Tempestas [8]? Medium video discedere cœlum,
Palantesque polo stellas. Sequor omina tanta,
Quisquis in arma vocas. » Et sic effatus, ad undam
Processit, summoque hausit de gurgite lymphas [9],

1 *Parentis* latiore sensu : nam abavus Turni erat Pilumnus (v. X, 619), Fauni filius, inter agrestia numina Latii relatus. Mox pauci codd. *secreta valle*. — 2 Filia Thaumantis, Oceani et Terræ filii. *Optanti* tibi. — 3 Dies quæ volvitur, tempus. Sic Latini nonnumquam supplent defectum participii præsentis passivi. — 4 Regiam sedem. *Petit*, præsens pro perfecto, ut in re quæ adhuc agitur, nondum reduce Ænea ex eo itinere. — 5 In Etruriam, cujus olim rex Corythus, mortalis pater Dardani. *Lydi* vocantur iidem Tusci ; v. VIII, 479-80, n.

5. — 6 Cito pete (p. 193, n. 28) et turba repentino impetu. — 7 Vide V, 657-8, n. 80. *Fuga*, veloci reditu. — 8 Serenitas ; « aliud augurium, quum Iris sine nubibus non possit videri. » *S.* — 9 Vide VIII, 69, n. 29. *Æthera*, cœlum.

Multa deos orans, oneravitque æthera votis.
Jamque omnis campis exercitus ibat apertis,
Dives equûm, dives pictaï vestis et auri[10];
(Messapus primas acies, postrema coercent[11]
Tyrrhidæ juvenes; medio dux agmine Turnus
[Vertitur arma tenens, et toto vertice supra est];)
Ceu septem surgens sedatis amnibus altus
Per tacitum[12] Ganges, aut pingui flumine Nilus,
Quum refluit campis[13] et jam se condidit alveo.
Hìc subitam nigro glomerari pulvere nubem
Prospiciunt Teucri, ac tenebras insurgere campis.
Primus ab adversa conclamat mole[14] Caicus :
« Quis globus, o cives, caligine volvitur atrâ !
Ferte citi ferrum, date tela, ascendite[15] muros :
Hostis adest, eia ! » Ingenti clamore per omnes
Condunt se[16] Teucri portas, et mœnia complent.
Namque ita discedens præceperat optimus armis[17]
Æneas : si qua interea fortuna fuisset,
Neu struere auderent aciem, neu credere campo[18];
Castra modo et tutos servarent aggere muros.
Ergo, etsi conferre manum pudor iraque monstrat[19],
Objiciunt portas tamen, et præcepta facessunt,
Armatique cavis exspectant turribus hostem.
Turnus, ut antevolans tardum præcesserat agmen,
Viginti lectis equitum comitatus et[20] urbi
Improvisus adest; maculis quem Thracius[21] albis
Portat equus, cristaque tegit galea aurea rubrâ. [stē—[22] ?
« Ecquis erit, mecū, juvenes, qui primus in hostem
En, » ait : et jaculum attorquens emittit in auras,
Principium pugnæ[23], et campo sese arduus infert.
Clamore excipiunt[24] socii, fremituque sequuntur
Horrisono; Teucrûm mirantur inertia corda :
Non[25] æquo dare se campo, non obvia ferre
Arma viros, sed castra fovere. Huc turbidus atque huc
Lustrat equo muros, aditumque per avia quærit.
Ac veluti pleno lupus insidiatus[26] ovili

10 Vestis auro intertextæ, collective. — 11 Cogunt. *Tyrrhidæ*, v. VII, 484, n. 19. Sequens versus, ex VII, 784 huc insertus, non legitur in melioribus manuscriptis. — 12 Tacite, sedate; et repetendum est *it* ex v. 25. « *Ganges*, fluvius Indiæ, secundum Senecam novem alveis fluit; secundum Melam, septem. » *S.* Ex his conjunctis *surgit*, prodit Gangis flumen magnum et altum. Sequentibus respicitur annua exundatio Nili, Ægyptum fœcundantis. — 13 A campis. Præpositionem in his verbis omittere solet Virgilius. — 14 A turri in munimentis Trojanorum, in parte advenientibus Latinis adversa. *Globus* est conglomerata nubes pulveris. — 15 Alii *scandite*. Conf. IV, 594. — 16 Recipiunt se intra muros. — 17 « Peritus armorum, dux egregius. *Fortuna*, scilicet casus bellicus. » *S.* — 18 Non fidere pugnæ in campo patenti. — 19 Hortatur. — 20 Junge *comitatus et improvisus adest urbi*. « Trojæ, quam fecerat Æneas castrorum in morem. » *S.* — 21 Vide V, 565-6, ubi proprie dictum; hìc de equo illis simili ad præstantiam. — 22 Additurus *irruat* vel *inferat se*, abreptus ardore jaculum emisit ante phrasin finitam. — 23 « Hoc de Romana sollemnitate tractum. Quum enim volebant bellum indicere, Pater patratus, hoc est princeps Fetialium, proficiscebatur ad hostium fines, et præfatus quædam sollemnia, clara voce dicebat, se bellum indicere propter certas causas : quæ *clarigatio* dicebatur. Post quam hastâ in eorum fines missâ indicabatur jam pugnæ principium. » *Serv.*, qui alia de hac religione addit scitu digna. — 24 *Excipiunt* eum, equo prætervectum primos ordines. — 25 Repete : *mirantur* eos. *Castra fovere*, vide p. 106, n. 62. « Veteres *fovere* dicebant pro : diu incolere. » *S.* — 26 *Insidiatus* et mox *perpessus* notione præsentis. Homerica est comparatio.

Quum fremit ad caulas, ventos perpessus et imbres,
Nocte super media[27]; tuti sub matribus agni
Balatum exercent; ille asper et improbus[28] irâ
Sævit in absentes; collecta fatigat[29] edendi
Ex longo rabies et siccæ sanguine fauces:
Haud aliter Rutulo muros et castra tuenti
Ignescunt iræ; duris dolor ossibus ardet[30],
Qua tentet ratione aditus, et quæ via clausos
Excutiat Teucros vallo atque effundat in æquum[31].
Classem, quæ lateri castrorum adjuncta latebat,
Aggeribus sæptam circùm et fluvialibus undis,
Invadit, sociosque incendia[32] poscit ovantes,
Atque manum pinu flagranti fervidus implet.
Tum vero incumbunt; urget præsentia Turni;
Atque omnis facibus[33] pubes accingitur atris.
Diripuere focos[34]: piceum fert fumida lumen
Tæda et commixtam Vulcanus ad astra favillam.

Quis deus, o Musæ, tam sæva incendia Teucris
Avertit? tantos ratibus quis depulit ignes?
Dicite. Prisca fides facto[35], sed fama perennis.

Tempore quo primum Phrygia formabat in Ida
Æneas classem, et pelagi petere alta parabat,
Ipsa deûm fertur genitrix Berecyntia[36] magnum
Vocibus his affata Jovem: « Da, nate, petenti
Quod tua cara parens domito[37] te poscit Olympo.
Pinea silva mihi, multos dilecta per annos;
Lucus in arce[38] fuit summa, quo sacra ferebant,
Nigranti picea trabibusque obscurus acernis.
Has ego Dardanio juveni, quum classis egeret,
Læta dedi; nunc sollicitam timor anxius angit[39].
Solve metus, atque hoc precibus sine posse parentem,
Neu cursu quassatæ ullo neu turbine venti
Vincantur: prosit nostris in montibus ortas[40]. »
Filius huic contra, torquet qui sidera mundi:
« O genitrix, quo fata vocas[41]? aut quid petis istis?
Mortaline manu factæ immortale carinæ
Fas[42] habeant? certusque incerta pericula lustret

27 Ultra mediam noctem. — 28 Violentus, ut *Georg.* I, 119, n. 24. — 29 *Fatigat* eum, vehementer agitat *rabies edendi ex longo* tempore *collecta*, contracta. *Siccæ sanguine*, quia abest sanguis, sanguinis penuriâ. Conf. VIII, 261. — 30 Valde dolet de eo, *qua ratione tentet* etc.: quam rationem et viam non habet, non assequitur. *Via*, modus agendi. — 31 Campum apertum. — 32 Materiam ad incendendum, ut faces. Sequenti versui similis est VII, 397. — 33 Dativus: accingitur ad faces sibi comparandas, ut II, 235: *Accingunt omnes* OPERI. Et *atris*, quia in perniciem fit. — 34 *Focos* agrestium vicinorum, titiones inde auferentes. Minus probabiliter alii capiunt de lignis raptim collectis et incensis. *Piceum*, vide p. 217, n. 68. « Sordidior in tædis et ignis et fumus est. » *S.* — 35 *Facto*, quod videri posset fictum, nisi fidem antiquitatis, nonnullis dubiam, firmaret famæ perennitas. Rem narravit etiam Ovidius, *Metamorph.* XIV, 527 seqq. — 36 Vide p. 274, n. 68. Ida quoque sacra erat Cybelæ; vide p. 182, n. 56, 57. — 37 *Domito* a te *Olympo*: quum sis cœli dominus factus et potens omnium. — 38 In summo monte Idæ, pars illius silvæ. *Fuit*, quia jam cæsæ erant eæ arbores ab Æneas. *Ferebant*, tum quum stabat Troja. *Trabibus*, stipitibus, arboribus. — 39 Pauci *urget*, interpolatione. Etiam Lucretius dixit *anxius angor*, et Cicero distinguit, *Tusc.* IV, 12: « Differt *anxietas* ab *angore*: neque enim omnes anxii, qui anguntur aliquando; nec, qui anxii, semper anguntur. » *Metus* meos. — 40 *Ortas* esse. *Torquet*, vide p. 209, n. 28. — 41 In quam partem agis, qua commutatione affici vis fata? *Istis* navibus, in gratiam earum. — 42 Jus, conditionem divinitus concessam. De sequentibus Servius: « *Certus*,

Æneas ? Cui tanta deo permissa potestas ?
Imo, ubi defunctæ[43] finem portusque tenebunt
Ausonios olim, quæcumque evaserit undis,
Dardaniumque ducem Laurentia vexerit arva,
Mortalem eripiam[44] formam, magnique jubebo
Æquoris esse deas : qualis Nereïa Doto[45]
Et Galatea secant spumantem pectore pontum. »
Dixerat ; idque ratum Stygii per flumina fratris[46],
Per pice torrentes atraque voragine ripas
Annuit, et totum nutu tremefecit Olympum.

Ergo aderat promissa dies, et tempora Parcæ
Debita[47] complèrant, quum Turni injuria Matrem
Admonuit ratibus sacris depellere tædas.
Hic primum nova lux oculis offulsit, et ingens
Visus ab Aurora[48] cœlum transcurrere nimbus,
Idæique chori ; tum vox horrenda per auras
Excidit, et Troum Rutulorumque agmina complet :
« Ne trepidate[49] meas, Teucri, defendere naves,
Neve armate manus : maria ante exurere Turno
Quam sacras dabitur pinus. Vos ite solutæ,
Ite, deæ pelagi : Genitrix jubet. » Et sua quæque
Continuo puppes abrumpunt vincula ripis,
Delphinùmque modo demersis æquora rostris
Ima petunt. Hinc virgineæ (mirabile monstrum !)
[Quot prius æratæ steterant ad litora proræ]
Reddunt se[50] totidem facies, pontoque feruntur.

Obstipuere animi Rutulis ; conterritus ipse[51]
Turbatis Messapus equis ; cunctatur et amnis
Rauca sonans, revocatque pedem Tiberinus ab alto[52].
At non audaci Turno fiducia cessit ;
Ultro animos[53] tollit dictis, atque increpat ultro :
« Trojanos hæc monstra petunt ; his Juppiter ipse
Auxilium solitum[54] eripuit ; non tela neque ignes
Exspectant Rutulos. Ergo maria invia Teucris,
Nec spes ulla fugæ : rerum pars altera[55] adempta est ;
Terra autem in nostris manibus ; tot millia, gentes
Arma ferunt Italæ ! Nil me fatalia terrent,
Si qua Phryges præ se jactant, responsa deorum :

securus. Æneas, sorte qua homo est, debet navigationis timere pericula ; quod perit, si ejus navibus æternitas detur. • — 43 *Defunctæ* navigatione (confer VI, 83). In *finem* zeugma esse videtur, ac suppléndum : assequutæ erunt. Pauci codd. *fines*. — 44 *Eripiam* huic vel his. — 45 Δωτώ, una Nereidum. Notior Galatea. — 46 Vide VI, 323-4. Ripæ *torrentes* sunt fluminis torrentis, ferventis *pice*. • Atqui Jupiter non solebat hoc jurejurando uti, nisi in rebus omnium gravissimis. » *Peerlkamp.*, alia quoque, sed minus gravia, in his reprehendens. — 47 Vide VIII, v. 375, n. 60. — 48 Ab oriente ; unde in nimbo adveniebat Cybele cum *choris Idæis*, Corybantibus ; v. III, 111, n. 56. — 49 Ne festinate. — 50 Redeunt, rursus emergunt. Præcedens versus, huc translatus ex X, 223, abest a melioribus libris omnibus. Ejusmodi versus, auctoritate carentes, dudum oportebat expulsos. — 51 *Ipse*, nam erat *Neptuni* filius. *Turbatis equis*, v. VII, 767. — 52 A mari retro cedit, ut VIII, 240 : *Refluit exterritus amnis*. — 53 *Animos* sociorum. — 54 Amare dictum : solent, inquit, Trojani navibus se subducere victori hosti. Deinde Servius : • Non exspectant Trojani ut Rutulorum telis aut ignibus pereant, qui jam navium amissione perierant. » Peerlkampius correxit, EXSPECTAT : ipse Jupiter nos prævertit in perdendis Trojanis. — 55 Mare, per quod fugiant. • *Rerum*. id est naturæ rerum. Hominibus enim duo elementa concessa sunt, mare et terra. » *S. Tot millia* hominum scilicet *gentes Italiæ*. Alterum utrum est appositio alterius.

Sat fatis Venerique datum, tetigere quod arva
Fertilis Ausoniæ Troes. Sunt et mea contrà
Fata mihi, ferro sceleratam exscindere gentem,
Conjuge prærepta : nec solos tangit Atridas
Iste[56] dolor, solisque licet capere arma Mycenis.
Sed[57] periisse semel satis est. Peccare fuisset
Ante satis, penitus modo non genus omne perosos
Femineum. Quibus[58] hæc medii fiducia valli
Fossarumque moræ, leti discrimina parva,
Dant animos. At non viderunt mœnia Trojæ,
Neptuni fabricata manu, considere in ignes?
Sed vos, o lecti, — ferro quis[59] scindere vallum
Apparat, et mecum invadit trepidantia castra?
Non armis mihi Vulcani[60], non mille carinis
Est opus in Teucros. Addant se protinus omnes
Etrusci socios ; tenebras et inertia furta[61]
[Palladii, cæsis summæ custodibus arcis,]
Ne timeant; nec equi cæca condemur in alvo:
Luce, palam, certum est igni circumdare muros.
Haud sibi cum Danais rem faxo[62] et pube Pelasgâ
Esse putent, decimũ quos distulit Hector in annũ.
Nunc adeo, melior quoniam pars acta diei,
Quod superest, læti bene gestis[63] corpora rebus
Procurate, viri, et pugnam sperate parari. »

Interea vigilum excubiis obsidere portas
Cura datur Messapo et mœnia cingere flammis.
Bis septem Rutuli, muros qui milite servent,
Delecti[64]; ast illos centeni quemque sequuntur
Purpurei cristis juvenes auroque corusci.
Discurrunt, variantque vices[65], fusique per herbam
Indulgent vino, et vertunt[66] crateras ahenos.
Collucent ignes; noctem custodia ducit
Insomnem ludo.

Hæc supèr[67] e vallo prospectant Troes, et armis
Alta tenent; nec non trepidi formidine portas
Explorant[68], pontesque et propugnacula jungunt,
Tela gerunt. Instant Mnestheus acerque Serestus,
Quos pater Æneas, si quando adversa[69] vocarent,

56 Dolor conjugis ereptæ, Helenæ. *Solisque* pro : nec solis. — 57 Objectio. Sed dixerit aliquis : Satis est semel Trojanos pœnas luisse sceleri eorum constitutas. Respondetur : Imo satis illis esse debuerat (*fuisset*) *peccare antè*, scilicet rapta Helena, debuerantque adeo, propter insecutam calamitatem, odisse pæne totum (*modo non omne*) genus femineum, neque iterum peccare eodem modo. — 58 Sed iis. « *Moræ*, quasi non tutela, sed mortis dilatio. » *S.* — 59 *Quis* vestrùm. — 60 Qualia is fecit Achilli; neque classe, qualem Achivi moverunt. — 61 Ne timeant a nobis insidias nocturnas, quales Græci struxerunt Trojanis; vide II, 250 seqq. Unde male huc intrusus est versus sequens, furcâ expellendus. — 62 Faciam ut *sibi haud esse putent* etc. « Bene solius Hectoris facta est commemoratio, ut ostendatur perisse eum qui potuit esse terrori. » *S.* — 63 « In eo quidem, quod hostes non ausi sunt egredi adversus eos : nam nihil egerant. Sed a me *pugnam sperate parari*, id est, pugnaturos vos scitote, licet hostes muris se teneant. » *S.* — 64 « Centuriones scilicet; nam ex numero militum, qui eos sequuntur, gradus dignitatis apparet. » *Serv.* — 65 Alternis excubias et alia munia militaria obeunt. Conf. p. 198, n. 97. — 66 Vergunt, inclinant, ut vinum infundant in poculo. Alii, nescio an rectius : potando exhauriunt, cum Servio, qui Ennianum esse hemistichium annotat. — 67 Desuper. *Trepidi*, festini. — 68 *Explorant*, an sint firmæ satis. *Pontes* de turribus ante murum sive vallum positis et per pontes cum muro junctis; v. 530, et XII, 674 seqq. *Gerunt*, aggerunt, comportant. — 69 Discrimina.

Rectores juvenum et rerum dedit esse magistros.
Omnis per muros legio, sortita periclum [70],
Excubat, exercetq̃ vices, quod [71] cuique tuendum est.
Nisus erat portæ custos, acerrimus armis,
Hyrtacides, comitem Æneæ quem miserat Ida [72]
Venatrix, jaculo celerem levibusque sagittis;
Et juxta comes Euryalus, quo pulchrior alter
Non fuit Æneadûm, Trojana neque induit arma,
Ora puer prima signans intonsa juventâ [73].
His amor unus erat, pariterque in bella ruebant;
Tum quoque communi portam statione tenebant.
Nisus ait : « Dine hunc ardorem mentibus addunt,
Euryale, an sua cuique deus fit dira [74] cupido?
Aut pugnam aut aliquid jamdudû invadere magnum
Mens agitat mihi, nec placida contenta quiete est.
Cernis quæ Rutulos habeat fiducia rerum :
Lumina rara micant; somno vinoque soluti
Procubuere; silent late loca. Percipe porro
Quid dubitem [75] et quæ nunc animo sententia surgat.
Ænean acciri omnes, populusque patresque [76],
Exposcunt, mittique viros qui certa reportent.
Si, tibi quæ posco [77], promittunt (nam mihi facti
Fama sat est), tumulo videor reperire sub illo
Posse viam ad muros et mœnia [78] Pallantea. »

Obstipuit magno laudum percussus amore
Euryalus; simul his ardentem affatur amicum :
« Mene igitur socium summis adjungere rebus,
Nise, fugis? solum te in tanta pericula mittam?
Non ita me genitor, bellis assuetus Opheltes,
Argolicum terrorem inter Trojæque labores
Sublatum [79] erudiit; nec tecum talia gessi,
Magnanimum Æneæn et fata extrema [80] secutus.
Est hic, est animus lucis contempor, et istum
Qui vita bene [81] credat emi, quo tendis, honorem. »
Nisus ad hæc : « Equidem de te nil tale verebar,
Nec fas; non : ita [82] me referat tibi magnus ovantem
Juppiter, aut quicumque oculis hæc aspicit æquis.
Sed si quis — quæ [83] multa vides discrimine tali —
Si quis in adversum rapiat casusve deusve,
Te superesse velim : tua vita dignior ætas;
Sit qui me raptum pugna [84] pretiove redemptum

70 Loca ubi periculum belli subeundum erat cuique. — 71 *Exercet* quisque *vices* ejus *quod* ei *tuendum est*, pro vulgari modo : tuetur vices suas, obeundo munia sortitò ei data. Sequitur celebratissimum episodium, totum, ut videtur, fictum a Virgilio, cum aliqua imitatione Homeri in *Iliadis* cantu X. — 72 *Ida* nympha, quæ mater Nisi. — 73 De tenera lanugine dictum, pubertatis indice. Amor *unus*, idem utriusque et mutuus. — 74 *Dira*, quæ nos sævo quodam imperio vocat in periculà. De *aliquid* (aliud) vide p. 156, not. 24. — 75 Animo volvam, « cogitem : omnis enim cogitatio in dubitatione est ante sententiam. » *Serv.* — 76 « Transfert in Trojanos Romanam consuetudinem, ut solet plerumque. » *S.* — 77 Pro futuro : poscam; ut *sequor* supra v. 21. — 78 Conf. p. 162, not. 13. Ibi tum erat Æneas. — 79 Susceptum. — 80 Æneæ fugam ex urbe deleta et errores. *Lucis*, vitæ. — 81 *Bene emi* dicuntur quæ non magno pretio comparantur. *Quo*, ad quem. — 82 *Ita* et *sic* in votis jam vidimus *Ecl.* IX, 30; X, 4, et alibi. *Æquis*, propitiis. — 83 Qualia; conf. VII, 200. — 84 *Raptum* ex *pugna*, de corpore occisi ex pugna subducto. Humo *solita*, cui mandari solent defuncti. Ut sollemni more, justis exsequiis componar.

Mandet humo solitâ ; aut, si qua id fortuna vetabit,
Absenti ferat inferias, decoretque sepulchro[85].
Neu matri miseræ tanti sim causa doloris,
Quæ te sola, puer, multis e matribus ausa
Prosequitur, magni nec mœnia curat Acestæ[86], »
Ille autem : « Causas nequicquam nectis[87] inanes,
Nec mea jam mutata loco sententia cedit.
Acceleremus, » ait. Vigiles simul excitat. Illi
Succedunt, servantque vices ; statione relictâ,
Ipse comes Niso graditur, regemque[88] requirunt.
Cetera per terras omnes animalia somno
Laxabant curas et corda oblita laborum :
Ductores Teucrûm primi et delecta juventus
Consilium[89] summis regni de rebus habebant,
Quid facerent, quisve Æneæ jam nuntius esset.
Stant[90] longis adnixi hastis, et scuta tenentes,
Castrorum et campi medio. Tum Nisus et una
Euryalus confestim alacres admittier orant[91] :
Rem magnam, pretiumque moræ fore. Primus Iulus
Accepit trepidos[92], ac Nisum dicere jussit.
Tum sic Hyrtacides : « Audite o mentibus æquis,
Æneadæ, neve hæc nostris spectentur[93] ab annis,
Quæ ferimus. Rutuli somno vinoque soluti
Conticuere ; locum insidiis[94] conspeximus ipsi,
Qui patet in bivio portæ quæ proxima ponto ;
Interrupti ignes, aterque ad sidera fumus[95]
Erigitur : si fortuna permittitis uti,
Quæsitum[96] Ænean et mœnia Pallantea,
Mox hic cum spoliis, ingenti cæde peractâ,
Adfore cernetis. Nec nos via fallit euntes :
Vidimus obscuris primam sub vallibus[97] urbem
Venatu assiduo, et totum cognovimus amnem. »
Hic annis gravis atque animi[98] maturus Aletes :
« Dî patrii, quorum semper sub numine Troja est,
Non tamen omnino Teucros delere paratis,
Quum tales animos juvenum et tam certa tulistis[99]
Pectora ! » Sic memorans, humeros dextrasque tenebat
Amborum, et vultum lacrimis atque ora rigabat.
« Quæ vobis, quæ digna, viri, pro laudibus[1] istis
Præmia posse rear solvi ? Pulcherrima primum
Dî moresque dabunt vestri[2] ; tum cetera reddet

85 Cenotaphio. — 86 Vide V, v. 713 seqq., 750 seqq. — 87 Implicas inter se, contexis. Mox junge *loco cedit*. — 88 Regis filium, Ascanium. — 89 Versus Lucilii est. — 90 « Mira facies consilii est : in rebus dubiis non sedent, sed *stant*. » *S.* — 91 *Alacres orant*, concitate flagitant ; et dicunt *rem magnam* esse. *Moræ*, temporis audiendis sibi dati. — 92 Festinos. — 93 Judicentur, æstimentur. — 94 Est dativus : patentem insidiis, aptum fallendis clandestino egressu Rutulis. — 95 « Qui est signum sopitorum ignium. » *S.* — 96 Est supinum. Mox supple *nos*. Alii malebant *Æneam*. — 97 In vallibus obscuris positi, ubi venabamur, conspeximus in monte partem primam urbis, scilicet partem eam quæ obversa erat his vallibus. Præpositione *sub* utitur pro *in*, agens de loco depresso ; sicut in contraria re *super* p. 151, n. 28. At difficultate non una hic premitur versus, de quibus videndus Peerlk. p. 173-4. — 98 Vide p. 127, n. 66. *Sub numine*, vide p. 175, n. 10. — 99 Protulistis, vel nobis attulistis, concessistis. *Certa*, firma. Cogitandus est Aletes humerum tenere alterius, alterius dextram ; nisi potius (ob pluralem) alteri post alterum sinistram imponere humero, dextram amplecti dextrâ. — 1 Vide p. 233, n. 58. — 2 « Ciceronis est, tractum de philosophis, qui dicunt sufficere ad gloriam benefacti conscientiam. » *Serv.* Qui respicere

videtur *Philippicæ* II cap. 44 extrem. : *Etsi cum in ipsa conscientia pulcherrimi facti fructus erat, tamen mortali immortalitatem non arbitror esse contemnendam.* — 3 In ipso ætatis flore constitutus ; cf. II, 638, n. 80. — 4 Vide V, 744, n. 9. — 5 *Fides* futurorum, spes. — 6 Vide V, 267, not. 22. *Arisba*, Troadis oppidum, propinquum Abydo. De re vide Servium. — 7 Vide pag. 231 principio. *Dat* pro « dedit » poterat dici in re effectûs duraturi, quasi : qui est donum Didonis. — 8 *Victori* mihi. Mox alii legunt *dicere*, constituere. — 9 Extra sortem seponam, præter sortem debitam tibi dabo munus eximium, ἐξαίρετον γέρας (p. 150, n. 3). — 10 Mulierum captivarum ; vide p. 128, n. 76. *Omnibus*, dativus, cui inest habendi notio : et sua quæ sunt omnibus vel cuique eorum arma. —

Actutum pius Æneas, atque integer ævi[3]
Ascanius, meriti tanti non immemor umquam. »
« Imo ego vos, cui sola salus genitore reducto, »
Excipit Ascanius, « per magnos, Nise, Penates
Assaracique Larem et canæ[4] penetralia Vestæ,
Obtestor ; quæcumque mihi fortuna fidesque[5] est,
In vestris pono gremiis : revocate parentem,
Reddite conspectum : nihil illo triste recepto.
Bina dabo argento perfecta atque aspera[6] signis
Pocula, devicta genitor quæ cepit Arisbâ ;
Et tripodas geminos, auri duo magna[7] talenta ;
Cratera antiquum, quem dat Sidonia Dido.
Si vero capere Italiam sceptrisque potiri
Contigerit victori[8], et prædæ ducere sortem,
Vidisti quo Turnus equo, quibus ibat in armis
Aureus : ipsum illum, clipeum cristasque rubentes
Excipiam sorti[9], jam nunc tua præmia, Nise.
Præterea bis sex genitor lectissima matrum[10]
Corpora, captivosque dabit, suaque omnibus arma ;
Insuper his[11], campi quod rex habet ipse Latinus.
Te vero, mea quem spatiis propioribus ætas
Insequitur, venerande puer, jam pectore toto[12]
Accipio, et comitem casus complector in omnes :
Nulla meis sine te quæretur gloria rebus ;
Seu pacem, seu bella geram, tibi[13] maxima rerum
Verborumque fides. » Contra quem talia fatur
Euryalus : « Me nulla dies tam fortibus ausis
Dissimilem arguerit ; tantum[14] fortuna secunda,
Aut adversa cadat ! Sed te super omnia dona
Unum oro : genitrix Priami de gente vetustâ
Est mihi, quam miseram tenuit[15] non Ilia tellus
Mecum excedentem, non mœnia regis Acestæ.
Hanc ego nunc ignaram hujus quodcumqꝫ pericli est
Inque salutatam[16] linquo : Nox et tua testis
Dextera, quod nequeam lacrimas perferre parentis.

11 Poetæ *insuper* nonnunquam jungunt ablativo, ut *super*. *Campi quod*, quam partem campi vel agri. « Mos fuerat ut viris fortibus sive regibus pro honore daretur aliqua publici agri particula ; quod spatium ab Homero τέμενος dicitur. » *S.* Vide *Iliad.* Z, 193 seqq. Legenda quæ in hos versus tres, *Præterea—Latinus*, probabiliter disputavit Peerlkamp. p. 177-8. — 12 « Omni affectu. Et est de proverbio ; nam Cicero *de Legibus* (I, c. 18) : *Nisi toto pectore amatur*, UT DICITUR. » *Serv.* Deinde *comitem* refer etiam ad *accipio*. — 13 *Tibi* erit a me. *Rerum* gerendarum ; *verborum*, deliberationis in consilio instituendæ. — 14 *Tantum* opto ut *fortuna secunda cadat*. Sed hoc dum dicit, animo sentit se nec in *adversa* fortuna sui fore dissimilem : quare tamquam corrigendo addit *Aut adversa* constructioni aliter inchoatæ. Servius post *tantum* supplebat « de me promitto », sive secunda sive adversa cadat fortuna. — 15 Non retinuit ita ut excederet mecum. Vide not. 24 ad VII, 498. — 16 Et insalutatam.

At tu, oro, solare inopem, et succurre relictæ.
Hanc sine[17] me spem ferre tui : audentior ibo
In casus omnes. » Percussa mente dedere
Dardanidæ lacrimas; ante omnes pulcher Iulus,
Atque animum patriæ strinxit pietatis imago[18].
Tum sic effatur :
« Sponde[19] digna tuis ingentibus omnia cœptis.
Namque erit ista mihi genitrix, nomenque Creusæ
Solum defuerit ; nec partum gratia talem[20]
Parva manet. Casus factum quicumque sequentur,
Per caput hoc[21] juro, per quod pater ante solebat,
Quæ tibi polliceor reduci rebusque secundis,
Hæc eadem matrique tuæ generique manebunt[22]. »
Sic ait illacrimans ; humero simul exuit ensem
Auratum, mira quem fecerat arte Lycaon
Gnosius[23], atque habilem vaginâ aptarat eburnâ.
Dat Niso Mnestheus pellem horrentisque[24] leonis
Exuvias ; galeam fidus permutat Aletes.
Protinus armati incedunt ; quos omnis euntes
Primorum manus ad portas juvenumque senumque
Prosequitur votis. Nec non et pulcher Iulus,
Ante annos animumque gerens curamque virilem,
Multa patri mandata dabat portanda. Sed auræ
Omnia discerpunt[25], et nubibus irrita donant.
Egressi superant fossas, noctisque per umbram
Castra inimica petunt, multis tamen ante[26] futuri
Exitio. Passim somno vinoque per herbam
Corpora fusa vident, arrectos[27] litore currus,
Inter lora rotasque viros, simul arma jacere,
Vina[28] simul. Prior Hyrtacides sic ore locutus :
« Euryale, audendum dextra ; nunc ipsa vocat res.
Hac iter est. Tu, ne qua manus se attollere nobis
A tergo possit, custodi et consule[29] longe ;
Hæc ego vasta dabo, et lato te limite ducam. »
Sic memorat, vocemque premit : simul ense superbũ
Rhamnetem aggreditur, qui forte tapetibus altis
Exstructus[30] toto proflabat pectore somnum,
Rex idem, et regi Turno gratissimus augur ;

17 Verbum est. Mox intermissa elisio, in distinctione sententiæ. — 18 Scilicet hæc Euryali in matrem pietas, *imago pietatis* qua ipse Iulus in patrem suum est affectus. Aliter intelligenda sunt verba prope eadem X, 824, unde huc translatum esse versum hunc atque ejiciendum disputat Peerlkamp. p. 180. — 19 *Sponde* tibi. « Quidquid scis convenire meritis tuis, ante ipsam petitionem tu tibi spondere ne dubites, ita ut jam te accepisse confidas. » *Donatus*. — 20 *Partum talem* de actione intelligendum, græce τὸ τετοκέναι υἱὸν τοιοῦτον. Vulgari ratione diceres : Nec parva gratia manet eam, quæ talem filium peperit. — 21 Meum. *Ante*, quando sanctissime aliquid adjurare volebat. Quibus additis Ascanius sanctius reddit jusjurandum suum. — 22 Servabuntur, integra erunt. « Mira arte moratur in prosperis, et ea iterat ; tacet adversa, et magis intellectui et

subauditioni relinquit (mali ominis vitandi gratia). » *Serv.* — 23 Cretensis, de Gnoso urbe. *Habilem*, vide p. 141, n. 82. *Aptarat*, instruxerat vagina apta. — 24 Pellem villoso leoni detractam. *Permutat* cum galea Euryali. — 25 Sic antiqui poetæ sæpenumero eventum prænuntiant, suæ arti fidentes potius quam curiositati lectorum. — 26 *Ante* explicatur : antequam castra transeant ; a Servio : « antequam ipsi perirent. » Neutrum probabiliter. — 27 Currus (binarum rotarum) depositos arrecto in altum temone et jugo, reclinata ad terram parte extrema. — 28 Vasa vini cum vini reliquiis. — 29 Provide, prospice. *Vasta dabo*, reddam vasta, vastabo. — 30 Recubans in alte exstructis pulvinis, qui tapetibus instrati

erant. « Sequitur periphrasis, ne verbo humili *sternebatur* diceret. » *Serv.* — 31 Interitum. — 32 Opprimit, percutit; ut II, 530, n. 38. — 33 Remo, non Rhamneti jam ante occiso. *Sanguine singultantem*, sanguinem cum singultibus ebullientem; et conf. infra 415. — 34 Plurimum. — 35 Baccho, vino. — 36 Per totam noctem usque ad lucem ludens. Tum redit poeta ad princeps subjectum : *Nisus* furit, *ceu leo* etc. *Turbans*, turbas excitans. — 37 Ut quisque se obtulerat ei in media via. « Nisus reges interemit; Euryalus sævit in plebem. » *S.* — 38 Retraxit, « eduxit ensem cum multo cruore. » *Serv.* Nisi potius *multa morte* accipiendum erit de vulnere alte illato et morte plena. *Purpureum animam*, sanguinem, quocum vita effluatur. — 39 Revomit, ἀναφέρει. *Furto*, nocturnæ et furtivæ cædi; conf. p. 266, notam 57. — 40 Euryalum auferri nimio studio cædis et

Sed non augurio potuit depellere pestem[31].
Tres juxta famulos temere inter tela jacentes,
Armigerumque Remi premit[32], aurigamque sub ipsis
Nactus equis, ferroque secat pendentia colla;
Tum caput ipsi aufert domino[33], truncumque relinquit
Sanguine singultantem; atro tepefacta cruore
Terra torique madent. Nec non Lamyrumque, Lamum-
Et juvenem Serranum, illa qui plurima[34] nocte [que,
Luserat, insignis facie, multoque jacebat
Membra deo[35] victus : felix si protinus illum
Æquasset nocti ludum[36] in lucemque tulisset!
Impastus ceu plena leo per ovilia turbans
(Suadet enim vesana fames), manditque trahitque
Molle pecus mutumque metu; fremit ore cruento.
Nec minor Euryali cædes; incensus et ipse
Perfurit, ac multam in medio[37] sine nomine plebem,
Fadumque, Herbesumque subit, Rhœtumque, Abarimque,
Ignaros; Rhœtum vigilantem et cuncta videntem;
Sed magnum metuens se post cratera tegebat :
Pectore in adverso totum cui cominus ensem
Condidit assurgenti, et multa morte recepit[38].
Purpuream vomit ille animâ, et cum sanguine mixta
Vina refert[39] moriens; hic furto fervidus instat.
Jamque ad Messapi socios tendebat; ibi ignem
Deficere extremum et religatos rite videbat
Carpere gramen equos : breviter quum talia Nisus
(Sensit enim nimia cæde atque cupidine[40] ferri),
« Absistamus, ait; nam lux inimica propinquat.
Pœnarum[41] exhaustû satis est; via facta per hostes. »
Multa virûm solido argento perfecta relinquunt
Armaque craterasque simul pulchrosque tapetas.
Euryalus phaleras[42] Rhamnetis et aurea bullis
Cingula, Tiburti[43] Remulo ditissimus olim
Quæ mittit dona, hospitio quum jungeret absens,
Cædicus; ille suo moriens dat habere nepoti[44];
[Post mortem bello Rutuli pugnaque potiti :]
Hæc rapit, atque humeris nequicquâ[45] fortibus aptat.
Tum galeam Messapi habilem cristisque decoram

cupidine equorum, quos conspexerat, abducendorum. — 41 Cædis ad ulciscendos hostes factæ satis. — 42 *Phaleras* nonnulli accipiunt de ipsius Rhamnetis ornatu, torquis vel baltei genere : qui rarissimus est usus vocabuli. Cingula *aurea bullis*, clavis aureis ornata, χρυσόηλα. — 43 Tiburtino. *Mittit*, ut supra *dat*, not. 7. *Jungeret* cum sibi. « Consuetudo erat apud majores, ut inter se homines hospitii jura mutuis muneribus copularent. » *S.* — 44 Rhamneti. Sequens versus ab optimis criticis deletus, a Servio numeratus « in duodecim locis Virgilii sive per naturam obscuris, sive insolubilibus, sive emendandis. » — 45 *Nequicquam*, vide mox 384 seqq. *Habilem*, aptam capiti; vide supra n. 23.

Induit. Excedunt castris, et tuta capessunt.
Interea præmissi equites ex urbe Latinâ,
Cetera dum legio campis instructa moratur,
Ibant, et Turno regi responsa[46] ferebant,
Tercentum, scutati omnes, Volscente magistro.
Jamque propinquabant castris[47], muroque subibant,
Quum procul hos lævo flectentes limite cernunt,
Et galea Euryalum sublustri noctis in umbra
Prodidit immemorem[48], radiisque adversa refulsit.
Haud temere est visũ. Conclamat ab agmine Volscens :
« State, viri; quæ causa viæ? quive estis in armis?
Quove tenetis[49] iter? » Nihil illi tendere contra[50];
Sed celerare fugam in silvas, et fidere nocti.
Objiciunt equites sese ad divortia[51] nota
Hinc atque hinc, omnemq abitũ custode coronant[52].
Silva fuit late dumis atque ilice nigrâ
Horrida, quam densi complèrant undique sentes;
Rara per occultos lucebat[53] semita calles.
Euryalum tenebræ ramorum onerosaque præda
Impediunt, fallitque timor regione[54] viarum.
Nisus abit : jamque imprudens[55] evaserat hostes
Atque locos[56] qui pòst Albæ de nomine dicti
Albani (tum rex stabula alta Latinus habebat),
Ut stetit et frustra absentem respexit amicum :
« Euryale infelix, qua te regione reliqui?
Quave sequar, rursus perplexum iter omne revolvens
Fallacis silvæ? » Simul et vestigia retro
Observata legit, dumisque silentibus errat.
Audit equos, audit strepitus et signa sequentum.
Nec longum in medio tempus, quum clamor ad aures
Pervenit, ac videt Euryalum, quem jam manus omnis
Fraude loci et noctis, subito turbante[57] tumultu,
Oppressum rapit et conantem plurima frustra.
Quid faciat? qua vi juvenem, quibus audeat armis
Eripere? an sese medios moriturus in hostes[58]
Inferat, et pulchram properet per vulnera mortem?
Ocius adducto torquens hastile lacerto,
Suspiciens altam Lunam, sic voce precatur :
« Tu, dea, tu præsens nostro succurre[59] labori,
Astrorum decus, et nemorum Latonia custos!
Si qua tuis umquam pro me pater Hyrtacus aris
Dona tulit, si qua[60] ipse meis venatibus auxi,

46 *Responsa* de iis quæ agerentur in urbe et legione. — 47 *Castris* Rutulorum, et vallo munito, quod *murum* vocat. *Flectentes*, intransitive. — 48 *Immemorem* se æream, ac proinde lucentem, galeam induisse. *Adversa*, a parte accedentibus equitibus adversâ. — 49 *Quo tenetis* est quod nos dicimus : quo diriguis? — 50 « Id est : nihil contra responderunt. » *S.* Quod vix ita poterat efferri. Est : contra moliri, resistere. Atqui Peerlkampius : *Nihil illi* (dixerunt sive responderunt; nota ellipsi) : *tendere contra*. Et *celerare fugam*; sed potius se in celerem fugam dederunt. Vide infra 780. — 51 « Vias in diversa tendentes, diverticula viæ militaris, i. e. semitæ transversæ a latere ejus viæ. » *S.* — 52 Circumdant coronâ militum, cingunt. — 53 Hic illic inter calles sentibus occultatos apparebat semita. A lii *ducebat*. — 54 Timor facit ut aberraret a recta via; vide II, 737, n. 23. — 55 Immemor remanentis Euryali. — 56 Male nonnulli *lacus*. Ceterum nescitur qui fuerint illi *Albani loci*. *Tum* ibi. — 57 *Turbante* Euryalum. — 58 « Quidam *inenses* legunt et melius putant. Antique dixit *properet mortem*, ut Plautus : *Properate prandium*. » *S.* — 59 Junge *præsens succurre*, præsenti ope. — 60 *Si qua* ex

his donis paternis *ipse auxi* etc. *Tholus*, θόλος, dicitur interius tectum ædis rotundæ, in fastigium concameratæ. « Ædes autem rotundas tribus diis dicunt fieri debere : Vestæ, Dianæ, Herculi vel Mercurio. » *S.* — 61 Scilicet ut per eam turbam evadere possit Eurvalus. — 62 In diversas partes, alii alio. — 63 Ennianum est hemistichium. — 64 *Me* petite vel interficite. Prorsus eximia ellipsis. — 65 *Mea* est, a me parata. — 66 Nihil commisit ille nisi hoc. — 67 Totus infixus abiit trans costas in pectus. — 68 Provolvitur, occumbit. — 69 Imaginem præivit Catullus, XI, 21 : *cecidit velut prati Ultimi flos, prætereunte postquam Tactus aratro est.* Argutans Servius : « Videtur Euryalo Hyacinthum comparare, qui pulcherrimus fuit et post conversus in florem est. » Altera comparatio est Homeri, *Iliad.* Θ, 306 seq. — 70 Vide p. 165, n. 38. — 71 Recte Servius : « *Placida* ex affectu pereuntis dictum accipe, qui in amici complexu, ultus ejus interfectorem, moriebatur. —

Suspendive tholo, aut sacra ad fastigia fixi,
Hunc sine me turbare globū[64], et rege tela per auras.»
Dixerat, et toto connixus corpore ferrum
Conjicit. Hasta volans noctis diverberat umbras,
Et venit aversi in tergum Sulmonis, ibique
Frangitur, ac fisso transit præcordia ligno.
Volvitur ille vomens calidum de pectore flumen
Frigidus, et longis singultibus ilia pulsat.
Diversi[67] circumspiciunt. Hòc acrior idem
Ecce aliud summa telum librabat ab aure.
Dum trepidant, iit hasta Tago per tempus utrumque
Stridens, trajectoque hæsit tepefacta cerebro.
Sævit atrox Volscens, nec teli conspicit usquam
Auctorem, nec quo se ardens immittere possit.
« Tu tamen interea calido mihi sanguine pœnas[63]
Persolves amborum, » inquit; simul ense recluso
Ibat in Euryalum. Tum vero exterritus, amens,
Conclamat Nisus, nec se celare tenebris
Amplius aut tantum potuit perferre dolorem :
« Me, me[64], adsum qui feci; in me convertite ferrū.
O Rutuli! mea[65] fraus omnis; nihil iste nec ausus
Nec potuit : cœlum hoc et conscia sidera testor :
Tantum[66] infelicem nimium dilexit amicum. »
Talia dicta dabat; sed viribus ensis adactus
Transabiit[67] costas, et candida pectora rumpit.
Volvitur[68] Euryalus leto, pulchrosque per artus
It cruor, inque humeros cervix collapsa recumbit :
Purpureus veluti quum flos succisus aratro[69]
Languescit moriens; lassove papavera collo
Demisere caput, pluvia quum forte gravantur.
At Nisus ruit in medios, solumque per omnes
Volscentem petit, in solo Voiscente moratur.
Quem circū glomerati hostes hinc cominus atq; hinc
Proturbant : instat non secius[70], ac rotat ensem
Fulmineum, donec Rutuli clamantis in ore
Condidit adverso, et moriens animam abstulit hosti.
Tum super exanimum sese projecit amicum
Confossus, placidaque[71] ibi demum morte quievit.
Fortunati[72] ambo! si quid mea carmina possunt,
Nulla dies umquam memori vos eximet ævo,
Dum domus[73] Æneæ Capitoli immobile saxum
Accolet, imperiumque pater Romanus[74] habebit

72 « Mire fid est præter exspectationem et laudabiliter horum mortem non luctu et miserecordia, sed felicitatis testimonio prosequitur. » *S.* — 73 Familia. — 74 « Augustus. Similiter de imperatore Theodosio Ausonius : *Tu modo te jussisse*, pater

Victores præda Rutuli[75] spoliisque potiti
Volscentem exanimum flentes in castra ferebant.
Nec minor in castris luctus Rhamnete reperto
Exsangui, et primis una tot cæde peremptis,
Serranoque, Numaque[76]. Ingens concursus ad ipsa
Corpora, seminecesque viros, tepidaque recentem[77]
Cæde locum, et plenos spumanti sanguine rivos.
Agnoscunt spolia inter se, galeamque nitentem
Messapi, et multo phaleras sudore receptas.

Et[78] jam prima novo spargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens Aurora cubile;
Jam sole infuso, jam rebus luce retectis,
Turnus in arma viros, armis circumdatus ipse,
Suscitat; æratasque acies in prœlia cogit
Quisque suas, variisque acuunt rumoribus[79] iras.
Quin ipsa arrectis (visu miserabile!) in hastis
Præfigunt capita et multo clamore sequuntur
Euryali et Nisi.
Æneadæ duri murorum in parte sinistrâ
Opposuere aciem (nam dextera cingitur amni),
Ingentesque tenent[80] fossas, et turribus altis
Stant mœsti: simul ora virûm præfixa movebant[81],
Nota nimis miseris, atroque fluentia tabo.

Interea pavidam volitans pennata per urbem
Nuntia Fama ruit, matrisque allabitur aures
Euryali. At subitus[82] miseræ calor ossa reliquit;
Excussi manibus radii[83], revolutaque pensa.
Evolat infelix, et femineo[84] ululatu,
Scissa comam, muros amens atque agmina cursu
Prima petit, non illa virûm, non illa pericli[85]
Telorumque memor; cœlû dehinc questibus implet:
« Hunc[86] ego te, Euryale, aspicio? tune ille, senectæ
Sera meæ requies, potuisti linquere solam,
Crudelis? nec te, sub tanta pericula missum,
Affari[87] extremum miseræ data copia matri?
Heu! terrâ ignota canibus date[88] præda Latinis
Alitibusque jaces! nec te tua funere[89] mater
Produxi, pressive oculos, aut vulnera lavi,
Veste tegens, tibi quam noctes festina diesque
Urgebam[90], et tela curas solabar aniles!
Quo sequar[91]? aut quæ nunc artus avulsaq membra

Romane, *memento*. Et imperatorem Patrem patriæ appellare mos erat. Etsi autem ipse Augustus non erat æternum regnaturus, tamen penes familiam ejus perpetuum imperium fore auguratur poeta. » *Wagn.* — 75 *Rutuli*. Imo erant *Latini*, ut apparet ex superioribus, 367 seqq. Confer infra v. 517, n. 6. Hinc *in castra*, scilicet sua, Rutulorum. Intellige *prædam* et *spolia* quæ Euryalus portarat de Rutulis. — 76 *Lamoque* corrigit Schraderus, ex 334. Nullus ibi *Numa*. — 77 Locum *cæde recentem*, in quo recens facta est cædes, adhuc tepidum sanguine. — 78 Vide IV, 584-5, not. 59, et Lucretium II, 143. — 79 Nimirum cædem illam nocturnam narrantes. — 80 Tuentur, defendunt. — 81 *Movebant* eos, animos eorum. — 82 Subito. *Ossa*, vide p. 101, n. 87. — 83 *Radii* textorii. *Pensa*, vide p. 66, not. 61. — 84 Eodem hiatu IV, 667, not. 96. — 85 « Unum pudoris est, alterum salutis. » *Serv.* — 86 Talem. *Ille* additum ut augeatur vis oppositionis in sequenti appositione : ille quem sperabam futurum esse senectutis meæ requiem. *Sera requies*, utpote in sera etiam senecta. — 87 Vide p. 173, n. 82. — 88 De hoc attractionis genere monitum n. 34 ad II, 283 : *Exspectate venis*. — 89 Funus ducendo, funerando. *Pressi*, quod alibi est : clausi. — 90 Studiose texebam. — 91 *Quo sequar* te, investigans, quærens te?

Et funus[92] lacerum tellus habet? Hoc mihi de te,
Nate, refers? hoc sum terraque marique secuta[93]?
Figite me, si qua est[94] pietas, in me omnia tela
Conjicite, o Rutuli : me primam absumite ferro;
Aut tu, magne Pater divûm, miserere, tuoque
Invisum[95] hoc detrude caput sub Tartara telo,
Quando aliter nequeo crudelem[96] abrumpere vitam.»
Hoc fletu concussi animi, mœstusque per omnes
It gemitus; torpent infractæ[97] ad prœlia vires.
Illam incendentem[98] luctus Idæus et Actor,
Ilionei monitu et multum lacrimantis Iuli,
Corripiunt, interque manus sub tecta reponunt.

At tuba terribilem sonitum[99] procul ære canoro
Increpuit : sequitur clamor, cœlumque remugit.
Accelerant acta pariter testudine[1] Volsci,
Et fossas implere parant, ac vellere vallum.
Quærunt pars aditum, et scalis ascendere muros,
Qua rara est acies, interlucetque corona[2]
Non tam spissa viris. Telorum effundere contrà
Omne genus[3] Teucri, ac duris detrudere contis,
Assueti longo muros defendere bello.
Saxa quoque infesto volvebant pondere[4], si quâ
Possent tectam aciem perrumpere, quîi tamen omnes
Ferre juvat[5] subter densa testudine casus.
Nec jam sufficiunt : nam, qua globus imminet ingens,
Immanem Teucri molem volvuntque ruuntque,
Quæ stravit Rutulos[6] late, armorumque resolvit
Tegmina. Nec curant cæco contendere Marte
Amplius audaces Rutuli, sed pellere vallo
Missilibus certant.
Parte aliâ horrendus visu quassabat Etruscam[7]
Pinum et fumiferos infert Mezentius ignes;
At Messapus, equûm domitor, Neptunia proles,
Rescindit vallum, et scalas in mœnia poscit.

Vos[8], o Calliope, precor, adspirate canenti
Quas ibi tum ferro strages, quæ funera Turnus
Ediderit, quem quisque virum demiserit Orco[9];

92 Vide p. 264, n. 27. Servius : « *Hoc* dixit intuens caput, » in pertica suffixum, v. 465 seq. — 93 Hoc petii, tantum terræ et marium pervectando? scilicet ut hoc mihi eveniret et ejusmodi morte ereptum te conspicerem. — 94 *Est* in vobis : si vos miseret, ut fas est, matris infelicis. — 95 *Invisum* tibi, ut quod tanto infortunio afficeris. *Telo tuo*, fulmine. — 96 Plenam summi doloris; vide p. 166, not. 71. — 97 Ab *infringo*. — 98 Excitantem et augentem mœrores. — 99 « Est hemistichium Ennii, qui ad exprimendum tubæ sonum ait : *At tuba terribili sonitu taratantara dixit*. Et multa hujuscemodi Virgilius, quum aspera invenerit, mutat. Bene tamen hîc electis verbis imitatur sonum tubarum. » *S.* — 1 Vide p. 168, n. 5. — 2 Confer 380, not. 52. — 3 « Nam *telum* vocamus omne quod jacitur, a τῆλε, *longe*. » *S. Detrudere* hostem. — 4 Ablativus qualitatis cum *saxa* jungendus. *Tectam aciem*, testudinem hostium. — 5 *Juvat* eos qui sunt sub testudine : his decretum est extrema omnia experiri et pati. — 6 *Rutulos* : imo *Volscos*, qui pugnant sub *armorum tegmine*, testudine. Eadem statim dicitur *cæcus Mars*. — 7 Pinum *Etruscam*, ut Etruscus et ducens Etruscos; vide VII, 647 seqq. *Fumiferos ignes*, faces in castra Trojanorum mittit. De Messapo ibidem 691 seqq. — 8 *Vos*, o Musæ; quarum unam nomine compellat. « Syllepsis per numeros. Erat enim rectum : Vos, o Musæ, aut te, Calliope, » etc. *S.* Vide p. 136, n. 87. — 9 Vide p. 186, n. 82. Sequens versus sumptus ab Ennio : *Qui potis ingentes oras evolvere belli*. Reddit græcum ἀναπτύσσετε, explicate. Servius : « Ingentis belli non tantum initia, sed etiam extrema bellorum. Nam *ora*

Et mecum ingentes oras evolvite belli.
[Et[10] meministis enim, Divæ, et memorare potestis.]
Turris erat vasto suspectu[11] et pontibus altis,
Opportuna loco; summis quam viribus omnes
Expugnare Itali summaque evertere opum vi
Certabant; Troes contra defendere saxis,
Perque cavas densi tela intorquere fenestras.
Princeps ardentem conjecit lampada Turnus,
Et flammam affixit lateri, quæ plurima vento[12]
Corripuit tabulas, et postibus hæsit adesis[13].
Turbati trepidare intus, frustraque malorum
Velle fugam. Dum se glomerant, retroque[14] residunt
In partem quæ peste caret, tum pondere turris
Procubuit subito[15], et cœlum tonat omne fragore.
Semineces ad terram, immani mole secutâ[16],
Confixique suis telis, et pectora duro
Transfossi ligno, veniunt. Vix unus Helenor
Et Lycus elapsi; quorum primævus Helenor,
Mæonio regi[17] quem serva Licymnia furtim
Sustulerat, vetitisque[18] ad Trojam miserat armis,
Ense levis nudo, parmaque inglorius albâ.
Isque ubi se Turni media inter millia vidit,
Hinc acies atque hinc acies adstare Latinas:
Ut fera, quæ densa venantum sæpta coronâ
Contra tela furit, seseque haud nescia morti
Injicit et saltu supra venabula fertur;
Haud aliter juvenis medios moriturus in hostes
Irruit, et qua tela videt densissima, tendit.
At pedibus longe melior Lycus inter et hostes,
Inter et arma, fuga muros tenet[19], altaque certat
Prendere tecta[20] manu, sociumque attingere dextras.
Quem Turnus, pariter cursu teloque secutus[21],
Increpat his victor: « Nostrasne evadere, demens,
Sperasti te posse manus? » simul arripit ipsum
Pendentem, et magna muri cum parte revellit:
Qualis ubi aut leporem aut candenti corpore cygnum
Sustulit alta petens pedibus Jovis armiger uncis;

sunt extremitates. » Poetà multo dignior est explicatio Wagneri: « *Oras* quasi picturæ alicujus convolutæ, quam quum ambiant et complectantur oræ, iis ipsis totam illam quasi tabulam, res istas exhibentem, significari putabis. » — 10 Versus ex VII, 645 illatus, quem ignorant codices meliores. — 11 Vide VI, 579, not. 62. *Pontibus*, vide 170, not. 68. — 12 Maxima facta per ventum; vento immensum aucta. — 13 « Non jam adesis, sed quos exedit adhærendo. » *Serv.* Cujusmodi usum in poeta jam aliquoties observavimus. — 14 Recedentes. *Peste*, incendio, ut V, 683. — 15 Nimirum *pondus subitum* accessit turri, dum omnes in eamdem partem constipabantur, quod onus inæquale turrim extemplo inclinabat. — 16 Superincidente in eos turri. — 17 Regi Mæonum vel Lydorum (vide Hom. *Iliad.* B, 864); aut Phrygio alicui regi, ut *Mæonia* dictum est IV, 216, not. 4. De proprio nomine non videtur cogitandum. *Sustulerat*, educaverat. — 18 *Vetitis* a patre, ut videtur. « Secundum Donatum, vetitis *fato*, quia stare Troja diutius vetabatur. Sed melius lege militari intelligimus, qua servi a militia prohibebantur. Virgilium autem novimus trahere aliqua de historia. » *S. Levis*, ut levis armaturæ miles, ψιλός, solo ense instructus, hasta nulla. *Parma alba*, non picta, ut XI, 711, *pura parma*, ubi Servius: « Tunc enim primum in bella descenderat; quum tirones minime gestarent parmas pictas, sed tantum jam probati in bellis. » — 19 Assecutus est. — 20 *Tecta* nove dictum de summa parte muri vel valli. Servius habet *saxa*. — 21 Subtiliter idem: « Nimiam ostendit ejus celeritatem, qui potuit telum missum consequi. Dicit enim: Cum præmisso telo ad hostem venit. »

Quæsitum aut matri multis balatibus agnum
Martius[22] a stabulis rapuit lupus. Undique clamor
Tollitur : invadunt, et fossas aggere[23] complent ;
Ardentes tædas alii ad fastigia jactant.
Ilioneus saxo atque ingenti fragmine montis
Lucetium[24], portæ subeuntem ignesque ferentem,
Emathiona Liger, Corynæum sternit Asilas,
Hic jaculo bonus, hic longe fallente[25] sagittâ ;
Ortygium Cæneus, victorem Cænea Turnus,
Turnus Itym, Cloniumque, Dioxippum, Promolumque.
Et Sagarim et summis stantem pro turribus[26] Idan ;
Privernum Capys : hunc primo levis hasta Themillæ
Strinxerat ; ille manum projecto tegmine[27] demens
Ad vulnus tulit ; ergo alis allapsa sagitta
Et lævo infixa est lateri manus, abditaque intus
Spiramenta animæ[28] letali vulnere rumpit.

Stabat in egregiis Arcentis filius armis,
Pictus acu chlamydem, et ferrugine clarus Hiberâ[29],
Insignis facie, genitor quem miserat Arcens,
Eductum matris luco Symæthia[30] circum
Flumina, pinguis ubi et placabilis[31] ara Palici.
Stridentem fundam positis Mezentius hastis
Ipse ter adducta circum caput egit habenâ,
Et media adversi[32] liquefacto tempora plumbo
Diffidit, ac multa porrectum extendit arenâ.

Tum primum bello celerem intendisse sagittam
Dicitur, ante feras solitus terrere fugaces,
Ascanius, fortemque manu fudisse Numanum,
Cui Remulo cognomen erat, Turnique[33] minorem
Germanam, nuper thalamo sociatus, habebat.
Is primam ante aciem digna atque indigna relatu
Vociferans, tumidusque novo præcordia regno[34],
Ibat, et ingentem sese clamore ferebat :
« Non pudet obsidione iterum valloque teneri,

22 Marti sacer erat lupus. *A stabulis*, procul a stabulis errantem. Sic Peerlkamp. Sed nihil impedit quominus construas *rapuit a stabulis* ; recte enim Servius ait de voce *quæsitum* : « qui requiritur ; nam præsens a passivo non habet. Et est prothysteron ; nam post raptum requiritur. » — 23 Humo et materie aggesta. *Fastigia* turrium. — 24 Servius annotavit hoc nomen in nullo alio scriptore inveniri, et lingua Osca *Lucetium* dici Jovem qui Romanis est *Diespiter*. Wagnerus tentabat *Ducetium*, nomen notius. — 25 E longinquo veniente neque provisa. — 26 *Pro turribus* accipias ut apud scriptores *pro Rostris, pro tribunali*, in parte anteriore, conversa concioni. — 27 Scuto. *Alis*, celerrime, respectu pennarum quibus instruitur. — 28 « Est definitio pulmonum. » *S.*

Observa trajectionem subjectorum *sagitta* et *manus*, natam ex variandæ structuræ studio. — 29 Splendens purpurâ Iberica vel Hispana, ferruginei vel subnigri coloris. Hinc autem usque ad versum 663 Peerlkampius multa notavit Virgilio poeta minime digna, quæ ex ipso cognoscas p. 202-217. — 30 *Symæthus* est fluvius in orientali parte Siciliæ, hodie *Giaretta*. Mater Arcentis fuerit nympha aliqua ejus regionis, ubi sedes *Palicorum*, Jovis et Ætnæ vel Thaliæ filiorum, quos Siculi colebant ; vide Serv. et Macrob. *Sat.* V, 19. — 31 « Palici primo humanis hostiis placabantur ; postea quibusdam sacris mitigati sunt et eorum immutata sacrificia : hinc *placabilis*. » *S.* Singularis *Palicus* hoc uno loco legitur. — 32 *Adversi*, quem tamen eo momento convertisse caput oportet. Aliter in Tago, supra 418 seq. *Liquefacto* : « plumbum enim jactum nimio rotatu et aeris calore dissolvitur. » *S.* Et Seneca, *Quæst. nat.* II, 57 : « Liquescit excussa glans fundâ, et attritu aeris velut igni destillat. » — 33 Et qui *Turni* etc. Cujus soror natu major erat Juturna nympha. — 34 « Nova regii generis affinitate. » *S.* Deinde idem : « Non erat ingens, sed se esse clamitabat ingentem. »

Bis capti[35] Phryges, et morti prætendere muros?
En qui nostra sibi bello connubia poscunt!
Quis deus Italiam, quæ vos dementia adegit?
Non hic Atridæ, nec fandi fictor[36] Ulixes:
Durum ab stirpe genus natos ad flumina primum
Deferimus, sævoque gelu duramus et undis;
Venatu[37] invigilant pueri, silvasque fatigant;
Flectere ludus[38] equos, et spicula tendere cornu.
At patiens operum parvoque assueta juventus
Aut rastris terram domat, aut quatit oppida bello.
Omne ævum ferro teritur, versaque[39] juvencùm
Terga fatigamus hasta. Nec tarda senectus
Debilitat vires animi mutatque vigorem:
Canitiem galea premimus[40]; semperque recentes
Comportare juvat prædas et vivere rapto.
Vobis picta croco et fulgenti murice vestis[41];
Desidiæ cordi; juvat indulgere choreis;
Et tunicæ manicas[42] et habent redimicula mitræ.
O vere Phrygiæ, neque enim Phryges[43]! ite per alta
Dindyma, ubi assuetis biforem dat tibia cantum:
Tympana vos buxusque[44] vocant Berecyntia Matris
Idææ: sinite arma viris, et cedite ferro[45]. »
Talia jactantem dictis ac dira canentem[46]
Non tulit Ascanius; nervoque adversus equino
Contendit[47] telum, diversaque brachia ducens,
Constitit, antè Jovem supplex per vota precatus:
« Juppiter omnipotens, audacibus annue cœptis.
Ipse[48] tibi ad tua templa feram sollemnia dona,
Et statuam ante aras aurata fronte[49] juvencum,
Candentem, pariterque caput cum matre ferentem[50],
Jam cornu petat et pedibus qui spargat arenam. »
Audiit et cœli Genitor de parte serenâ
Intonuit lævùm[51]; sonat una fatifer arcus.
Effugit horrendùm stridens adducta[52] sagitta,
Perque caput Remuli venit, et cava tempora ferro
Trajicit. « I, verbis virtutem illude superbis[53]!
Bis capti Phryges hæc Rutulis responsa remittunt. »

35 Primum ab Hercule, deinde a Græcis. *Muros*, non arma et animum fortem. — 36 Verbis fallax, « qui dolum celat sermonis ornatu. » *Serv.* — 37 Venatui. *Fatigant*, vide VIII, 94, n. 41. — 38 *Ludus* est nostris pueris. *Cornu*, arcu. — 39 *Versa hasta*, imo ligno hastæ, σαυρωτῆρι: quo utebantur pro stimulo. — 40 Etiam senes militamus. — 41 « Sane vestes acu pictas coloribus Phryges primi invenerunt, ideo et artifices talium vestium *phrygiones* appellantur. » *S. Desidiæ* vobis sunt *cordi*. — 42 « Hoc etiam Cicero vituperat, dicens (*Catil.* II, c. 10), *Manicatis ac talaribus tunicis*. Nam colobiis utebantur antiqui. Deinde dicturus fuerat: Habetis in pileis redimicula: quod convertit in vituperationem majorem, dicens: Religatas (sub mento) habetis mitras. Nam *pilea* virorum sunt, *mitræ* feminarum, quas *calauticas* dicunt. » *Serv.*

Adde IV, 216, not. 4. — 43 Ut Thersites homericus: Ἀχαιΐδες, οὐκέτ' Ἀχαιαί, *Il.* B, 235. *Dindyma*, vel Dindymus, mons Phrygiæ, Matri deûm sacer. Cantum *biforem*, biforis tibiæ. — 44 Buxea tibia. *Berec.*, vide p. 274, n. 68. — 45 Discedite a ferro, i. e. bello; mittite bella. — 46 Acerbissima convicia effundentem. Vide XI, 399. — 47 Attius dixerat in Philocteta: *Reciproca tendens nervo equino tela. Diversa ducens*, diducens. — 48 « Bene *ipse*, quia adhuc pro Ascanio pater solebat sacrificare. » *S.* — 49 Cornibus auratis; ex noto ritu antiquitatis. — 50 Æqualem matri (ἰσομάτορα apud Theocritum), nondum patri; jam adultum. Sequens versus ex *Ecl.* III, 87. — 51 Vide p. 174, n. 6. — 52 Arcu adducto emissa. — 53 *Verbis-superbis*: observa tritum et pervagatum hodiernæ poeseos morem, ab antiquis poetis rarissime admissum, sed cum delectu et effectu.

Hoc tantum Ascanius : Teucri clamore sequuntur[54], Lætitiaque fremunt, animosque ad sidera tollunt[55].
Ætheria tum forte plaga crinitus[56] Apollo
Desuper Ausonias acies urbemque videbat,
Nube sedens, atque his victorem affatur Iulum :
« Macte nova virtute, puer ; sic itur ad astra,
Dis genite, et geniture deos[57]. Jure omnia bella
Gente sub Assaraci fato ventura resident :
Nec te Troja capit[58]. » Simul hæc effatus, ab alto
Æthere se mittit, spirantes dimovet auras,
Ascaniumque petit. Formam tum vertitur oris
Antiquum in Buten. Hic Dardanio[59] Anchisæ
Armiger ante fuit, fidusque ad limina custos;
Tum comitem Ascanio pater addidit. Ibat Apollo
Omnia longævo similis, vocemque coloremque
Et crines albos et sæva sonoribus[60] arma ;
Atque his ardentem dictis affatur Iulum :
« Sit satis, Ænide[61], telis impune Numanum
Oppetiisse tuis ; primam hanc tibi magnus Apollo
Concedit laudem, et paribus[62] non invidet armis :
Cetera parce, puer, bello. » Sic orsus Apollo
Mortales medio aspectus sermone[63] reliquit,
Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram.
Agnovere deum proceres divinaque tela
Dardanidæ, pharetramque fuga sensere sonantem.
Ergo avidum pugnæ dictis ac numine[64] Phœbi
Ascanium prohibent; ipsi in certamina rursus
Succedunt, animasque in aperta pericula mittunt.
It clamor totis per propugnacula muris[65];
Intendunt acres arcus, amentaque[66] torquent.
Sternitur omne solum telis : tum scuta cavæque
Dant sonitum flictu[67] galeæ ; pugna aspera surgit :
Quantus ab occasu veniens pluvialibus Hædis[68]
Verberat imber humi ; quam multa grandine nimbi
In vada præcipitant, quum Juppiter horridus Austris
Torquet aquosam hiemem[69] et cœlo cava nubila rumpit.
Pandarus et Bitias, Idæo Alcanore creti,
Quos Jovis eduxit luco[70] silvestris Iæra,
Abictibus juvenes patriis et montibus æquos[71],

54 Prosequuntur id factum. — 55 Animis efferuntur, exsultant ; vel ut Horatius, *sublimi feriunt sidera vertice*. — 56 Alibi *intonsus* ; conf. p. 153, n. 58. *Urbem*, castra Trojanorum. — 57 *Deos*, Julium Cæsarem et Augustum ; vide I, 288. Tum dicit Apollo : Jure merito hoc attribuetur tuæ genti, ut oriundus ex ea Augustus omnia bella finiat. — 58 Ut non satis ampla pro tuis virtutibus. Vide VIII, 363, not. 54. — 59 Elisio in propriis nominibus intermissa. — 60 Strepitu terribilia. Quem non excitant Apollinis arma, arcus et sagittæ. — 61 Semel utitur hac forma patronymici, alibi dicens *Æneada*. — 62 Non invidet tibi, quod arcu tam bene usus es quam solet ipse. Multas autem fortunæ conversiones antiqui referebant ad *invidam* deorum. *Cetera*, deinceps. — 63 *Medio sermone*, simul hæc dicens, nec adjiciens plura ; vide p. 209, not. 30. — 64 Divina auctoritate.

65 Per omnia loca murorum, e quibus propugnatur pro castris. — 66 Hastas amentatas. — 67 Afflictu ; antique, ut Pacuvius poeta dixerat, *flictus navium*. — 68 Ablativus temporis : quum Hædi in cœlo conspiciuntur, « stellæ duæ in manu Aurigæ, super Tauri cornua : quarum et ortus et occasus tempestates gravissimas faciunt. Oriuntur autem cum Scorpione mense octobri. » *Serv.* — 69 Versat, agitat nubes pluvias et cum procella imbres exprimit. — 70 *Jovis luco* in Ida monte. *Iæra*, nympha Oreas, alibi non memorata. — 71 Æquales ; ad proceritatem juvenum monstrandam. *Commissa* iis erat.

Portam, quæ ducis imperio commissa, recludunt
Freti armis[72], ultroque invitant mœnibus hostem.
Ipsi intus dextrà ac læva pro turribus[73] adstant,
Armati ferro et cristis capita alta corusci :
Quales aeriæ liquentia[74] flumina circum,
Sive Padi ripis, Athesim seu propter amœnum,
Consurgunt geminæ quercus, intonsaque cœlo
Attollunt capita, et sublimi vertice nutant.
Irrumpunt, aditus Rutuli ut vidère patentes.
Continuo Quercens, et pulcher Aquicolus armis,
Et præceps animi Tmarus[75], et Mavortius Hæmon
Agminibus totis aut versi terga dedere,
Aut ipso portæ posuere in limine vitam.
Tum magis increscunt animis discordibus[76] iræ ;
Et jam collecti Troes glomerantur eodem,
Et conferre manum et procurrere longius audent.
Ductori Turno, diversâ in parte furenti
Turbantique viros, perfertur nuntius, hostem
Fervere[77] cæde novâ, et portas præbere patentes.
Deserit inceptum, atque immani concitus irâ
Dardaniam ruit ad portam fratresque superbos :
Et primum Antiphaten (is enim se primus[78] agebat),
Thebana de matre nothum Sarpedonis alti,
Conjecto sternit jaculo : volat Itala cornus[79]
Aera per tenerum, stomachoque infixa sub altum
Pectus abit ; reddit specus atri vulneris[80] undam
Spumantem, et fixo ferrum in pulmone tepescit.
Tum Meropem atque Erymanta manu[81], tum sternit
[Aphidnum ;
Tum Bitian ardentem oculis animisque frementem,
Non jaculo[82], neque enim jaculo vitam ille dedisset,
Sed magnùm stridens contorta phalarica[83] venit,
Fulminis acta modo ; quam nec duo taurea terga[84],
Nec duplici squama lorica fidelis et auro
Sustinuit : collapsa ruunt immania membra ;
Dat tellus gemitum, et clipeū[85] supèr intonat ingens.
Talis[86] in Euboico Baiarum litore quondam

72 *Animis* correxit Peerlkampius, valde probabiliter. *Mœnibus*, in mœnia ; vide VIII, 178, n. 72. — 73 Vide 575, n. 26. Ac videntur binæ turres fuisse, inter quas media porta. — 74 Confer *Georg.* IV, 442. Scioli nescio qui apud Servium inepte scribebant *Liquetia*, ejusdem regionis fluvium Liquetium commemorari credentes, hod. *Livenza*. Athesis, hod. *Adige*. Est comparatio homerica, *Iliad.* M, 131 seqq. — 75 Alii *Marus*, quod est nomen Italicum. *Præceps animi*, vide p. 127, not. 66. — 76 Rutulorum et Trojanorum. Alii explicant « hostilibus, scilicet Trojanorum, qui a Rutulis discordabant. » *S.* — 77 Vide p. 68, n. 7. — 78 Vide VIII, 465, n. 2. *Thebana* intellige de *Thebe*, Θήβη, urbe Mysiæ, sub monte Placio. *Alti*, magni, nobilis. — 79 Hasta ; v. *Georg.* II, 447, n. 39. — 80 Servius jungit *specus vulneris*, ut sit « poetica exaggeratio » de vulnere hiante ; alii *undam vulneris*, sanguinis *atri*. Neque offendit in tali loco *specus* absolute dictum. — 81 Cominus. — 82 *Non jaculo* STERNIT, sed hoc primum parenthesi, deinde structura aliter instituta absorptum. *Jaculo* (dat.) *dare vitam* dicitur is cui jaculum vitam aufert. — 83 « Telum ingens, torno factum, habens ferrum cubitale et plumbum in modum sphæræ. Eo pugnatur de turribus, quas *phalas* dici manifestum est : unde *phalarica*, ut a muro *muralis*. *Contorta*, quia nervis mittitur tortilibus ex quadam machina. » *S.* Ennius : *Valido venit contorta phalarica missu.* — 84 Scutum ex duobus tergoribus taurinis. *Duplici squama et auro* : intellige duplicem ordinem squamarum aurearum. — 85 Nominativus est gen. neutr. Conf. X, 488. — 86 Comparatur Bitiæ casus cum casu maximæ pilæ vel molis ad mare arcendum constructæ in sinu Baiano, prope

Cumas; quocirca *Euboico*; v. VI initio, n. 2. Alii *Qualis*, cui nec ipsi aptum est *sic* quod sequitur; et alia quædam hic offendunt, exposita apud Peerlkamp. pag. 216. — 87 In pontum. *Trahit*, vide p. 168, not. 13. — 88 Parva insula promontorio Campaniæ Miseno objecta, hodie *Procida*. « *Alta* : atqui est plana (vide observata in n. 38 ad III, 76) : sed hoc epitheton de prærerito traxit. Nam, ut dicit Plinius in Naturali Historia (II, c. 89, ubi nunc paulo aliter), Inarimes insulæ mons olim fuit, qui terræ motu diffusus alteram insulam fecit, quæ *Prochyta* ab effusione (προχύσει) dicta est. Hanc Nævius in primo Belli Punici de cognata Æneæ nomen accepisse tradit; verum *Inarime* nunc Æneria dicitur (hodie *Ischia*), et sæpe fulguribus petitur, propterea quod Typhoeum premat, secundum alios Enceladum. » *Serv.* Apud Homerum Typhoei cubile est εἰν Ἀρίμοις (*Iliad.* B, 783), *apud Arimos* Phrygiæ vel Ciliciæ; sed Pindari et Æschyli ætate fabula de gigante illo in Siciliam atque insulas Vulcanias translata est, et ex εἰν Ἀρίμοις in unam vocem conjunctis natum est nomen *Inarime*, ut Heynius suspicatur, errore Cnei Mattii vel alius poetæ qui latine vertit Iliadem. — 89 Vide VI, 101, n. 54. *Fugu*, Δεισμός, *Timor*, Φόβος, numina homerica, *Il.* Δ, 439. *Atrum*, ut qui tamquam tenebris involvit animum. — 90 « Mars iis injecit audaciam. » *S.* — 91 Prostrato. *Qui casus*, quam malus, quam adversus. — 92 *Torquet*, occludens eam. — 93 *Ruentes* intro, irrumpentes. — 94 Re nulla cogente, compellente ad tam absurdum facinus. Similiter supra 676. n. 72. — 95 In vel ex *oculis* Turni. — 96 Rubræ; vide 270. *Clipeo* varie huc et illuc moto. — 97 Prosilit. — 98 Uxoris Latini; amare dictum; vide VII, 56 seq. et 423. — 99 Confer Pyrrhi seu Neoptolemi verba II, 547 seqq.; et illud Sibyllæ, VI, 89 : *Alius Latio jam partus Achilles*. — 1 « Viridi : nam hastæ igni plerumque torrentur. » *Serv.*

Saxea pila cadit, magnis quam molibus antè
Constructam ponto[87] jaciunt; sic illa ruinam
Prona trahit, penitusque vadis illisa recumbit;
Miscent se maria, et nigræ attolluntur arenæ;
Tum sonitu Prochyta[88] alta tremit, durumque cubile
Inarime Jovis imperiis imposta Typhoeo.

Hic Mars armipotens animum viresque Latinis
Addidit, et stimulos acres sub pectore vertit[89];
Immisitque Fugam Teucris atrumque Timorem.
Undique conveniunt, quoniam data copia pugnæ,
Bellatorque animo deus[90] incidit.
Pandarus, ut fuso[91] germanum corpore cernit,
Et quo sit fortuna loco, qui casus agat res,
Portam vi multa converso cardine torquet[92],
Obnixus latis humeris, multosque suorum
Mœnibus exclusos duro in certamine linquit;
Ast alios secum includit, recipitque ruentes[93],
Demens! qui Rutulùm in medio non agmine regem
Viderit irrumpentem, ultroque[94] incluserit urbi,
Immanem veluti pecora inter inertia tigrim.
Continuo nova lux oculis[95] effulsit, et arma
Horrendùm sonuere; tremunt in vertice cristæ
Sanguineæ[96], clipeoque micantia fulgura mittit.
Agnoscunt faciem invisam atque immania membra
Turbati subito Æneadæ. Tum Pandarus ingens
Emicat[97], et mortis fraternæ fervidus irâ
Effatur : « Non hæc dotalis regia Amatæ[98],
Nec muris cohibet patriis media Ardea Turnum.
Castra inimica vides; nulla hinc exire potestas. »
Olli subridens sedato pectore Turnus :
« Incipe, si qua animo virtus, et consere dextram;
Hic etiam inventum Priamo narrabis[99] Achillen. »
Dixerat. Ille rudem nodis et cortice crudo[1]
Intorquet, summis adnixus viribus, hastam.
Excepere auræ; vulnus Saturnia Juno

Detorsit veniens[2], portæque infigitur hasta.
« At[3] non hoc telum, mea quod vi dextera versat,
Effugies; neque enim is[4] teli nec vulneris auctor. »
Sic ait, et sublatum alte consurgit[5] in ensem,
Et mediam ferro gemina inter tempora frontem
Dividit impubesque immani vulnere malas.
Fit sonus : ingenti concussa est pondere tellus,
Collapsos artus atque arma cruenta cerebro
Sternit humi moriens; atque illi partibus æquis
Huc caput atque illuc humero ex utroque pependit.
Diffugiunt versi trepida formidine Troes :
Et, si continuo victorem ea cura[6] subisset,
Rumpere claustra manu sociosque immittere portis,
Ultimus ille dies bello gentique[7] fuisset.
Sed furor ardentem cædisque insana cupido
Egit in adversos.
Principio Phalerim et succiso poplite Gygen
Excipit[8]; hinc raptas fugientibus ingerit hastas
In tergum : Juno vires animumque ministrat.
Addit Halym comitem, et confixa Phegea parmâ;
Ignaros deinde in muris Martemque cientes
Alcandrumque[9], Haliumque, Noemonaque, Prytanimque.
Lyncea tendentem contrà sociosque vocantem
Vibranti gladio connixus ab aggere dexter
Occupat : huic uno dejectum cominus ictu
Cum galea longe jacuit[10] caput. Inde ferarum
Vastatorem Amycum, quo non felicior[11] alter
Ungere tela manu ferrumque armare veneno;
Et Clytium Æoliden, et amicum Crethea Musis,
Crethea Musarum comitem[12], cui carmina semper
Et citharæ cordi, numerosque intendere[13] nervis;
Semper equos atque arma virûm pugnasque canebat.
Tandem ductores, audita cæde suorum,
Conveniunt Teucri, Mnestheus acerque Serestus;
Palantesque vident socios, hostemque receptum.
Et Mnestheus : « Quo deinde[14] fugam, quo tenditis? [inquit.
Quos alios muros, quæ jam ultrà mœnia habetis?

2 *Veniens*, num *Juno?* an *vulnus?* Posterius placebat etiam Servio. — 3 Turnus loquitur, *telum* hoc loco dicens gladium. — 4 *Is*, talis, ejusmodi, ut eum possis effugere. Proprie dictum *auctor vulneris*, sed *teli* per zeugma : ensis dominus. — 5 Cum ense alte sublato etiam totum corpus attollit, ut fortiorem ictum infligat. Servius huic versui adscripsit : « Genus feriendi gallicanum. » — 6 Cogitatio animi. — 7 « Nimirum occiso etiam Ascanio, a quo Romani ducunt originem. Ideo *bello gentique* dixit, quia plerumque bellum finitur gente superstite, ut et in bello Trojano contigit. » *Serv.* — 8 *Excipit*, tamquam feram exagitatam. « Ordo est : excipit et succidit poplitem; ut supra : *Postibus hæsit adesis* (v. 537, ubi n. 13). *Hinc* nec loci est, nec temporis, sed ordinis, id est : deinde. *Raptas* de hostilibus cadaveribus. Male dicit Donatus : *ab armigero;* etenim

solus inclusus fuerat Turnus. » *Serv.* — 9 Homericus versus, *Iliad.* E, 678. — 10 *Jacuit* : « ad exprimendam celeritatem præterito usus est tempore. Tanta vis ictûs fuit, ut, quamquam cominus percutiens, longe caput excuteret. » *S. Vastare* etiam de cædendo dici vidimus *Georg.* IV, 16, n. 8. Conf. *Æn.* I, 471. — 11 « Peritior. » *S. Ungere* veneno, quod χρίειν τοὺς dixerat Homerus, qui videndus in *Odyss.* Λ, 261 seq. — 12 Θεράποντα in græcis poetis. De citharœdo loquitur versibus cantilenæ quiddam sonantibus, repetitione hemistichii. — 13 Intentis nervis sive chordis edere musicos sonos; rhythmos facere intentione nervorum. — 14 « Quo fugietis ulterius? Est amara accusatio. » *S.*

Unus homo, et[15] vestris, o cives, undique sæptus
Aggeribus, tantas strages impune per urbem
Ediderit? juvenum primos tot miserit Orco?
Non infelicis patriæ, veterumque deorum[16],
Et magni Æneæ, segnes, miseretque pudetque? »
Talibus accensi firmantur, et agmine denso
Consistunt. Turnus paulatim excedere pugnâ,
Et fluvium petere ac partem quæ cingitur undâ.
Acrius hôc Teucri clamore incumbere magno,
Et glomerare manum[17]: ceu sævum turba leonem
Quum telis premit infensis; at territus[18] ille,
Asper, acerba tuens, retro redit; et neque terga
Ira dare aut virtus patitur; nec tendere contra,
Ille quidem hoc cupiens, potis est per tela virosque.
Haud aliter retro dubius vestigia Turnus
Improperata refert, et mens exæstuat irâ.
Quin etiam bis tum medios invaserat hostes,
Bis confusa fuga per muros agmina vertit:
Sed manus e castris propere coit omnis in unum;
Nec contra vires audet Saturnia Juno
Sufficere[19]; aeriam cœlo nam Juppiter Irim
Demisit, germanæ[20] haud mollia jussa ferentem,
Ni Turnus cedat Teucrorum mœnibus altis.
Ergo nec clipeo juvenis subsistere tantum[21],
Nec dextra valet: injectis sic undique telis
Obruitur! Strepit assiduo cava tempora circum
Tinnitu galea, et saxis solida æra fatiscunt;
Discussæque jubæ capiti; nec sufficit umbo[22]
Ictibus; ingeminant hastis et Troes et ipse[23]
Fulmineus Mnestheus. Tum toto corpore sudor
Liquitur, et piceum[24] (nec respirare potestas)
Flumen agit; fessos quatit æger anhelitus artus.
Tum demum præceps saltu sese omnibus armis[25]
In fluvium dedit. Ille suo cum gurgite flavo
Accepit venientem, ac mollibus[26] extulit undis,
Et lætum sociis, abluta cæde, remisit.

15 Et quidem, præsertim; ut V, 851, not. 52. — 16 Penatium, quos ex antiquissimis temporibus colebant Trojani. — 17 Vide II, v. 315, n. 46. Sequitur comparatio homerica. — 18 *Territus* ita ut ab incepto desistendum et cedendum esse videat, non consternatus neque tremens. Idem est etiam in locis Homeri. Quare repudianda est correctio *Haud territus*. Insequentibus confer *Georg.* III, 149, n. 15. — 19 Subministrare Turno; ut II, 618. — 20 Sorori Jovis; v. XII, 830. *Cedat*, excedat. — 21 *Nec clipeo*, excipiens tela, *neque dextra*, pugnans gladio, *tantum*, quantum opus sibi esset. *valet subsistere*, resistere et statum suum obtinere. *Sic*, adeo. — 22 *Umbo* est clipei media pars eminens. *Ingeminant*, v. p. 153, n. 61. — 23 *Et* alii *Troes* et potissimum Mnestheus, dux ab Æneа relictus; v. supra 171 et seqq. *Fulmineus* capiendum ut dictum est de Scipionibus *fulmina belli*. — 24 Sordidum pulvere et cruore. *Agit*, inducit corpori. — 25 Omnia arma gerens; ut erat armatus. *Fluvium*, Tiberim. In verbo *accepit* de Tiberino deo cogitandum; inde *suo cum gurgite*; vide VIII, 72, n. 31. — 26 *Mollibus*, ut sunt undæ fluvii leniter fluentis. Sed intelligendum videtur de deo propitio, molles ei præbente undas suas.

LIBER X.

PANDITUR interea domus omnipotentis[1] Olympi,
Conciliumque vocat divûm pater atque hominum rex
Sideream in sedem, terras unde arduus omnes
Castraque Dardanidûm aspectat populosq Latinos.
Considunt tectis bipatentibus[2]; incipit ipse :
« Cœlicolæ magni, quianam[3] sententia vobis
Versa retro, tantumque animis certatis iniquis?
Abnueram bello Italiam concurrere Teucris[4].
Quæ contra vetitum discordia? quis metus aut hos
Aut hos arma sequi ferrumque lacessere[5] suasit?
Adveniet justum pugnæ (ne arcessite) tempus,
Quum fera Carthago Romanis arcibus olim
Exitium magnum atque Alpes immittet apertas[6] :
Tum certare odiis, tum res rapuisse[7] licebit.
Nunc sinite[8], et placitum læti componite fœdus. »
Juppiter hæc paucis; at non Venus aurea contrà
Pauca refert :
« O Pater, o hominum divûmque æterna potestas!
Namque aliud quid sit quod jam implorare queamus?
Cernis ut insultent Rutuli, Turnusque feratur
Per medios insignis equis, tumidusque secundo
Marte ruat? Non clausa tegunt jam mœnia Teucros;
Quin intra portas atque ipsis prœlia miscent

1 *Omnipotentis*, utpote omnipotentium deorum sedis. *Domus* intelligenda Jovis domus in summo Olympo, δῶμα Διός, quo convocantur dii circum habitantes. — 2 Fores binarum valvarum habentibus, bipatentes portas ut II, 330. Ennïana vox. — 3 Vide V, 13, n. 6. *Versa retro*, mutata in pejus. — 4 Quam voluntatem Jovis irritam fecit *memor ira Junonis*. — 5 Movere, ut *pugnas lacessunt* V, 429, n. 93. — 6 Exercitum venientem per Alpes apertas, « ut quas Hannibal patefecit, non sibi tantum, sed omnibus gentibus; nam Alpes, secundum Catonem et Livium, muri vice tuebantur Italiam. » *S.* — 7 Prædam facere more belli. Subtilius hæc ex jure fetiali interpretatur Servius. — 8 Quiescite. *Placita* dicuntur quæ alicui probantur, in quæ consentit.

Aggeribus mœrorum[9], et inundant sanguine fossæ.
Æneas ignarus abest. Nunquamne levari
Obsidione sines? muris iterum imminet hostis[10]
Nascentis Trojæ, nec non exercitus alter;
Atque iterum in Teucros Ætolis surgit ab Arpis[11]
Tydides. Equidem credo, mea vulnera restant[12],
Et tua progenies mortalia demoror[13] arma!
Si sine pace[14] tua atque invito numine Troes
Italiam petiere, luant peccata, neque illos
Juveris auxilio: sin tot responsa secuti,
Quæ Superi Manesque[15] dabant, cur nunc tua quisquā
Vertere jussa potest? aut cur nova condere fata?
Quid repetam exustas Erycino[16] in litore classes?
Quid tempestatum regem ventosque furentes
Æoliā excitos[17]? aut actam nubibus Irim?
Nunc etiam Manes (hæc intentata manebat
Sors[18] rerum) movet, et superis immissa repente
Allecto, medias Italûm bacchata per[19] urbes.
Nil super imperio[20] moveor; speravimus ista,
Dum fortuna fuit: vincaut, quos vincere mavis.
Si nulla est regio, Teucris quam det tua conjux
Dura, per eversæ, genitor, fumantia Trojæ
Excidia obtestor, liceat dimittere ab armis
Incolumem Ascanium, liceat superesse nepotem.
Æneas sane[21] ignotis jactetur in undis,
Et, quamcumque viam dederit Fortuna, sequatur:
Hunc tegere et diræ valeam subducere pugnæ.
Est Amathus[22], est celsa Paphus, atque alta Cythera,
Idaliæque domus: positis inglorius armis
Exigat hic ævum. Magna ditione jubeto
Carthago premat Ausoniam; nihil urbibus inde[23]
Obstabit Tyriis. Quid pestem evadere belli
Juvit, et Argolicos medium fugisse per ignes,
Totque maris vastæque exhausta pericula terræ,
Dum Latium Teucri recidivaque[24] Pergama quærunt?
Non[25] satius, cineres patriæ insedisse supremos
Atque solum quo Troja fuit? Xanthum et Simoenta

9 Antique pro *murorum*. De re v. IX, 766 seqq. *Inundant* est intransitivum hic et XI, 382. — 10 Turnus cum Rutulis. *Exercitus alter*, Latini. — 11 Vide VIII, 9, n. 6, ubi de legatione narratur, ad Diomedem Ætolum, Tydei filium, missa ab Latinis petitum auxilia, quorum adventum metuit Venus. — 12 Restat ut ipsa vulnerer iterum a Diomede, quemadmodum olim ad Trojam, *Iliad.* E, 330 seqq. — 13 Moram facio armis jam paratis ut me vulnerent, me feriendi cupidis. — 14 Voluntate, consensu tuo; v. p. 203, n. 32. • Insinuatione utitur Venus, ficta conditione concedendo quod non esse verum conscia est; ut deinde, ubi diu rem esse indignam ostenderit et indignitatem auxerit, nihil simile a se factum ostendens, magis ac magis Jovis exoret favorem. • *S.* — 15 *Manes* Hectoris, Creusæ, Anchisæ. *Quisquam*: Junonem dicit • verecunde, ut apud maritum agens contra uxorem. • *S.* — 16 Vide V, 606 seqq., de *Eryce* p. 148, n. 57. — 17 Vide I, 50 seqq. *Irim*, V, 606 seqq. et initio libri IX. — 18 Illæc rerum vel mundi pars, sors Plutonis, Orcus. *Movet*, ut dixerat Juno: *Acheronta movebo*, VII, 312. — 19 • Perfuruit. Et bene *bacchata*, quia per simulationem sacrorum Liberi patris matres egerat in furorem. • *S.* Vide VII, 341 seqq. — 20 *Imperio* ab Jove promisso Æneæ, I, 257 seqq. De *nil* vide V, 751, n. 12. — 21 *Sane* est concedentis. Jactetur per me Æneas; modo servetur Ascanius. — 22 Cypri urbs, cum celebri templo Veneris. De *Cytheris* et *Idalia* vide p. 151, n. 28. — 23 *Inde*, ab Æneæ ejusque posteris. — 24 Vide IV, 344, n. 56. — 25 Nonne *satius* fuit etc. Hoc dicit: Praestabat suscitare Trojam de cineribus atque iterum subire bellum Græcorum, quam perire post tot ærumnas terra marique exanclatas.

Redde, oro, miseris; iterumque revolvere casus[26]
Da, pater, Iliacos Teucris. » Tum regia Juno,
Acta furore gravi : « Quid me alta silentia cogis
Rumpere et obductum[27] verbis vulgare dolorem?
Æneam hominum quisquam divûmque subegit
Bella sequi, aut hostem regi se inferre Latino?
Italiam petiit fatis auctoribus; esto;
Cassandræ impulsus furiis[28] : num linquere castra
Hortati sumus, aut vitam committere ventis[29]?
Num puero summam belli, num credere muros?
Tyrrhenamve[30] fidem aut gentes agitare quietas?
Quis deus in fraudem[31], quæ dura potentia nostri
Egit? ubi hic Juno, demissave nubibus Iris?
Indignum est Italos Trojam circumdare flammis
Nascentem, et patria Turnum consistere terrâ,
Cui Pilumnus[32] avus, cui diva Venilia mater :
Quid[33], face Trojanos atra vim ferre Latinis,
Arva aliena jugo premere[34] atque avertere prædas?
Quid, socéros legere, et gremiis abducere pactas[35]?
Pacem orare manu[36], præfigere puppibus arma?
Tu potes Æneæ manibus subducere Graium[37],
Proque viro nebulam et ventos obtendere inanes,
Et potes in totidem classem convertere Nymphas[38] :
Nos aliquid Rutulos contrà juvisse nefandum est?
Æneas ignarus abest : ignarus et absit[39].
Est Paphus Idaliumque tibi, sunt alta Cythera :
Quid gravidam bellis[40] urbem et corda aspera tentas?
Nosne tibi fluxas Phrygiæ res vertere fundo[41]
Conamur? nos? an miseros qui[42] Troas Achivis
Objecit? Quæ causa fuit consurgere in arma
Europamque Asiamque, et fœdera solvere furto[43]?
Me duce Dardanius[44] Spartam expugnavit adulter?

26 Vide p. 162, n. 9. — 27 « *Obduci* proprie dicitur de vulneribus, ut sit : celatum et diuturna jam cicatrice coopertum. Deinde Juno utitur replicatione rerum objectarum. » *S.* — 28 Effata furentis sunt quæ *fata* dicit Æneas. Vide III, 183 seqq. — 29 Dicit navigationem in Tiberi, ad Evandrum proficiscentis. — 30 Tyrrhenorum *fidem agitare*, id est sollicitando eos ad societatem cum Trojanis ineundam perpellere studere. — 31 Periculum, malum. — 32 Vide IX, 4, n. 1. *Venilia* nympha, Amatæ soror, Fauni uxor. — 33 *Quid* est? minusne indignum est *face* etc.? Invidiose autem Trojanis exprobrat Juno quæ fieri solent in bello, etsi facta non fuerant. — 34 *Arva jugo premere.* Nimirum Trojani condiderunt castellum, unde liberi tati Latinorum imminebant. Improbabiliter alii ritum illum respici putant, quo condendæ urbi locus aratri ductu designabatur. — 35 *Pactas* sive desponsatas aliis viris; de Lavinia. — 36 Prætentis manu ramis olivæ vittatis; vide p. 284, n. 74. *Arma*, scuta potissimum (vide VIII, 93), in latiore puppi et in margine navis suspendebant; quo spectat *præfigere puppibus*, de itinere ad Evandrum cum armatis facto ab Æneæ, VIII, 90 seqq. — 37 Quod narravit Homerus, *Il.* E, 315 seqq. — 38 Vide IX, 80 seqq. « Licet hoc mater deûm fecerit, tamen hic Veneri imputatur, quia in ejus gratiam factum est. » *S.* — 39 « Ea quæ solvere non possumus, irridemus. » *S.* — 40 Fœcundam bellis, promptam ad bella. *Tentas*, experiris an parare tibi possis. — 41 Funditus evertere. « *Fluxas*, quæ possent etiam sine inimicis perire. » *S.* — 42 *Qui* : oblique significat Venerem, causam Trojani belli. — 43 Furtivo raptu Helenæ. « Legitur in historiis quod Trojani cum Græcis fœdus habuerunt; unde etiam Paris est susceptus hospitio. » *S.* — 44 *Dardanius* : « perite dubium nomen elegit, quod contumeliam communicaret Æneæ. » *S. Spartam expugnavit*, in Spartam vi et ut hostis penetravit, quippe adulterium commissurus. Noti facinoris, quod voce *adulter* satis indicatur, violentiam Juno exaggerat verbo amplioris significatûs, quod nolim explicare per usitatam locutionem *expugnare pudicitiam* alicujus.

Aut ego tela dedi, fovive[45] Cupidine bella?
Tum decuit metuisse tuis : nunc sera querelis
Haud justis assurgis[46], et irrita jurgia jactas. »
Talibus orabat Juno ; cunctique fremebant
Cœlicolæ assensu vario : ceu flamina prima
Quum deprensa[47] fremunt silvis, et cæca volutant
Murmura, venturos nautis prodentia ventos.
Tum Pater omnipotens, rerum cui prima[48] potestas,
Infit ; eo dicente deûm domus alta silescit,
Et tremefacta solo[49] tellus ; silet arduus æther ; [tus
Tum Zephyri posuere[50] ; premit placida æquora pon-
« Accipite ergo animis atque hæc mea figite dicta.
Quandoquidem Ausonios conjungi fœdere Teucris
Haud licitum, nec vestra capit discordia finem :
Quæ cuique est fortuna hodie, quâ quisque secat[51] spem,
Tros Rutulusne fuat, nullo discrimine habebo[52],
Seu fatis Italûm[53] castra obsidione tenentur,
Sive errore malo Trojæ monitisque sinistris.
Nec Rutulos solvo[54]. Sua cuique exorsa laborem
Fortunamque[55] ferent ; rex Juppiter omnibus idem :
Fata viam invenient. » Stygii per flumina fratris[56],
Per pice torrentes atraque voragine ripas
Annuit, et totum nutu tremefecit Olympum[57].
Hic finis fandi : solio tum Juppiter aureo
Surgit, cœlicolæ medium[58] quem ad limina ducunt.
Interea Rutuli portis circûm omnibus instant
Sternere cæde viros, et mœnia cingere flammis[59].
At legio Æneadûm vallis[60] obsessa tenetur,
Nec spes ulla fugæ. Miseri stant turribus altis
Nequicquam, et rara muros cinxere coronâ :
Asius Imbrasides, Hicetaoniusque[61] Thymœtes,
Assaracique duo, et senior cum Castore Thymbris,
Prima acies[62] ; hos germani Sarpedonis ambo,

45 Feci ut traheretur bellum per Cupidinem ; non Paris Helenam reddere nolebat. — 46 Surgis ad querelas jactandas. *Orabat*, verba faciebat ; unde *orator*. — 47 Intercepta, coarctata. « *Cæca*, quod eorum ratio non apparet. Quadam enim arcana ratione fit, ut sit murmur in silvis ante ventorum adventum. » *Serv.* — 48 Suprema. — 49 *Solo*, quæ infra est ; oppositum *domui deûm* et *arduo ætheri*. — 50 Vide VII, 27, n. 16. *Placida*, quæ inde fiunt placida ; sive, ut Servius, « premendo ea reddit placida. » — 51 Sequitur, tenet, quemadmodum viam, quam *secat*, ut dictum VI, 899. Turnebus explicat : assumit, sibi capit. *Fuat*, antiquum pro : sit. — 52 Non interceden videlicet, quin utrique utantur sua fortuna aut spe. Sequentia aut ab ipso poeta non fuerunt absoluta, aut unus alterve versus excidit ; nam nec sententia plena est, et oratio inconcinna. — 53 « Sive malo fato Italorum obsidentur castra Trojana : sive Trojani *malo errore* ad Italiam venerunt. » *Serv.* Sed *fatis Italûm* significare non potest nisi fata propitia Italis. Esset igitur : Sive per bonam fortunam Italorum, sive per malam Trojanorum, falsa vaticiniorum interpretatione in Italiam deductorum, castra Trojana obsidentur. *Trojæ*, Trojanorum. *Errore malo*, oracula male interpretantium ; *monitis sinistris*, vaticiniis falsis et noxiis, quibus decepti fuerint. — 54 *Solvo*, scilicet eâ quam dixi conditione : ut sua fortuna aut spe utantur, deorum interventu nullo. *Exorsa*, passive. *Laborem*, malum, cladem. — 55 Nobis dicendum esset *fortunamve* ; sed veteres, ubi non id agunt ut distinguant, etiam *et* ponunt in oppositis. Conf. p. 156, n. 21. *Omnibus idem*, eodem in omnes animo, æquus omnibus. — 56 Jurans per Stygem ; vide VI, 323 seq. *Ripas* Stygis. — 57 Ex Homero conversum, *Il.* A, 529 seq. — 58 « *Medium*, ut hominem magistratum deducunt. » *S.* — 59 Undique immittere ignes. — 60 Intra vallos, qui efficiebant vallum. — 61 Hicetaonis filius. — 62 Principes inter dimicantes, προμαχοι. « Laudis est, non ordinis, quia res in muro agitur. » *S.*

Et Clarus et Themon, Lycia comitantur ab alta[63].
Fert ingens toto connixus corpore saxum,
Haud partem exiguam montis, Lyrnesius[64] Acmon,
Nec Clytio genitore minor, nec fratre Menestheo.
Hi jaculis, illi certant defendere saxis,
Molirique ignem[65], nervoque aptare sagittas.
Ipse inter medios, Veneris justissima cura,
Dardanius caput ecce puer detectus honestum[66],
Qualis gemma, micat, fulvum quæ dividit aurum,
Aut collo decus aut capiti; vel quale per artem
Inclusum buxo, aut Oricia[67] terebintho,
Lucet ebur; fusos cervix cui lactea crines
Accipit, et molli[68] subnectens circulus auro.
Te quoque magnanimæ viderunt, Ismare, gentes[69]
Vulnera dirigere, et calamos armare veneno,
Mæonia generose domo[70], ubi pinguia culta
Exercentque viri, Pactolusque irrigat auro.
Affuit et Mnestheus, quem pulsi pristina Turni
Aggere mœrorum[71] sublimem gloria tollit;
Et Capys: hinc nomen Campanæ ducitur urbi[72].

Illi inter sese duri certamina belli
Contulerant: media Æneas freta nocte secabat.
Namque, ut ab Evandro castris ingressus Etruscis[73],
Regem adit, et regi memorat nomenque genusque,
Quidve petat, quidve[74] ipse ferat; Mezentius arma
Quæ sibi conciliet, violentaque pectora Turni
Edocet; humanis quæ sit fiducia rebus[75],
Admonet, immiscetque preces. Haud fit mora; Tarchon
Jungit opes, fœdusque ferit: tum libera fati[76]
Classem conscendit jussis gens Lydia divûm,
Externo commissa duci. Æneïa puppis
Prima tenet[77], rostro Phrygios subjuncta leones;
Imminet Ida super, profugis gratissima Teucris.
Hic magnus sedet Æneas, secumque volutat
Eventus belli varios; Pallasque sinistro

63 Nobili, clara; ut IX, 697, *Sarpedonis alti*. — 64 Ex Lyrnesso urbe Mysiæ majoris, postea dicta Adramyttium, hodieque *Adramit*. — 65 Ignem missilem, faces. — 66 Pulcharum. — 67 • *Oricos* civitas est Epiri, juxta quam nascitur terebinthus, habens nigrum lignum, folia in buxi speciem. Retulit autem comparationem hanc ad candidum vultum, nigra cæsarie cinctum. • *S. Buxo* non eliendum. — 68 Tenui et ductili, non crasso et duro; vide infra 818. — 69 *Magnanimæ* (Homero μεγάθυμοι, fortes) *gentes* intelligendum videtur de iis quos ducebat Ismarus, Lydis, si hoc effici potest ex ejus origine. — 70 Orte ex nobili genere in Lydia. — 71 Vide not. 9, et IX, 780 seqq. — 72 Capuæ, gr. Καπύη. De qua et *Capy* cognitu digna refert Servius. — 73 Quod narratum VIII, 585 seqq., 603 seqq. *Regem*, Tarchontem. — 74 Exspectabas bis *quidque*, sed *ve* tanquam ex ore Tarchontis retentum, quærentis qui sit, *quidve petat feratve*. De Mezentio vide VIII, 481 seqq.; VII, 647 seqq. — 75 Scilicet minima vel nulla, quippe instabilibus et in contrarium non raro vertentibus. — 76 *Libera fati* dictum est ut *voti liber* de eo qui solvit votum. Jam Etrusci (*Lydia gens*) solvebant debitum fato, sequentes ducem externum jussu oraculi. VIII, 498 seqq. Ibidem narratum de classe jam parata. — 77 Vide p. 253, n. 51. *Puppis*, navis. Cujus in prora erat paraesemon sive insigne mons *Ida*, vel ipse fictus vel symbolo; rostro autem subjuncti erant *Phrygii leones* (Matris Idææ comites), in quorum speciem ipsum rostrum effictum fuisse videri potest. Ex Servio: • Notatur a criticis Virgilius hoc loco, sic cito dicens potuisse naves Æneæ fieri. Quod excusat *pictura*, quam solam mutatam debemus accipere. Quidam volunt hanc navem ex iis esse quibus Æneas ad Evandrum erat evectus, et ad Etruriam terrâ esse portatam. •

Affixus lateri jam quærit[78] sidera, opacæ
Noctis iter, jam quæ passus terraque marique.
Pandite[79] nunc Helicona, Deæ, cantusque movete :
Quæ manus interea Tuscis comitetur ab oris
Æneam, armetque rates, pelagoque vehatur.
Massicus ærata princeps secat æquora Tigri ;
Sub quo mille manus juvenum, qui mœnia Clusi[80],
Quique urbem liquere Cosas : quis tela sagittæ,
Corytique[81] leves humeris, et letifer arcus.
Una torvus Abas : huic totum insignibus armis
Agmen et aurato fulgebat Apolline puppis.
Sexcentos illi dederat Populonia mater[82]
Expertos belli juvenes ; ast Ilva[83] trecentos
Insula, inexhaustis Chalybum generosa metallis.
Tertius, ille hominum divumque interpres[84] Asilas.
Cui pecudum fibræ, cœli cui sidera parent,
Et linguæ volucrum, et præsagi fulminis ignes,
Mille rapit[85] densos acie atque horrentibus hastis.
Hos parere[86] jubent Alpheæ ab origine Pisæ,
Urbs Etrusca solo. Sequitur pulcherrimus Astyr,
Astyr equo fidens et versicoloribus armis.
Ter centum adjiciunt (mens omnibus una[87] sequendi)
Qui Cærete domo[88], qui sunt Minionia in arvis,
Et Pyrgi[89] veteres, intempestæque Graviscæ.

Non ego te, Ligurum ductor fortissime bello,
Transierim, Cinyra, et[90] paucis comitate Cupavo,
Cujus olorinæ surgunt de vertice[91] pennæ,
(Crimen amor[92] vestrum) formæque insigne paternæ :
Namque ferunt luctu Cycnum Phaethontis amati,
Populeas inter frondes umbramque sororum[93]

78 *Quærit* ex *Æneä sidera*, scilicet quibus-nam sideribus fidat navigationem nocturnam regentibus, et ei quasi præbentibus *iter* ; hinc brevitas orationis. — 79 Vide VII, 641, n. 92. — 80 Clusium sive Camars (postea Porsennæ sedes), hodieque *Chiusi*. Cosæ sive Cosa, haud procul a mari, ubi hodie *Orbitello*. — 81 « *Corycti* sunt proprie arcuum thecæ ; dicuntur tamen etiam sagittarum, quæ et *pharetræ*. » *S.* — 82 Patria urbs, ut VII, 762, n. 57. Urbs est Etrusca cum portu, in bellis civilibus eversa. — 83 Hodie *Elbe*. De qua Plinius : « Quum in aliis regionibus effossis metallis terræ sint vacuæ, apud Ilvam hoc contigit mirum, quod subinde renascuntur, et rursum de eisdem locis effodiuntur. » — 84 « *Interpres* medius est (et quasi internuntius) *deorum* quos interpretatur, et *hominum* quibus interpretatur et divinas indicat mentes. » *Serv.* Addunture divinationis species quatuor. *Parent*, apparent, ut agnoscat voluntatem deorum ex his apparentem ipsi. — 85 Raptim ducit. — 86 Præsto esse. *Pisæ* urbis origo repetebatur ab Eliaca Pisa, ad quam fluit Alpheus. Multa hic scitu digna apud Servium. *Solo*, situ. — 87 Qui omnes eodem studio ardent bellum incundi. — 88 Ex Cære, p. 298, n. 95 ; et de syntaxi vide dicta de *Tyro*, p. 202, n. 20. *Minio*. « fluvius Tusciæ ultra Centumcellas » (*S.*), hodieque *Mignone*. — 89 Castellum prope Cæren, cum portu, quo et Cæretani utebantur. « nobilissimum eo tempore quo Tusci piraticam exercuerunt ; nam illic metropolis fuit. *Graviscas* (incerto situ *intempestas* accipiamus pestilentes secundum Plinium (III, 8) et Catonem in Originibus, qui ait : *Ideo Graviscæ dictæ, quod gravem aerem sustinent.* » *S.* — 90 *Et* te. Cinyram et Cupavonem fratres facere videtur, filios Cycni, Phaethontis amici in cycnum mutati. *Metamorph.* II, 367 seqq. Sed vetus vitium in hoc versu residere consentiunt meliores critici ; conf. n. 95. — 91 *Vertice* galeæ, cristam pennarum olorinarum habentis. — 92 *Amor* quo Cycnus, pater vester, Phaethontem amicum amplexus fuerat, ideo in olorem conversus. Sed neque hoc sufficit, nec probabile est apostrophen fieri ad olorinas pennas. Et mox de uno filio Cycni loquitur (n. 95), non de duobus. Parentheseos signa posuit Wagnerus. Idem pro *formæque* tradebat scribi *fortunæ*. — 93 *Sororum* Phaethontis, Heliadum ; vide *Metam.* II, 346 seqq. « *Umbram sororum* ambitiose dictum pro : inter arbores de

Dum canit et mœstum musa solatur amorem,
Canentem molli pluma duxisse senectam[94],
Linquentem terras, et sidera voce sequentem.
Filius, æquales[95] comitatus classe catervas,
Ingentem remis Centaurum promovet : ille[96]
Instat aquæ, saxumque undis immane minatur
Arduus, et longa[97] sulcat maria alta carinâ.
Ille etiam patriis agmen ciet Ocnus[98] ab oris,
Fatidicæ Mantûs et Tusci filius amnis,
Qui muros matrisque dedit tibi, Mantua, nomen,
Mantua, dives avis[99], sed non genus omnibus unum :
Gens illi triplex[1], populi sub gente quaterni;
Ipsa caput populis; Tusco de sanguine vires[2].
Hinc quoque quingentos in se Mezentius armat[3],
Quos patre[4] Benaco, velatus arundine glaucâ,
Mincius infesta ducebat in æquora pinu.
It gravis[5] Aulestes, centenaque arbore fluctum
Verberat assurgens : spumant vada marmore verso[6].
Hunc vehit immanis Triton et cærula conchâ[7]
Exterrens freta : cui laterum tenus hispida nanti
Frons[8] hominem præfert, in pristim desinit alvus;
Spumea semifero sub pectore murmurat unda.

Tot lecti proceres ter denis[9] navibus ibant
Subsidio Trojæ, et campos salis ære secabant.
Jamque dies cœlo concesserat[10], almaque curru
Noctivago Phœbe medium pulsabat Olympum :
Æneas (neque enim membris dat cura quietem)
Ipse sedens clavumque regit velisque ministrat[11].
Atque illi, medio in spatio, chorus ecce suarum
Occurrit comitum : Nymphæ, quas alma Cybebe[12]
Numen habere maris, Nymphasque e navibus esse

sororibus factas. Et est unum de his quæ habet Virgilius inimitabilia et sua propria. • *S.* — 94 Album colorem, senectutis canitiei assimilem. *Voce*, cum cantu. — 95 Catervas æqualium ætate juvenum. Cum singulari *filius* vix conciliabile alterum hemistichium supra n. 90, et *vestrum* n. 92. — 96 Centaurus, insigne navis, ita sculptus, ut saxum altius sublatum projecturus in fluctus videretur. — 97 Vide V, 158, n. 73. — 98 *Ocnus* supra memoratus pag. 45, n. 57. Fabularum varietatem vide apud Servium atque Schol. veronense. — 99 Multos habens majores quibus gloriatur, • quia non ab Ocno, sed ab aliis quoque est condita primum namque a Thebanis deinde a Thuscis, novissime a Gallis vel, ut alii

dicunt, a Sarsinatibus qui Perusiæ consederant. • *S. Omnibus* Mantuanis. — 1 Hæc ita capiebat Niebuhrius : Mantua habet tres *tribus*, quarum tribuum quæque habet quatuor δήμους. Alii sic explicant locum difficilem : Mantuani ex tribus gentibus (Græcis, Umbris, Etruscis) mixti sunt, ita tamen ut quæque harum gentium quatuor *populos*, id est civitates, comprehendat. Inter has duodecim civitates Etruriæ potentissima est et ceteris imperat Mantua. — 2 Quamquam Mantuani ex tribus illis gentibus constabant, plurimum tamen roboris trahebant ex Etruscis. Secundum Servium vero, • quæ Mantua robur totum a Lucumonibus habuit. » — 3 *In se armat*, • odio sui in arma compellit. » (*S.*); superbia et crudelitate sua ad bellum in se provocat. — 4 Nimirum Mincius fluvius oritur e lacu *Benaco*, hodie *Lago di Garda*. Est autem hic navis insigne et nomen. *Pinu*, vide p. 19, n. 37. — 5 *Gravis* mole sua, ingens corpore, ut p. 236, n. 96. *Centena arbore*, centum remis. — 6 *Verso* est a *verrere*, quo verbo poeta in hac re utitur. — 7 *Concha* est buccina Tritonis; vide p. 254, n. 81. — 8 *Frons* de anteriore et superiore parte corporis tota. *Pristim*, vide p. 227, n. 51. — 9 Pro cardinali : triginta. — 10 Hæc non apte conveniunt illis v. 147 : *Æneas media freta nocte secabat*; quam difficultatem jam veteres solutum iverunt; v. Servium, et Peerlkamp. p. 244. — 11 Vide p. 258, n. 42. — 12 Κυβήβη, Cybele. Vide IX, 80-122. *Comitum*, quod, ut naves, cum ipso venerant in Italiam. — 13 Quum antè naves fuissent.

Jusserat, innabant pariter, fluctusque secabant,
Quot prius æratæ steterant ad litora proræ.
Agnoscunt longe regem, lustrantque choreis[14].
Quarum quæ fandi doctissima Cymodocea,
Pone sequens, dextra puppim tenet, ipsaque dorso
Eminet, ac læva tacitis subremigat undis.
Tum sic ignarũ alloquitur : « Vigilasne, deûm gens[15],
Ænea ? Vigila, et velis immitte[16] rudentes.
Nos sumus, Idææ sacro de vertice pinus,
Nunc pelagi Nymphæ, classis tua. Perfidus[17] ut nos
Præcipites ferro Rutulus flammaque premebat,
Rupimus invitæ tua[18] vincula, teque per æquor
Quærimus. Hanc genitrix faciem miserata refecit[19],
Et dedit esse deas, ævumque agitare sub undis.
At puer Ascanius muro fossisque tenetur
Tela inter media atque horrentes[20] Marte Latinos.
Jam loca jussa tenet forti permixtus Etrusco
Arcas eques[21] : medias illis opponere turmas,
Ne castris jungant[22], certa est sententia Turno.
Surge age, et Aurora socios veniente vocari
Primus[23] in arma jube, et clipeũ cape, quẽ dedit ipse
Invictum Ignipotens, atque oras ambiit auro.
Crastina lux, mea si non irrita dicta putàris,
Ingentes Rutulæ spectabit cædis acervos. »

Dixerat ; et dextra discedens impulit altam,
Haud ignara modi[24], puppim : fugit illa per undas
Ocior et jaculo et ventos æquante sagittã ;
Inde aliæ celerant cursus. Stupet inscius ipse
Tros Anchisiades ; animos tamen omine tollit.
Tum breviter, supera adspectans convexa, precatur
« Alma parens Idæa deûm, cui Dindyma[25] cordi,
Turrigeræque urbes, bijugique ad frena[26] leones,
Tu mihi nunc pugnæ princeps[27], tu rite propinques
Augurium, Phrygibusque adsis pede, diva, secundo. »
Tantum effatus. Et interea revoluta ruebat[28]
Matura jam luce dies, noctemque fugărat.
Principio sociis edicit, signa sequantur[29],
Atque animos aptent armis, pugnæque parent se.

Jamque in conspectu Teucros habet et sua castra,
Stans celsà in puppi : clipeum tum deinde sinistrà

14 Vide p. 291, n. 76. — 15 A diis genite. • Verba sunt sacrorum ; etenim virgines Vestales die certa ibant ad regem sacrorum, et dicebant : *Vigilasne, rex? vigila.* • *S.* — 16 Laxa ; v. VIII, 708, not. 1. — 17 *Perfidus*, quia fœdere jam inter Latinos et Trojanos facto, bellum movebat. *Præcipites*, in litore stantes acclivi atque ad præcipitandum facili. — 18 *Tua*, quibus tu nos religasti ; v. VII, 106. — 19 *Refecit*, • alteram fecit • (*S.*), pristinam formam in hanc mutavit. — 20 Horrentia sive erecta arma habentes ; conf. supra 178. — 21 Nimirum, dum Æneas auxilia pedítum Etruscorum adduceret, Pallas, Evandri filius, cum equitibus Arcadiis et Etruscis terrestri itinere ad castra Trojanorum contenderat. *Medias*, inter loca illa et castra. — 22 *Jungant* neutraliter, id quod dicimus : laciant junctionem. — 23 *Primus*, primum exorta aurorã agens, vel *primus* quum exorta erit ; cf. p. 285, n. 55. — 24 • *Modi*, moderationis et peritiæ libramenti, quippe quæ ipsa fuerat navis. • *S.* — 25 Vide IX, 618, n. 43. — 26 *Ad frena*, qui frenentur et currum Cybelæ vehant. De qua Lucretius II, 601 : *Hanc veteres Graiûm docti cecinere poetæ. . . Sedibus in curru bijugos agitare leones.* — 27 Tu me prima impellis ad pugnam. *Propinques*, ad eventum adducas. — 28 • Cum impetu veniebat, quia per orbem ; oriebatur, ut, *ruit Oceano nox* (II, 250, n. 21). • *Serv.* — 29 Exsequantur quæ per signa sit imperaturus. *Animos aptent*, adjiciant et intentos habeant armis.

Extulit ardentem. Clamorem ad sidera tollunt
Dardanidæ e muris; (spes[30] addita suscitat iras;
Tela manu jaciunt :) quales sub nubibus atris
Strymoniæ[31] dant signa grues, atque æthera tranant
Cum sonitu, fugiuntque Notos[32] clamore secundo.
At Rutulo regi ducibusque ea mira videri
Ausoniis; donec versas ad litora puppes
Respiciunt, totumque allabi classibus æquor[33].
Ardet apex[34] capiti, cristisque a vertice flamma
Funditur, et vastos umbo vomit aureus ignes :
Non secus ac liquida[35] si quando nocte cometæ
Sanguinei lugubre rubent, aut Sirius ardor[36];
Ille sitim morbosque ferens mortalibus ægris
Nascitur, et lævo contristat lumine cœlum.

Haud tamen audaci Turno fiducia cessit
Litora præcipere[37], et venientes pellere terrâ.
[Ultro animos tollit dictis, atque increpat ultro :]
« Quod votis optastis, adest, perfringere[38] dextrâ :
In manibus Mars ipse, viri. Nunc conjugis esto
Quisque suæ tectique memor; nunc magna referto[39]
Facta, patrum laudes. Ultro occurramus ad undam,
Dum trepidi, egressique labant vestigia prima[40] :
Audentes Fortuna juvat. »
Hæc ait, et secum versat quos ducere contrà
Vel quibus obsessos possit concredere muros.

Interea Æneas socios de puppibus altis
Pontibus[41] exponit. Multi servare recursus
Languentis pelagi, et brevibus se credere saltu;
Per remos alii[42]. Speculatus litora Tarchon,
Qua vada non spirant[43], nec fracta remurmurat unda,
Sed mare inoffensum crescenti allabitur æstu,
Advertit subito proras, sociosque precatur[44] :
« Nunc, o lecta manus, validis incumbite remis;
Tollite, ferte[45] rates; inimicam findite rostris

30 Recte monet Peerlkamp., his interjectis cursum comparationis haud grato modo abrumpi, nequedum jaci tela; ut suspicio sit interpolationis. — 31 Vide p. 56, n. 25. *Signa* alacritatis et lætitiæ, *clamore secundo*. — 32 *Notos* metonymice de hibernis imbribus, hieme. Adde quæ observamus p. 49, n. 53. — 33 Egregie dictum ex sensu Rutulorum stupentium, secundum usitatam locutionem *mare allabitur* FLUCTIBUS. — 34 Conus, cui crista inserta est. *Capiti* Æneæ. — 35 Clara, serena. Comparatio homerica, *Iliad.* X, 26 seqq. De *cometis* longum disserit Servius. — 36 Sirius ardens, Canicula. De qua sequentia intelligi debere et res ipsa docet et locus homericus; postrema, *lævo* (noxio) *contristat lumine cœlum*, soli cometæ congruunt. Unde hæc non expolita fuisse a Virgilio manifestum est. — 37 Alii *præripere*. Sequentem versum, male repetitum ex IX, 127, ignorant codices boni. — 38 *Perfringere* aciem, cominus pugnare fortiter, « verbum militare. » *S. Mars ipse*, justa et vera pugna. — 39 *Referto* animo, memineris. « Sallustius ait, Hispanorum fuisse, ut in bella euntibus juvenibus parentum facta memorarentur a matribus. » *S. Ultro*, antequam illi nos aggrediantur. — 40 Græca syntaxis sæpe observata : in primis quæ ponunt vestigiis. — 41 Scalis naves cum litore conjungentibus. Multi sociorum observabant illud momentum, quo fluctus, æstu propulsi, post primum impetum refluebant; hi sunt *recursus pelagi languentis*. *Brevia*, vide p. 135, n. 71. — 42 Repete *saltu se credunt* : remos litori infigunt, lisque innitentes in terram prosiliunt. — 43 Speculatus locum litoris, in quo vada non *spirant*, æstuant, fervent fluctibus motis; vide *Georg.* I, 327, n. 15. Sed verendum est ne perperam correcta fuerit antiqua scriptura *sperant*, quum deberet SPERAT scribi, aptissimum huic loco et a duobus criticis probatum, post Servium : « Nam dum vada esse non sperat vel timet, incidit in ea. » *Remurmurat*, repellitur cum murmure. — 44 « Cum precibus hortatur. » *S.* — 45 Im-

pellite, agite naves. *Toilite*, ut « vehementi remorum impulsu ipsa navis in prora tollitur et sublevatur. » ait Peerlk. Tum *fundite* « militari felle dictum : ut etiam terra ipsa quodammodo sentiat hostis adventum. » *Serv.* — 46 « *Statio* est portus temporalis; *portus*, ubi hiematur. » *S.* Conf. II, 23. — 47 Vide p. 281, n. 17. *Consurgere*, quod alibi *insurgere*. — 48 « *Dorsum* est durior arena, quæ remeantibus fluctibus plerumque densatur et in modum saxi indurescit; quod a nautis *pulvinus* vocatur. » *S.* — 49 *Anceps*, dubia utro cadat; modo in dextram, modo in sinistram partem nutans : sic sese substentat diu, æquilibritatem quamdam servans. *Fatigat fluctus*, qui eam quasi labore multo oppugnant; cf. VIII, 91, n. 44. — 50 *Impediunt* quominus ad litus perveniant; eosdem fluctus reciprocatus non sinit pedibus insistere. — 51 Sunt Latini, qui per agros sparsi habitabant; v. VII, 574; VIII, 8; IX, 607 seqq. — 52 « Ut Sallustius : *Pugnam illam pro omnibus bello futuram*. Ideo *omen*, quia sicut nunc, sic ubique vincit Æneas. » *S.* — 53 Loricum sutilem, lamellis vel catenulis æneis contextam. *Squalentem*, obductam; v. *Georg.* IV, 91, n. 50. *Haurit*, vide p. 172, n. 68. — 54 « Omnes enim, qui secto matris ventre procreantur, Apollini consecrati, quia deus est medicinæ, per quem lucem sortiuntur. Sic et Æsculapius procreatus est [quod exponit Serv. ad VII, 771]. Cæsarum etiam familia ideo sacra retinebat Apollinis, quia primus ejus familiæ ita est natus. » *S.* — 55 Non longo tempore, non multo post. — 56 *Præbuit* Herculi, « nove dixit, quum *bona* præberi dicantur. » *S.* Melampus autem ille non confundendus cum vate celeberrimo. Post discessum herois restituisse in Italia putandus est, ut *Autor* infra 779. *Inertes* : nam « ubi pugnari oportet, loqui inertis est. » *S.* — 57 Clytium malas habentem flavas prima lanugine. *Nova gaudia*, quem tum cœperat amare, novæ ejus deliciæ (*Ecl.* II, 2

Hanc terram, sulcumque sibi premat ipsa carina.
Frangere nec tali puppim statione[46] recuso,
Arrepta tellure semel. » Quæ talia postquam
Effatus Tarchon, socii consurgere tonsis[47],
Spumantesque rates arvis inferre Latinis,
Donec rostra tenent siccum et sedère carinæ
Omnes innocuæ : sed non puppis tua, Tarchon!
Namque inflicta vadis dorso[48] dum pendet iniquo,
Anceps[49] sustentata diu, fluctusque fatigat,
Solvitur, atque viros mediis exponit in undis;
Fragmina remorum quos et fluitantia transtra
Impediunt[50], retrahitque pedem simul unda relabens.
Nec Turnum segnis retinet mora : sed rapit acer
Totam aciem in Teucros, et contra in litore sistit.
Signa canunt. Primus turmas invasit agrestes[51]
Æneas, omen pugnæ[52], stravitque Latinos,
Occiso Therone, virûm qui maximus ultro
Æneam petit. Huic gladio perque ærea suta[53],
Per tunicam squalentem auro, latus haurit apertum.
Inde Lichan ferit, exsectum jam matre peremptâ,
Et tibi, Phœbe, sacrum[54], casus evadere ferri
Cui licuit parvo. Nec longe[55], Cissea durum
Immanemque Gyan, sternentes agmina clavâ,
Dejecit leto : nihil illos Herculis arma
Nec validæ juvere manus, genitorque Melampus.
Alcidæ comes, usque graves dum terra labores
Præbuit[56]. Ecce Pharo, voces dum jactat inertes,
Intorquens jaculum clamanti sistit in ore.
Tu quoque, flaventem prima lanugine malas[57]
Dum sequeris Clytium infelix, nova gaudia, Cydon,
Dardania stratus dextra, securus amorum
Qui juvenum tibi semper erant, miserande, jaceres.
Ni fratrum stipata cohors foret obvia, Phorci
Progenies; septem numero septenaque tela
Conjiciunt : partim galea clipeoque resultant

Irrita; deflexit partim stringentia corpus
Alma Venus. Fidum Æneas affatur Achaten :
« Suggere tela mihi; non ullum dextera frustra
Torserit in Rutulos, steterunt quæ in corpore Graiûm[58]
Iliacis campis. » Tum magnam corripit hastam,
Et jacit : illa volans clipei transverberat æra
Mæonis, et thoraca simul cum pectore rumpit.
Huic frater subit Alcanor, fratremque ruentem
Sustentat dextra : trajecto missa[59] lacerto
Protenus hasta fugit, servatque cruenta tenorem;
Dexteraque ex humero nervis moribunda pependit.
Tum Numitor jaculo fratris de corpore rapto
Enean petiit; sed non et figere contrà
Est licitum, magnique femur perstrinxit Achatæ.
Hic Curibus[60], fidens primævo corpore, Clausus
Advenit, et rigida Dryopem ferit eminus hastâ
Sub mentum, graviter pressa[61], pariterque loquentis
Vocem animamque rapit trajecto gutture; at ille
Fronte ferit terram, et crassum vomit ore cruorem.
Tres quoque Threïcios, Boreæ de gente suprema[62],
Et tres, quos Idas pater et patria Ismara mittit,
Per varios sternit casus. Accurrit Halæsus,
Auruncæque manus[63]; subit et Neptunia proles,
Insignis Messapus equis. Expellere tendunt
Nunc hi, nunc illi; certatur limine in ipso
Ausoniæ. Magno discordes æthere Venti
Prœlia ceu tollunt, animis et viribus æquis;
Non ipsi inter se, non nubila, non mare cedit :
Anceps pugna diu; stant obnixa[64] omnia contrà :
Haud aliter Trojanæ acies aciesque Latinæ
Concurrunt; hæret pede pes, densusque viro vir[65].

At parte ex alia, qua saxa rotantia[66] late
Impulerat torrens arbustaque diruta ripis,
Arcadas, insuetos acies inferre pedestres,
Ut vidit Pallas Latio dare terga sequaci
(Aspera quis natura loci dimittere quando[67]
Suasit equos), unum quod rebus restat egenis[68],
Nunc prece, nunc dictis virtutem accendit amaris :
« Quo fugitis, socii? Per vos[69] et fortia facta,

58 Quibus ego Græcos Rutulis fortiores potui ferire. *Torserit* est futurum exactum, quod majore vi dicitur quam *torquebit*. — 59 Nova hasta ab Æneâ missa facile trajecit lacertum Alcanoris et perrexit ulterius (*protenus*) cruore infecta. Sic brachio ad humerum fracto, fratrem sustentatura dextra *nervis prependit moribunda*. Non debebat offendere vox *trajecto* posita initio, ut summa celeritas facti ostenderetur. — 60 *Curibus* dictum ut *Tyro* pag. 202, not. 70. De Clauso vide VII, 706 seqq. — 61 Impressa. — 62 Quibus Boreas erat ultimus auctor sive principium generis; confer VII, 99. *Ismara* adjective, regio ad Ismarum montem, p. 27, not. 28. — 63 Vide VII, 723 seqq. — 64 Omnia constanter obnituntur invicem, nec cedunt ventis venti, nubes nubibus, fluctus fluctibus. — 65 Secundum Homerum, *Iliad.* N, 130-1, versu a multis poetis latinis expresso. — 66 Intransitive positum, ut *volventia plaustra* pag. 58, not. 66. *Torrens*, eorum unus qui in Tiberim se effundebant; ad quem, dimissis propter iniquitatem locorum equis, Arcades pedestre certamen inierant cum Latinis et Rutulis, qui eos pellunt et persequuntur : hinc dicitur *sequaci Latio*. — 67 Quandoquidem, siquidem; quasi præcessisset *eis*, non *quibus*; addidit tamen conjunctionem, ut causæ notio magis extaret. — 68 Rebus *egenis*, id est, eo adactis, ut inopia esset consilii. — 69 Supple *oro* et strue : oro *vos et per fortia* vestra *facta*, (et) *per nomen Evandri* etc, ut paulo ante *perque..., per*, v. 313). Vide p. 159, n. 69.

70 Bella victoriis finita, debellata. *Subit*, succedit. — 71 « Patria vult ut *hac* via, per cædes hostium revertamur. » *S. Alia* iterum XI, 797. — 72 Vide pag. 125, n. 31. Claudimur en ponto, qui nobis tamquam obicem objicit mare, in quo sisti pedibus nequit. Nimirum Æneas imperavisse videtur Arcadibus, ut non procul ab ostio Tiberis consisterent, ubi ipse suas copias exposituras esset. — 73 *Trojam* novam, castra Trojanorum ab Rutulis obsessa. — 74 Ubi discrimen sive intervallum erat costis, spinæ per *medium* earum decurrenti infixis. Sic spina dici potest *dare* illi intervalla. — 75 Accipe quasi conjunctim scriptum *superoccupat* (ut *supervenio*), occupat Pallantem dum in eo est ut Lagum feriat. Mox *ante* jungi debet cum *excipit*, non cum *ruentem*, irruentem. — 76 « Græca fabula est. Rhœtus, rex Marrubiorum (v. VII, 750, n. 52), Anchemolo filio Casperiam superduxit novercam; hanc privignus stupravit. Quo cognito, quum eum pater ad pœnam vocaret, fugiens ille se ad Daunum contulit. Merito ergo Turno, Dauni filio, gratiam reddit. *Gente vetustus*, quia a Phoreo, deo marino, originem ducere legitur. » *S.* — 77 *Daucia proles*, filii Dauci; de quo nihil relatum. — 78 *Suum*, « quasi dominum, a quo fuerat separata. » *S.* — 79 Præterfugientem. Ilo autem, quominus statim trajiceretur, hoc tantum *spatium* erat, quod Rhœteus occupavit inter ipsum et Pallantem, et hæc tantum *mora*, tempus perexiguum quo Rhœteus feriebatur. — 80 In Ilum. — 81 Devolutus. Arva *Rutulorum*, quæ tenebant Rutuli; sed erant Latinorum. — 82 *Silvæ* hic dicuntur stipulæ, quæ demessis aristis in agro relictæ erant; vide *Georg.* I, 84 seqq. Quas agricola passim incendit (*dispersa*), unde tandem flammæ in unum conve-

Per ducis Evandri nomen, devictaque[70] bella,
Spemque meam, patriæ quæ nunc subit æmula laudi.
Fidite ne pedibus : ferro rumpenda per hostes
Est via. Qua globus ille virûm densissimus urget,
Hac vos et Pallanta ducem patria alta reposcit[71].
Numina nulla premunt; mortali urgemur ab hoste
Mortales; totidem nobis animæque manusque.
Ecce maris magna claudit nos objice[72] pontus;
Deest jam terra fugæ : pelagus Trojamue[73] petemus? »
Hæc ait, et medius densos prorumpit in hostes.
Obvius huic primum, fatis adductus iniquis,
Fit Lagus : hunc, magno vellit dum pondere saxum,
Intorto figit telo, discrimina costis
Per medium qua[74] spina dabat; hastamque receptat
Ossibus hærentem. Quem non super occupat[75] Hisbo,
Ille quidem hoc sperans : nam Pallas ante ruentem
Dum furit, incautum crudeli morte sodalis,
Excipit, atque ensem tumido in pulmone recondit.
Hinc Sthenelum petit, et Rhœti de gente vetustâ
Anchemolum[76], thalamos ausum incestare novercæ.
Vos etiam gemini Rutulis cecidistis in arvis,
Daucia[77] Laride Thymberque, simillima proles,
Indiscreta suis, gratusque parentibus error :
At nunc dura dedit vobis discrimina Pallas.
Nam tibi, Thymbre, caput Evandrius abstulit ensis;
Te decisa suum[78], Laride, dextera quærit,
Semianimesque micant digiti, ferrumque retractant.
Arcadas, accensos monitu et præclara tuentes
Facta viri, mixtus dolor et pudor armat in hostes.
Tum Pallas bijugis fugientem Rhœtea præter[79]
Trajicit. Hoc spatium, tantumque moræ fuit Ilo;
Ilo[80] namque procul validam direxerat hastam :
Quam medius Rhœteus intercipit, optime Teuthra.
Te fugiens fratremque Tyren; curruque volutus[81]
Cædit semianimis Rutulorum calcibus arva.
Ac velut, optatò ventis æstate coortis,
Dispersa immittit silvis[82] incendia pastor;

Correptis subito mediis, extenditur una
Horrida per latos acies Vulcania[83] campos;
Ille sedens victor flammas despectat ovantes :
Non aliter sociùm virtus coit omnis in unum,
Teque juvat, Palla. Sed bellis acer Halæsus
Tendit in adversos, seque in sua colligit arma[84].
Hic mactat Ladona, Pheretaque, Demodocumque;
Strymonio dextram fulgenti deripit ense
Elatam in jugulum[85]; saxo ferit ora Thoantis,
Ossaque dispersit cerebro permixta cruento.
Fata canens[86] silvis genitor celarat Halæsum;
Ut senior leto canentia[87] lumina solvit,
Injecere manum[88] Parcæ, telisque sacrarunt
Evandri. Quem sic Pallas petit ante precatus :
« Da nunc, Thybri pater, ferro, quod missile libro,
Fortunam atque viam duri per pectus Halæsi!
Hæc arma exuviasque viri tua[89] quercus habebit. »
Audiit illa deus; dum texit[90] Imaona Halæsus,
Arcadio infelix telo dat pectus inermum.
At non cæde viri tanta perterrita Lausus,
Pars ingens belli[91], sinit agmina : primus Abantem
Oppositum interimit, pugnæ nodumque[92] moramque.
Sternitur Arcadiæ proles, sternuntur Etrusci,
Et vos, o Graiis imperdita[93] corpora, Teucri.
Agmina concurrunt ducibusque et viribus æquis.
Extremi addensent[94] acies; nec turba moveri
Tela manusque sinit. Hinc Pallas instat et urget,
Hinc contra Lausus, nec multum discrepat ætas,
Egregii forma; sed quis fortuna negarat
In patriam reditus. Ipsos concurrere passus[95]
Haud tamen inter se magni regnator Olympi;
Mox illos sua fata manent majore sub hoste.

Interea soror alma[96] monet succedere Lauso
Turnum, qui volucri curru medium secat agmen.
Ut vidit socios : « Tempus desistere pugnæ[97];
Solus ego in Pallanta feror; soli mihi Pallas
Debetur : cuperem ipse parens[98] spectator adesset. »

dinnt. Alii (nimis urgentes, opinor, vocem ποιμενικωτέραν *pastor*) intelligunt pascua silvarum, « quarum gramina incendebantur, ut novum gramen surgeret. » Conf. XII, 521 seq. — 83 Nove dictum de incendio; et « ideo sic abusus est, quia comparatio ad bellum pertinet. » *S.* — 84 Se totum scuto tegit subsidens. Iterum XII, 491. — 85 *Jugulum* Halæsi; jugulo ipsius vulnus illaturam. — 86 Quasi divinus, sentiens fatale esse filio, ut in bello caderet, silvis et saltibus abditum pastoritiæ vitæ dedecorat. In aliis est *fata* CAVENS. — 87 Lumina *canentia* exponi potest : sua canentis, senilia. Sed præferendum quod addit Servius : « aut physicam rem dicit; cernuntur enim pupillæ mortis tempore albescere. » — 88 « Traverunt debitum sibi. Sermone usus est juris. » *Serv. Sacrarunt* dixit, quod diis inferis *sacrati* dicuntur quibus

est moriendum. *Evandri*, quippe qui dederat ea filio; sic paullo ante, 394, dictum *Evandrius ensis*. Tum junge *sic precatus*. — 89 Quercus tibi sacra, vel quam sacrabo tibi, tropæa suspendens. De qua re vide XI, 5 seqq. — 90 Clipeum amico prætendens. — 91 *Belli*, id est, pugnantium. Sic, *quorum pars magna fui*, II, 6. Junge *perterrita* (esse) sive perterreri *sinit*. *Primus*, primùm, ut *Ecl.* VI, 1, etc. — 92 Nam ut *nodus* difficilis est ad solvendum, ita Abas difficilem hostibus impeditamque reddebat victoriam, et *moram* objiciebat. — 93 Quos Græci perdere nequiverunt. — 94 Urgendo nimirum ordines ante se collocatos. — 95 Non passus est tamen Jupiter etc. — 96 Juturna nympha; v. XII, 138 seqq. — 97 Sic, non *pugna*, codd. optimi. Eodem casu Statius : *haud unquam justo mea cura* LABORI *Destitit*. — 98 Bene Servius comparat illa Priami : *Qui nati coram me cernere*

letum etc., II, 538 seq. — 99 Ea parte campi, qua cedere jussi erant. — 1 Defixus in Turni obtutu. — 2 Æque probabit Evander utramque sortem. — 3 Se exercentem ad pugnam. Quod poeta describsit *Georg.* III, 232 seqq. Homerica comparatio. — 4 Qui contingi posset hasta missa, vulgo: intra teli jactum. *Ire prior*, prævertit, græc. φθάνει. *Si*, vide pag. 29, not. 55. — 5 « Supra (421) contra inferiorem hostem, Fluminis imploravit auxilium; nunc contra hostem majorem viribus, deum invocat præstantem virtute. » *Serv.* — 6 « Sustineant quasi pondus et pœnam. » *Serv.* — 7 Animo dolet graviter, sed reprimit et continet eum dolorem. *Inanes*, nihil profuturas. — 8 Constituta, fixa est. — 9 Conf. VI, 806, n. 80. — 10 « Ut Achilles Thetidis, et Memnon Auroræ, Ascalaphus Martis, et alii. » *Serv.* De Sarpedone vide *Iliadis* cantum XVI. — 11 Retorquet, avertit ab arvis. Conf. XII, 151. *Rutulorum*, vide supra n. 81. — 12 « Ne scilicet, jacto telo, esset inermis. » *S. Diripit*, celeriter stringit. — 13 Ubi summus thorax humerum (lævum) ex parte tegit. — 14 *Strinxit* aliquid *de corpore*, partem corporis. — 15 Magis (quam tuum). *Penetrabile* active dictum, ut *penetrabile frigus*, *Georg.* I, 93. Quæ adjectiva passivæ significationis suum habere solent. — 16 *Ferri terga* audacter et perimproprie dictum subjecto versu excusatur, ubi agnoscitur poetica synchysis. Servius ex veteribus annotat: « Quidam *pellis* humiliter dictum accipiunt. »

Hæc ait; et socii cesserunt æquore jusso[99].
At, Rutulûm abscessu, juvenis tum, jussa superba
Miratus, stupet in Turno[1], corpusque per ingens
Lumina volvit, obitque truci procul omnia visu;
Talibus et dictis it contra dicta tyranni:
« Aut spoliis ego jam raptis laudabor opimis,
Aut leto insigni: sorti pater æquus utrique est[2].
Tolle minas. » Fatus, medium procedit in æquor.
Frigidus Arcadibus coit in præcordia sanguis.
Desiluit Turnus bijugis; pedes apparat ire
Cominus. Utque leo, specula quum vidit ab alta
Stare procul campis meditantem in prœlia[3] taurum,
Advolat: haud alia est Turni venientis imago.
Hunc ubi contiguum[4] missæ fore credidit hastæ,
Ire prior Pallas, si qua fors adjuvet ausum
Viribus imparibus; magnumque ita ad æthera fatur:
« Per patris hospitium et mensas quas advena adisti,
Te precor, Alcide[5], cœptis ingentibus adsis:
Cernat semineci sibi me rapere arma cruenta,
Victoremque ferant[6] morientia lumina Turni. »
Audiit Alcides juvenem, magnumque sub imo
Corde premit gemitum[7], lacrimasque effundit inanes.
Tum Genitor natum dictis affatur amicis:
« Stat[8] sua cuique dies; breve et irreparabile tempus
Omnibus est vitæ; sed famam extendere[9] factis,
Hoc virtutis opus. Trojæ sub mœnibus altis
Tot gnati cecidere deûm[10]; quin occidit una
Sarpedon, mea progenies. Etiam sua Turnum
Fata vocant, metasque dati pervenit ad ævi. »
Sic ait, atque oculos Rutulorum rejicit[11] arvis.
At Pallas magnis emittit viribus hastam,
Vaginaque cava fulgentem diripit ensem[12].
Illa volans, humeri surgunt qua tegmina summa[13],
Incidit, atque viam clipei molita per oras,
Tandem etiam magno strinxit[14] de corpore Turni.
Hic Turnus ferro præfixum robur acuto
In Pallanta diu librans jacit, atque ita fatur:
« Aspice num mage[15] sit nostrum penetrabile telû. »
Dixerat; at clipeum, tot ferri terga[16], tot æris,

Quem pellis toties obeat circumdata tauri,
Vibranti medium cuspis transverberat ictu,
Loricæque moras et pectus perforat ingens.
Ille rapit calidum frustra de vulnere telum :
Unà eàdemque viâ sanguis animusque sequuntur.
Corruit in vulnus : sonitum supèr arma dedere [17];
Et terram hostilem moriens petit ore cruento.
Quem Turnus super [18] assistens :
« Arcades, hæc, inquit, memores mea dicta referte
Evandro : Qualem meruit [19], Pallanta remitto. [est,
Quisquis honos tumuli, quidquid solamen humandi
Largior. Haud illi stabunt [20] Æneïa parvo
Hospitia. » Et lævo pressit pede, talia fatus,
Exanimem, rapiens immania pondera baltei,
Impressumque nefas [21] : una sub nocte jugali
Cæsa manus juvenum fœde, thalamique cruenti,
Quæ Clonus Eurytides multo cælaverat auro;
Quo nunc Turnus ovat spolio gaudetque potitus.
Nescia mens hominum fati sortisque futuræ,
Et servare modum, rebus sublata [22] secundis!
Turno tempus erit, magno quum optaverit emptum [23]
Intactum Pallanta, et quum spolia ista diemque
Oderit. At socii multo gemitu lacrimisque
Impositum scuto referunt Pallanta frequentes.
O dolor atque decus magnum redituræ parenti!
Hæc te prima dies bello dedit, hæc eadem aufert,
Quum tamen ingentes Rutulorum linquis acervos!

Nec jam fama mali tanti, sed certior auctor [24]
Advolat Æneæ, tenui discrimine leti
Esse suos [25]; tempus versis succurrere Teucris.
Proxima quæque metit gladio, latumque per agmen
Ardens limitem agit ferro, te, Turne, superbum
Cæde nova quærens. Pallas, Evander, in ipsis
Omnia sunt oculis, mensæ [26], quas advena primas
Tunc adiit, dextræque datæ. Sulmone [27] creatos
Quattuor hic juvenes, totidem, quos educat Ufens,
Viventes rapit, inferias quos immolet umbris [28],
Captivoque rogi perfundat sanguine flammas.
Inde Mago [29] procul infensam contenderat hastam :

17 Homericum : ἀράβησε δὲ τεύχε' ἐπ' αὐτῷ. — 18 Super quem; nihil est aliud quam : cui adstans jacenti. — 19 Remitto Pallantem, non vivum, sed *qualem* remitti sibi *meruit* propter hospitia et amicitiam Æneæ et data ei auxilia. — 20 Constabunt. — 21 Scutum cui insculptum erat nefandum facinus Danaidum. Sic Æneas *attollit humero famamque et fata nepotum* (VIII fine), scutum in quo hæc sculpta. — 22 Elata. — 23 Sic II, v. 104, *magno mercentur Achivi*. « Erit tempus, quo Turnus optabit quovis pretio redimere, ne ipse Pallantem occidisse videretur. » *Serv.* Narrabitur XII, 940 seqq. — 24 Nuntius verus. — 25 « Inter suos et mortem modicum esse moræ discrimen sive intervallum. » *Donatus*. Non multum abesse ab internecione. Et *tempus* esse. *Versis* in fugam. — 26 « Perite scissa est narratio, qua animus Æneæ perturbatus exprimitur. » *S.* — 27 *Sulmo* hominis nomen est IX, 412, sed hoc loco intelligendum est oppidum in Pelignis, hodieque *Sulmona*, ut sequenti versu *Ufens* dictum est de Latii flumine, hodieque *Uffente*. — 28 Manibus Pallantis. Sicut Achilles manibus Patrocli, apud Homerum. Servius : « Sane mos erat in sepulchris virorum fortium captivos necari. Quod postquam crudele visum est, placuit gladiatores ante sepulchra dimicare, qui a bustis *bustuarii* dicti sunt. » Ipse adeo Augustus ferebatur *trecentos ex dediticiis electos ad aram divo Julio exstructam mactavisse*, Sueton. c. 15. — 29 In Magum; ut *Ito* supra 401, n. 80.

Ille astu subit[30]; at tremebunda supervolat hasta;
Et genua amplectens effatur talia supplex :
« Per patrios[31] Manes, et spes surgentis Iuli,
Te precor, hanc animam serves gnatoque patrique.
Est domus alta; jacent penitus defossa talenta[32]
Cælati argenti; sunt auri pondera facti
Infectique mihi. Non hic[33] victoria Teucrûm
Vertitur, aut anima una dabit discrimina tanta. »
Dixerat; Æneas contra cui talia reddit :
« Argenti atque auri memoras quæ multa talenta,
Gnatis parce[34] tuis : belli commercia Turnus
Sustulit ista prior [jam tum[35] Pallante perempto].
Hoc patris Anchisæ Manes, hoc sentit Iulus. »
Sic fatus, galeam læva tenet, atque reflexâ
Cervice orantis capulo tenus applicat ensem.
Nec procul Hæmonides, Phœbi Triviæque sacerdos.
Infula cui sacra redimibat tempora vittâ[36],
Totus collucens veste atque insignibus armis :
Quem congressus agit campo, lapsumque superstans
Immolat, ingentique umbra[37] tegit; arma Serestus
Lecta refert humeris, tibi, rex Gradive[38], tropæum.
Instaurant acies Vulcani stirpe creatus
Cæculus, et veniens Marsorum montibus Umbro.
Dardanides contra furit. Anxuris ense sinistram
Et totum clipei ferro dejecerat[39] orbem;
(Dixerat ille aliquid magnum, vimque adfore verbo
Crediderat, cœloque animum fortasse[40] ferebat.
Canitiemque sibi et longos promiserat annos;)
Tarquitus exsultans[41] contra fulgentibus armis,
Silvicolæ Fauno Dryope quem nympha creârat,
Obvius ardenti sese obtulit. Ille reductâ[42]
Loricam clipeique ingens onus impedit hastâ;
Tum caput orantis nequicquam et multa parantis
Dicere deturbat terræ[43]; truncumque tepentem
Provolvens, supèr hæc inimico pectore fatur :
« Istic nunc, metuende, jace. Non te optima mater

30 Subsidit et accedit ad Æneam. Homericum est ὁ δ' ὑπέδρα-με καὶ λάβε γούνων κύψας, *Il.* Φ, 68. — 31 Patris tui. Magi et pater et filius vivebant. — 32 De pondere; vide p. 231 initio. — 33 *Hic*, in me, in mea cæde. *Vertitur*, vide p. 285, n. 66. — 34 « *Parce* antique pro *serva*, ut apud Lucilium et Ennium invenitur. » *S.* — 35 Jam tum, quum Pallantem interemit. Quæ multo melius omitti sensit H. Peerlkamp. — 36 Vide p. 108, n. 95. — 37 Nimirum *mortis* umbrâ, quæ omnium tenebricosissima tegit et obruit hostem. Ita hoc accipitur; sed ipsa verba sonant : *umbra ingenti*, magni corporis sui, Æneas *tegit* occisum, arma legens, quæ *lecta refert* Serestus. Hoc jubet series. Eximie Peerlk. p. 270-1 : *ingentique umbra* LEGIT *arma; Serestus Lecta refert* etc., jungens *arma ingenti umbra*, ingentem umbram faciendo, ex homerico ὁλοόφρονι ἴσος. — 38 Mars (p. 179, n. 17). Qua cæde perculsis Latinorum animis, pretium redintegrant Cæculus et Umbro, de quibus v. VII, 678 seqq., 750 seqq. Ibi poeta Umbronem casurum dicit, quæ cædes et Cæculi hic intelligenda κατὰ τὸ συμπάθεσον. Vide infra not. 52. — 39 Jam *dejecerat*, quando Tarquitus se obtulit, de quo post tres versus narratur. Offendunt autem voces *totum* et *ferro* post *ense*; v. Peerlk. p. 271-2. — 40 Junge *fortasse cœlo*; ad cœlum ferebat, majora fortasse cupiens vel sperans quam decebat mortalem. Horatius : *Nil mortalibus arduum est : Cœlum ipsum petimus stultitia.* — 41 Alacriter prosiliens. — 42 Hasta *reducta*, vibrata brachio longe reducto, ut validius emitteretur; vide XI, 605 seq. Hac loricam et clipeum *impedit*, ita innexuit et colligavit, ut clipeus a lorica retrahi non posset. Alii cum Servio explicant : « non permisit usum esse ad protegendum corpus. » — 43 In terram. *Super*, insuper.

Condet humo, patriorum onerabit membra sepulchro [44];
Alitibus linquère feris [45], aut gurgite mersum
Unda feret, piscesque impasti vulnera lambent. »

Protinus Antæũ et Lucã, prima agmina [46] Turni,
Persequitur, fortemque Numam, fulvumque [47] Camertẽ,
Magnanimo Volscente satum, ditissimus agri
Qui fuit Ausonidûm, et tacitis regnavit Amyclis [48].
Ægæon [49] qualis, centum cui brachia dicunt
Centenasque manus, quinquaginta oribus ignem
Pectoribusque arsisse, Jovis quum fulmina contra
Tot paribus [50] streperet clipeis, tot stringeret enses :
Sic toto Æneas desævit in æquore victor,
Ut semel intepuit mucro. Quin ecce Niphæi
Quadrijuges in equos adversaque pectora tendit :
Atque illi, longe gradientem [51] et dira frementem
Ut vidère, metu versi retroque ruentes,
Effunduntque ducem [52], rapiuntque ad litora currus.
Interea bijugis infert se Lucagus albis
In medios, fraterque Liger; sed frater habenis
Flectit equos, strictum rotat acer Lucagus ensem.
Haud tulit Æneas tanto fervore furentes :
Irruit, adversaque ingens apparuit hastà.
Cui Liger :
« Non Diomedis equos, non currum cernis Achilli [53],
Aut Phrygiæ campos : nunc belli finis et ævi
His dabitur terris. » Vesano talia late
Dicta volant Ligeri : sed non et Troïus heros
Dicta parat [contra; jaculũ nã [54] torquet in hostẽ].
Lucagus ut pronus pendens in verbera [55] telo
Admonuit bijugos, projecto dum pede lævo
Aptat se pugnæ, subit oras hasta per imas
Fulgentis clipei, tum lævum perforat inguen
Excussus curru moribundus volvitur arvis.
Quem pius Æneas dictis affatur amaris :
« Lucage, nulla tuos currus fuga segnis [56] equorum

44 In patria terra (quod omnes præoptant) tumulum imponet corpori tuo. — 45 « Σαρκοφάγοις. *Impasti*, ita avidi, ut semper credantur impasti. » *S.* — 46 Qui inter primos pugnabant, gr. πρόμαχοι. — 47 Fulva cæsarie conspicuum; vide XI, 642. — 48 « *Amyclæ*, inter Caietam et Terracinam, oppidum constitutum est a Laconibus, qui comites Castoris et Pollucis fuerunt, atque cum Glauco, filio Minois, in Italiam venerunt; misti ibi cum Ausoniis oppidum condiderunt, cui a Laconica civitate *Amyclis* inditum nomen est. » *S. Tacitis* epitheton tractum ab Laconica urbe, quam *perdidit silentium*; quippe hostium adventu sæpius nuntiato temere, quum civitas inani terrore agitaretur, scripta lex est, *ne quis umquam hostis nuntiaret adventum.* Advenere Dorienses : nuntiat nemo, et *taventi-*

bus omnibus, capta est urbs. Perperam alii *tacitis* exponunt « desertas », ex illis quæ apud Plinium leguntur VIII, 43 : *M. Varro auctor est, in Italia Amyclas a serpentibus deletas,* id est vacuefactas. — 49 Qui et *Briareus* (vide VI, 287, n. 31), ex Homero *Il.* A, 402-4, sed aliena nonnulla addit Virgilius a Gigantibus petita, qui cœlum oppugnarunt. « Homerus amicum Ægæona dicit Jovis; sed Antimachus in tertio Thebaïdos dicit adversum eum armatum. » *Schol. veron.* — 50 *Paribus*, ut qui parem se Jovi crederet viribus. « *Sic*, ut non unam manum putares; nam ad hoc pertinet comparatio. » *S.* — 51 Longis, magnis gradibus incedentem. — 52 « Et hoc loco poeta omisit occisum, ut supra (515) in *Dardanides contra furit.* » *S.* — 53 Vide p. 132, n. 24. Ab utroque Æneas fuerat victus, sed a Venere, Apolline et Neptuno ereptus, ne præsapia ejus interiret. — 54 Jejuna hæc grammatico homini deberi annotatum est a criticis. — 55 Vide p. 228, n. 68. — 56 *Fuga segnis,* poetice dictum de tarditate. *Prodidit*, ut jam in meas manus venirent.

Prodidit, aut vanæ vertère[57] ex hostibus umbræ,
Ipse rotis saliens juga deseris. » Hæc ita fatus,
Arripuit bijugos. Frater tendebat inertes
Infelix palmas, curru delapsus eodem :
« Per te[58], per qui te talem genuere parentes,
Vir Trojane, sine hanc animâ, et miserere precantis. »
Pluribus oranti Æneas : « Haud talia dudum
Dicta dabas[59]. Morere, et fratrem ne desere frater. »
Tum, latebras animæ, pectus[60] mucrone recludit.
Talia per campos edebat funera ductor
Dardanius, torrentis aquæ vel turbinis atri
More furens. Tandè erumpunt et castra relinquunt
Ascanius puer et nequicquam obsessa juventus.
Junonem interea compellat Juppiter ultro :
« O germana mihi atque eadem gratissima conjux,
Ut rebare[61], Venus (nec te sententia fallit)
Trojanas sustentat opes, non vivida bello
Dextra viris animusque ferox patiensque pericli. »
Cui Juno submissa : « Quid, o pulcherrime conjux,
Sollicitas ægram et tua tristia[62] dicta timentem?
Si mihi, quæ quondâ fuerat, quamque esse decebat,
Vis in amore foret, non hoc mihi namque[63] negares,
Omnipotens, quin et pugnæ subducere Turnum
Et Dauno possem incolumem servare parenti.
Nunc pereat[64], Teucrisque pio det sanguine pœnas.
Ille tamen nostra[65] deducit origine nomen,
Pilumnusque illi quartus pater[66]; et tua largâ
Sæpe manu multisque oneravit limina donis. »
Cui rex ætherii breviter sic fatur Olympi :
« Si mora præsentis leti tempusque caduco[67]
Oratur juveni, meque hoc ita ponere sentis[68],
Tolle fuga Turnum, atque instantibus eripe fatis.
Hactenus indulsisse vacat[69] : sin altior istis
Sub precibus venia ulla latet, totumque moveri
Mutavive putas bellum, spes pascis inanes. »
Et Juno adlacrimans : « Quid si, quod voce gravaris,
Mente dares, atque hæc Turno rata vita maneret?
Nunc manet insontem gravis exitus, aut ego veri

57 Everterunt vana terricula ex hoste veniente, quibus consternati fuerint equi. *Ipse*, quasi ultro, per sarcasmum de domino, qui perexsus curru excidit. Similia Hom. *Il.* II, 745 seqq. *Rotæ* de curru, ut XII, 671, et *Georg.* III, 114. — 58 Imploro te per parentes tuos. Syntaxin vidimus 369, n. 69. *Sine*, relinque : parce vitæ meæ. — 59 Edebas, v. 581 seqq. — 60 Memoranda emendatio Jacobi : *latebras animæ* PENITUS *m. r.*, quod Virgilio dignius. — 61 Quod sane inest aut subest verbis Junonis, v. 63-95, quamquam non liquido expressum. Ironia utitur Jupiter plena amaritudinis, quum Trojana virtute et sociorum acta sint omnia, Veneris interventu non nullo. — 62 Acerba, severa. — 63 *Mihi namque* accipitur ut *tibi enim* VIII, 84, n. 36 : mihi videlicet, mihi ut credere par est, quæsum conjux tua. Sed apodosis (quod sæpe fit) omissa esse videtur : *si mihi*, quæ quondam, *vis foret*, res aliter et melius haberent : *namque non negares* etc. Jam veteres apud Servium in structura horum versuum dubii hærebant. — 64 *Nunc*, quando mihi apud te valeo, *pereat* Turnus, æque ille *pius* atque Æneas, cui victima ducitur. Submissionem simulans, pungit animum Jovis. — 65 *Nostra*, a diis, divina. *Nomen*, quo inter eos censetur, qui diis prognati sunt. — 66 Vide IX, n. 1. — 67 Morituro. — 68 Si ea est tua sententia, id est, si vis ut hoc ita constituam. Vide p. 316, n. 70. — 69 Liberum est. *Altior venia*, majoris beneficii concessio a me petenda. « *Venia* duas habet significationes : quod petitur, ut hic; et quod conceditur. » *Serv.*

Vana [70] feror. Quod ut o potius formidine falsâ
Ludar, et in melius tua, qui potes, orsa reflectas ! »
Hæc ubi dicta dedit, cœlo se protinus alto
Misit, agens hiemem [71] nimbo succincta per auras,
Iliacamque aciem et Laurentia castra petivit.
Tum dea nube cavâ [72] tenuem sine viribus umbram
In faciem Æneæ (visu mirabile monstrum !)
Dardaniis ornat telis, clipeumque jubasque [73]
Divini assimulat capitis; dat inania verba,
Dat sine mente sonum, gressusque effingit euntis :
Morte obita [74] quales fama est volitare figuras,
Aut quæ sopitos deludunt somnia sensus.
At primas læta ante acies exsultat imago,
Irritatque virum telis, et voce lacessit.
Instat cui Turnus, stridentemque eminus hastam
Conjicit : illa dato vertit vestigia tergo.
Tum vero Æneam aversum ut cedere Turnus
Credidit, atq̃ animo spem turbidus [75] hausit inanē :
« Quo fugis, Ænea ? thalamos ne desere pactos :
Hac dabitur dextra tellus quæsita per undas [76]. »
Talia vociferans sequitur, strictumque coruscat [77]
Mucronem; nec ferre videt sua gaudia ventos.
Forte ratis celsi conjuncta crepidine [78] saxi
Expositis stabat scalis et ponte parato,
Qua rex Clusinis advectus Osinius [79] oris :
Huc sese trepida Æneæ fugientis imago
Conjicit in latebras; nec Turnus segnior instat,
Exsuperatque moras [80], et pontes transilit altos.
Vix proram attigerat : rumpit [81] Saturnia funem,
Avulsamque rapit revoluta [82] per æquora navem.
Tum levis haud ultrà latebras jam quærit imago,
Sed sublimè volans nũbi se immiscuit atræ.
Illum autem Æneas absentem in prœlia poscit.
Obvia multa virùm demittit corpora morti,
Quum Turnum medio interea fert æquore turbo.
Respicit [83] ignarus rerum ingratusque salutis,
Et duplices cum voce [84] manus ad sidera tendit :
« Omnipotens genitor, tanton [85] me crimine dignum
Duxisti, et tales voluisti expendere pœnas ? [cit [86] ?
Quo feror ? unde abii ? quæ me fuga, quemve redu-
Laurentesne iterum muros aut castra videbo ?

70 *Veri vana*, inanis veri, et vana cogitans. Conf. VII, 440, not. 1. Silius itidem dixit *voti vanus*. Cum eodem verbo IV, 110 : *sed fatis incerta feror. Quod*, qua in re, quod attinet ad hoc. *Ut*, utinam. — 71 Procellam; cum s. in procella. *Nimbo*, nubibus. — 72 Vide pag. 165, n. 67. — 73 Galeam cum crista; v. VII, 785. *Inania* veteres dicebant ea quæ nos *sans réalité*. — 74 Confer cum his versibus duobus Lucret. I, 132-5. — 75 Ipsa hac spe turbatus. — 76 Scilicet in sepulchrum. Similia jactat Turnus XII, 359 seqq. — 77 Vide p. 242, not. 75. *Ferre*, auferre. *Sua gaudia*, id quod unice cupiebat, mortem Æneæ. — 78 « *Crepido* est abrupta altitudo saxi. » *S.* Ubi alligatum erat retinaculum quod conjungebat; hinc ablativus. *Scalis et ponte*, vide 287, n. 41. — 79 Supra 166 *Massicus* præest Clusinis, quorum etiam Larem adfuisse hinc intelligitur. Confer Servium. — 80 *Moras* scalarum scandendarum. — 81 Pro : *quum* rumpit, vel : *et* rumpit (vide p. 190 initio); vividius elatum. — 82 *Revoluta*, fluctibus se revolventibus in recessu maris. — 83 *Respicit* litus et campum, non intelligens ad salutem ipsius hæc omnia fuisse parata. — 84 *Cum voce*, simul ita precans voce clara. — 85 Tantone. — 86 Retro abducit ex acie. *Quem*, qualem, quam turpem.

Quid[87] manus illa virûm qui me meaq; arma secuti?
Quosque (nefas!) omnes infandâ in morte reliqui?
Et nunc palantes video, gemitumque cadentum
Accipio. Quid ago? aut quæ jam satis ima dehiscat
Terra mihi? Vos o potius[88] miserescite, Venti!
In rupes, in saxa (volens vos Turnus adoro)
Ferte ratem, sævisque vadis immittite[89] Syrtes,
Quo neque me Rutuli, nec conscia fama sequatur.»
Hæc memorans, animo nunc huc nunc fluctuat illuc.
An sese mucroni[90] ob tantum dedecus amens [luc:
Induat, et crudum per costas exigat ensem;
Fluctibus an jaciat mediis[91], et litora nando
Curva petat, Teucrûmque iterum se reddat in arma.
Ter conatus utramque viam; ter maxima Juno
Continuit, juvenemque animo miserata repressit.
Labitur alta secans fluctuque æstuque secundo[92],
Et patris antiquam Dauni defertur ad urbem.

At Jovis interea monitis[93] Mezentius ardens
Succedit pugnæ, Teucrosque invadit ovantes.
Concurrunt Tyrrhenæ acies, atque omnibus uni,
Uni odiisque viro telisque frequentibus instant.
Ille[94], velut rupes, vastum quæ prodit in æquor,
Obvia ventorum furiis expostaque ponto,
Vim cunctam atque minas perfert cœlique marisq;.
Ipsa immota manens; prolem Dolichaonis Hebrum
Sternit humi, cum quo Latagum, Palmumq; fugacē:
Sed Latagum saxo atque ingenti fragmine montis
Occupat os[95] faciemque adversam; poplite Palmum
Succiso volvi segnem sinit; armaque Lauso
Donat habere[96] humeris, et vertice figere cristas.
Nec non Euanthen Phrygium, Paridisque Mimanta
Æqualem comitemque, una[97] quem nocte Theano
In lucem genitori Amyco dedit, et face prægnans[98]
Cisseïs regina Parim: Paris urbe paternâ
Occubat, ignarum[99] Laurens habet ora Mimanta.
Ac velut ille canum morsu de montibus altis
Actus aper, multos Vesulus[1] quem pinifer annos
Defendit, multosque[2] palus Laurentia, silvâ
Pastus arundineâ, postquam inter retia ventum est,
Substitit, infremuitque ferox, et inhorruit armos[3];

87 *Quid* dicet *manus* etc. Vide XII, 40. Mox alii *Quosve*, Asper grammaticus *Quosne*, cujus vim monstravit Wagnerus collato Catullo LXIV, 180 seqq. — 88 Dolet sibi etiam infelicium vota sublata: siquidem in mari constitutus optare sibi hiatum non potest terræ. » *Serv.* — 89 Mittite ratem in Syrtes quæ habent vada exitiosa (vide I, 111-2), » id est, ad mundi extrema, quo me nec fama comitetur, ubi me nemo sciat desertorem esse. » *S.* De qua sententia pulchra collegit Peerlk. pag. 282. Malis autem legi *sævasque*. — 90 In mucronem irruat, incumbat. Alii *mucrone*. *Crudum*, sævum. — 91 Dativus: in fluctus. — 92 Secundo maris æstuantis fluctu. *Urbem*, Ardeam. — 93 » Jupiter admonet hic sacrificum: non ut vincat, sed ut possit perire. » *S.* Vide VIII, 481 seqq. — 94 *Ille* manet immotus *velut* etc. quod mox in rupe dicitur. — 95 Græca syntaxi usus toti *occupat Latagum*, adjicit partem (*os faciemque*) casu eodem. Sic XII, 275: *juvenem... transadigit costas*. — 96 Gestanda humeris. — 97 *Una* sequente *et*, pro: eadem qua... Bentleius *genitore*, quod rectius dicitur. — 98 Vide p. 289, n. 38. — 99 Ignorantium, ignotum sibi. — 1 Mons in finibus Ligurum, hodie *il Viso*; in quo fontes Padi. — 2 Intellige: et ille aper quem *multos* per annos defendit *palus Laurentia*; quæ magno intervallo distat a Vesulo monte; ut aliam speciem aprorum his indicari appareat. — 3 Pro: armis; græco more, de parte corporis.

Nec cuiquam irasci propiusve accedere virtus[4],
Sed jaculis tutisque procul clamoribus instant;
Ille autem impavidus partes cunctatur[5] in omnes,
Dentibus infrendens, et tergo decutit[6] hastas:
Haud aliter, justæ quibus est Mezentius iræ,
Non ulli[7] est animus stricto concurrere ferro;
Missilibus longe et vasto clamore lacessunt.
Venerat antiquis Corythi[8] de finibus Acron,
Graius homo, infectos linquens profugus hymenæos;
Hunc ubi miscentem[9] longe media agmina vidit,
Purpureum pennis[10] et pactæ conjugis ostro:
Impastus stabula alta[11] leo ceu sæpe peragrans
(Suadet enim vesana fames) si forte fugacem
Conspexit capreã, aut surgentẽ in cornua[12] cervum,
Gaudet, hians immane, comasque arrexit, et hæret
Visceribus super incumbens; lavit[13] improba tæter
Ora cruor:
Sic ruit in densos alacer Mezentius hostes.
Sternitur infelix Acron, et calcibus atram
Tundit humũ exspirans, infractaque[14] tela cruentat.
Atque idem fugientem haud est dignatus Oroden
Sternere, nec jacta cæcum[15] dare cuspide vulnus;
Obvius adversoque occurrit, seque viro vir
Contulit, haud furto[16] melior, sed fortibus armis.
Tum super abjectum[17] posito pede nixus et hastà:
« Pars belli haud temnenda[18], viri, jacet altus Oro-
Conclamant socii lætum pæana secuti. [des. »
Ille autem exspirans: « Non me, quicumq; es, inulto,
Victor, nec longum[19] lætabere: te quoque fata
Prospectant paria, atque eadem mox arva tenebis. »
Ad quem subridens mixta Mezentius irâ: [rex
« Nunc morere: ast de me divûm pater atq; hominũ
Viderit[20]. » Hoc dicens eduxit corpore telum[21].
Olli dura quies oculos et ferreus urget
Somnus; in æternam clauduntur lumina noctem.
Cædicus Alcathoũ obtruncat, Sacrator[22] Hydaspen,

4 Nec cuiquam ea vel tanta virtus est, ut *irascatur*, id est audaciam ex ira sumat, irâ suâ prodat, et congrediatur. — 5 Dubitat in quam potissimum partem prorumpat. — 6 Augustinus: *Animalia quædam ... non solum insidentes muscas, verum etiam hærentes hastas tremore cutis discutiunt.* — 7 Eorum nulli. — 8 Vide p. 183, n. 84. — 9 Perturbantem. — 10 Cristis purpurei coloris (vid. IX, 163) et veste simili ab sponsa texta. — 11 Silvas, lustra ferarum; v. VI, 179. *Sæpe*, pag. 136, n. 32. — 12 Alta cornua habentem; proprie, qui crevit in cornua, ut seges dicitur surgere in culmum, arbor surgere in ramos. *Comas*, jubam. — 13 Ita Virgilius et Horatius hac in persona, et *lavimus*, sed *lavant*, *lavabat*, etc. *Improba*, vide p. 56, not. 24. — 14 *Infracta* ei, in corpore ejus fracta. — 15 In tergo, averso. Quare eum cursu occupat Mezentius, ut adverso occurrat. — 16 Insidiis; vide p. 266, n. 57. *Melior*, excellens. — 17 Dejectum, stratum humi. — 18 Vide 427, n. 91. • *Pæana* carmen esse victoriæ Æschylus docet. • *S. Conclamant secuti*, id est, prosequuntur clamore, clamantes pæanem. — 19 Diu. • Homeri more monenti dedit scientiam futurorum, qui Patroclum morientem Hectori mortem prædicere facit (II, 851, et Hectorem Achilli, X, 358). • *Serv.* Cicero: *Facilius evenit appropinquante morte, ut animi futura augurentur.* — 20 *De ... viderit*: hac formula judicium vel curam alicujus rei rejicimus ad alium. — 21 Quo statim exspiraret. De qua re post alios Nepos in *Epaminonda*, c. 9. *Ferreus*, Homero χάλκεος ὕπνος. — 22 • Mirum nomen. Exspectaveram *Sarctator*, a sarculando, ut sit rusticum Latini nomen, veluti *Cædicus* a cædendo, *Rapo* a rapis. Discrimen quantitatis in nomine proprio sæpe toleratur. • *Peerlk.*

Partheniumque Rapo et prædurum viribus Orsen,
Messapus Cloniumque Lycaoniumque[23] Ericeten
Illum infrenis equi lapsu tellure jacentem,
Hunc peditem. Pedes et Lycius processerat[24] Agis;
Quem tamen haud expers Valerus virtutis avitæ
Dejicit; at Thronium Salius, Saliumque Nealces,
Insignis jaculo et longe fallente[25] sagittâ.

Jam gravis æquabat luctus et mutua Mavors
Funera; cædebant pariter pariterque ruebant[26]
Victores victique; neque his fuga nota, neque illis.
Di Jovis in tectis iram miserantur inanem[27]
Amborum, et tantos mortalibus esse labores;
Hinc Venus, hinc contra spectat Saturnia Juno:
Pallida Tisiphone[28] media inter millia sævit.
At vero ingentem quatiens Mezentius hastam
Turbidus[29] ingreditur campo. Quam magnus Orion,
Quum pedes incedit medii per maxima Nerei
Stagna viam scindens, humero supereminet undas;
Aut, summis referens annosam montibus[30] ornum,
Ingrediturque solo, et caput inter nubila condit:
Talis se vastis infert Mezentius armis.
Huic contra Æneas, speculatus in agmine longo,
Obvius ire parat. Manet imperterritus ille,
Hostem magnanimum opperiens, et mole sua[31] stat;
Atque oculis spatium emensus quantum satis hastæ:
« Dextra mihi[32] deus et telum, quod missile libro,
Nunc adsint! Voveo prædonis corpore raptis
Indutum spoliis ipsum te, Lause, tropæum[33]
Æneæ. » Dixit, stridentemque eminus hastam
Jecit: at illa volans clipeo est excussa, proculque
Egregium Antoren latus inter et ilia figit,
Herculis Antoren comitem, qui missus ab Argis
Hæserat[34] Evandro, atque Itala consederat urbe.
Sternitur infelix alieno[35] vulnere, cœlumque
Aspicit, et dulces moriens reminiscitur Argos.

23 Lycaonis filium. *Infrenis*, « casu equi asperrimi, qui frenorum sperneret regimen. » *Serv.* — 24 *Processerat*, « scilicet contra Messapum dimicaturus; quod nequivit efficere, a Valero, antequam ad Messapum perveniret, occisus. » *Serv.* — 25 Vide IX, 572, n. 25. — 26 Cadebant. — 27 *Inanem*, quia neutra acies quicquam proficiebat. — 28 Ut apud Homerum Ἐριννύς aut Κῆρ in pugna versatur. Verbo *spectat* poeta ἀσυνδέτως adjicit quid conspiciant Venus et Juno, quas ab omni interventu arcebat decretum Jovis. — 29 Iratus, furens. *Orion*, seu Hyriei Bœoti seu Neptuni filius, venator inter sidera receptus, immani corporis proceritate erat. Fabulas de eo narrant Servius et Apollodorus I, cap. 4, § 3. *Stagna*, v. pag. 135, not. 79. — 30 *Referens montibus*, quando redit a venatu; vide Hom. *Odyss.* A, 572 seqq. Sequens versus jam supra lectus, IV, 177, de Fama. — 31 Ipso pondere corporis sui, ut rupes *sese mole tenet*, VII, 589. — 32 Junge *mihi adsint*. « Non alium sibi putat deum esse sacrilegus *divûm contemptor*, VII, 648) quam dextram suam et hastam. » *S.* Eamdem mentem impudentius jactat Capaneus Statii: *virtus mihi numen et ensis, Quem teneo; et: adeo o mihi dextera, tantum Tu præsens bellis et inevitabile numen, Te voco, te solam, superûm contemptor, adoro.*— 33 *Tropæum* quomodo posuerint antiqui, vides XI, 5 seqq. At Mezentius vovet se armis Æneæ indutorum esse Lausum filium, ut is tamquam tropæum adstet. « Sciendum, Lauso proprium ideo nihil profuisse pietatem, quod in eum pater mente sacrilegâ munera transferebat deorum. » *S.* Neque inconsulto ambiguitatem in verbis admisit poeta; nam mox Lausus revera factus est *tropæum Æneæ*. — 34 Comes fuerat. Sic Horatii Alcæus canebat *Venerem et illi semper* HÆRENTEM *puerum*. — 35 Non sibi intentato; destinato alii

Tum pius Æneas hastam jacit : illa per orbem
Ære cavum[36] triplici, per linea terga, tribusque
Transiit intextum tauris opus, imaque sedit
Inguine ; sed vires haud pertulit[37]. Ocius ensem
Æneas, viso Tyrrheni sanguine lætus,
Eripit a femine, et trepidanti fervidus instat.
Ingemuit cari graviter genitoris amore,
Ut vidit, Lausus, lacrimæque per ora volutæ.
Hic mortis duræ casum, tuaque optima facta
(Si qua fidem tanto est operi[38] latura vetustas)
Non equidem, nec te[39], juvenis memorande, silebo.
Ille pedem referens, et inutilis, inque ligatus[40]
Cedebat, clipeoque inimicum hastile trahebat.
Proripuit juvenis, seseque immiscuit armis ;
Jamque assurgentis dextra plagamque ferentis
Ænææ subiit mucronem, ipsumque morando[41]
Sustinuit ; socii magno clamore sequuntur[42],
Dum genitor nati parma protectus abiret ;
Telaq̃ conjiciunt, proturbantque[43] eminus hostem
Missilibus. Furit Æneas, tectusque tenet se[44].
Ac velut effusa si quando grandine nimbi
Præcipitant, omnis campis diffugit arator,
Omnis et agricola, et tuta latet arce[45] viator,
Aut amnis ripis, aut alti fornice saxi,
Dum pluit in terris, ut possint sole reducto
Exercere[46] diem : sic obrutus undique telis
Æneas nubem belli, dum detonet omnis,
Sustinet, et Lausũ increpitat, Lausoq̃[47] minatur :
« Quo, moriture, ruis, majoraque viribus audes ?
Fallit te incautum pietas tua. » Nec minus ille
Exsultat demens : sævæ jamque altius iræ
Dardanio surgunt ductori, extremaque Lauso
Parcæ fila legunt[48] : validum namque exigit ensem

36 Concavum ex ære factum. *Terga*, de tegumentis ex lino, quod applicata erant *tergis* vel tergoribus taurinis ; vide notam 16 ad 482. — 37 *Pertulit* ad finem destinatum. Sic lapis *non pertulit ictum*, XII, 907. — 38 « Id est, pietati et virtuti tuæ. Nam hic est sensus : Ego quidem tua facta et mortem ex pietate venientem non silebo, si tamen credet *vetustas* (id est posteritas), ex scelerato patre tam pium filium fuisse procreatum. » *S.* Sic dixit Cicero, *pro Milone*, c. 35 : *De me... semper omnes gentes loquentur, nulla unquam obmutescet* VETUSTAS. At Donatus ita : « Confido te futurum in laude maxima, si libri mei habuerint fidem ; » de Æneide accipiens verba *tanto operi*, « quippe hominum summorum atque fortissimorum, rerumque maximarum famam celebranti, » ait assentiens Donato Wagnerus, ne desideretur modestia Virgilii, conspicua in loco simili IX, 446 seqq. Neutra explicatio satisfacit. Quidni exponamus simpliciter : si tanto facto, hodie propemodum incredibili, fidem allatura sive conciliatura est vetustas facti *aliqua* (per litoten, vetustas non spernenda, satis alta, ut Silius : *sic credit alta vetustas*). — 39 ÆTERNUM *juvenis memorande* correxit Peerlkampius ; nam plane abhorret *nec te* positum post *tua optima facta*. — 40 Et illigatus, impeditus hasta inguini infixa et cum clipeo transfixo eum velut colligante. — 41 « Moram injiciendo ejus impetum lusit. » *Serv.* — 42 Prosequuntur id factum (v. not. 18), clamore terrentes hostem. Ad sequentem versum Servius : « De historia est. Nam Scipio Africanus quum esset vix annorum decem et septem, patrem suum defendit in bello, nec cessit viginti et septem confossus vulneribus. » — 43 Proturbare student. — 44 « Quamquam furit, tenet se tamen. » *Serv.* De comparatione quæ sequitur, lege Peerlkamp. p. 294-6. — 45 Tuto loco, ad quem confugit quasi in arcem. *Ripas* intellige excavatas. — 46 Exercendo vel faciendo opere transigere diem ; conf. VIII, 94, n. 41. — 47 Nomen repetitum, ut IX, 439, cum vi ; huic uni intentus est Æneas. — 48 Nentes colligunt in fusum. *Exigit*, v. supra 682.

Per medium Æneas juvenem, totumque recondit.
Transiit et parmam mucro, levia arma minacis[49],
Et tunicam, molli mater quam neverat auro;
Implevitque sinum sanguis : tum vita[50] per auras
Concessit mœsta ad Manes, corpusque reliquit.
At vero ut vultum vidit morientis et ora,
Ora modis Anchisiades pallentia miris,
Ingemuit miserans graviter, dextramque tetendit[51],
Et mentem patriæ subiit pietatis imago[52] : [stis[53],
« Quid tibi nunc, miserande puer, pro laudibus i-
Quid pius Æneas tanta dabit indole dignum?
Arma, quibus lætatus, habe tua[54]; teque parenti,
Manibus et cineri si qua est ea cura, remitto.
Hoc tamen, infelix! miseram solabere mortem :
Æneæ magni dextra cadis. » Increpat ultro
Cunctantes socios, et terra sublevat ipsum,
Sanguine turpantem comptos de more[55] capillos.

Interea genitor Tiberini ad fluminis undam
Vulnera siccabat[56] lymphis, corpusque levabat
Arboris acclinis trunco : procul[57] ærea ramis
Dependet galea, et prato gravia arma quiescunt.
Stant lecti circùm juvenes; ipse æger, anhelans
Colla fovet[58], fusus propexam in pectore barbam;
Multa super Lauso rogitat, multumque[59] remittit
Qui revocent, mœstique ferant mandata parentis.
At Lausum socii exanimem super arma[60] ferebant
Flentes, ingentem atque ingenti vulnere victum.
Agnovit longe gemitum[61] præsaga mali mens.
Canitiem multo deformat pulvere[62], et ambas
Ad cœlum tendit palmas, et corpore inhæret.
« Tantane me tenuit vivendi, nate, voluptas,
Ut pro me hostili paterer succedere dextræ
Quem genui? Tuane hæc genitor per vulnera servor,
Morte tua vivens? Heu! nunc misero mihi demum
Exitium[63] infelix! nunc alte vulnus adactum!
Idem ego, nate, tuum maculavi crimine nomen,
Pulsus ob invidiam[64] solio sceptrisque paternis.

49 Lausi *minacis* potius quam timendi. *Molli*, vide 138, not. 68. — 50 Anima, ut XII, 952. — 51 Juvenem terra sublevaturus; vide mox 831. — 52 Cogitatio suæ in patrem Anchisen pietatis. Confer II, 560. Male hîc intelligeretur Lausi pietas. — 53 Vide p. 233, n. 58. — 54 Magnus enim honos existimabatur ævo heroico, si victor victum non spoliaret. *Parenti* ex criticorum emendatione, pro *parentum Manibus*, quod commodam explicationem minime admittit. Si Manes tui hoc curant. Probabiliter autem omnia hæc POETÆ tribuit Peerlkampius (corrigens *remittit*), non Æneæ. — 55 *De more* scilicet Etruscorum, qui cernitur in monumentis vetustis. — 56 *Siccabat*, nam aqua frigida sistit sanguinem. Hinc sumpsit Statius, *Theb.* I, 527 : *siccati vulnera lymphis*; et audacius X, 716 : *undantem* LACRIMIS *siccare cruorem*. — 57 Vide p. 27, not. 15. — 58 Collum lassatum ac deficiens reficit caput sustinens trunco arboris. *Fusus*, « barbam in pectus fusam habens. » *S.* Sane postulat usus accusativum *in* PECTORA, sed hîc accedit notio jam recumbentis *in pectore* barbæ, idque obumbrantis. — 59 Sæpe, iterum iterumque mittit, scilicet augurans mala, v. 843. Alii legunt *multosque*. — 60 Supra scutum, ut Pallantem *impositum clipeo*, v. 506. — 61 Eadem Ovidius *Metam.* X, 719. Specie fallit Bothii conjectura *genitum*. — 62 Sumptum a Catullo LXIV, 224. *Corpore inhæret*, prostratus scilicet supra corpus occisi filii; conf. XI, 150. — 63 *Exitium*, mortiferum prope vulnus, antè corpori modo, nunc ipsi animo inflictum. Nepos, *Dione* c. 6 : *Accepit parens gravissimum morte filii vulnus*. Minoris auctoritatis codd. habent *Exitium*. — 64 « Excusat, ne merito esse expulsus videatur. » *S.*

Debueram patriæ pœnas odiisque meorum :
Omnes per mortes animam sontem ipse[65] dedissem !
Nunc vivo, neque adhuc homines lucemq; relinquo.
Sed linquam. » Simul hoc dicens, attollit in ægrum
Se femur, et quamquam vis alto vulnere tardat[66],
Haud dejectus, equum duci jubet : hoc decus illi,
Hoc solamen erat ; bellis hôc victor abibat
Omnibus. Alloquitur mœrentem, et talibus infit :
« Rhæbe, diu (res si qua diu mortalibus ulla est)
Viximus. Aut hodie victor spolia illa cruenta[67]
Et caput Æneæ referes, Lausique dolorum
Ultor eris mecum ; aut, aperit si nulla viam vis,
Occumbes pariter : neque enim, fortissime, credo,
Jussa aliena pati et dominos dignabere Teucros. »
Dixit, et exceptus tergo consueta[68] locavit
Membra, manusque ambas jaculis oneravit acutis,
Ære caput fulgens, cristaque hirsutus equinâ.
Sic cursū in medios rapidus dedit[69]. [Æstuat ingens
Uno in corde pudor, mixtoque insania luctu,
Et furiis agitatus amor, et conscia virtus.]
Atque hic Ænean magna ter voce vocavit.
Æneas agnovit enim[70], lætusque precatur :
« Sic pater ille deûm faciat, sic altus[71] Apollo !
Incipias conferre manum. »
Tantum effatus, et infesta subit obvius hastâ.
Ille autem : « Quid me erepto, sævissime, nato
Terres ? hæc via sola fuit qua perdere posses.
Nec mortem horremus, nec divûm parcimus ulli[72].
Desine : jam venio moriturus, et hæc tibi porto
Dona prius. » Dixit, telumque intorsit in hostem ;
Inde aliud supèr atque aliud figitque, volatque[73]
Ingenti gyro ; sed sustinet aureus umbo.
Ter circum adstantem lævos equitavit in orbes,
Tela manu jaciens ; ter secum Troïus heros
Immanem ærato circumfert tegmine silvam[74].
Inde, ubi tot traxisse moras, tot spicula tædet
Vellere, et urgetur pugna congressus iniquâ[75],
Multa movens animo, jam tandem erumpit, et inter
Bellatoris equi cava tempora conjicit hastam.
Tollit se arrectum quadrupes, et calcibus auras
Verberat, effusumque equitem super ipse secutus[76]

65 Utinam *dedissem !* Utinam ipse suppliciis omnibus mactatus periissem! — 66 Quamquam ea *vis*, quam habebat, valde illa exigua, et fracta vulnere, *tardat* eum ; vel intransitive, pro : tarda est. *Haud dejectus* animo vel non dejecto animo. — 67 « Arma Æneæ, Lausi perfusa cruore. » *Serv. Dolorum*, vulneris mortisque. — 68 Quæ vel ut consueverat. — 69 Vide pag. 231, n. 27. Quæ hinc sequuntur, male huc illata sunt e libro XII, 666-8. Tertius versus, *Et furiis* etc., abest ab optimis libris, etiam Servio ignoratus. — 70 *Enim* explicatum p. 90, not. 90 ; confer VI, 317, n. 49. — 71 « Venerabilis ; aut quia in excelso loco consecratus est. » *S.* Conf. VI, 9. Sententia : Faxint dii, ut tecum liceat congredi ! — 72 « Hoc ideo, quia Æneas invocaverat deos. » *S.* Minime horrens mortem, etiam diis non parcam qui tibi adsunt. Sic auget Mezentius sententiam hujusmodi : non parcam tibi, etiamsi dii vocati te adjuvent et sint tecum. — 73 Summa velocitate in orbem equitat. *Gyro*, v. *Georg.* III, 115, n. 91. — 74 *Silvam* jaculorum, quæ scuto exceperat. Similiter Lucanus VI, 205 : *tot vulnera belli Solus obit, densamque ferens in pectore silvam.* — 75 *Iniqua*, ut pedes contra equitem. — 76 Ipse fusus super effusum equitem, eum *implicat*, impedit, facit ut is expedire se non possit.

Implicat, ejectoque[77] incumbit cernuus armo.
Clamore incendunt[78] cœlum Troesque Latinique;
Advolat Æneas, vaginaque eripit ensem,
Et super[79] hæc : « Ubi nunc Mezentius acer, et illa
Effera vis animi? » Contra Tyrrhenus, ut auras
Suspiciens hausit[80] cœlum, mentemque recepit :
« Hostis amare, quid increpitas mortemque minaris?
Nullum in cæde nefas; nec sic[81] ad prœlia veni;
Nec tecum meus hæc pepigit mihi fœdera Lausus[82].
Unum hoc, per, si qua est[83] victis venia hostibus,
Corpus humo patiare tegi. Scio acerba meorū [oro:
Circumstare[84] odia : hunc, oro, defende furorem,
Et me consortem nati concede sepulchro. »
Hæc loquitur, juguloque haud inscius accipit ensem,
Undantique animam[85] diffundit in arma cruore.

77 Armo ejecto, id est luxato; medicorum vocabulo, qui et « *expositum* articulamentum » dicunt, et græce ἐκβολαλάφρον. *Cernuus* est facie in terram inclinatus, qui in faciem cadit. — 78 Implent. Etenim verbum *incendo*, ut græcum φλέγω, ad multa transfertur quæ in morem flammæ et incendii cum celeritate et vi quadam, cui vix potest resisti, extendunt se et incrementa capiunt. Sic clamor dicitur *incendi*, qui celeriter magnus evadit; poetæ autem addito objecto dicunt *aerem, cœlum incendere clamore*, et XI, 147 : *mœstam incendunt clamoribus urbem*. Ad hunc morem Pompeius Trogus : *Tantum mœrorem festivissimo convivio intulit, ut regia omnis repentino luctu incenderetur* (XXXVIII, 8). — 79 Vide 556, n. 43. — 80 *Cœlum hausit* oculis, ex participio *suspiciens* quod præcedit. Alii malunt : suspicit et auras ætherias cœli trahens, animam recipit; nam sub equo jacens non poterat respirare. — 81 *Sic*, ea mente, ut nefas esse putarem si me occideres victum. — 82 Hoc dicit : Interfecisti filium : cur parceres patri? — 83 Vide p. 159, n. 69. — 84 *Circumstare*, ut impediant. *Defende*, arce. Prohibe ne ita sæviant in me, insepultumque abjiciant. — 85 Sanguinem quo anima continetur (ut IX, 349, n. 38); qui diffunditur *undanti cruore* (effluente sanguine).

LIBER XI.

OCEANUM interea [1] surgens Aurora reliquit :
Æneas, quamquam et sociis dare tempus humandis
Præcipitant [2] curæ, turbataque funere mens est,
Vota deûm primo victor solvebat Eoo [3].
Ingentem quercum, decisis undique ramis,
Constituit tumulo [4], fulgentiaque induit arma,
Mezenti ducis exuvias, tibi, magne, tropæum,
Bellipotens [5]; aptat rorantes sanguine cristas,
Telaque trunca [6] viri, et bis sex thoraca petitum
Perfossumque locis; clipeumque ex ære sinistræ
Subligat, atque ensem collo suspendit eburnum [7].
Tum socios (namque omnis eum stipata tegebat
Turba ducum) sic incipiens hortatur ovantes :
« Maxima res effecta, viri : timor omnis abesto,
Quod superest [8]; hæc sunt spolia et de rege superbo
Primitiæ, manibusque meis Mezentius hic [9] est.
Nunc iter ad regem nobis murosque Latinos.
Arma parate animis [10], et spe præsumite bellum;
Ne qua mora ignaros, ubi primum vellere signa
Annuerint Superi [11] pubemque educere castris,

1 *Interea* dictum est negligentius, quasi pugnatum esset noctu. Debebat dici POSTERA *ut Oceanum surg.* etc., ut alibi legitur. Fortasse aliqua nocte illâ facta erat præmissurus. — 2 Valde urgent, ut humandis sociis vacaret. *Funere* Pallantis, ut recte Servius, quem vide ad v. 2. Ea morte, tamquam sui, Æneas se propè funestatum sentiebat. — 3 Vide p. 196, n. 78. — 4 « In colle : quia tropæa non figebantur nisi in eminentioribus locis, ut Sallustius : *De victis Hispanis, tropæa in Pyre-*

næis jugis Pompeius *constituit*. » *S.* — 5 Mars. — 6 Hastas præfractas; v. X, 882 seqq. In *bis sex* argutatur Servius, sed legendus. — 7 Eburnea vagina instructum : v. IX, 305, n. 23. « Paulatim de trunco arboris humanam figuram fecit, ut et sinistram illi det et collum. » *S.* — 8 De eo quod reliquum est belli. *De rege* captæ. — 9 Manuum mearum virtute Mezentius *hic est*, talis qualem videtis; de Mezentio hoc superest ! — 10 Vide X, 258, n. 29; et infra 191. — 11 « Non dixit *jussero*, sed : quum dii jusserint; nihil se inauspicato vel sine deorum voluntate facturum pro-

Impediat, segnisve metu sententia[12] tardet.
Interea socios inhumataque corpora terræ
Mandemus : qui solus honos Acheronte sub imo[13] est.
Ite, ait, egregias animas, quæ sanguine nobis
Hanc patriam peperere suo, decorate supremis
Muneribus; mœstamque Evandri primus ad urbem
Mittatur Pallas, quem non virtutis egentem[14]
Abstulit atra dies et funere mersit acerbo. »
Sic ait illacrimans, recipitq; ad limina gressum.
Corpus ubi exanimi positum Pallantis Acœtes
Servabat senior, qui Parrhasio[15] Evandro
Armiger ante fuit; sed non felicibus æque
Tum comes auspiciis caro datus ibat alumno.
Circùm omnis famulùmque manus, Trojanaq; turba.
Et mœstum Iliades crinem de more[16] solutæ.
Ut vero Æneas foribus sese intulit altis,
Ingentem[17] gemitum tunsis ad sidera tollunt
Pectoribus, mœstoque immugit regia luctu.
Ipse, caput nivei fultum Pallantis et ora
Ut vidit, lævique[18] patens in pectore vulnus
Cuspidis Ausoniæ, lacrimis ita fatur obortis :
« Tene, inquit, miserande puer, quum læta veniret,
Invidit Fortuna mihi, ne regna videres
Nostra, neque ad sedes victor veherere paternas?
Non hæc Evandro de te promissa parenti
Discedens dederam, quum me complexus euntem
Mitteret in magnum imperium[19], metuensq; moneret
Acres esse viros, cum dura prœlia gente[20].
Et nunc ille quidem spe multum captus[21] inani
Fors et vota facit, cumulatque altaria donis :
Nos juvenem exanimum, et nil jam cœlestibus ullis
Debentem[22], vano mœsti comitamur honore.
Infelix, nati funus crudele videbis!
Hi nostri[23] reditus, exspectatique triumphi?
Hæc mea magna fides? At non, Evandre, pudendis[24]
Vulneribus pulsum aspicies; nec sospite[25] dirum
Optabis nato funus pater. Hei mihi, quantum
Præsidium Ausonia, et quantum tu perdis, Iule! »

mittens. • *S.* — 12 Segnities per metum injecta animo. — 13 In inferis. Homerus : τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων. Deinde Peerlkamp. probabiliter : *Ite*, AGITE, *egr.* etc. • Ingenti arte laudat potius quam miseratur exstinctos, ut præsentium animos in bella succendat. Et hortans socios ut sepeliantoccisos,ipse defunctis velut epitaphion dixit. • *S.* — 14 • Ennii est versus. • *Serv.* Conf. VI, 429, n. 93. — 15 Arcadio. De intermissa in talibus elisione sæpe monuimus. — 16 *De more* funerum. — 17 • Naturale enim est ut intermissa lamenta repetantur, quando aliquis notus advenerit. • *S.* Livius I, 29 : *Conspectus aliorum multua miseratione* INTEGRABAT *lacrimas.* — 18 *Lævi*, • puerili, nondum setoso. • *S.* Juventus Pallantis significatur etiam epitheto *nivei.* — 19 In imperium Tyrrheni exercitus; vide VIII, 508 seqq. Alii : ad paranduin imperium imagnum Trojanis. Consulto in ambiguo reliquit

Virgilius. — 20 Supple : *fore.* — 21 Felix emendatio Peerlkampii : *spe* MULCET PECTUS *inani. Fors*, forsitan. — 22 Quippe qui vota et ab Evandro et ab ipso suscepta non exaudiverunt. Alii cum Servio : jam inferis diis solis subjectum et obnoxium. *Vano*, inani, qui nihil ipsum juvat. — 23 Promissi a nobis. — 24 A tergo illatis. *Pulsum*, percussum, ut 793. — 25 *Sospite nato*, scilicet cum infamia, per ignaviam; quod ex præcedenti membro intelligitur. Servius : • Non talem habes, inquit, filium quo sospite tibi dirum funus optares; quod parentes sibi precari solent ob nequitiam liberorum. • Qua in sententia vox *dirum* immodica est; ut intelligere præstet *dirum funus* NATI, cui pater indignatus mortem

Hæc ubi deflevit[26], tolli miserabile corpus
Imperat, et toto lectos ex agmine mittit
Mille viros, qui supremum comitentur[27] honorem,
Intersintque patris lacrimis, solatia luctûs
Exigua ingentis, misero sed debita patri.
Haud segnes alii crates et molle feretrum
Arbuteis texunt virgis et vimine querno,
Exstructosque toros obtentu frondis inumbrant.
Hic juvenem agresti sublimem stramine[28] ponunt:
Qualem virgineo demessum pollice florem
Seu mollis violæ, seu languentis[29] hyacinthi,
Cui neque fulgor adhuc, necdum sua forma recessit;
Non jam mater alit tellus, viresque ministrat.
Tum geminas vestes auroque ostroque rigentes
Extulit Æneas, quas illi læta laborum[30]
Ipsa suis quondam manibus Sidonia Dido
Fecerat, et tenui telas discreverat[31] auro:
Harum unam juveni supremum mœstus honorem
Induit; arsurasque[32] comas obnubit amictu;
Multaque præterea Laurentis præmia pugnæ
Aggerat, et longo prædam jubet ordine duci.
Addit equos et tela, quibus spoliaverat hostem.
Vinxerat et post terga manus, quos[33] mitteret umbras
Inferias, cæso sparsurus sanguine flammam; [bris
Indutosque jubet truncos hostilibus armis[34]
Ipsos ferre duces, inimicaque nomina figi.
Ducitur infelix ævo confectus Acœtes,
Pectora nunc fœdans pugnis, nunc unguibus ora;
Sternitur et toto projectus corpore terræ[35].
Ducunt et Rutulo perfusos sanguine currus.
Post bellator equus, positis[36] insignibus, Æthon,
It lacrimans[37] guttisque humectat grandibus ora.
Hastam alii galeamque ferunt: nam cetera Turnus
Victor habet. Tum mœsta phalanx Teucriæ sequun-
Tyrrhenique omnes, et versis Arcades armis[38]. [tur,
Postquam omnis longe comitum processerat ordo,
Substitit Æneas, gemituque hæc addidit alto:
« Nos alias hinc ad lacrimas[39] eadem horrida belli
Fata vocant. Salve[40] æternum mihi, maxime Palla,

imprecetur per *impium* votum, se superstite. — 26 Posteaquam hæc cum fletu dixit. — 27 Comitando ei habeant honorem ultimum. — 28 « Hoc est, super frondes vel herbas] ponunt. Nam hic reddit quod omiserat, dicens *Exstructosque toros*, nec addens unde. » *S.* Eodem vocabulo utuntur Silius : *mollesque virenti* Stramine *composuere toros*; et Statius: *feretrum Texitur*; *ima virent agresti* stramina *cultu*. — 29 Caput demittentis. Vide p. 29, n. 51. — 30 Græca syntaxis pro : labore; sibi placens in eo opere ejusque successu gaudens. — 31 Distinxerat aureis filis, acu pingens. Quæ vestis memoratur IV, 262 seqq., ubi eadem verba. — 32 Recte Servius : « ALTERA veste caput ejus velavit. » Quis enim alius amictus intelligatur nisi vestium altera? — 33 *Manus* eorum, *quos mitt.* Sanguine *cæso*, id est cæsorum; itemque *sanguine captivo*, captivorum, in eodem versu X, 520; mox *nomina inimica*, inimicorum. — 34 Tropæa; quale descriptum initio libri. « Quibus vult affigi titulos cum nominibus occisorum. » *S.* — 35 In terram. — 36 Depositis; sine phaleris. — 37 « Plinius solum equum præter hominem lacrimare dicit. » *S.* Vide *Hist. Nat.* VIII, 42, § 64. Nota sunt quæ de equis Achillis cecinit Homerus, P, 426 seqq. — 38 Hastis haud dubie. Scuta interversa intelligit Servius, quem vide. — 39 « *Ad alias lacrimas*, id est ad ceteros sepeliendos, qui eodem prœlio ceciderunt. » *S.* — 40 « Varro in libris Logistoricis dicit, ideo mortuis *Salve* et *Vale* dici, non quod aut valere aut salvi esse possint, sed quod

Æternumque vale. » Nec plura effatus, ad altos
Tendebat muros, gressumque in castra ferebat.
Jamque oratores aderant ex urbe Latinâ,
Velati[41] ramis oleæ, veniamque rogantes :
Corpora, per campos ferro quæ fusa jacebant,
Redderet, ac tumulo sineret succedere terræ ;
Nullum cum victis certamen et æthere cassis[42] ;
Parceret hospitibus quondam socerisque[43] vocatis.
Quos bonus Æneas, haud aspernanda precantes,
Prosequitur veniâ[44], et verbis hæc insuper addit :
« Quænam vos tanto fortuna indigna, Latini,
Implicuit bello, qui[45] nos fugiatis amicos ?
Pacem me exanimis et Martis sorte peremptis
Oratis ? equidem et vivis concedere vellem !
Nec veni[46], nisi fata locum sedemque dedissent ;
Nec bellum cum gente gero : rex nostra[47] reliquit
Hospitia, et Turni potius se credidit armis.
Æquius huic[48] Turnum fuerat se opponere morti.
Si bellum finire manu, si pellere Teucros
Apparat, his[49] mecum decuit concurrere telis :
Vixet, cui vitam deus aut sua dextra dedisset.
Nunc ite, et miseris supponite civibus ignem. »
Dixerat Æneas : olli obstipuere silentes,
Conversique oculos inter se[50] atque ora tenebant.
Tum senior semperque odiis et crimine[51] Drances
Infestus juveni Turno sic ore vicissim
Orsa refert : « O famâ ingens, ingentior armis,
Vir Trojane, quibus cœlo te laudibus æquem ?
Justitiæne[52] prius mirer, belline laborum ?
Nos vero hæc patriam grati referemus ad urbem ;
Et te, si qua viam dederit fortuna, Latino
Jungemus regi. Quærat sibi fœdera Turnus.
Quin et fatales[53] murorum attollere moles,
Saxaque subvectare humeris Trojana juvabit. »
Dixerat hæc, unoque omnes eadem ore fremebant.
Bis senos pepigere dies, et, pace sequestrâ[54],
Per silvas Teucri mixtique impune Latini
Erravere jugis. Ferro sonat alta bipenni[55]
Fraxinus ; evertunt actas ad sidera pinus ;
Robora nec cuneis et olentem scindere cedrum,
Nec plaustris cessant vectare gementibus ornos.

ab his recedimus, eos numquam visuri. • *S.* — 41 Vide VII, 154, n. 74. *Veniam*, ut concederetur sibi quod exponunt sequentibus verbis. Ubi poeta • ostendit campos jam in Trojanorum esse potestate. • *S.* — 42 Privatis luce, vita; vide p. 158, n. 43. — 43 *Socerisque*, ob Latinum. Nam quæ ad reges pertinent, sæpe referuntur etiam ad populos. — 44 *Venia* concessa. — 45 *Qui*, sequente *fugiatis*, est : ut vos, referendum ad *tanto*. — 46 Venissem ; vide IV, 19, n. 13. — 47 Nobis concessa. — 48 Morti *huic*, qua occubuerunt ii quos petitis in sepulturam. • Quasi ostendit jacentes. • *Serv.* — 49 *His telis*, id est telis *hic*, in hoc campo expediendis, pugna in hoc campo inunda; quod bene explicuit Wagnerus. *Vixet*, vixisset. — 50 Oculos alter in alterum conversos habebant. *Ora tenebant*, vide not. 1 libri II. — 51 Criminationibus, quibus eum persequebatur. — 52 Ob justitiam, an ob labores belli. Usus est græca constructione, consueta in verbis affectum animi indicantibus : θαυμάζω vel ἄγαμαί σε τῆς ἀρετῆς. — 53 *Fatales*, ob illa quæ dicta sunt v. 112, n. 46. *Trojana*, quæ sint condendæ urbi Trojanæ. — 54 Induciarum fide et auctoritate. • *Sequester* est medius inter duos altercantes, apud quem aliquid ad tempus deponitur. • *S.* — 55 Adjective, ut Varro : *Ferens ferream humero bipennem socurim.*

Et jam Fama volans, tanti prænuntia luctus,
Evandrum Evandrique domos et mœnia replet,
Quæ modo victorem Latio Pallanta ferebat.
Arcades ad portas ruere, et de more vetusto[56]
Funereas rapuere faces : lucet via longo
Ordine flammarum, et late discriminat agros.
Contrà turba Phrygum veniens plangentia jungit
Agmina. Quæ postquam matres succedere tectis
Viderunt, mœstam incendunt[57] clamoribus urbem.
At non Evandrum potis est vis ulla tenere;
Sed venit in medios. Feretro Pallanta reposto
Procubuit super, atque hæret lacrimansque gemensque,
Et via vix tandem voci laxata dolore est[58] :
« Non hæc, o Palla, dederas promissa parenti !
Cautius ut[59] sævo velles te credere Marti !
Haud ignarus eram quantum nova gloria in armis
Et prædulce decus primo certamine posset.
Primitiæ juvenis[60] miseræ, bellique propinqui
Dura rudimenta ! et nulli exaudita deorum
Vota precesque meæ ! Tuque, o sanctissima conjux,
Felix morte tua, neque in hunc servata dolorem !
Contra ego vivendo vici mea fata[61], superstes
Restarem ut genitor. Troum socia arma secutum
Obruerent[62] Rutuli telis ! animam ipse dedissem,
Atque hæc pompa domù me, non Pallanta, referret !
Nec vos arguerim, Teucri, nec fœdera, nec quas
Junximus hospitio dextras : sors ista senectæ
Debita erat nostræ. Quodsi[63] immatura manebat
Mors gnatum, cæsis Volscorum millibus antè,
Ducentem in Latium Teucros, cecidisse juvaret[64].
Quin ego non alio digner te funere, Palla,
Quam pius Æneas, et quam magni Phryges, et quâ
Tyrrhenique duces, Tyrrhenùm exercitus omnis.
[Magna tropæa ferunt, quos[65] dat tua dextera leto;
Tu quoque nunc stares[66] immanis truncus in armis,
Esset par ætas et idem si robur ab annis,
Turne. Sed infelix Teucros quid demoror armis[67] ?]
Vadite, et hæc memores regi mandata referte :
Quod vitam moror[68] invisam, Pallante perempto,
Dextera causa tua est, Turnum[69] gnatoque patrique

56 Illo more haud dubie, de quo Servius affert verba Varronis : *Si filius familias extra Urbem decessit, liberti amicique obviam ei procedunt; ille sub noctem in Urbem infertur cum cereis facibus prælucentibus.* — 57 Vide X, 895, n. 78. — 58 Imitatus est Statius *Thebaid.* V, 526 : *tandem laxata dolore, Vox invenit iter, gemitusque in verba soluti.* — 59 Utinam. Quum dicit *velles*, quasi tum præsenti pugnæ loquitur, pro vulgari : voluisses. Sic mox *obruerent*, v. 162; et *maneres* VIII, 643, n. 70. Sequentia in soluta oratione adjungeres hoc modo : QUAMQUAM *haud ignarus eram.* — 60 Prima specimina juvenilis fortitudinis. « *Propinqui*, nimium vicini, ut quò Pallas mitti posset. » *Serv.* — 61 « Naturalem ordinem vita longiore superavi; hic enim est ordo naturalis, ut sint parentibus superstites liberi. » *Serv.* — 62 Me utinam obruissent ! (v. not. 59) vel, me debebant obruere. — 63 « Magnifice servat decorem, revocans se ad heroicam consolationem. » *S.* — 64 Alii *juvabit.* — 65 *Tropæa* de iis *quos* etc. *Dat*, vide IX, 266, not. 7. In his versibus quatuor multa critici reprehendunt merito; lege Peerlk. p. 323. — 66 *Stares*, ut Mezentius, supra v. 5 seqq. *Si esset par ætas*, « vel mea vel filii; nam ad utrumque potest referri. » *S.* Non toleranda hîc ellipsis. — 67 Ab armis tractandis, a bello continuando retineo ? — 68 Retineo apud me, non sino abire, non abjicio. — 69 Strue : *quam vides debere Turnum* filio et mihi.

Quam debere vides : meritis vacat hic tibi[70] solus
Fortunæque locus. Non vitæ[71] gaudia quæro,
Nec fas, sed gnato Manes perferre sub imos. »
Aurora interea miseris[72] mortalibus almam
Extulerat lucem, referens opera atque labores :
Jam pater Æneas, jam curvo in litore Tarchon
Constituere pyras. Huc corpora quisque suorum
More tulere patrum ; subjectisque ignibus atris[73]
Conditur in tenebras altum caligine cœlum.
Ter circum accensos, cincti fulgentibus armis,
Decurrêre[74] rogos ; ter mœstum funeris ignem
Lustravere in equis, ululatusque ore dedere.
Spargitur et tellus lacrimis, sparguntur et arma,
It cœlo[75] clamorque virûm clangorque tubarum.
Hinc alii spolia occisis derepta Latinis
Conjiciunt igni, galeas, ensesque decoros[76],
Frenaque, ferventesque[77] rotas ; pars munera nota,
Ipsorum clipeos, et non felicia tela.
Multa boum circà mactantur corpora Morti ;
Setigerosque sues, raptasque ex omnibus agris
In flammam jugulant pecudes. Tum litore toto
Ardentes spectant socios, semiustaque servant
Busta[78] ; neque avelli possunt, Nox humida donec
Invertit[79] cœlum stellis fulgentibus aptum.
Nec minus et miseri diversâ in parte Latini
Innumeras[80] struxere pyras, et corpora partim
Multa virûm terræ infodiunt, avectaque partim
Finitimos tollunt in agros[81], urbique remittunt ;
Cetera, confusæque ingentem cædis[82] acervum,
Nec numero nec honore[83] cremant : tunc undiq; vasti
Certatim crebris collucent ignibus agri.
Tertia lux gelidam cœlo dimoverat umbram :
Mœrentes altum cinerem et confusa ruebant[84]
Ossa focis, tepidoque[85] onerabant aggere terræ.
Jam vero in tectis, prædivitis urbe Latini,
Præcipuus fragor et longi pars maxima luctûs.
Hic matres, miseræque nurus, hic cara sororum

70 *Meritis tibi* pro vulgari: meritis *tuis* et fortunæ *tuæ*. Restat meritis de me tuis et fortunæ tuæ hoc solum præstandum, ut interfecto Turno vindices filium et orbatum patrem consoleris. — 71 *Vitæ*, dativus : non quæro gaudia mihi viventi, sed filio quæro, perferenda ad Manes, videlicet jucundum nuntium occisi Turni. « Ac si diceret, hanc solam esse causam quæ cum cogat ad vitæ patientiam, ut filio Turni nuntietur interitus. » *Serv.* — 72 Vide p. 163, not. 28. — 73 Fumificis. — 74 Refer ad peditès, ob sequentia. — 75 In cœlum ; et mox *igni*, in ignem. — 76 « Tam cari erant mortui, ut in rogos eorum etiam pulcherrima spolia conjicerent. Non inane est epitheton. » *Peerlk.* — 77 « Quæ solent fervere in cursu. » *Serv.* Sive potius curruum statim ut advenerant ad locum pyræ. *Munera nota*, arma a mortuis geri solita, quæ sæpe viderant socii ; vide VI, 221, n. 2. — 78 « Primo *pyræ* dicuntur et *rogi* ; ubi vero arserunt, *busta* vocantur. » *Donatus.* — 79 « *Invertit*, ita ut ea pars quæ noctem habueret, jam sub terrâ esset. » *S.* Ad sensuum errorem, ut multa in poetis, hoc quoque dictum, ac si per noctem cœlum circumagatur ab occidente versus orientem ; v. II, 250 sq. *Heyn. Aptum*, vide p. 215, n. 15. — 80 « Hoc loco multis rebus ostendit immensam cædem factam esse Rutulorum. » *S.* — 81 « Qui enim e longinquo venerant, domum referri non poterant. *Urbi*, deest *uniquique*. » *S.* Partim suæ quemque urbi remittunt. — 82 Collective, de cæsis. — 83 Id est : non singulos singulis rogis, quod est honorificum. — 84 Eruebant ex cineribus, legebant. *Focis*, poetice de rogis. — 85 Ab incendio rogorum adhuc tepenti terra.

Pectora[86] mœrentum, puerique parentibus orbi,
Dirum exsecrantur bellum Turnique hymenæos;
Ipsum armis ipsumque jubent decernere ferro,
Qui regnum Italiæ et primos sibi poscat honores.
Ingravat hæc sævus Drances[87], solumque vocari
Testatur, solum posci in certamina Turnum.
Multa[88] simul contra variis sententia dictis
Pro Turno; et magnum reginæ nomen obumbrat;
Multa virum meritis sustentat fama tropæis.
Hos inter motus, medio in flagrante tumultu,
Ecce supèr mœsti magna Diomedis ab urbe
Legati[89] responsa ferunt: nihil omnibus actum
Tantorum impensis operum; nil dona, neque aurum,
Nec magnas valuisse preces; alia arma Latinis
Quærenda, aut pacem Trojano ab rege petendum[90].
Deficit ingenti luctu rex ipse Latinus.
Fatalem[91] Æneam manifesto numine ferri
Admonet ira deûm, tumulique ante ora recentes.
Ergo concilium magnum primosque suorum
Imperio[92] accitos alta intra limina cogit.
Olli convenere, fluuntque ad regia plenis
Tecta viis. Sedet in mediis et maximus ævo
Et primus sceptris[93], haud læta fronte, Latinus.
Atque hic legatos Ætolâ ex urbe[94] remissos,
Quæ referant, fari jubet, et responsa reposcit[95]
Ordine cuncta suo. Tum facta silentia linguis,
Et Venulus dicto parens ita farier infit:

« Vidimus, o cives, Diomedem Argivaque castra[96],
Atque iter emensi casus superavimus omnes,
Contigimusque manum qua concidit Ilia tellus.
Ille urbem Argyripam, patriæ[97] cognomine gentis,
Victor[98] Gargani condebat Iapygis arvis.
Postquam introgressi et coram data copia fandi,
Munera præferimus, nomen patriamque docemus;
Qui bellum intulerint, quæ causa attraxerit[99] Arpos.
Auditis ille hæc placido sic reddidit ore:
O fortunatæ gentes, Saturnia regna,

86 « Caros fratres desideraverunt. » *Servius.* Legit igitur in suo libro: *cara* SORORES *Pectora* MOERENTES, quod aptius, ad *matres* quoque et *nurus* referendum. — 87 De quo vide 122 seqq. *Testatur*, v. 115 seqq. — 88 Poetice pro plurali: multæ sententiæ erant vel dicebantur pro Turno. Non satis convenit *simul*: quare proposita est correctio *Multa* virûm, et in altero *Multa* SIMUL *meritis* etc. « *Obumbrat*, i. e. tuetur, defendit; translatio ab arboribus. » *S.* Ut Livius dixit VII, 30: *Itaque* UMBRA *auxilii vestri, o Romani, tegi possumus.* — 89 Vide VIII, 9 seqq. *Actum*, effectum esse. — 90 Sic, non *petendam*, etiam prosa antiquior, poetæ sæpius. — 91 Ira deorum et recens cædes admonet nos, fatorum decreto Æneam venisse in Italiam, idque manifesta voluntatis deorum significatione proditur. — 92 Jussu regio. *Fluuntque*, confluunt, accedunt. — 93 « Primus inter sceptriferos. Nam apud majores omnes duces cum sceptris ingrediebantur curiam. » *Serv.* — 94 Vide VIII, 9, n. 6. *Remissos* a Diomede, nec consecutos quod petierant. — 95 « Mire [id est eximie] ait *reposcit*. Ante enim rex solet a legatis universa cognoscere, et sic demum eos, præsente populo, iterum omnia jubere narrare. » *Serv.* — 96 Dicit Arpos sive Argyrippam; vide p. 305, n. 6. — 97 *Patriæ gentis*, Argorum, non accurate; nam Ætolus gente erat Diomedes, sed ducta uxore Ægialea, Adrasti filia, in regnum Argivorum successit. — 98 Postquam Messapios vicerat, copiis cum Dauno conjunctis, rege Apuliæ, quam poetæ et *Iapygiam* vocant (p. 325, n. 2). Ibi est mons *Garganus*, « qui per Calabriam usque in Adriaticum tenditur pelagus » (*S.*), hodie *Monte di Santangelo*. — 99 *Attraxerit* nos.

Antiqui Ausonii, quæ vos fortuna quietos
Sollicitat, suadetque ignota[1] lacessere bella?
Quicumque Iliacos ferro violavimus[2] agros
(Mitto ea quæ muris bellando exhausta sub altis,
Quos Simois premat[3] ille viros), infanda per orbem
Supplicia et scelerum pœnas expendimus omnes,
Vel Priamo miseranda manus! Scit triste Minervæ
Sidus[4], et Euboicæ cautes, ultorque Caphereus.
Militia ex illa diversum ad litus abacti,
Atrides Protei Menelaus adusque columnas[5]
Exulat; Ætnæos vidit[6] Cyclopas Ulixes.
Regna Neoptolemi[7] referam, versosque Penates
Idomenei? Libycone[8] habitantes litore Locros?
Ipse Mycenæus magnorum ductor Achivûm[9]
Conjugis infandæ prima intra limina dextrâ
Oppetiit; devictam Asiam[10] subsedit adulter.
Invidisse[11] deos, patriis ut redditus aris
Conjugium optatum et pulchram Calydona viderem?
Nunc etiam horribili visu[12] portenta sequuntur,
Et socii amissi petierunt æthera pennis,
Fluminibusque[13] vagantur aves (heu dira meorum
Supplicia!) et scopulos lacrimosis vocibus implent.
Hæc adeo ex illo mihi jam speranda[14] fuerunt
Tempore, quum ferro cœlestia corpora demens
Appetii et Veneris violavi vulnere dextram.

1 Bella *ignota*, cum hominibus ignotis, quorum quæ sit virtus, quæ fata, ignoratis. — 2 • Quasi sacros. Nam *violare* de religiosis rebus dicimus. • *S.* — 3 *Premat* mersos; vide I, 100-1, n. 62. Nota sunt infortunia heroum Troja redeuntium. — 4 Intelligitur tempestas a Minerva excitata, ob facinus Ajacis Oilei (vide I, 39 sqq.); sidera autem esse causæ tempestatum existimabantur. Bene Servius: « Vocabulo *sidus* et tempestatem significat et revera sidus. Nam numina quæ inter sidera non videmus, cum aliis sunt potestate permixta. Sic Minervæ *aries* esse dignoscitur. » Absurdum esset enim « *scit* tempestas. » Καφηρεύς, promontorium Eubœæ orientale, naufragiis infame; ubi et Græcorum post eversam Trojam classis fracta; quare *ultor*. — 5 Ad Pharum insulam et oras Ægypti delatus Menelaus; vide *Odyss.* Δ, 354 seqq. Quam insulam poeta dixit *columnas Protei* (vide p. 124, n. 17), ut extremas quasdam terræ plagas significare videretur, quemadmodum *Columnas Herculis*. — 6 *Vidit*, quod satis est in re horrenda; sic de *Scylla* III, 431. — 7 *Regna Neoptolemi*, supple *eversa* ex sequentibus; vide III, 296 et 330 seqq. *Idomenei*, ibidem 121 seqq. — 8 An referam Locros, Ajacis Oilei socios, nunc Africæ litus habitare? Qui ab aliis in Bruttio consedisse narrantur; sed variam famam de parte eorum in Syrtes et Africam delata vide apud Servium. — 9 Agamemnon. Nescitur unde doctus poeta sumpserit *intra prima limina*, quum Homerus et tragici convivio exceptum et in penetralibus occisum narrent consensu. — 10 Agamemnonem, devictam Asiam ut tropæum portantem, insidiis excepit oppressitque Ægisthus, per ignavam fraudem victoris victor et ipse triumphator de Asia victa. De verbo Servius: « *Subsedit*, dolo possedit. Sic Lucanus (V, 226): *subsidere regnum Chalcidos Euboicæ, vana spe rapte, putabas*. Unde et *subsessores* dicuntur, qui insidiis tauros interimunt; et hostium dolos *subsessas* vocamus. » — 11 Repete *referam?* • Cyllabarus [*al.* Cometes] Ægialeam Diomedis uxorem cognovit adulterio: quo comperto Diomedes reverti noluit, et in Apuliam concessit. Quod Veneris dolo dicitur esse perfectum, quum in bello Trojano vulneraverat. » *Serv.* De *patriis* vide supra not. 97. Sed Calydonem memorans, Ætoliæ urbem, poeta erravisse dicendus est, nisi (quod probabilius) ignotas nobis fabulas sequitur. — 12 Specie; quæ terrent spectantes. • Hoc loco nullus dubitat, fabulæ ordinem a Virgilio esse conversum. Nam Diomedis socios constat in aves esse conversos post ducis sui interitum, quem exstinctum impatienter dolebant. Hæ aves hodieque *Diomedeæ* vocantur; habitant autem in insula Febra sive Electride, quæ est haud longe a Calabria in conspectu Tarentinæ civitatis. » *Serv.*, qui plura. Vide *Metamorph.* XIV, 457-526. — 13 Circa flumina. — 14 Vide p. 214, n. 86

Ne vero, ne me ad tales impellite pugnas.
Nec mihi cum Teucris ullum post eruta bellum
Pergama; nec veterum memini lætorve malorum[15].
Munera, quæ patriis ad me portastis ab oris,
Vertite ad Æneam. Stetimus tela aspera contra[16],
Contulimusque manus: experto credite quantus
In clipeum[17] assurgat, quo turbine torqueat hastam.
Si duo præterea tales Idæa tulisset
Terra viros, ultro Inachias[18] venisset ad urbes
Dardanus, et versis lugeret Græcia fatis.
Quidquid[19] apud duræ cessatum est mœnia Trojæ,
Hectoris Æneæque manu victoria Graiûm
Hæsit, et in decimum vestigia rettulit[20] annum.
Ambo animis, ambo insignes præstantibus armis;
Hic pietate prior[21]. Coeant in fœdera dextræ,
Qua datur: ast armis concurrant arma cavete. —
Et responsa simul quæ sint, rex optime, regis
Audisti, et quæ sit magno sententia bello[22]. »

Vix ea legati, variusque[23] per ora cucurrit
Ausonidûm turbata fremor: ceu saxa morantur
Quum rapidos amnes, fit clauso gurgite[24] murmur,
Vicinæque fremunt ripæ crepitantibus undis.
Ut primum placati animi, et trepida ora quiêrunt,
Præfatus divos[25], solio rex infit ab alto:

« Ante equidem summa de re statuisse, Latini,
Et vellem, et fuerat melius, non tempore tali
Cogere concilium, quum muros assidet hostis.
Bellum importunum, cives, cum gente[26] deorum
Invictisque viris gerimus, quos nulla fatigant
Prœlia, nec victi possunt[27] absistere ferro.
Spem si quam adscitis Ætolûm[28] habuistis in armis,
Ponite. Spes sibi quisque[29]: sed hæc quâ angusta, vi-
Cetera qua rerum jaceant perculsa ruinâ, [detis.
Ante oculos interque manus sunt omnia vestras[30].
Nec quemquam incuso: potuit quæ plurima virtus
Esse, fuit; toto certatum est corpore regni[31].
Nunc adeo, quæ sit dubiæ sententia menti,
Expediam et paucis (animos adhibete) docebo.
Est antiquus ager Tusco mihi proximus amni[32],

Rem habes in *Iliade* E, 330 seqq. — 15 *Malorum* Trojæ. De genitivo v. 73, n. 30. — 16 Et eminus pugnavimus, et cominus. — 17 Quam magnus sit assurgens, ut gladio feriat, clipeum simul altius attollens: qui habitus assurgentis præcipue in sublato clipeo apparet. — 18 Argivas. *Dardanus*, Dardanius, collective: Trojani. — 19 *Quidquid cessatum est*, id est, quod attinet ad omnem illam moram, qua tardata est atque extracta obsidio Trojæ. — 20 Pedem retulit, id est, retro acta et dilata est. — 21 Præstantior « *Qua datur*, quâcumque ratione permittitur. » *Serv.* — 22 *Et quæ sit* Diomedis *sententia* in hac re, quum (secundum ipsum) id bellum sit magnum, grave, periculi plenum. Quod ablativis absolutis enuntiat, *magno bello*. — 23 Pro: *quum* varius etc. Jam aliquoties vidimus post *vix* sic illatum *et* vel *que*. — 24 Præcluso aquarum cursu. « Antiqui aquæ sonitum dicebant *fremitum*. Ennius: *ratibusque fremebat Imber Neptuni*. » *S.* — 25 « More antiquo: nam majores nullam orationem nisi invocatis numinibus inchoabant; sicut sunt omnes orationes Catonis et Gracchi. » *S.* — 26 Vide X, 228, n. 15. — 27 « Ac si diceret: Etiam si velint, eos a bellis discedere natura non patitur. » *S.* — 28 Diomedis et suorum. — 29 In uno se quisque spem certam ponere potest. *Hæc*, nostra spes, *quam* sit *ang.* etc. — 30 Periphrasis pro: manifestum est. — 31 Imperii viribus omnibus. — 32 Tiberi. De ipso agro videnda quæ Servius affert ex Catone et aliis veteribus.

Longus[33] in occasum, fines super ušque Sicanos;
Aurunci Rutulique serunt, et vomere duros
Exercent colles, atque horum asperrima pascunt.
Hæc omnis regio et celsi plaga pinea montis
Cedat[34] amicitiæ Teucrorum; et fœderis æquas
Dicamus leges, sociosque in regna vocemus:
Considant, si tantus amor, et mœnia condant.
Sin alios fines aliamque capessere gentem[35]
Est animus, possuntque solo decedere nostro,
Bis denas Italo texamus[36] robore naves,
Seu plures complere valent: jacet omnis ad undam
Materies; ipsi numerumque modumque carinis
Præcipiant; nos æra, manus, navalia[37] demus.
Præterea, qui dicta ferant et fœdera firment,
Centum oratores prima de gente[38] Latinos
Ire placet, pacisque manu prætendere ramos,
Munera portantes, aurique eborisque talenta[39],
Et sellam regni trabeamque insignia nostri.
Consulite in medium[40], et rebus succurrite fessis. »

Tum Drances, pridē[41] infensus, quē gloria Turni
Obliquâ[42] invidiâ stimulisque agitabat amaris,
Largus opum[43], et lingua melior, sed frigida bello
Dextera, consiliis habitus non futilis auctor,
Seditione potens[44]; genus huic materna superbum
Nobilitas dabat, incertum de patre ferebat[45];
Surgit, et his onerat dictis atque aggerat iras:
« Rem[46] nulli obscuram, nostræ nec vocis egentem
Consulis, o bone rex: cuncti se scire fatentur
Quid fortuna ferat[47] populi; sed dicere mussant.
Det libertatem fandi, flatusque[48] remittat,
Cujus ob auspicium[49] infaustum moresque sinistros
(Dicam equidē, licet arma mihi mortemque minetur)
Lumina tot cecidisse ducum, totamque videmus
Consedisse urbem luctu[50], dum Troïa tentat
Castra, fugæ fidens, et cœlum territat armis[51].

33 Longe patens in occasum et pertingens ultra fines Sicanorum, sive potius *Siculorum*; vide pag. 314, n. 39. — 34 « In pretium concedat amicitiarum. » *S.* — 35 Alius gentis terram. *Possunt*, si licet iis per fata; quæ fata sciebat Latinus ex Fauno et ex Ilioneo; vid. VII, 98 et 239. In aliis *poscuntque*. — 36 Ennius : *Idem campus habet* TEXTRINAM *navibus longis*. — 37 « *Navalia* dicuntur hoc loco ipsæ res navales, id est pix, cera, funes, vela et alia hujusmodi. » *Serv.* — 38 Genere nobilissimos. Conf. VII, 153 seqq. — 39 Pondus. *Sellam* curulem. « Diadema Italarum gentium reges non habebant. » *Serv.* — 40 In communem utilitatem. — 41 *Pridem* correxit Peerlkampius, et erat recipiendum, quia præpositum *idem*, « idem infensus, dives, disertus » prorsus recedit a consuetudine, qua postponitur *idem* primo alterive adjectivo aut substantivo, non ponitur initio. — 42 « *Obliqua*, hoc est, qui non ex aperto impugnabat Turnum, sed eum reipublicæ simulata defensione lacerabat. » *S.* — 43 « Abundans opibus, dives; non quia multa donaret. » *S. Lingua melior*, scilicet « quam dextrâ », quod alio modo subjungitur. *Frigida*, sine ardore et alacritate. — 44 Potentiam sibi quærens ex movendis seditionibus. — 45 Alii *ferebant*. Insolens certe dictu est : Turnus genus *ferebat*. *Onerat* Turnum. — 46 Consulis de re, quæ etc. — 47 Secum ferat sive afferat faciendum, postulet; sicut in notis locutionibus *res fert, tempus fert*. *Mussant*, non audent, verentur; ductum a demisso murmure eorum qui loqui non audent. Adde XII, 657, n. 66. — 48 Spiritus, superbiam. *Remittat* ille *cujus* etc. — 49 Imperium; nam, Romano more, auspicium erat penes eum qui bellum administrabat. *Mores sinistros*, de pertinacia Turni, qui nolucrat obtemperare Latino. — 50 In luctum esse demersam. De fuga Turni narratum est X, 624 seqq. — 51 Terribili sonitu et fragore armorum, ipsum ætherem feriente. Conf. X, 895. Rec-

Unum etiam donis istis, quæ plurima mitti
Dardanidis dicique[52] jubes, unum, optime regum,
Adjicias; nec te ullius violentia vincat[53],
Quin natam egregio genero dignisque hymenæis
Des, pater, et pacem hanc æterno fœdere jungas[54].
Quodsi tantus habet mentes et pectora terror[55],
Ipsum obtestemur, veniamque oremus ab ipso:
Cedat, jus proprium[56] regi patriæque remittat.
Quid miseros toties in aperta pericula cives
Projicis, o Latio caput[57] horum et causa malorum?
Nulla salus bello: pacem te poscimus omnes,
Turne, simul pacis solum inviolabile pignus[58].
Primus ego, invisum[59] quem tu tibi fingis, et esse
Nil moror, en supplex venio: miserere tuorum;
Pone animos, et pulsus abi[60]. Sat funera fusi
Vidimus, ingentes et desolavimus agros[61].
Aut, si fama movet, si tantum pectore robur
Concipis, et si adeo dotalis regia[62] cordi est,
Aude, atque adversum fidens fer pectus in hostem.
Scilicet, ut Turno contingat regia conjux,
Nos, animæ viles, inhumata[63] infletaque turba,
Sternamur campis! Etiam tu, si qua tibi vis,
Si patrii quid Martis habes, illum aspice contra[64],
Qui vocat.»

Talibus exarsit dictis violentia Turni;
Dat gemitum, rumpitque has imo pectore voces:
« Larga quidem, Drance, semper tibi copia fandi
Tum quum bella manus poscunt; Patribusque vocatis
Primus ades. Sed non replenda est curia verbis,
Quæ tuto tibi magna volant, dum distinet[65] hostem
Agger mœrorum, nec inundant[66] sanguine fossæ.
Proinde tona eloquio; solitum tibi; meque timoris
Argue tu, Drance: quando[67] tot stragis acervos
Teucrorum tua dextra dedit, passimque tropæis
Insignis[68] agros. Possit quid vivida virtus,
Experiare licet: nec longe scilicet hostes
Quærendi nobis; circumstant undique muros.
Imus in adversos[69]? Quid cessas? an tibi Mavors
Ventosâ in lingua pedibusque fugacibus istis
Semper erit?
Pulsus ego? aut quisquam merito, fœdissime, pulsū
Arguet, Iliaco tumidum qui crescere Thybrim

tissime Servius: « Id dictum quidem Virgilii gravitati non convenit; sed perite hæc Drauci data sunt verba, qui *tumida* uti oratione inducitur. » — 52 Promitti. Vide supra 316 seqq. — 53 Tantum valeat, ut te prohibeat quominus etc. — 54 Alii *firmes*. — 55 *Tantus terror*: coram Latino non dicit « metus Turni». — 56 Suum. — 57 « Quivis auctor et princeps rei gestæ, *caput* a veteribus dicebatur. » *Serv.* — 58 Intelligit Laviniæ conjugium cum Ænea. — 59 Inimicum. « Hoc dicit: Non sum quidem inimicus; sed si velis (atque ita sentias), non recuso. Nam hoc est *nil moror*. » *Serv.* — 60 Te victum fatere et cede. Conf. 392 seqq. — 61 Vide VIII, 8, et X, 310. — 62 Dotale regnum. Aliter IX, 737. — 63 « Turba insepulta, quantum ad Turnum pertinebat; sed beneficio Ænææ, qui campos tenebat, sepulturæ mandata. Deinde *etiam* est hortantis adverbium; ut Terentius: *Etiam respondе*. » *S.* — 64 Homericum ἄντην εἰσιδέειν,

Iliad. T, 15: quod est signum audaciæ. — 65 Arcet, separat a nobis. — 66 Vide X, 24, n. 9. — 67 « Siquidem. Per irrisionem in illum suas confert laudes. » *Serv. Stragis acervos dedit*, pro vulgari: strages edidit. — 68 Nobilitas, ornas. — 69 Exhortatorie, ut nostrum: *Allons-nous?* Dici solet: Quin imus?

Sanguine et Evandri totam cum stirpe videbit
Procubuisse domum, atque exutos Arcadas[70] armis?
Haud ita me experti Bitias et Pandarus[71] ingens,
Et quos mille die victor sub Tartara misi,
Inclusus muris, hostilique aggere sæptus.
Nulla salus bello[72]! Capiti cane talia, demens,
Dardanio, rebusque tuis. Proinde omnia magno
Ne cessa turbare metu, atque extollere vires
Gentis bis victæ, contrà premere[73] arma Latini.
Nunc et Myrmidonũ proceres Phrygia arma tremis-
Nunc et Tydides, et Larissæus[74] Achilles; [cunt,
Amnis[75] et Hadriacas retro fugit Aufidus undas.
Vel[76] quum se pavidum contra mea jurgia fingit,
Artificis scelus[77], et formidine crimen acerbat.
Numquam animam talem dextrà hac, absiste moveri,
Amittes; habitet tecum, et sit pectore in isto.
Nunc ad te et tua magna, pater, consulta[78] rever-
Si nullã nostris ultra spem ponis in armis, [tor.
Si tam deserti[79] sumus, et semel agmine verso
Funditus occidimus, neque habet Fortuna regressũ,
Oremus pacem, et dextras tendamus inertes.
Quamquam[80] o si solitæ quidquã virtutis adesset!
Ille mihi[81] ante alios fortunatusque laborum
Egregiusque animi, qui, ne quid tale videret,
Procubuit moriens, et humũ semel[82] ore momordit.
Sin et opes nobis et adhuc intacta[83] juventus,
Auxilioque urbes Italæ populique supersunt;
Sin et Trojanis cum multo gloria venit
Sanguine (sunt illis sua funera, parque per omnes
Tempestas[84]): cur indecores in limine primo
Deficimus? cur ante tubam tremor occupat artus?
Multa dies variique[85] labor mutabilis ævi
Rettulit in melius; multos alterna revisens

70 Rhetorice auget spoliationem Pallantis occisi. — 71 Vide IX, 672 seqq. *Die*, intra unum diem; ut dicitur *mense, anno feci*. — 72 Drancis verba, v. 362. « Quoties argumentum haud possumus solvere, aut contraria objectione, aut risu, aut maledicto, ut hoc loco, respondemus adversario. Et bene hic dicit maleominantem *canere*, ut vatem. » *Serv.* Conf. IX, 621, n. 46 — 73 Deprimere. « Invidiose *arma Latini;* nam debuit *mea* dicere. » *Serv.* — 74 Vide II, 197, n. 95. — 75 *Amnis*, nam post heroas memoratur *Aufidus*, Apuliæ fluvius sive regni Diomedei (v. 247, n. 98), cadens in mare Adriaticum, hodie *Ofanto*. *Retro*, versus fontes relabens. Et significatur ipse Diomedes perculsus terrore nominis Æneæ. Metaphora similis VIII, 726, n. 12. — 76 *Vel* breviter pro : vel hoc quod afferam, probat quod dico. Græcis est αὖτίκα. Sic Terentius loquitur initio *Hecyræ*, v. 5, et alii ap. Peerlkamp, p. 343-4. Respicit ad illa Drancis : *Det libertatem fandi*, etc., seqq. — 77 Est *artificis scelus* (II, 125), scelus compositum ab hoc artifice, qui formidine astute simulata accusationem mei reddit acerbiorem. Alii jungunt *fingit Artificis scelus*, artifex scelestus, et supplent apodosin : « quam improbe se gerit! quam improbum hoc est commentum! » vel similem. — 78 « *Consultum* est res de qua quis consulitur vel consulit. » *S.* — 79 *Deserti*, ab auxiliis. — 80 « Servavit viri fortis personam, ut pœnituerit eum dixisse, *Oremus pacem*. » *S.* — 81 Meo judicio, ut *Ecl.* III, 104, n. 5. *Fortunatus laborum*, felix in malis suis et calamitatibus; græca syntaxi, εὐτυχὴς τῶν πόνων, item ut *egregius animi* : egregio animo. — 82 *Semel*, « quasi nihil ultra passurus. » *S.* Livius : *Dimicantes aut vitam* SEMEL *aut ignominiam fortunas*. — 83 Quæ nondum pugnavit, nondum delectu coacta. — 84 Vis belli, ut VII, 222, n. 1. — 85 Alii *variusque*. Labor alio tempore alius, id est, qui ante irritus fuit, post autem optatum habet eventum. *Retulit*, refert, ut fieri vidimus; vide pag. 54, n. 51

Lusit et[86] in solido rursus Fortuna locavit.
Non erit auxilio nobis Ætolus et Arpi :
At Messapus erit, felixque[87] Tolumnius, et quos
Tot populi misere duces; nec tarda[88] sequetur
Gloria delectos Latio et Laurentibus agris.
Est et Volscorum egregia de gente Camilla,
Agmen agens equitum et florentes[89] ære catervas.
Quodsi me solum Teucri in certamina poscunt,
Idque placet, tantumque bonis communibus obsto,
Non adeo has exosa manus Victoria fugit,
Ut tanta quidquam pro spe[90] tentare recusem.
Ibo animis contra, vel magnum præstet[91] Achillen,
Factaque Vulcani manibus paria induat arma
Ille licet. Vobis animam hanc soceroque Latino,
Turnus ego, haud ulli veterum virtute secundus,
Devovi. Solum Æneas vocat[92]! Et vocet oro;
Nec Drances potius[93], sive est hæc ira deorum,
Morte luat; sive est virtus et gloria, tollat. »
Illi hæc inter se dubiis de rebus agebant
Certantes : castra Æneas aciemque movebat.
Nuntius ingenti per regia tecta tumultu
Ecce ruit, magnisque urbem terroribus implet :
Instructos acie Tiberino a flumine Teucros
Tyrrhenamque manum totis descendere campis.
Extemplo turbati animi, concussaque vulgi
Pectora, et arrectæ stimulis haud mollibus iræ.
Arma manu trepidi[94] poscunt, fremit arma juventus;
Flent mœsti mussantque[95] patres. Hic undiq̃ clamor
Dissensu vario magnus se tollit in auras :
Haud secus atque alto in luco quum forte catervæ
Consedere avium, piscosove amne Padusæ[96]
Dant sonitum rauci per stagna loquacia[97] cycni.
« Imo[98], » ait, « o cives, » arrepto tempore Turnus,
« Cogite concilium, et pacem laudate sedentes[99] :
Illi armis in regna ruunt. » Nec plura locutus
Corripuit sese, et tectis citus extulit altis.
« Tu, Voluse, armari Volscorum edice maniplis;
Duc, ait, et Rutulos. Equitem, Messapus, in armis,
Et cum fratre[1] Coras, latis diffundite campis.

86 *Lusit et in solido locavit*, id est : postquam luserat. *Ætolus et Arpi*, v. 246, not. 96, 97. — 87 *Felix*, interprete Servio, in oppositionem Diomedis infelicis (v. 269-277). — 88 *Parva* est in plurimis codd. Sed alterum explicat Servius : « Latina pubes *celerrime* victoriam adipiscetur, quam vix Græci post decennium sunt adepti. » — 89 Vide VII, 804, not. 77. — 90 *Tanta pro spe*, « ut solus dicar servasse rempublicam. » *S. Animis*, fidenti animo et forti. — 91 Licet ille *præstet* vel magnum Achillem, id est : exhibeat, repræsentet, ei par sit. — 92 Verba Drancis, v. 375. — 93 *Potius* quam ego dimicans cum Ænea, aut *morte luat* iram deorum, si qua est in hoc certamine, aut *tollat* vel auferat gloriam virtutis, si qua redundat. Indignus mihi Drances illa vel morte vel gloria. — 94 Cum trepidatione, festini et alacres. *Manu*, quæ manu arripiant. Ea vox sæpe addi-

tur, non poscente ipsa sententia, ut IV, 344; VII, 604, al. *Fremit*, p. 283, n. 9. — 95 In occulto lamentantur. — 96 Pado, ad cujus ostium Spineticum (ab urbe hodieque *Spino* dicta) erat *Asconis fossa* per Ravennam ducta, etiam *Messanicus* dicta, et *Padusa*. Valgius in *Elegis* canebat : *Et placidam fossæ qua jungunt ora Padusam, Navigat Alpini flumina magna Padi.* — 97 Vide p. 37, n. 21. « *Rauci* τῶν μέσων est, et modo canoros significat, alias vocis pessimæ. » *S.* — 98 Cum irrisione : Ne capite arma, *imo* deliberate. — 99 *Sedere* aliquam pigritiæ vel ignaviæ notionem adjunctam habet. — 1 Vide VII, 672, n. 5. *Messapus, Coras*

pro vocativis, græco usu. *In armis*, p. 197, n. 82. — 2 Qua parte jussero. — 3 In urbem, in regnum. *Præfodiunt*, ante portas fossas faciunt. — 4 Summum discrimen. Sequentia præivit Homerus, in *Il.* Z, 86 seqq., 296 seqq. Pallas, dea πολιοῦχος, v. *Eclog.* II, 61, not. 60. — 5 « Proprie dictum : nam matronæ pilentis vehebantur in templa pergentes (vide VIII, 665, not 78). » *Serv. Catervâ* sine præpositione, ut *comitatu*. — 6 *Succedunt* templum, intrant. *Tanti* sine elisione, p. 47, not. 12. — 7 Vide p. 160, n. 83. — 8 Dejice. — 9 Festinanter, propere arma induit. — 10 Sic ex antiquiore auctoritate. Vulgo *Rutulum*. — 11 Aureis ocreis. Alias galea primum solet indui. — 12 Splendore armorum ut auri. — 13 Pro vulgari : præcipit spem victoriæ ; præ nimia spe jam superasse hostem sibi videtur. Comparatio quæ sequitur est Homeri, *Il.* Z, 506 seqq., jam ab Ennio expressa, versibus a Macrobio servatis, in *Saturn.* VI, c. 3. — 14 Junge *alte arrectis*. — 15 Exsultans et ferociens. — 16 Optime Servius : « Uno verbo absolvit desilientem equis multitudinem. » Unus enim homo *defluere equo* dici solet quum est vulneratus vel moribundus. — 17 Græca syntaxi pro : me promitto solam nunc iturum obviam contra Etruscos equites. — 18 *Pedes*, cum peditatu.

Pars aditus urbis firmet, turresque capessat ;
Cetera, qua jusso[2], mecum manus inferat arma. »
Ilicet in muros tota discurritur urbe.
Concilium ipse pater et magna incepta Latinus
Deserit, ac tristi turbatus tempore differt ;
Multaque se incusat, qui non acceperit ultro
Dardanium Æneam, generumque adsciverit urbi[3].
Præfodiunt alii portas, aut saxa sudesque
Subvectant. Bello dat signum rauca cruentum
Buccina. Tum muros varia cinxere coronâ
Matronæ puerique : vocat labor ultimus[4] omnes.
Nec non ad templum summasque ad Palladis arces
Subvehitur[5] magna matrum regina catervâ,
Dona ferens ; juxtaque comes Lavinia virgo,
Causa mali tanti, oculos dejecta decoros.
Succedunt[6] matres, et templum thure vaporant,
Et mœstas alto fundunt de limine voces :
« Armipotens, belli præses, Tritonia[7] virgo,
Frange manu telum Phrygii prædonis, et ipsum
Pronum sterne solo, portisque effunde[8] sub altis ! »
Cingitur ipse furens certatim[9] in prœlia Turnus.
Jamque adeo rutilum[10] thoraca indutus ahenis
Horrebat squamis, surasque incluserat auro[11],
Tempora nudus adhuc, laterique accinxerat ensem,
Fulgebatque alta decurrens aureus[12] arce ;
Exsultatque animis, et spe jam præcipit hostem[13] :
Qualis ubi abruptis fugit præsepia vinclis
Tandem liber equus, campoque potitus aperto
Aut ille in pastus armentaque tendit equarum,
Aut assuetus aquæ perfundi flumine noto
Emicat, arrectisque[14] fremit cervicibus alte
Luxurians[15], luduntque jubæ per colla, per armos.
Obvia cui, Volscorum acie comitante, Camilla
Occurrit, portisque ab equo regina sub ipsis
Desiluit ; quam tota cohors imitata relictis
Ad terram defluxit[16] equis. Tum talia fatur :
« Turne, sui merito si qua est fiducia forti,
Audeo et Æneadûm promitto occurrere turmæ,
Solaque[17] Tyrrhenos equites ire obvia contra.
Me sine prima manu tentare pericula belli ;
Tu pedes[18] ad muros subsiste, et mœnia serva. »

Turnus ad hæc, oculos horrendâ[19] in virgine fixus:
« O decus Italiæ virgo, quas dicere grates,
Quasve referre parê? sed nunc, est omnia quando[20]
Iste animus supra, mecum partire laborem.
Æneas, ut fama fidem[21] missique reportant
Exploratores, equitum leviâ improbus arma
Præmisit, quaterent[22] campos: ipse ardua montis
Per deserta jugo[23] superans adventat ad urbem.
Furta paro belli[24] convexo in tramite silvæ,
Ut bivias armato obsidam milite fauces.
Tu Tyrrhenum equitem collatis excipe signis[25];
Tecum acer Messapus erit, turmæque Latinæ,
Tiburtique[26] manus: ducis et tu concipe curam. »
Sic ait, et paribus Messapum in prœlia dictis
Hortatur sociosque duces, et pergit in hostem.

Est curvo anfractu valles[27], accommoda fraudi
Armorumque dolis, quam densis frondibus atrum
Urget utrimque latus; tenuis quo[28] semita ducit
Angustæque ferunt fauces aditusque maligni[29].
Hanc super in speculis summoque in vertice montis
Planities ignota jacet, tutique recessus[30],
Seu dextra lævaque velis occurrere pugnæ[31],
Sive instare jugis et grandia volvere saxa.
Huc juvenis nota fertur regione[32] viarum,
Arripuitque locum, et silvis insedit iniquis.

Velocem interea superis in sedibus Opim[33],
Unam ex virginibus sociis sacraque catervâ,
Compellabat et has tristis Latonia voces
Ore dabat: « Graditur bellum ad crudele Camilla,
O virgo, et nostris nequicquam cingitur armis[34],
Cara mihi ante alias: neque enim novus iste Dianæ
Venit amor[35], subitaque animum dulcedine movit.
Pulsus ob invidiam regno viresque superbas[36],
Priverno antiqua Metabus quum excederet urbe,
Infantem, fugiens media inter prœlia belli,
Sustulit exilio comitem, matrisque vocavit
Nomine Casmillæ, mutata parte[37], Camillam.
Ipse sinu præ se portans juga longa petebat
Solorum nemorum; tela undique sæva premebant,
Et circumfuso volitabant milite Volsci.

19 *Horrere* dicitur etiam de admiratione ex verecundia. Servius: « admirabili; alioqui hostibus horrenda. » — 20 Quando iste animus tuus est supra omnia, omnia exsuperat; vid. XII, 839. Camilla simul Æneam et Tyrrhenos aggredi cupiebat. — 21 Certum nuntium. — 22 Ut *quaterent*; quæ conjunctio sæpe omittitur in jussu dando. — 23 Transeundo *jugo superans* ea cacumina deserta montis. — 24 « Insidias. Sallustius: *Gens ad furta belli peridonea.* » *S.* Quæ insidiæ postea pluribus explicantur, v. 522 et seqq. — 25 Justo prœlio. — 26 Vide VII, 671. *Et tu*, sicut ego in alia parte. — 27 Vallis, antique. — 28 In quam vallem. — 29 Angusti et difficiles. — 30 Latebræ, unde tuto ac sine ullo periculo hostem possis adoriri. — 31 Hosti venienti. *Jugis instare*, i. e. consistere in jugis. — 32 Vide p. 175, not. 23. *Arripuit*, raptim petiit et tenuit, ut p. 193, n. 28. *Iniquis*, per quas iter facere periculosum futurum esset Æneæ. — 33 Ὦπις, nympha ex Hyperboreis, unde *Threissa* dicitur infra v. 858. — 34 Arcu et sagittis; v. 652 et 844. — 35 Conf. VII, 805 seqq. — 36 Superbum potentiæ usum et tyrannicum. *Privernum*, oppidum Volscorum, postea Latii, hodie *Piperno Vecchio*. — 37 Poeta patris voluntati tribuit quod fuerat temporis, quo procedente *Casmena* emollitum est in *Camena*, *Casmilus* in *Camillus*, etc. Est de lingua sacrorum, qua *camillus*, *camilla* dicitur minister, ministra.

Ecce, fugæ medio, summis Amasenus[38] abundans
Spumabat ripis; tantus se nubibus imber
Ruperat! Ille, innare parans, infantis amore
Tardatur, caroque oneri timet. Omnia secum
Versanti subito vix[39] hæc sententia sedit:
Telum immane, manu valida quod forte gerebat
Bellator, solidum nodis et robore cocto[40],
Huic natam, libro et silvestri subere clausam[41],
Implicat, atque habilem mediæ circumligat hastæ;
Quam dextrâ ingenti librans ita ad æthera fatur:
« Alma, tibi hanc, nemorum cultrix, Latonia virgo,
Ipse pater[42] famulam voveo; tua prima per auras
Tela tenens supplex hostem fugit. Accipe, testor,
Diva tuam, quæ nunc dubiis committitur auris. »
Dixit, et adducto contortum hastile lacerto
Immittit: sonuere undæ[43]; rapidum super amnem
Infelix fugit in jaculo stridente Camilla.
At Metabus, magna propius jam urgente catervâ,
Dat sese fluvio, atque hastam cum virgine victor[44]
Gramineo, donum Triviæ, de cespite vellit.
Non illum tectis ullæ[45], non mœnibus urbes
Accepere; neque ipse manus feritate dedisset:
Pastorum et[46] solis exegit montibus ævum.
Hic natam, in dumis interque horrentia lustra,
Armentalis equæ mammis et lacte ferino[47]
Nutribat, teneris immulgens ubera labris.
Utque pedum primis infans vestigia plantis
Institerat[48], jaculo palmas armavit acuto,
Spiculaque ex humero parvæ suspendit et arcum.
Pro crinali auro, pro longæ tegmine pallæ,
Tigridis exuviæ per dorsum a vertice pendent.
Tela manu jam tum tenera puerilia torsit,
Et fundam tereti circum caput egit habenâ,
Strymoniamque[49] gruem aut album dejecit olorem.
Multæ illam frustra Tyrrhena[50] per oppida matres
Optavere nurum: sola contenta Dianâ,

38 Vide p. 299, n. 12. — 39 In unam phrasim conjunctum est quod duabus dici solet: *Omnia secum versanti subito hæc sententia sedit* (v. II, 660, n. 92): *vix* ea sedit, (et) *telo natam implicat*. Jam vidimus adverbium *vix* conjunctionis vice fungi, ut cum *simulac* permutari possit: III, 90; VIII, 337; X, 659, al. In sequentibus verbis structura habet lenem anacoluthiam, iis quæ narrantur accommodatissimam. — 40 Igne durato, præusto. — 41 Involutam. Et *suber* in illis locis magna copia nascitur. *Habilem*, ita ut tractari, pro jaculo emitti cum hasta posset. — 42 « Bene *ipse pater*, quia auctorandi (id est, liberos homines dandi in famulatum) potestatem nisi patres non habent. Unde et *Camilla* dicta est, licet supra eam a matre dixerit esse nominatam. » *S.* Quocum deinde jungas *tua supplex*. Telis illigata infans dicitur *prima tela tenens*. — 43 *Sonuere undæ* proprie est accipiendum: tanto ausu paterni amoris ipsum flumen commovetur, cui sensum tribuit poeta, ut sæpe alias inanimæ naturæ. — 44 Vide VIII, 61, n. 26. *Donum Triviæ* refer ad virginem, quasi dictum esset « virginem cum hasta. » Recte Servius: « Mire *Triviæ*, quum ipsa loquatur. » Nimirum hæc historia Camillæ non Dianam loquentem sonat, sed ipsum poetam, qui fortasse in extremo libro VII hanc narrationem collocaturus erat. — 45 *Villæ* conjecit Peerlkampius. Qui sequentia sic exponit: « Etiamsi Volsci Metabum suscipere eique placari voluissent, manus tendere, se victum agnoscere, præ innata ipsi ferocia, noluisset. » — 46 Exegit *pastorum ævum*, pastoralem vitam, idque in solis, desertis montibus. — 47 Equum *ferum* dici vidimus p. 157, n. 26. — 48 Insistendo fecerat. — 49 Vide p. 56, n. 25. — 50 Nam Etrusci olim etiam regiones ad Amasenum et Lirim, Campaniamque tenuerunt.

Æternum telorum et virginitatis amorem
Intemerata colit. Vellem haud correpta fuisset
Militia tali [51], conata lacessere Teucros;
Cara mihi comitumque foret nunc una mearum.
Verum age, quandoquidem fatis urgetur acerbis,
Labere, Nympha, polo, finesque invise Latinos,
Tristis ubi infausto committitur omine pugna.
Hæc cape, et ultricem pharetra deprome sagittam:
Hac, quicumque sacrum violarit vulnere corpus,
Tros Italusve, mihi pariter det sanguine pœnas.
Post ego nube cava miserandæ corpus et arma
Inspoliata [52] feram tumulo, patriæque reponam. »
Dixit; at illa leves cœli demissa per auras
Insonuit [53], nigro circumdata turbine corpus.
At manus interea muris Trojana propinquat,
Etruscique duces, equitumque exercitus omnis,
Compositi numero in turmas. Fremit æquore toto
Insultans sonipes, et pressis pugnat habenis [54],
Huc obversus et huc; tum late ferreus [55] hastis
Horret ager, campique armis sublimibus ardent.
Nec non Messapus contra, celeresque Latini,
Et cum fratre Coras, et virginis ala Camillæ
Adversi campo apparent, hastasque reductis [56]
Protendunt longe dextris, et spicula vibrant;
Adventusque virûm, fremitusque ardescit [57] equorum.
Jamque intra jactum teli progressus uterque [58]
Constiterat: subito erumpunt clamore, furentesque
Exhortantur equos; fundunt simul undique tela,
Crebra nivis ritu; cœlumque obtexitur umbrâ.
Continuo adversis Tyrrhenus [59] et acer Aconteus
Connixi incurrunt hastis, primique ruinam
Dant [60] sonitu ingenti, perfractaque quadrupedantum
Pectora pectoribus rumpunt. Excussus Aconteus [61],
Fulminis in morem aut tormento ponderis acti,
Præcipitat longe, et vitam dispergit in auras.
Extemplo turbatæ acies, versique Latini
Rejiciunt [62] parmas, et equos ad mœnia vertunt.
Troes agunt; princeps turmas inducit Asilas [63].
Jamque propinquabant portis, rursusque Latini
Clamorem tollunt, et mollia colla [64] reflectunt:

51 Talis militiæ cupidine. Alia quoque incommoda sunt in verbis, *Vellem.. mearum;* videas Peerlk. pag. 360 et 354. — 52 « Aut indetracta, aut ipsius inspoliatæ. » *S.* — 53 *Insonuit*, ut celeri volatu secans auras. « *Nigro turbine*, quia ad mœrorem luctumque descendit. Contra in octavo, ubi ad lætitiam descendebat Venus, claro eam nimbo circumdatam dicit (v. 608). » *S.* — 54 Dativus: pugnat cum habenis, reluctatur habenis ab equite adductis. — 55 Ut ferreis hastis opertus. « Est Ennianus versus vituperatus a Lucilio. » *Serv.* Dixerat Ennius: *Sparsis hastis longis campus* SPLENDET ET HORRET. Lucilius observabat dici debuisse *horret et alget*, sic versum notans perfrigidum. — 56 Junge *longe reductis dextris*, ad vim ictus augendam. *Spicula vibrant*, proludentes ad pugnam. — 57 Strepitus adventientium virorum et fremitus equorum subinde increbrescit quasi exardescens. —

58 *Uterque* exercitus. Huic loco adlevit Servius: « Enniana est omnis hæc ambitiosa descriptio. » — 59 *Tyrrhenus* hic est nomen proprium. *Aconteus* autem erat Latinus. — 60 Cadunt, dum incitati equi in se ipsos irruunt et conflictu suo armos perfringunt. — 61 Exponitur mors Acontei, causa fugæ Latinorum jam narrandæ. — 62 Rejiciunt in tergum, ob persequentes. — 63 De quo supra X, 175 seqq. — 64 *Colla* equorum *mollia*, facilia ad flectendum, utpote domitorum.

Hi fugiunt, penitusque datis[65] referuntur habenis.
Qualis ubi alterno procurrens gurgite[66] pontus
Nunc ruit ad terram, scopulosque superjacit undâ
Spumeus, extremamque[67] sinu perfundit arenam;
Nunc rapidus retro, atque æstu revoluta[68] resorbens
Saxa, fugit, litusque vado labente[69] relinquit:
Bis Tusci Rutulos egere ad mœnia versos;
Bis rejecti armis respectant terga tegentes.
Tertia sed postquam congressi in prœlia totas
Implicuere inter se acies, legitque[70] virum vir,
Tum vero et gemitus morientûm, et sanguine in alto
Armaque, corporaque, et permixti cæde virorum
Semianimes volvuntur equi; pugna aspera surgit.
Orsilochus Remuli, quando ipsum horrebat adire,
Hastam intorsit equo, ferrumque sub aure reliquit:
Quo sonipes ictu furit arduus, altaque jactat
Vulneris impatiens arrecto pectore crura;
Volvitur ille excussus humi. Catillus Iollan,
Ingentemque animis, ingentem corpore et armis
Dejicit Herminium[71]; nudo cui vertice fulva
Cæsaries, nudique humeri; nec vulnera terrent,
Tantus[72] in arma patet! Latos huic hasta per armos[73]
Acta tremit, duplicatque[74] virum transfixa dolore.
Funditur ater ubique cruor; dant funera[75] ferro
Certantes, pulchramque petunt per vulnera mortem.

At medias inter cædes exsultat Amazon,
Unum exserta[76] latus pugnæ, pharetrata Camilla;
Et nunc lenta[77] manu spargens hastilia denset,
Nunc validam dextra rapit indefessa bipennem;
Aureus ex humero sonat arcus et arma Dianæ.
Illa etiam, si quando in tergum pulsa recessit,
Spicula converso fugientia[78] dirigit arcu.
At circùm lectæ comites, Larinaque virgo,
Tullaque, et æratam quatiens Tarpeia securim.
Italides: quas ipsa decus sibi dia Camilla
Delegit, pacisque bonas bellique ministras:
Quales Threïciæ[79] quum flumina Thermodontis
Pulsant[80] et pictis bellantur Amazones armis,

65 Planè laxatis, remissis. — 66 Alterno fluctu ex gurgite. — 67 « Extremam, quantum ad mare pertinet; nam a terra prima est. » *S. Sinu*, fluctu undam curvante in sinum. — 68 *Resorbens saxa* æstu prius ejecta, nunc *æstu* revolvente *revoluta* in mare. — 69 Nam quum redeunt aquæ fluctu provolutæ in litus, paulum vadi relinquitur, et ipsum sensim relabens. — 70 Eligit, ad confodiendum. — 71 « Nomen hoc de historia Romana est. Namque cum Coclite contra Tuscos Lartius et Herminius steterunt tempore quo pons sublicius rumpebatur. » *S.* — 72 Tantam sui partem relinquerat intectam et expositam armis ferientibus. — 73 « *Armos*, abusive: nam propriè quadrupedum sunt *armi*. » *S.* Sunt qui sic capiunt IV, 11: *quam forti pectore et armis*, humeris. — 74 Homero ἰὸν ἀνὰ πεσών, *Il.* N, 618. — 75 Cædem edunt. — 76 Vide I, 492, n. 49. *Pugnæ*, ad pugnam: ut expeditior esset ad pugnandum. — 77 Vide p. 285, n. 78. *Spargens denset*, dense spargit. — 78 A fugiente emissa. — 79 Thraciæ. Nam poetæ antiqui *Thraciæ*, ut *Scythiæ*, nomine complecti solent regiones septentrionales. Amazones olim habitarunt ad Tanain flumen: *a quo, incertum quam ob causam, digressæ, deinde campos Themiscyreos habuere* (verba Sallustii ap. Serv.), in Cappadocia, irrigatos flumine Thermodonte, hod. *Thermeh*. Vide Justin. II, c. 4. — 80 *Pulsant* amnem glacie obductum, vectæ equis; quamquam Servius Ennium confert, sic alloquentem Musas: *Quæ pedibus pulsatis Olympum*. Deponens *bellor* hoc uno loco videtur legi.

Seu circum Hippolyten, seu quum se Martia curru
Penthesilea[81] refert, magnoque ululante tumultu
Feminea exsultant lunatis[82] agmina peltis.

Quĕ telo primum, quĕ postremum, aspera virgo,
Dejicis? aut quot humi morientia corpora fundis?
Euneum[83] Clytio primum patre; cujus apertum
Adversi longa transverberat abiete pectus.
Sanguinis ille vomens rivos cadit, atque cruentam
Mandit humum, moriensque suo se in vulnere versat.
Tum Lirim, Pagasumque supèr: quorŭ alter habenas
Suffuso[84] revolutus equo dum colligit, alter
Dum subit ac dextram labenti tendit inermem,
Præcipites pariterque ruunt. His addit Amastrum
Hippotaden; sequiturque incumbens eminus hastâ
Tereaque, Harpalycumque, et Demophoonta, Chromimque;
Quotque emissa manu contorsit spicula virgo,
Tot Phrygii cecidere viri. Procul Ornytus armis
Ignotis[85] et equo venator Iapyge fertur,
Cui pellis latos humeros erepta juvenco
Pugnatori[86] operit; caput ingens oris hiatus
Et malæ texere lupi[87] cum dentibus albis,
Agrestisque manus armat sparus[88]: ipse catervis
Vertitur[89] in mediis, et toto vertice supra est.
Hunc illa exceptum[90] (neque enim labor agmine verso)
Trajicit, et supèr hæc inimico pectore fatur:
« Silvis te, Tyrrhene, feras agitare putasti?
Advenit qui vestra dies muliebribus armis
Verba redarguerit[91]. Nomen tamen haud leve patrum
Manibus hoc referes, telo cecidisse Camillæ. »
Protinus Orsilochŭm[92] et Buten, duo maxima Teucrûm
Corpora: sed Buten aversum cuspide fixit
Loricam galeamque inter, qua colla sedentis[93]
Lucent, et lævo dependet parma lacerto;
Orsilochum, fugiens magnumque agitata per orbem,
Eludit gyro interior[94], sequiturque sequentem:

81 Duæ reginæ Amazonum, de quibus v. Justinum l. c. Variavit structuram vulgarem: *seu circum Hippolyten, seu* circum Penthesileam, *quum se refert*, redit ex prœlio triumphans. • *Ululare* veteres etiam vocem quæ redditur initio prœlii appellabant, quam Græci ὀλολυγὴν vocarunt. • *S.* — 82 Vide I, 490, n. 48. — 83 Εὔνηον, attice Εὔνεων: v. Serv. Vulgo *Eunæum*, Εὐναῖον. — 84 • *Suffuso*, id est casuro: nam *suffusi* equi dicuntur quos *cespitatores* vulgo vocant. • *S.* Nimirum laborantes *suffusione*, id est tumore in pedibus orto ex sudore. In aliis codd. est *suffosso*, subtus percusso hasta vel jaculo. Habenas *colligit*, adducit, quæ modo laxæ fuerant, equum labentem erecturus. — 85 Insolitis. *Iapyge*, Appulo equo. — 86 Juvenco silvestri, quocum pugna ineunda fuerat

Ornyto venanti. — 87 Vide p. 299, not. 4. — 88 • *Sparus* est rusticum telum in modum pedi recurvum. • *S.* — 89 • *Vertitur*, agit; quod græce dixit, ἀναστρέφεται. • *S.* — 90 Quem Camilla *exceperat* cursu occupans et sic adversum sibi habebat, prorsus ut Mezentius excepit Oroden X, 734, n. 15, et infra 719 ipsa filium Auni. Idque facilius assecuta est *verso agmine* adversariorum quam potuisset stante exercitu pervenire ad Ornytum *in mediis* versantem. — 91 Futurum exactum: haud dubie redarguet. Melius hoc quam *redargueret*, quod in aliis legitur. Conf. IX, 282: *me nulla dies tam fortibus ausis Dissimilem arguerit. Nomen haud leve*, non contemnendam gloriam. — 92 De quo supra 636 seqq. — 93 *Sedentis*, • equitis. • *S.*; alii: sedentis in equo. Quod inane est, nec quicquam ad rem facit, ut quærenda esse videatur explicatio alia aut correctio. *Lucent*, apparent nuda. Sequentibus significari videtur, a sinistra parte inflictum esse vulnus. — 94 • Sinisterior, breviore scilicet circulo. • *S.*, quem sic explicat Wagner.: • Sumptum hoc a Circo: *interiores* dicuntur qui, dum alii ampliore sive exteriore orbe cir-

cumvehebantur metam, quæ erat certantibus ad sinistram, ipsi breviore orbe atque metæ proximo cursu ferebantur. • Eadem metaphora Horatius (*Satir.* II, 6, 26) : *seu bruma nivalem Interiore diem gyro trahit.* — 95 Securim *congeminat*, geminato ictu infert; vide XII, 713-4. — 96 In Camillam. — 97 *Haud extremus*, scilicet arte fallendi : id quod nudum nomen gentis sonabat; nam • *Ligures omnes fallaces sunt*, sicut ait Cato secundo libro Originum. • *Servius.* Idemque v. 715 ex Nigidii libro *de Sphæra* hæc affert : *Ligures qui Apenninum tenuerunt, latrones, insidiosi, fallaces et mendaces.* — 98 Vide p. 157, n. 33. — 99 Quid tam magnum te in acie dimicare, quamquam sis femina, si equo fidis? — 1 • Equi celeritatem, cui fidis, relinque, omitte. • *Serv.* — 2 *Mecum*, sicut ego, desiliens ex equo. *Accingere*, ut II, 235, not.

Tum validam perque arma viro perque ossa securim,
Altior exsurgens, oranti et multa precanti
Congeminat[95] : vulnus calido rigat ora cerebro.
Incidit huic[96] subitoque aspectu territus hæsit
Appenninicolæ bellator filius Auni, [bant.
Haud Ligurum extremus[97], dum fallere fata sine-
Isque, ubi se nullo jam cursu evadere pugnæ
Posse neque instantem reginam avertere cernit,
Consilio versare[98] dolos ingressus et astu,
Incipit hæc : « Quid tam egregium, si femina[99] forti
Fidis equo? Dimitte fugam[1], et te cominus æquo
Mecum[2] crede solo, pugnæque accinge pedestri :
Jam nosces, ventosa ferat cui gloria[3] laudem. »
Dixit; at illa furens, acrique accensa dolore,
Tradit equum comiti, paribusque résistit in armis,
Ense pedes nudo, puraque[4] interrita parmâ.
At juvenis, vicisse dolo ratus, avolat ipse,
Haud mora, conversisque fugax[5] aufertur habenis,
Quadrupedemque citum ferrata calce fatigat.
« Vane Ligus, frustraque animis elate superbis,
Nequicquam patrias tentasti lubricus[6] artes;
Nec fraus te incolumem fallaci perferet Auno. »
Hæc fatur virgo, et pernicibus ignea[7] plantis
Transit equum cursu, frenisque adversa prehensis
Congreditur, pœnasque inimico ex sanguine sumit :
Quam facile accipiter saxo sacer[8] ales ab alto
Consequitur pennis sublimem in nube columbam,
Comprensamque tenet, pedibusque eviscerat uncis;
Tum cruor et vulsæ labuntur ab æthere plumæ.
At non hæc nullis[9] hominum sator atque deorum
Observans oculis summo sedet altus Olympo.
Tyrrhenum Genitor Tarchonem in prœlia sæva
Suscitat, et stimulis haud mollibus[10] injicit iras.
Ergo inter cædes cedentiaque agmina Tarchon
Fertur equo, variisque instigat vocibus alas[11],
Nomine quemque vocans, reficitque in prœlia pulsos.
« Quis metus, o numquâ dolituri[12], o semper inertes

97 : *Accingunt operi.* — 3 Gloriatio; inanis jactantia. *Cui* dicens, ipsam Camillam intelligit; • an tibi • crassius dictu foret et minus salsum. Pro *laudem*, alii multi (etiam ap. Serv.) legunt *fraudem*, i. e. pœnam; quo perit ironia. — 4 Vide IX, 548, n. 18, p. 311. — 5 Fugiens. — 6 Fallax. — 7 Celerrima. Item mox 746. Catullus dixerat : Flammea *prævertet celeris vestigia* cervæ. — 8 *Sacer*, nam est avis auguralis. • Cur græce dictus sit ἱέραξ, quasi sacra avis, ratione non caret; quæ nota est sacrorum peritis. • *S.* — 9 Oculis *non nullis*, non negligentibus, adeoque non cæcis, secundum Homerum, Οὐδ' ἀλαοσκοπιὴν εἶχε, *Il.* K, 515. — 10 Injicit Tarchoni iras, graviter eum exstimulans. Plurimi codd. *incitat*, ut poeta scripsisse videatur *incutit*. — 11 Turmas equitum. Conf. 835. *Reficit*, restituit. — 12 Numquam ægre laturi dedecus vestrum. • Et bene *numquam*, siquidem antea sævitiam

Tyrrheni, quæ tanta animis ignavia venit?
Femina palantes agit, atque hæc agmina vertit!
Quò ferrum, quidve hæc gerimus tela irrita dextris?
At non in venerem segnes nocturnaque bella,
Aut, ubi curva[13] choros indixit tibia Bacchi,
Exspectare dapes et plenæ pocula mensæ [ruspex
(Hic amor, hoc studium), dum sacra secundus[14] ha-
Nuntiet, ac lucos vocet hostia pinguis in altos.»
Hæc effatus, equum in medios, moriturus et ipse[15],
Concitat, et Venulo adversum se turbidus infert;
Dereptumque ab equo dextra complectitur hostem,
Et gremium ante suum multa vi concitus aufert[16].
Tollitur in cœlum clamor, cunctique Latini
Convertère oculos. Volat igneus[17] æquore Tarchon,
Arma virumque ferens; tum summâ ipsius ab hastâ
Defringit ferrum, et partes rimatur apertas,
Qua vulnus letale ferat: contrà ille repugnans
Sustinet a jugulo dextram, et vim viribus exit[18].
Utque volans alte raptum quum fulva draconem
Fert aquila, implicuitque pedes atque unguibus hæsit;
Saucius at serpens sinuosa volumina versat,
Arrectisque horret squamis, et sibilat ore,
Arduus insurgens: illa haud minùs urget obunco
Luctantem rostro; simul æthera verberat alis:
Haud aliter prædam Tiburtum ex agmine Tarchon
Portat ovans. Ducis exemplum eventumque secuti
Mæonidæ[19] incurrunt. Tum fatis debitus Arruns
Velocem, jaculo et multa prior[20] arte, Camillam
Circuit, et, quæ sit fortuna[21] facillima, tentat.
Qua se cumque furens medio tulit agmine virgo,
Hac Arruns subit, et tacitus vestigia lustrat;
Qua victrix redit illa pedemque ex hoste reportat,
Hac juvenis furtim celeres detorquet habenas.
Hos aditus, jamque hos[22] aditus, omnemque pererrat
Undique circuitû, et certam quatit improbus hastam.

Forte sacer Cybelæ Chloreus olimque[23] sacerdos
Insignis longe Phrygiis fulgebat in armis,

Mezentii pertulerunt, et nunc præbent terga mulieri.» *Serv.* — 13 Tibia *curva*, ob affixum cornu vel æreum orificium latius in extremo, quo graviorem sonum ederet. Non estis segnes *exspectare*. — 14 *Secundus*, qui secunda, fausta nuntiat ex extis inspectis. *In lucos*, ubi epulabantur sacris diebus. — 15 *Et ipse*, sicut sui, qui tum passim concidebantur. — 16 Ablatum transfert in suum ipse equum. «Hoc de historia tractum est. Julius Cæsar enim quum dimicaret in Gallia, et ab hoste raptus equo ejus portaretur armatus, occurrit quidam ex hostibus qui eum nosset, et insultans ait: *Cæsar* [in aliis *cecos*] *Cæsar*, quod Gallorum lingua *dimitte* significat; et ita factum est ut dimitteretur. Hoc ipse Cæsar in Ephemeride sua dicit, ubi proprium commemorat felicitatem.» *Serv.* — 17 Vide not. 7. — 18 Evitat, avertit et eludit (p. 236, n. 97), aliquamdiu certe, *vim* quam hostis ei infert, *viribus* suis. Quod poeta statim illustrat celebri comparatione homerica, *Iliad.* M, 200 seqq. Conf. Macrob. *Saturn.* V, 13, et de dracone ova aquilæ consectante, unde pugna, vide Plinium, *H. Nat.* X, c. 5. — 19 Etrusci; vide VIII, 479 seq., n. 5, et 499, n. 11. — 20 Superans Camillam peritia jaculandi et dolo; nam illa animi impetum sequebatur, oderat fraudes belli. Sic dictum *pietate prior*, 292, n. 21. Ita etiam Servius accepit, rectius quam alii: prævertens Camillam; vel, priusquam ipsam feriat. — 21 Quæ via a fortuna oblata sit facillima et commodissima ad illam interficiendam. — 22 Modo hos, modo illos aditus. «*Circuitum*, proprie; nam *circumire* insidiantium est.» *S.* — 23 *Olim*, in patria, quum ea salva esset. Apud Homerum etiam sacerdotes inducuntur dimicantes.

Spumantemque agitabat equum, quem pellis ahenis
In plumam [24] squamis auro conserta tegebat.
Ipse, peregrina [25] ferrugine clarus et ostro,
Spicula torquebat Lycio Gortynia [26] cornu;
Aureus ex humero sonat arcus, et aurea vati
Cassida [27]; tum croceâ chlamydemque sinusque crepantes
Carbaseos fulvo in nodum [28] collegerat auro,
Pictus [29] acu tunicas et barbara tegmina crurum.
Hunc virgo, sive ut templis præfigeret [30] arma
Troïa, captivo sive ut se ferret in auro,
Venatrix unum ex omni certamine pugnæ
Cæca sequebatur, totumque incauta per [31] agmen
Femineo prædæ et spoliorum ardebat amore:
Telum ex insidiis quum tandem tempore capto
Concitat et Superos Arruns sic voce precatur:
« Summe [32] deûm, sancti custos Soractis Apollo,
Quem primi [33] colimus, cui pineus ardor acervo
Pascitur, et medium freti pietate per ignem
Cultores multa premimus vestigia prunâ [34],
Da, Pater, hoc nostris aboleri dedecus armis,
Omnipotens. Non exuvias pulsæve [35] tropæum
Virginis, aut spolia ulla peto: mihi cetera laudem
Facta ferent; hæc dira meo dum vulnere pestis
Pulsa cadat, patrias remeabo inglorius [36] urbes. »

24 Quem equum mumiebat pellis ferina, obducta squamis in speciem plumarum ex ære factis, aureis fibulis subter alvum conserta. « *Pluma* est in armatura, ubi lamina in laminam se indit. Significat eum fuisse cataphractum. *Cataphracti* autem equites et ipsi ferro sunt muniti, et equos similiter munitos habent; de quibus Sallustius: *Equis paria* (ac viris) *operimenta erant, quæ linea ferreis laminis in modum plumæ adnexuerant.* » *S.* — 25 *Peregrina*, ut Hibera; vide IX, 582, not. 29. — 26 Epitheta a populis arte sagittandi claris; vide p. 304, n. 84; p. 29, n. 57. — 27 Cassis; poetica forma. Sinus *carbaseos*, chlamydis ex carbaso textæ, auro intertexto, fortasse bracteis aureis distinctæ, unde *crepantes*. — 28 « Hanc chlamydem, quo expeditior esset, aureis nexibus (fibula vel cingulo, sub pectore) in nodum habuit collectam. » *Donatus*. Ex quo nodo, sive complicatione, explicabat se et latius expandebat sinus vestis. — 29 Habens pictas *acu* etc. *Barbara tegmina crurum*, braccas phrygias, qualibus cernere licet indutos Atyn, Ganymedem, Paridem in vasis veterum pictis. *Barbara*, vide p. 169, n. 28. « Sane armorum longa descriptio illuc spectat, ut in eorum cupiditatem merito Camilla videatur esse succensa. » *S.* — 30 Vide III, 286 seqq. Junge *virgo venatrix. In auro*, ut *in armis*: eo induta. — 31 Vide p. 144, n. 46. *Femineo*, impatienti, impotenti; vide VII, 345, n. 53. « Eo quod Camilla sacerdotem majoris numinis (Cybelæ) conatur occidere, quasi exauctoratur Dianæ favor, interveniente majoris numinis iracundia. » *S.* — 32 « *Summe* ex affectu colentis dicitur; nam Jupiter summus est. » *S.* Idem valet de *omnipotens*, mox v. 790. *Soractis*, vide p. 300, n. 17. — 33 Præ ceteris, nos inprimis. Peerlkamp. correxit *Quem Hirpini col.*, de quibus fabulas vide ap. Serv. *Pineus ardor*, ignis ex strue lignorum pini; vide similia p. 137, n. 3. — 34 Testis Plinius, *Hist. Nat.* VII, 2: « Haud procul ab urbe Roma in Faliscorum agro familiæ sunt paucæ, quæ vocantur *Hirpi*: hæ sacrificio annuo, quod fit ad montem Soractem Apollini, super ambustam ligni struem ambulantes non aduruntur. Et ob id perpetuo senatusconsulto militiæ omniumque aliorum munerum vacationem habent. » Servius: « Virgilius quidem dicit *freti pietate*; sed Varro, ubique expugnator religionis, ait, quum quoddam medicamentum describeret: *Uti solent Hirpini, qui ambulaturi per ignes medicamento plantas tinguunt.* » Vestigia *premimus*, imprimimus, ponimus. Vox *cultores*, languere visa post *quem colimus*, a nonnullis mutatur in *victores*, qua voce Silius utitur in imitatione hujus loci, V, 175 seqq. — 35 « *Pulsæ* proprie: nam de occisis hostibus triumphabant, de pulsis et fugatis figebant tropæum, ἀπὸ τοῦ τρέπεσθαι. » *S.* Sed mox *pulsa* est dejecta, prostrata, ut 56, n. 24. *Cetera facta*, non belli. — 36 Nullis captis de Camilla populis, quibus ad se pertinere viraginis occisæ gloriam probaret.

Audiit et voti Phœbus succedere partem
Mente[37] dedit, partem volucres dispersit in auras :
[Sterneret ut subita turbatam morte Camillam,
Annuit oranti ; reducem ut patria alta videret,
Non dedit, inque Notos vocem vertère procellæ.]
Ergo, ut missa manu sonitum dedit hasta per auras,
Convertère animos acres[38] oculosque tulere
Cuncti ad reginam Volsci. Nihil ipsa nec auræ[39]
Nec sonitûs memor, aut venientis ab æthere teli,
Hasta sub exsertam[40] donec perlata papillam
Hæsit, virgineumque alte bibit acta cruorem.
Concurrunt trepidæ comites, dominamque ruentem
Suscipiunt. Fugit ante omnes[41] exterritus Arruns,
Lætitia mixtoque metu, nec jam amplius hastæ
Credere nec telis occurrere virginis audet.
Ac velut ille[42], prius quam tela inimica sequantur,
Continuo in montes se avius abdidit altos,
Occiso pastore, lupus, magnove juvenco,
Conscius audacis facti, caudamque remulcens[43]
Subjecit pavitantem utero, silvasque petivit :
Haud secus ex oculis se turbidus abstulit Arruns,
Contentusque fuga, mediis se immiscuit armis.
Illa manu moriens telum trahit ; ossa sed inter
Ferreus ad costas alto stat[44] vulnere mucro.
Labitur exsanguis, labuntur frigida leto
Lumina ; purpureus quondam color ora reliquit.
Tum sic exspirans Accam, ex æqualibus unam,
Alloquitur, fida ante alias quæ sola Camillæ,
Quicum partiri[45] curas ; atque hæc ita fatur : [bum
« Hactenus, Acca soror, potui[46] : nunc vulnus acer-
Conficit, et tenebris nigrescunt omnia circùm.
Effuge, et hæc Turno mandata novissima perfer :
Succedat pugnæ[47], Trojanosque arceat urbe.
Jamque vale. » Simul his dictis linquebat habenas,
Ad terram non sponte fluens. Tum frigida toto
Paullatim exsolvit se corpore[48], lentaque colla
Et captum leto posuit caput, [arma reliquens[49],
Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.]
Tum vero immeusus surgens ferit aurea clamor
Sidera ; dejecta crudescit pugna Camillâ :
Incurrunt densi simul omnis copia[50] Teucrûm,
Tyrrhenûmque duces, Evandrique Arcades alæ.
At Triviæ[51] custos jamdudum in montibus Opis

37 *Mente*, τῇ γνώμῃ Græcis, animi decreto ; conf. X, 629 ; et ad sequentia IX, 331-2. Sequentes versus tres, quorum nullum vestigium in commentariis Servii, supervacanei sunt et hominis loquacis, neque uno incommodo laborant in singulis ; vid. Peerlkamp. p. 375-6, qui obelo confixit. — 38 *Acies* in aliquibus incertæ fidei. — 39 Neque locum ubi sonitus fiebat, neque ipsum sonitum curans. Pro *teli* Peerlkampius LÆTI. (Conf. Serv. ad v. 818.) — 40 Vide 649, n. 76. — 41 Promptissime, antequam ceteri quicquam agerent. — 42 Lupus *ille* ; simile est X, 707. Homerica comparatio, *Il.* O, 586 seqq. — 43 Reflectens, græce ὑπέλλων. — 44 Conf. X, 334. — 45 *Partiri* solebat ; vide p. 60, n. 4. — 46 *Potui* pugnare : quo addito vis dicti et affectus minueretur. — 47 Conf. X, 690. — 48 Conf. IV, 703. — 49 Alii apud Servium legebant *relinquunt* (Camillam), decidunt. Etiam aliis criticis improbata rejecit Peerlk. pag. 378. Alter versus ex XII, 952. — 50 Vide p. 171, n. 52.

— 51 A Diana posita custos, speculatrix. Hinc usque ad v. 867 sæpe desideratur vel nitor vel acumen eximii poetæ : quod verbo indicandum erat ; singula perse-

Alta sedet summis, speculatque interrita pugnas.
Utque procul medio juvenum in clamore furentum
Prospexit tristi multatam morte Camillam,
Ingemuitque deditque has imo pectore voces :
« Heu nimium, virgo, nimium crudele luisti
Supplicium, Teucros conata lacessere bello !
Nec tibi desertæ [52] in dumis coluisse Dianam
Profuit, aut nostras humero gessisse sagittas.
Non tamen indecorem tua te regina reliquit
Extrema jam in morte; neque hoc sine nomine letū
Per gentes erit, aut famam patieris inultæ.
Nam quicumque tuum violavit vulnere corpus,
Morte luet merita. » Fuit ingens monte sub alto
Regis Dercenni [53] terreno ex aggere bustum
Antiqui Laurentis, opacaque ilice tectum :
Hic dea se primum rapido pulcherrima nisu
Sistit, et Arruntem tumulo speculatur ab alto.
Ut vidit lætantem animis [54] ac vana tumentem :
« Cur, inquit, diversus abis? huc dirige gressum,
Huc peritura [55] veni, capias ut digna Camillæ
Præmia [56]. Tune etiam telis moriere Dianæ? »
Dixit, et aurata volucrem Threïssa [57] sagittam
Deprompsit pharetra, cornuque infensa tetendit,
Et duxit longe, donec curvata coirent
Inter se capita [58], et manibus jam tangeret æquis,
Lævà aciem ferri, dextra nervoque papillam.
Extemplo teli stridorem aurasque sonantes
Audiit una Arruns hæsitque in corpore ferrum.
Illum exspirantem socii atque extrema gementem
Obliti [59] ignoto camporum in pulvere linquunt;
Opis ad ætherium pennis aufertur Olympum.
Prima fugit, dominâ amissa, levis ala Camillæ;
Turbati fugiunt Rutuli; fugit acer Atinas;
Disjectique duces desolatique [60] manipli
Tuta petunt, et equis aversi ad mœnia tendunt.
Nec quisquam instantes Teucros letumque ferentes
Sustentare valet telis, aut sistere contra;
Sed laxos referunt humeris languentibus [61] arcus,
Quadrupedumq [62] putrē cursu quatit ungula campū.
Volvitur ad muros caligine turbidus atrâ
Pulvis, et e speculis [63] percussæ pectora matres
Femineum clamorem ad cœli sidera tollunt.
Qui cursu portas primi irrupere patentes,

cutus est Peerlkamp. p. 379-83. — 52 Degenti in locis solitariis et desertis. — 53 De quo nihil apud antiquos relatum. — 54 Alii *fulgentem armis*. — 55 Vide II, 283, n. 34. — 56 Pœnam cædæ Camillæ meritam. Sic II, 537. Sequentia, *Tune etiam* etc., Opis non Arrunti dicit, sed sibi de Arrunte : Tune etiam, homo iners et vilis, divinis telis moriere, ut alii multo te fortiores? Sic intelligebat Servius : « Cum ingenti amaritudine dictum est. Nam ei etiam genus invidet mortis. Quod autem ait *tune etiam*, ad Niobes numerosam pertinet sobolem. » — 57 Vide 532, n. 33, et 659, not. 79. *Cornu*, arcum. — 58 *Capita*, quæ dici solent *cornua* arcūs. *Æquis*, ut æque tangerent dextra pectus et læva cuspidem sagittæ. — 59 « Nonnulli Virgilium secundum vetustatem hoc verbo usum tradunt, ut *obliti* esse ἀμελήσαντες, negligentes et contemnentes putent; viderant enim peremptum, sed neglexerunt. » *S.* — 60 Deserta ducibus. — 61 Ipsi quippe languentes et fessi. — 62 *Quadrupedique* Peerlkamp., probabiliter, e codicum vestigiis et imitatione Appulei. Vide VIII, 596, n. 47. — 63 E muris, unde prospiciunt;

Hos inimica super[64] mixto premit agmine turba ;
Nec miseram effugiunt mortem ; sed limine in ipso,
Mœnibus in patriis, atque inter tuta domorum,
Confixi exspirant animas. Pars claudere portas ;
Nec sociis aperire viam, nec mœnibus audent
Accipere orantes ; oriturque miserrima cædes
Defendentum[65] armis aditus, inque arma ruentum.
Exclusi, ante oculos lacrimantumque ora parentum,
Pars in præcipites fossas, urgente ruinâ[66],
Volvitur ; immissis pars cæca et concita frenis[67]
Arietat in portas et duros[68] objice postes.
Ipsæ de muris summo certamine matres
[(Monstrat[69] amor verus patriæ) ut vidère Camillâ,]
Tela manu trepidæ[70] jaciunt, ac robore duro
Stipitibus[71] ferrum sudibusque imitantur obustis
Præcipites, primæque mori pro mœnibus[72] ardent.
Interea Turnum in silvis[73] sævissimus implet
Nuntius, et juveni ingentem fert Acca tumultum[74] :
Deletas Volscorum acies, cecidisse Camillam,
Ingruere infensos hostes, et Marte secundo
Omnia corripuisse[75] ; metum jam ad mœnia ferri.
Ille furens (et sæva[76] Jovis sic numina poscunt)
Deserit obsessos colles, nemora aspera linquit.
Vix e conspectu[77] exierat campumque tenebat,
Quum pater Æneas, saltus ingressus apertos,
Exsuperatque jugum, silvaque evadit opacâ.
Sic ambo ad muros rapidi totoque feruntur
Agmine, nec longis inter se passibus[78] absunt,
Ac simul Æneas fumantes pulvere campos
Prospexit longe Laurentiaque agmina vidit,
Et sævum Æneam agnovit Turnus in armis[79],
Adventumque pedum flatusque audivit equorum.
Continuoque ineant pugnas et prœlia tentent,
Ni roseus fessos jam gurgite Phœbus Hibero[80]
Tinguat equos, noctemque die labente reducat[81].
Considunt castris ante urbem, et mœnia vallant.

vide 475 seq. — 64 Insuper ; id est præter periculum ab hoste imminens. — 65 Et eorum qui fugientes socios vi et armis arcent ab aditu, ut claudi possint portæ, et eorum qui irruunt in ipsaque arma ruunt, quo recipiantur urbe. Observa autem supra dictum esse infinitivo *pars* CLAUDERE *portas*, qui non ponitur in re facta semel et absoluta. — 66 *Ruina* collective de ruentibus : dum urgent se alius super alium ruentes — 67 Effrenata ; vide p. 242, n. 82. *Arietat*, « in clausas portas ruit more arietis, bellici machinamenti. » *S.* — 68 Non cedentes, utpote firmo obice, aut repagulo, munitos. — 69 Docet et hortatur (conf. IX, 44, n. 19), scilicet ut hoc faciant exemplo Camillæ, Latium armis defendere, pro Latio mori ausæ. Sed frigidissima sunt *verus* et *ut viderunt*, ejecto autem versu humili, et repugnante dictis supra 593 seq., sententia recte procedit ; v. Peerlk. p. 384. — 70 *Trepidæ*, ut mox *præcipites*, de festinatione et studio. — 71 Junge *stipitibus robore duro*, ex robore. — 72 In mœnibus obversæ hostibus ; v. IX, 575, n. 26. — 73 Quibus tum insidebat, v. 531. *Implet*, penitus percutit ; quod prorsus insolenter dictum, ut versus non videatur sanus. Confer similem locum supra 447-8. — 74 Rem nuntiat, qua turbatur ejus animus. — 75 Omnem campum victricibus armis tenere. — 76 *Sæva*, ut mortem afferentia Turno. — 77 Ut jam ex eo loco, quem reliquit, conspici non posset. Sic I, 34 : *e conspectu Siculæ telluris in altum Vela dabant*. — 78 Non longo spatio nec multorum passuum. — 79 Junge *Æneam in armis. Sævum*, vide p. 135, n. 61. — 80 *Gurgite Hibero*, in Oceano occidentali, Iberiam sive Hispaniam alluente. *Tinguat*, vide *Georg.* II, 481, n. 67 — 81 *Reducat*, ut Homerus de occidente sole, ἔλκον νύκτα μέλαιναν, *Il.* Θ, 486.

LIBER XII.

Turnus ut infractos[1] adverso Marte Latinos
Defecisse videt, sua nunc promissa[2] reposci,
Se signari oculis, ultro[3] implacabilis ardet,
Attollitque animos. Pœnorum qualis in arvis,
Saucius ille gravi venantum vulnere pectus,
Tum demum[4] movet arma leo, gaudetque comantes
Excutiens cervice toros, fixumque latronis[5]
Impavidus frangit telum, et fremit ore cruento:
Haud secus accenso gliscit[6] violentia Turno.
Tum sic affatur regem, atque ita turbidus infit:
« Nulla mora in Turno; nihil est quod dicta[7] retrac-
Ignavi Æneadæ, nec, quæ pepigere, recusent. [tent
Congredior. Fer sacra, pater, et concipe[8] fœdus.
Aut hac Dardanium dextra sub Tartara mittam,
Desertorem Asiæ (sedeant[9] spectentque Latini),
Et solus ferro[10] crimen commune refellam;
Aut habeat[11] victos; cedat Lavinia conjux. »
Olli sedato respondit corde Latinus:

1 Ab *infringo*, ut IX, 499, not. 97. — 2 *Promissa*, quæ vide XI, 438 seqq. — 3 *Ultro* (post *oculis*) est : antequam exposcatur verbis, lacessatur conviciis. *Implacabilis*, ira implacabili. Sequitur comparatio homerica. — 4 *Tum demum*, « postquam fuerit vulnere lacessitus. Hæc enim leonum natura est, ut nisi lacessiti irasci nequeant. » *Serv. Arma movet*, ut de tauro pugnaturo dixerat *Signa movet*, *Georg.* III, 236. *Gaudet excutiens*, græco more; vide pag. 90, not. 91. Sic Cybele leonem suum incitans, apud Catullum : *Rutilam ferox torosa cervice quate jubam.* — 5 « *Latronem* hic venatorem accipiendum, quia et obsidet saltus et cum ferro est. » *Serv.*, addens sine exemplo esse de venatore dictum. Alia de his dubitat Peerlkamp. pag. 389. — 6 Crescit latenter. *Turbidus*, v. X, 763. — 7 Vide XI, 115 seqq. — 8 Fac verbis conceptis; « *concepta* autem *verba* dicuntur jurisjurandi formula, quam nobis transgredi non licet. » *Serv.* — 9 « Latenter eos ignaviæ arguit. » *Serv.* Vide XI, 369, not. 99. — 10 *Ferro*, non verbis. *Crimen commune*, criminationem, qua me onerant omnes. — 11 *Habeat* nos, in ditionem accipit. *Cedat* ei; vide p. 188, n. 42.

« O præstans animi juvenis, quantum ipse feroci
Virtute exsuperas, tanto me impensius æquum est
Consulere, atque omnes metuentem expendere casus.
Sunt tibi regna patris Dauni, sunt oppida capta
Multa manu [12]; [nec non aurumque animusque Latino est.]
Sunt aliæ innuptæ Latio et Laurentibus agris,
Nec genus indecores. Sine me hæc haud mollia fatu
Sublatis aperire dolis; [simul [13] hoc animo hauri:]
Me natam nulli veterum sociare procorum
Fas erat, idque omnes diviqve hominesque [14] canebant.
Victus amore tui, cognato sanguine [15] victus,
Conjugis et mœstæ lacrimis, vincla [16] omnia rupi:
Promissam eripui genero; arma impia sumpsi.
Ex illo qui me casus, quæ, Turne, sequantur
Bella, vides; quantos primus [17] patiare labores.
Bis magna victi pugna vix urbe [18] tuemur
Spes Italas; recalent [19] nostro Tiberina fluenta
Sanguine adhuc, campique ingentes ossibus albent.
Quo [20] referor toties? [quæ mentem insania mutat?]
Si, Turno exstincto, socios [21] sum adscire paratus,
Cur non incolumi potius certamina tollo?
Quid consanguinei Rutuli, quid ceterea dicet
Italia, ad mortem si te (Fors dicta refutet!)
Prodiderim, natam et connubia nostra petentem?
Respice res bello varias [22]; miserere parentis
Longævi, quem nunc mœstum patria Ardea longe
Dividit [23]. » Haudquaquam dictis violentia Turni
Flectitur: exsuperat magis, ægrescitque medendo [24].
Ut primum fari potuit, sic institit ore: [me [25]
« Quâ pro me curâ geris, hanc precor, optime, pro
Deponas, letumque sinas pro laude pacisci.
Et nos tela, pater, ferrumque haud debile dextrâ
Spargimus, et nostro [26] sequitur de vulnere sanguis.
Longe illi dea mater erit [27], quæ nube fugacem

12 Virtute bellica. Sequentia sic intelliguntur: Si aurum insuper cupis, est mihi (*prædivitî*, XI, 213), prætereaque animus in te propensus. Verba hic prorsus incommoda et a criticis notata; vid. Peerlkamp pag. 390-1, qui ejecit. — 13 Hæc cum eodem proscribenda putamus, donec explicet aliquis aut emendet vocem *simul*. Tentavit Wagner. : « Simul peto abs te, ut hoc ipsum, quod sum dicturus, penitus ad animum tuum admittas. » — 14 Faunus et vates. — 15 Mater Turni Venilia erat soror Amatæ, uxoris Latini. — 16 « *Vincula* et religionis et fœderis. » *S. Promissam*, vide VII, 268 seqq. — 17 Tu ante omnes, et præcipue; ut p. 192, not. 9. — 18 *Vix urbe*, quæ nobis sola superest. — 19 *Calent* poscit latinitas; compositio non erat hic locus, cujus defensionem doctissimi homines susceperunt frustra. Servius: « Iterum calent, quod bis victi. » Neque aliud sonat *recalent*; ut distinguendum sit hoc modo: *recalent* (per alteram pugnam) *nostro Sanguine, adhuc campique* (et ex priore pugna campi adhuc) *ossibus* combustorum *albent*. — 20 Ad quæ consilia, in quam mentem redigor *toties*, non modo nunc, sed quoties illæ belli impii calamitates me afflictabant? Sequentia, repetita ex IV, 595, non esse hujus loci vidit Peerlkamp., de versibus tribus disserens p. 392-3. — 21 « Bene non adjecit quos, ut levaret invidiam. » *S.* — 22 Sive *eventus belli varios*, X, 160. — 23 Disjungit, distinet a te, ut III, 383. — 24 Eo quod Latinus medetur ei et lenire studet. — 25 « Bis ait *pro me*, sed diversa affectione. Namque hoc dicit: Quam pro salute mea sollicitudinem geris, hanc pro mea fama et gloria quæso derelinquas; vir fortis enim gloriosam mortem præponit saluti. » *S.* — 26 *Nostro*, quod nos inferimus; sic II, 436, *vulnere Ulixi*, ab Ulysse illato. — 27 Non aderit ei Venus, non feret auxilium *imploranti*, ut se nube tegat, quando in fugam erit conjectus. *Longe esse* sive *abesse* dicuntur dii qui vocati non exaudiunt; unde sponte accedit « invocandi » notio sequentibus *quæ*

(ut ea) *tegat*. Respicitur, ut jam supra aliquoties, pugna cum Diomede, *Iliad*. E, 311 seqq., e qua discessit nube circumfusus a matre. — 28 Significat Turnus, secum pugnanti *vanas* fore illas umbras, vanamque spem in tali auxilio collocaturum esse Æneam. — 29 Insolita conditione pugnandi, certamine singulari. — 30 Retinebat, tamquam quæ mori decrevisset, nisi ille flecteretur. — 31 Vide II, 142, not. 69. — 32 Jam labans et casura in te nititur. — 33 *Teucris* quomodi dici potuerit pro: Teucro, Æneæ, expositum est p. 19, not. 47. Ac verendum erat Amatæ ne *Teucro* dicens magis accenderet ardorem et impetum Turni. — 34 *Captiva*, non « victa », dicit ad augendam invidiam. — 35 Junge *vocem matris L. perfusa lacrimis*. — 36 Servius : « Hypallage est pro : cui ignis animi subjecit ruborem. Movebatur autem, intelligens se esse tantorum causam malorum, ut supra (XI, 480), *Causa mali tanti, oculos dejecta decoros*. » Sed non admittenda hypallage perverteret rationem grammaticam. *Rubor* est pudor, qui tam frequenter in omni genere orationis dicitur *rubor*, ut hic proprii vocabuli locum obtinere credendus sit. — 37 Tinxerit. Expressit homericum φοίνιξε μέλγη, *Il*. Δ, 141. — 38 *Rubent*, repercusso rubore vicino. — 39 *Tanto*, quantum sunt lacrimæ, res ominosissima. — 40 *Mortis*, si quidem est fatalis mihi. Atqui hoc ominosum ut quod maxime. Ipsi veteres hic hæserunt, teste Servio : « Sciendum est locum hunc unum esse de insolubilibus duodecim, quæ habent obscuritatem, licet a multis pro captu resolvantur ingenii. » *Martis* scripsit Peerlkamp, p. 398, probabiliter si repetitæ vocis causa appareret. — 41 *Phrygio*, cui voci, ut sæpe videmus, adjungebatur notio mollitiei et ignaviæ. — 42 « Solent enim ex equorum vel mœstitia vel alacritate eventum futurum dimicaturi colligere. » *S. Pilumno*, v. X, 619. — 43 Uxor Boreæ (p. 126, n. 53), patris præstantissimorum equorum ; v. *Iliad*. Υ, 223 seqq. Veteres quidam critici ap. Serv. culpabant hoc de Orithyia Attica figmentum ut « incongruum. »

Feminea tegat, et vanis[28] sese occulat umbris. »
At regina, nova pugnæ conterrita sorte[29],
Flebat, et ardentem generum moritura tenebat[30] :
« Turne, per has ego te lacrimas, per[31] si quis Amatæ
Tangit honos animum (spes tu nunc una, senectæ
Tu requies miseræ ; decus imperiumque Latini
Te penes ; in te omnis domus inclinata[32] recumbit),
Unum oro : desiste manum committere Teucris[33].
Qui te cumque manent isto certamine casus,
Et me, Turne, manent : simul hæc invisa relinquâ
Lumina, nec generum Æneam captiva[34] videbo. »
Accepit vocem[35] lacrimis Lavinia matris
Flagrantes perfusa genas ; cui plurimus ignem
Subjecit rubor[36], et calefacta per ora cucurrit.
Indum sanguineo veluti violaverit[37] ostro
Si quis ebur, aut mixta rubent[38] ubi lilia multâ
Alba rosa : tales virgo dabat ore colores.
Illum turbat amor, figitque in virgine vultus.
Ardet in arma magis, paucisque affatur Amatam :
« Ne, quæso, ne me lacrimis, neve omine tanto[39]
Prosequere in duri certamina Martis euntem,
O mater : neque enim Turno mora libera mortis[40].
Nuntius hæc, Idmon, Phrygio[41] mea dicta tyranno
Haud placitura refer : Quum primum crastina cœlo
Puniceis invecta rotis Aurora rubebit,
Non Teucros agat in Rutulos ; Teucrûm arma quiescant
Et Rutuli : nostro dirimamus sanguine bellum ;
Illo quæratur conjux Lavinia campo. »
Hæc ubi dicta dedit, rapidusque in tecta recessit,
Poscit equos, gaudetque tuens ante ora frementes[42],
Pilumno quos ipsa decus dedit Orithyia[43],
Qui candore nives anteirent, cursibus auras.
Circumstant properi aurigæ, manibusque lacessunt

Pectora plausa[44] cavis, et colla comantia pectunt.
Ipse dehinc auro squalentem[45] alboque orichalco
Circumdat loricam humeris; simul aptat habendo[46]
Ensemque clipeumque, et rubræ cornua[47] cristæ :
Ensem, quem Dauno ignipotens deus ipse parenti
Fecerat, et Stygia candentem tinxerat[48] undâ.
Exin, quæ mediis ingenti adnixa columnæ
Ædibus adstabat, validam vi corripit hastam,
Actoris[49] Aurunci spolium, quassatque trementem,
Vociferans : « Nunc, o numquam frustrata vocatus
Hasta meos, nunc tempus adest[50] ! te maximus Actor,
Te Turni nunc dextra gerit : da sternere corpus,
Loricamque manu valida lacerare revulsam
Semiviri[51] Phrygis, et fœdare in pulvere crines
Vibratos calido ferro[52] myrrhaque madentes. »
His agitur furiis; totoque ardentis ab ore
Scintillæ absistunt; oculis micat acribus ignis :
Mugitus veluti quum prima in prœlia taurus
Terrificos ciet, atque irasci[53] in cornua tentat.
Arboris obnixus trunco; ventosque lacessit
Ictibus, aut sparsâ ad pugnam proludit arenâ.

Nec minus interea maternis sævus in armis
Æneas acuit Martem[54], et se suscitat irâ,
Oblato gaudens componi fœdere bellum.
Tum socios mœstique metum solatur Iuli,
Fata docens; regique jubet responsa[55] Latino
Certa referre viros, et pacis dicere leges[56].

Postera vix summos spargebat lumine montes
Orta dies, quum primum alto se gurgite tollunt
Solis equi, lucemque elatis naribus efflant[57] :
Campum ad certamen, magnæ sub mœnibus urbis,
Dimensi Rutulique viri Teucrique parabant,
In medioque focos et dis communibus[58] aras
Gramineas. Alii fontemque[59] ignemque ferebant,
Velati limo[60], et verbena tempora vincti.
Procedit legio Ausonidûm, pilataque[61] plenis

44 Vide *Georg.* III, 186. — 45 Vide X, 314, *Georg.* IV, 94. *Albo*, splendente, φαεινῷ apud Hesiodum. — 46 Dativus : ad habendum, ut haberi commode manu et tractari possint, habiles sint. — 47 *Cornua* videtur dicere conos galeæ, quibus inserebantur cristæ. — 48 Conf. VIII, 450-1. « Quasi immortalem fecerat. » *S.* — 49 Actori detractum. — 50 Facile prætuleris, *nunc tempus*, ADES ! propositum a Peerlk. Conf. X, 774. *Actor* gessit. — 51 Vide IV, 215, n. 4. — 52 Crispatos calamistro. Sic Plinius dicit Æthiopes adustis similes igni, *barba et capillo vibrato*. — 53 Prope eadem in *Georg.* III, 232-4, ubi v. not. 66 et 67. Sed *prima prœlia* et *tentat* nemo facile judicaverit apte dicta in comparatione ad Turnum referenda. — 54 « Irritat se ad futura certamina. Æneæ autem poeta dat moderationem, quippe quem inducit laborantem ut possit in iram moveri, quum Turnum ita dicat furere ut et consiliis et precibus resistat. » *S.* — 55 *Responsa* ad illa quæ Idmon perferre jussus erat v. 75 seqq. — 56 Sive (ut nos) conditiones, quæ exponentur infra v. 183 seqq. — 57 Ennius dixerat : *fundunique elatis naribu' lucem*. Servius : « Sciendum numquam Virgilium diem orientem sic potenter descripsisse », quippe testem summæ rei futurum. — 58 Per quos utrique juraturi erant. — 59 Aquam fontanam. — 60 *Limus* sive *limus cinctus* « est vestis, qua ab umbilico usque ad pedes teguntur pudenda poparum, habens in extremo sui purpuram *limam*, id est obliquam, transversam; unde nomen. *Verbena* proprie est herba sacra sumpta de loco sacro Capitolii, qua coronabantur Fetiales fœdera facturi vel bella indicturi. Abusive tamen *verbenas* jam vocamus omnes frondes sacratas. » *S.* — 61 Pilis armata. Alia habes in docto scholio Servii.

Agmina se fundunt portis. Hinc Troïus omnis
Tyrrhenusque ruit variis exercitus armis,
Haud secus instructi ferro quam si aspera Martis
Pugna vocet. Nec non mediis in millibus ipsi
Ductores auro volitant ostroque superbi,
Et genus Assaraci Mnestheus, et fortis Asilas,
Et Messapus equûm domitor, Neptunia proles.
Utque, dato signo, spatia in sua quisque recessit,
Defigunt telluri[62] hastas, et scuta reclinant.
Tum studio effusæ[63] matres, et vulgus inermum,
Invalidique senes turres et tecta domorum
Obsedere; alii portis sublimibus[64] adstant.

At Juno, ex summo qui nunc Albanus habetur
(Tũ neq; nomen erat[65], nec honos aut gloria monti)
Prospiciens tumulo, campum aspectabat et ambas
Laurentum Troumque acies, urbemque Latini.
Extemplo Turni sic est affata sororem[66],
Diva deam, stagnis quæ fluminibusque sonoris
Præsidet; hunc illi rex ætheris altus honorem
Juppiter erepta pro virginitate sacravit[67]:
« Nympha, decus fluviorũ, animo gratissima nostro,
Scis ut te cunctis unam, quæcumque Latinæ
Magnanimi Jovis ingratum[68] ascendère cubile,
Prætulerim, cœlique libens in parte locarim:
Disce tuum, ne me incuses, Juturna, dolorem.
Qua[69] visa est fortuna pati, Parcæque sinebant
Cedere res Latio[70], Turnum et tua mœnia texi:
Nunc juvenem imparibus[71] video concurrere fatis,
Parcarumque dies et vis inimica propinquat.
Non pugnã aspicere hanc oculis, non fœdera possũ.
Tu pro germano si quid præsentius[72] audes,
Perge; decet: forsan miseros meliora sequentur. »
Vix ea[73], quum lacrimas oculis Juturna profudit,
Terque quaterque manu pectus percussit honestũ[74].
« Non lacrimis hoc tempus, ait Saturnia Juno;
Accelera, et fratrem, si quis modus, eripe morti;
Aut tu bella cie, conceptumque[75] excute fœdus:
Auctor ego audendi. » Sic exhortata reliquit
Incertam et tristi turbatam vulnere mentis.

Interea reges[76], ingenti mole Latinus

62 Sic *terræ defigitur arbos*, *Georg.* II, 290. *Reclinant* ad eamdem. — 63 Magna spectandi cupiditate actæ. — 64 *Portis sublimibus* : his verbis comprehenduntur et *muri*. — 65 « Catonem sequitur, qui *Albanum* montem ab Alba Longa putat dictum. » *S.* — 66 Juturnam, nympham, naiadem fontis ad radices montis Albani et juxta Numicium fluvium scaturientis; qui fons fluvium efficit et lacum, omnes Juturnæ nomine. De qua dea et Juturnalium festo lege Servium. — 67 Honorem *sacravit*, sacrum et inviolabilem dedit, consecravit. — 68 Cubile *ingratum*, cujus nulla iis aut mala gratia est (p. 292, n. 92) penes me. Quod senties poetam rhythmo quoque expressisse, legitimæ cæsuræ suavitate pedi huic adempta. — 69 Quatenus, in quantum. — 70 Succedere, bene procedere Latinis. — 71 *Imparibus* Æneæ, cujus fata majora sunt et potiora. — 72 Efficacius. *Audes*, ausura es, vis audere. *Perge*, age. — 73 *Vix ea*, supple *dixerat* Juno. — 74 Pulchrum. *Tempus est hoc*, idem significat quod *nunc*. — 75 Vide 13, n. 8. *Excute*, turba, disjice, ut VII, 339 : *Disjice compositam pacem*. — 76 Dicturus *reges* PROCEDUNT, poeta nomina statim adjicit, hæc autem ponendo adducitur ut suum cuique det verbum. Non adeo rarum hoc genus structuræ, quod constat divisione non provisa; cui legitima syntaxis medetur genitivi usus : Interea *regum* Latinus..., Turnus... *In-*

Quadrijugo vehitur curru, cui tempora circùm
Aurati bis sex radii fulgentia cingunt,
Solis avi specimen [77]; bigis it Turnus in albis,
Bina manu lato crispans hastilia ferro.
Hinc pater Æneas, Romanæ stirpis origo,
Sidereo flagrans clipeo et cœlestibus armis,
Et juxtà Ascanius, magnæ spes altera Romæ,
Procedunt castris, puraque [78] in veste sacerdos
Sætigeræ fœtum suis [79] intonsamque bidentem
Attulit, admovitque pecus flagrantibus aris.
Illi, ad surgentem conversi lumina solem,
Dant fruges manibus salsas [80], et tempora ferro
Summa notant pecudum [81], paterisque altaria libant.
Tum pius Æneas stricto sic ense precatur :
« Esto nunc Sol testis et hæc mihi terra vocanti,
Quam propter tantos potui perferre labores,
Et Pater omnipotens, et tu, Saturnia conjux,
Jâ melior [82], jâ, diva, precor; tuque, inclite Mavors,
Cuncta tuo qui bella, pater, sub numine torques [83];
Fontesque Fluviosque [84] voco, quæque Ætheris alti
Religio, et quæ cæruleo sunt Numina ponto :
Cesserit Ausonio si fors [85] victoria Turno,
Convenit Evandri victos discedere ad urbem;
Cedet Iulus agris; nec post arma ulla rebelles [86]
Æneadæ referent, ferrove hæc regna lacessent.
Sin nostrum [87] annuerit nobis Victoria Martem
(Ut potius reor, et potius di numine firment!)
Non ego nec Teucris Italos parere jubebo,
Nec mihi regna peto : paribus se legibus [88] ambæ
Invictæ gentes æterna in fœdera mittant.
Sacra deosque dabo [89]; socer arma Latinus habeto,
Imperium sollemne [90] socer : mihi mœnia Teucri
Constituent, urbique dabit Lavinia nomen. »

Sic prior Æneas; sequitur sic deinde Latinus,
Suspiciens cœlum, tenditque ad sidera dextram :
« Hæc eadem, Ænea, Terram, Mare, Sidera, juro,
Latonæque genus duplex, Janumque bifrontem [91],

genti mole veteres explicabant: pompa, ambitu, apparatu: sed est intelligendum de magno corpore regis, in quo majestas cernebatur : sic solet enim antiqua poesis; vel ut II, 557, *jacet* INGENS *litore truncus*, de Priamo. — 77 Quo ostenditur, Solem esse avum Latini. Mater erat Marica nympha (VII, 47, n. 23), quæ Solis vel filia vel neptis existimanda est, hinc fortasse pro Circe habita apud Græcos. *Avus* latiore sensu dictum X, 76, n. 32. — 78 « *Pura*, colore albo, nec purpuræ variata picturis. » *Donatus*. — 79 Nam *cæsâ jungebant fœdera porcâ*, VIII, 641. *Intonsam*, « quam *altitaneam* vocant pontifices. » *S*. — 80 Molam salsam injiciunt fronti pecudum. — 81 Setas ibi carpentes, ut poeta dicit VI, 245, n. 14, igni imponendas. Altaria *libant*, libando tingunt, rigant. — 82 Propitia magis quam ante, ut ostendere videbantur postremo eventa. Addit autem preces : et *precor* ut *jam* sis melior. — 83 Tuo numini subjecta moderaris. Conf. IV, 269. — 84 Ut apud Homerum, *Il*. Γ, 278; unde Virgilius permulta expressit in toto hoc loco de fœdere feriendo et turbando. Deinde « post specialia intulit generalitatem » (*S*.), cœli et maris deos in universum. — 85 Si forte. *Convenit*, gr. σύγκειται, ex fœdere in quod conventum est. — 86 Rebellando. — 87 Si Victoria annuendo nobis et in nostras partes inclinando significaverit Martem esse *nostrum*, propitium nobis; vide p. 166, n. 82. — 88 Secundum fata, VII, 256. — 89 Vide II, 293 seqq. Religionem cultumque deorum patriorum, Vestæ scilicet et Penatium, se introducturum profitetur Æneas. — 90 Solitum; integrum servato quod habet. — 91 Conf. VII, 180. « Qui faciendis fœderibus præest. » *S. Infernam*, inferorum.

Vimque deûm infernam, et duri sacraria Ditis;
Audiat hæc Genitor, qui fœdera fulmine[92] sancit.
Tango aras[93], medios ignes et Numina testor :
Nulla dies pacem hanc Italis nec fœdera rumpet,
Quo res cumque cadent; nec[94] me vis ulla volentem
Avertet, non, si tellurem effundat in undas
Diluvio miscens, cœlumque in Tartara solvat :
Ut[95] sceptrū hoc (dextra sceptrū nam forte gerebat)
Numquam fronde levi fundet virgulta neque umbras,
Quum semel in silvis imo de stirpe recisum
Matre[96] caret, posuitque comas et brachia ferro;
[Olim arbos; nunc artificis manus ære decoro
Inclusit, patribusque[97] dedit gestare Latinis.] »

Talibus inter se firmabant fœdera dictis
Conspectu in medio procerum : tum rite[98] sacratas
In flammam jugulant pecudes, et viscera vivis
Eripiunt, cumulantque oneratis lancibus aras.
At vero Rutulis impar ea pugna videri
Jamdudum, et vario misceri pectora motu,
Tū magis, ut propius cernunt[99] non viribus æquis.
Adjuvat[1] incessu tacito progressus et aram
Suppliciter venerans demisso lumine Turnus,
Tabentesque genæ, et juvenali in corpore pallor.
Quem simul ac Juturna soror crebrescere vidit
Sermonem, et vulgi variare labantia corda,
In medias acies, formam assimilata Camerti
(Cui genus[2] a proavis ingens, clarumque paternæ
Nomen erat virtutis, et ipse acerrimus armis),
In medias dat sese acies, haud nescia rerum[3],
Rumoresque serit varios, ac talia fatûr :
« Non pudet, o Rutuli, pro cunctis talibus[4] unam
Objectare animam? numerone, an viribus æqui
Non sumus? En omnes et Troes et Arcades hi sunt,
Fatalisque[5] manus, infensa Etruria Turno :
Vix hostem, alterni[6] si congrediamur, habemus.

92 *Sancit fulmine*, duplici quidem modo : vel fulmine tanquam ostento ea confirmans, vel fulmine persequens perjuros. — 93 Ritus sollemnis; vide IV, 219, n. 7. *Medios*, in medio positos. — 94 De his, *nec me* usque ad *solvat*, legenda disputatio Peerlkampii p. 407-8. — 95 Hæc pax numquam, me quidem sinente, rumpetur, sicut hoc quod gero sceptrum nunquam revirescet nec frondebit. Sollemnis erat comparationum usus in votis et juribusjurandis. Locus prope ad verbum translatus ex Homero, *Iliad.* A, 234-8. Vocem *dextra* Peerlkamp. observavit (pag. 409) negligentius positam esse, quia reges sceptrum *læva* gerunt et Latinus jurans dextrā tenebat aram. — 96 Arbore quæ pepererat; v. *Georg.* II, 19. *Posuit*, deposuit. — 97 Immo *regibus*. Sed Virgilii non esse hoc additamentum homericum perspexit et demonstravit Peerlk. p. 409. — 98 *Rite*, vide supra 172-4. Donatus : « In flammam effundebatur sanguis victimarum (XI, 82), et antequam morerentur, extrahebantur earum viscera et aris imponebantur. » Adde *Georg.* II, 194, n. 56. — 99 *Propius cernunt* Æneam et Turnum *viribus* imparibus. Sed melius dictum esset de *pugna* quam propinquam esse cernunt; ac bonis criticis postrema verba, *non viribus æquis*, assuta esse videntur ex V, 809. — 1 Auget motum illum animorum sollicitudo Turni et incessu et vultu significata. — 2 « Cujus auctoritatem commendabat et origo majorum, et paterna virtus, et propria fortitudo. » *S.* — 3 Non ignorans quid res postulet, quomodo in ea re sit agendum. — 4 Tam fortibus. — 5 *Fatalis manus* non sine irrisione dictum de Etruscis, quippe quibus sedentibus *fatu* exspectanda erant ducem datura, antequam in bellum procederent; vide VIII, 477-512. *Infensa Turno* propter receptum Mezentium. — 6 Vix est satis hostium, ut alterni sive bini nostrorum cum singulis hostibus congredi possint. Quod disertius Agamemnon exponit suis, *Il.* B,

Ille[7] quidem ad Superos, quorum se devovet aris,
Succedet fama[8], vivusque per ora feretur;
Nos, patriâ amissa, dominis parere superbis
Cogemur, qui nunc lenti consedimus arvis. »
Talibus incensa est juvenum sententia[9] dictis
Jam magis atq magis, serpitq per agmina murmur;
Ipsi Laurentes mutati, ipsique Latini[10].
Qui sibi jam requiem pugnæ rebusque salutem
Sperabant, nunc arma volunt, fœdusque precantur
Infectum, et Turni sortem miserantur iniquam.
His aliud majus Juturna adjungit[11], et alto
Dat signum cœlo, quo non præsentius[12] ullum
Turbavit mentes Italas monstroque fefellit.
Namque volans rubra fulvus Jovis ales in æthrâ
Litoreas agitabat aves, turbamque sonantem
Agminis[13] aligeri; subito quum lapsus ad undas
Cycnum excellentem pedibus rapit improbus uncis.
Arrexere animos Itali, cunctæque volucres
Convertunt clamore fugam[14] (mirabile visu!)
Ætheraque obscurant pennis, hostemque per auras
Facta nube[15] premunt, donec vi victus et ipso
Pondere defecit, prædamque ex unguibus ales
Projecit fluvio[16], penitusque in nubila fugit.
Tum vero augurium Rutuli clamore salutant,
Expediuntque manus[17]; primusq Tolumnius augur,
« Hoc erat, hoc, votis, inquit, quod sæpe petivi.
Accipio[18], agnoscoque deos. Me, me duce ferrum
Corripite, o miseri, quos improbus advena bello
Territat, invalidas ut aves, et litora vestra
Vi populat[19]. Petet ille fugam, penitusque profundo
Vela dabit. Vos unanimi densate catervas,
Et regem vobis pugna defendite raptum. »
Dixit, et adversos telum contorsit in hostes
Procurrens: sonitum dat stridula cornus, et auras
Certa secat. Simul hoc[20], simul ingens clamor, et omTurbati cunei[21], calefactaque corda tumultu. [nes
Hasta volans, ut forte novem pulcherrima fratrum
Corpora constiterant contrà, quos fida crearat
Una tot Arcadio conjux Tyrrhena Gylippo,
Horum unum ad medium[22], teritur qua sutilis alvo
Balteus et laterum juncturas fibula mordet,

123 seqq. — 7 Turnus. Qui *se devovet aris* Superorum, quos tuetur et defendit contra novas religiones, quas minabatur Æneas, v. 192, n. 89. — 8 Dicetur inter deos relatus. Sic Cicero, *Catilinar.* III, 1: *Romulum ad deos immortales benevolentia* FAMA*que sustulimus.* Notum est Ennii: *volito vivu' per ora virûm.* — 9 Animus; ut XI, 21, n. 12. — 10 Non Rutuli soli. — 11 Hic *aliud majus* SATURNIA *jungit*, sic correxit Peerlkampius, argumento probabili et manifesto. — 12 Vide 152, not. 72. — 13 *Turbam agminis*, agmen turbatum. — 14 Quæ ante fugerant, convertunt se et redeunt cum clamore. — 15 Ut *agmine facto*, I, 82. — 16 in fluvium. — 17 Proprie arma dicuntur *expediri*; hic *manus* ea arrepturæ. — 18 « Nam in oblativis auguriis in potestate videntis est, utrum id ad se pertinere velit, an refutet et abominetur. » *S.* Agnosco *deos*, numen et voluntatem deorum. — 19 Vide p. 147, not. 61. *Profundo*, in

maria; ut aquila *penitus in nubila fugit.* — 20 Simul et hoc factum est et clamor exortus. — 21 Spectantium consessus; a theatro ductum, ut *caveæ* V, 340. — 22 In mediam partem corporis, qua parte coeunt duo *latera* sive extremitates baltei et junguntur morsu infixæ fibulæ. *Sutilis*, laneus scilicet aut coriaceus, insertis fortasse lamellis æreis, ut sunt *ærea suta* X, 313.

Egregium forma juvenem et fulgentibus armis,
Transadigit costas[23], fulvaque effundit arenâ.
At fratres, animosa phalanx, accensaque luctu,
Pars gladios stringunt manibus, pars missile ferrum
Corripiunt, cæcique[24] ruunt. Quos agmina contra
Procurrunt Laurentum; hinc densi rursus inundant
Troes Agyllinique[25], et pictis Arcades armis.
Sic omnes amor unus habet decernere ferro.
Diripuere[26] aras; it toto turbida cœlo
Tempestas telorum, ac ferreus ingruit imber;
Craterasque focosque ferunt. Fugit ipse Latinus
Pulsatos[27] referens infecto fœdere divos.
Infrenant alii currus[28], aut corpora saltu
Subjiciunt in equos, et strictis ensibus adsunt.
Messapus regem[29], regisque insigne gerentem,
Tyrrhenum Aulesten, avidus confundere fœdus,
Adverso proterret equo : ruit ille recedens,
Et miser oppositis a tergo involvitur aris
In caput inque humeros. At fervidus advolat hastâ
Messapus, teloque orantem multa trabali[30]
Desuper altus equo graviter ferit, atque ita fatur :
« Hoc habet[31] ; hæc melior magnis data victima dis. »
Concurrunt Itali, spoliantque calentia membra. [vis.
Obvius ambustum torrem Corynæus ab ara
Corripit, et venienti Ebyso plagamque ferenti[32]
Occupat os flammis : olli ingens barba reluxit,
Nidoremque ambusta dedit; supèr ipse secutus
Cæsariem læva turbati corripit hostis,
Impressoque genu nitens, terræ applicat ipsum;
Sic rigido latus ense ferit. Podalirius Alsum,
Pastorem, primaque acie per tela ruentem,
Ense sequens nudo superimminet : ille securi
Adversi frontem mediam mentumque reductâ[33]
Disjicit, et sparso late rigat arma cruore[34].
Olli dura quies oculos et ferreus urget
Somnus; in æternam clauduntur lumina noctem.
At pius Æneas dextram tendebat inermem[35],
Nudato capite, atque suos clamore vocabat[36] :

23 De syntax vide X, 698-9, n. 95. *Effundit*, prosternit. — 24 « Ut salutis improvidi. » *S.* — 25 Etrusci; v. VIII, 479 seqq. *Pictis*, v. VIII, 588, n. 44. — 26 Sic cogitanda est illa perturbatio, tribus versibus brevissime, sed plene descripta : alii diripiunt aras[1], semiustis torribus pugnaturi; alii conjiciunt tela, quorum multitudo obumbrat æthera, quemadmodum vento actæ nubes cœlum faciunt turbidum; alii, ministri sacrorum, auferunt crateras et *focos*, id est altaria aris cespiticiis imposita, atque fugiunt; fugit etiam Latinus. Alii malunt etiam crateras et focos cogitare abreptos, ut pro armis essent. — 27 Pulsos fuisse et læsos impia violentia turbæ furentis *referens*, nuntians in urbe. Non potest enim accipi pro « revehens secum », quia nihil usquam dictum de signis deorum in campum allatis. — 28 Equos curribus jungendos; vide p. 70, n. 51. *Subjiciunt*, vide p. 49, n. 60. — 29 Unum ex regulis Etruscis, qui Lartes vocabantur. — 30 *Telo trabali*, ab Ennio. — 31 *Hoc* vulnus *habet* in corpore. « *Habet!* proprie de gladiatoribus dicitur; quia prius alii vident quam ipsi sentiant se percussos. » *Donatus. Melior*, conf. V, 483. — 32 Inferenti. — 33 *Securi reducta*, vehementer vibrata; v. V, 478, n. 10; XI, 605, n. 56. — 34 Alii *cerebro*. Sequentia etiam X, 745-6. — 35 « Ilis poeta egregie ostendit Æneæ in deos pietatem, tantum fœderis religione confisi, ut vel in fœdissima rerum perturbatione non cogitarit de se aut tegendo aut armando. Eadem via hoc assecutus est Virgilius, ne armatus videretur vulnerari Æneas, parum convenienter armis quibus utebatur divinis. » *Wagn.* — 36 Re-

« Quo ruitis ? quæve ista repens discordia surgit ?
O cohibete iras ! ictum jam fœdus, et omnes
Compositæ leges ; mihi jus concurrere soli ;
Me sinite, atque auferte metus[37] : ego fœdera faxo
Firma manu ; Turnũ debent hæc jã[38] mihi sacra. »
Has inter voces, media inter talia verba,
Ecce viro stridens alis[39] allapsa sagitta est,
Incertum qua pulsa manu, quo turbine[40] adacta,
Quis tantam Rutulis laudem, casusne deusne,
Attulerit : pressa[41] est insignis gloria facti ;
Nec sese Æneæ jactavit vulnere quisquam.
Turnus, ut Ænean cedentem ex agmine vidit
Turbatosque duces, subita spe fervidus ardet ;
Poscit equos atque arma simul, saltuque superbus
Emicat in currum, et manibus molitur[42] habenas.
Multa virũm volitans dat fortia corpora leto ;
Semineces volvit multos, aut agmina curru
Proterit, aut raptas[43] fugientibus ingerit hastas.
Qualis apud gelidi quum flumina concitus[44] Hebri
Sanguineus Mavors clipeo increpat, atque furentes
Bella movens immittit[45] equos : illi æquore aperto
Ante Notos Zephyrumq; volant ; gemit ultima pulsu
Thraca pedum ; circùmque atræ Formidinis ora[46],
Iræque, Insidiæque, dei comitatus, aguntur :
Talis equos alacer media inter prœlia Turnus
Fumantes sudore quatit, miserabile cæsis
Hostibus insultans ; spargit rapida ungula rores
Sanguineos, mixtaque cruor calcatur arenâ.
Jamq; neci Sthenelumq; dedit, Thamyrimq;, Pholumq;,
Hunc congressus[47] et hunc, illum eminus ; eminus ambos
Imbrasidas, Glaucũ atq; Laden, quos Imbrasus ipse
Nutrierat Lycia, paribusque ornaverat armis,
Vel conferre manum[48], vel equo prævertere ventos.
Parte alia, media Eumedes in prœlia fertur,
Antiqui proles bello præclara Dolonis[49] ;
Nomine avum referens, animo manibusq; parentem,
Qui quondam, castra ut Danaùm speculator adiret,
Ausus Pelidæ pretium sibi poscere currus :

vocabat ab impetu quem dabant. — 37 *Metus*, scilicet ne ad irritum cecideritis hoc fœdus. *Faxo* (v. IX, 154, not. 62) est confidenter promittentis. — 38 His sacris jam effectum est ut mihi debeatur Turnus adversarius, vestra autem arma cessare debeant. *Manu*, pugna cum Turno ineunda. — 39 Vide IX, 578, not. 27. Peerlkampius emendavit *Ecce* HUMERO *stridens* etc. (in vetustis scribitur *umero*) : nam « Virgilius nusquam aliquem vulnerari narrat, quin locum vulneris addat. Idque in Ænea inprimis requirebatur, eo magis, quia mox 385 seqq. difficultatem curationis tam accurate describit. » Sed vide 386, not. 61. — 40 *Quo*, id est cujus motu aeri. — 41 *Pressa* silentio. — 42 Movet, regit. — 43 Correptas, arreptas ; nam in bigis suis habebat. Alii *raptas* de corporibus cæsorum. In quo hoc est incommodum, ut sæpe ex curru desiliisse putandus sit. — 44 *Concitus* cursu, concitate volans. *Hebri*, in Thracia, vide p. 49, n. 52. Nam apud Homerum Mars habitat Thraciam. — 45 Immissis habenis agit ; vide V, 146, n. 68. — 46 Ex Homero, *Il.* Δ, 440 : Δεῖμός τ' ἠδὲ Φόβος καὶ Ἔριδος, hæc *Martis soror et sodalis*. Pluralis est *Iræ*, non genitivus. — 47 Collatis manibus. Cum accusativis repete *leto dedit*. — 48 Ut vel pedites manum consererent vel ex equis pugnarent, quos pater dederat rapidissimos. — 49 De quo Homerus in Δολωνείᾳ sive decimo cantu *Iliadis*, 317-457. *Manuum* robur et fortitudinem *animi* in Dolone non laudavit antiquus poeta.

Illum Tydides alio pro talibus ausis
Affecit pretio; nec equis aspirat[50] Achillis.
Hunc procul ut campo Turnus prospexit aperto,
Ante levi jaculo longum per inane[51] secutus,
Sistit equos bijuges, et curru desilit, atque
Semianimi lapsoque supervenit, et, pede collo
Impresso, dextræ mucronem extorquet et alto
Fulgentem tinguit jugulo, atque hæc insuper addit :
« En, agros, et quam bello, Trojane, petisti,
Hesperiam metire[52] jacens : hæc præmia', qui me
Ferro ausi tentare, ferunt; sic mœnia condunt. »
Huic comitem Asbyten conjecta cuspide mittit,
Chloreaque, Sybarimque, Daretaq', Thersilochumq'.
Et sternacis[53] equi lapsum cervice Thymœten.
Ac velut Edoni[54] Boreæ quum spiritus alto
Insonat Ægæo, sequiturque[55] ad litora fluctus;
Qua venti incubuere, fugam dant nubila cœlo :
Sic Turno, quacumq' viam secat[56], agmina cedunt,
Conversæque ruunt acies; fert impetus ipsum,
Et cristam adverso curru quatit aura volantem.
Non tulit instantem Phegeus animisque frementem :
Objecit sese ad currum, et spumantia frenis[57]
Ora citatorum dextra detorsit equorum.
Dum trahitur pendetque jugis[58], hunc lata retectum
Lancea consequitur, rumpitque infixa bilicem[59]
Loricam, et summum degustat vulnere corpus.
Ille tamen clipeo objecto conversus in hostem
Ibat, et auxilium ducto mucrone[60] petebat :
Quum rota præcipitem et procursu concitus axis
Impulit effuditque solo; Turnusque secutus
Imam inter galeam, summi thoracis et oras,
Abstulit ense caput, truncumque reliquit arenæ.

Atque ea dum campis victor dat funera Turnus,
Interea Æneam Mnestheus et fidus Achates
Ascaniusque comes castris statuêre cruentum,
Alternos longa nitentem cuspide[61] gressus.
Sævit[62], et infracta luctatur arundine telum

50 *Neque* amplius *adspirat*, desiit adspirare. Non temere vero dubitatur an Virgilii sint duo versus *Illum... Achillis;* vide Peerlk. p. 419-20. — 51 Per longum spatium insecutus. — 52 « Sarcasmus est : metiuntur enim agros quos assignant colonis et militibus. » *S.* — 53 « Ferocis, qui facile sternit sedentem. » *S.* — 54 Thracis vel Thracii. *Edoni* erant populus Thraciæ, quæ veteribus sedes credebatur Boreæ. *Ægæo* mari. — 55 *Sequitur* agens *ad litora. Qua*, quacumque; *venti*, quos Boreas secum habet ut ministros; confer Sophoclem in *Antigona* 988; et seq. *Fugum dant*, vide pag. 231, n. 26. Incommodum tamen haud unum in hoc versu, quem proscribit Peerlkamp. p. 920-1. — 56 Confer VI, 900. — 57 Ora habentia frenos spumantes, id est spumâ oblitos. — 58 Quæ prehenderat, ut retineret equos. In quo conatu *retegitur*, dum clipeum non sustinet ut oportebat. *Lancea*, non Turni, sed alius cujusdam. — 59 Vide p. 193, n. 23. *Degustat*, delibat, leviter stringit. — 60 Gladio educto. — 61 Dum incedit; se sustentantem hastæ cuspide *conversa* (I, 84), extremitate inferiore, σαυρωτῆρι, vide p. 131, n. 53. Jam verbum *nitor* quia etiam « incedendi » significationem habet, hinc ductum accusativum admittit de græcæ more syntaxeos : *nitor gressus alternos*, alternatim insistens huic, tum illi pedi. Hæc non necessario *claudicantem* et pede vulneratum indicant; neque probaretur imitatione Valerii Flacci, de Vulcano dicentis (II, 93), *Alternos ægro cunctantem poplite gressus*; nisi infra v. 746, n. 6, Virgilius ipse narraret *Æneæ genua* impediri *tardante sagitta*. — 62 Indignatur a pugna abstractus, et fracto hastili (*arundine*), *luctatur*, magno studio contendit extrahere *telum* mucronem inhærentem vulneri.

Eripere, auxilioque viam, quæ proxima, poscit :
Ense secent lato vulnus, telique latebram
Rescindant penitus, seseque in bella remittant.
Jamque aderat Phœbo ante alios dilectus Iapis
Iasides[63]; acri quondam cui captus amore
Ipse suas artes, sua munera, lætus Apollo
Augurium citharamque dabat[64] celeresque sagittas.
Ille, ut depositi[65] proferret fata parentis,
Scire potestates herbarum usumque medendi
Maluit, et mutas[66] agitare inglorius artes.
Stabat acerba fremens, ingentem nixus in hastam,
Æneas, magno juvenum et mœrentis Iuli
Concursu, lacrimis immobilis. Ille retorto
Pœnium[67] in morem senior succinctus amictu,
Multa manu medica Phœbique potentibus herbis
Nequicquam trepidat[68], nequicquam spicula dextrâ
Sollicitat, prensatque tenaci forcipe ferrum :
Nulla viam Fortuna regit[69], nihil auctor Apollo
Subvenit; et sævus campis magis ac magis horror[70]
Crebrescit, propiusque malum est. Jam pulvere cœlũ
Stare[71] vident; subeuntque equites, et spicula castris
Densa cadunt mediis. It tristis ad æthera clamor
Bellantum juvenum et duro sub Marte cadentum.

Hic Venus, indigno nati concussa dolore,
Dictamnum genitrix Cretæa[72] carpit ab Idâ,
Puberibus[73] caulem foliis et flore comantem
Purpureo : non illa feris incognita capris[74]
Gramina, quum tergo volucres hæsere sagittæ.
Hoc Venus, obscuro faciem circumdata nimbo,
Detulit; hoc fusum labris splendentibus amnem[75]
Inficit, occulte medicans, spargitque salubris
Ambrosiæ succos et odoriferam panaceam[76].
Fovit ea vulnus lympha longævus Iapis,
Ignorans; subitoque omnis de corpore fugit
Quippe[77] dolor; omnis stetit imo vulnere sanguis.

Quod quum non procederet, proximam et expeditissimam viam auxilii poscit, ut *ense secent vulnus*, etc. — 63 Filius Iasi; nomen delectum ob græca ἴασις, ἰᾶσθαι, *mederi*. — 64 Dare volebat, offerebat; vide p. 263, n 11. — 65 Desperati, letali morbo affecti; v. Serv. — 66 Artes *mutas*, quæ silentur, quas homines non loquuntur et fama ferunt, ignobiles, comparato quidem augurio, musice et bellica laude; nam heroico ævo etiam medicinam in honore fuisse videmus, sed apud Romanos diu contemtam, servis et Græculis commissam. — 67 Vide VII, 769, n. 89. Imitatur Silius V, 367 : *intortos de more* (chirurgorum) *adstrictus amictus*. — 68 Multa *trepidat*, cum trepidatione quadam tentat. — 69 Nullo modo Fortuna *regit*, ducit et adjuvat rationem medendi. *Auctor* medicæ artis. — 70 Terror. — 71 Cœlum pulvere *stat*, adeo obductum est pulvere cœlum et repletus aer, ut rigere et quasi compactus stare videatur; v. VI, 300, n. 40. *Subeunt*, appropinquant. — 72 « *Dictamnus* herba, licet ubique nascatur, melior tamen est in Cretica *Dicta* (vide p. 29, n. 54), unde proprium herbæ nomen. » *S.* Linn. *origanum dictamnus*. Donatus in codice quo utebatur vidit : IPSA MANU *genitrix* DICTÆA *carpit ab Ida* ; et annotat poetam omisisse nomen herbæ, quam signis et descriptione accurata satis indicaverit. Sed tantæ varietatis nullum usquam vestigium exstat apud alios. — 73 Foliis jam adultis; sic IV, 514 : *pubentes herbæ*. — 74 Cicero *de Nat. Deor.* II, 50, § 126 : « Auditum est capras feras in Creta, quum essent confixæ venenatis sagittis, herbam quærere quæ *dictamnus* vocaretur; quam quum gustavissent, sagittas excidere dicunt e corpore. » — 75 Aquam labro infusam. *Medicans* hanc aquam, vi medica donans. — 76 Cujus acrem odorem testatur etiam Lucretius IV, 124. — 77 Ut consentaneum erat, ut exspectari debebat. Similis usus particulæ *enim* supra observatus est.

Jamque secuta manum, nullo cogente, sagitta
Excidit, atque novæ rediere in pristina[78] vires.
« Arma citi properate viro! quid statis? » Iapis
Conclamat, primusque animos accendit in hostem :
« Non hæc humanis opibus, non arte magistrâ[79]
Proveniunt; neque te, Ænea, mea dextera servat :
Major agit deus[80] atque opera ad majora remittit. »
Ille, avidus pugnæ, suras incluserat auro
Hinc atque hinc, oditque moras, hastamq; coruscat.
Postquam habilis[81] lateri clipeus loricaque tergo est,
Ascanium fusis circum[82] complectitur armis,
Summaque per galeam delibans oscula fatur :
« Disce, puer, virtutem ex me verumque[83] laborem,
Fortunam ex aliis. Nunc te mea dextera bello
Defensum dabit[84], et magna inter præmia ducet.
Tu facito, mox quum matura adoleverit ætas,
Sis[85] memor, et te animo repetentē exempla tuorum
Et pater Æneas et avunculus excitet Hector. »
Hæc ubi dicta dedit, portis sese extulit ingens,
Telum immane manu quatiens; simul agmine denso
Antheusque Mnestheusque ruunt; omnisque relictis
Turba fluit castris. Tum cæco[86] pulvere campus
Miscetur, pulsuque pedum tremit excita tellus.
Vidit ab adverso venientes aggere Turnus,
Vidère Ausonii, gelidusque per ima cucurrit
Ossa tremor. Prima ante omnes Juturna Latinos
Audiit, agnovitque sonum, et tremefacta[87] refugit.
Ille volat, campoque atrum rapit agmen aperto.
Qualis ubi ad terras abrupto sidere[88] nimbus
It mare per medium; miseris, heu! præscia longe
Horrescunt corda agricolis : dabit ille ruinas
Arboribus, stragemque satis; ruet[89] omnia late;
Ante volant sonitumque ferunt ad litora venti :
Talis in adversos ductor Rhœteïus[90] hostes
Agmen agit; densi cuneis se quisque coactis
Agglomerant[91]. Ferit ense gravē Thymbræus Osirim;
Archetium Mnestheus, Epulonē obtruncat Achates,
Ufentemque Gyas; cadit ipse Tolumnius augur,
Primus[92] in adversos telum qui torserat hostes.

78 • In usum priorem. • *Serv.* — 79 Vide VIII, 442, not. 92. — 80 Major aliquis lapide, isque deus. *Agit*, concitat, ad pugnam scilicet. — 81 Lateri aptatus, accommodatus est, ut loquitur II, 393. — 82 Circumfusis. — 83 • Laborem quem per me ipse suscipio, non qui ex aliorum virtute consuevit imperatoribus ascribi. • *Serv.* Intelligamus potius tolerantiam (καρτερίαν) magnorum laborum, qui vere sunt labores. Quid sit virtus, meo tu exemplo disce, quid sit fortuna, ex aliis, aliorum exemplo disces. — 84 Defendet; v. IX, 323, not. 29. Et te ducam AD magna præmia hujus belli, novum regnum, cujus magnitudo in fatis est. *Inter* positum pro *ad*, quasi • in media præmia •, adjuncta notione copiæ qua tamquam circumfluimur. • Sic Cicero de Catilina (I, 4) : *Dico te priore nocte venisse inter falcarios*, id est *ad f.* • *S.* — 85 *Facito* ut *sis m.* Sequens versus jam III, 343, lectus est. — 86 Vide p. 312, n. 98. — 87 Quasi terrore aliquo excitata et exsultans. Vide VII, 722, n. 35. Agmen *atrum*, • pulveris nube coopertum. • *S.* — 88 *Abrupto sidere* audacter dictum pro eo quod alibi est *abruptis nubibus* (III, 199), *abruptis procellis* (*Georg.* III, 259). Nam *sidus* etiam de tempestate dicitur; v. XI, 259, n. 4. *Per mare* adveniens, ubi oritur. — 89 Active. Mox *fluctumque ferunt* corrigit Peerlkamp. — 90 Trojanus; v. III, 108, n. 55. — 91 • Densentur, ut cuneatim dimicent, scilicet in cuneorum modum compositi. • *S. Graem.*, v X, 297, n. 5. — 92 Vide 258 seqq.

Tollitur in cœlum clamor, versique vicissim
Pulverulenta fuga Rutuli dant terga per agros.
Ipse[93] neque aversos dignatur sternere morti;
Nec pede congressos æquo[94], nec tela ferentes
Insequitur : solum densa in caligine Turnum
Vestigat lustrans, solum in certamina poscit.
Hoc[95] concussa metu mentem Juturna virago
Aurigam Turni media inter lora[96] Metiscum
Excutit, et longe lapsum temone relinquit :
Ipsa subit, manibusque undantes flectit habenas,
Cuncta gerens, vocemq; et corpus et arma, Metisci.
Nigra velut magnas domini quum divitis ædes
Pervolat et pennis alta atria lustrat hirundo,
Pabula parva legens nidisque[97] loquacibus escas;
Et nunc porticibus vacuis[98], nunc humida circum
Stagna sonat : similis medios Juturna per hostes
Fertur equis, rapidoque volans obit omnia curru;
Jamque hic germanum, jamque hic ostentat ovantē;
Nec conferre manum[99] patitur; volat avia longe.
Haud minus Æneas tortos legit obvius orbes[1],
Vestigatque virum, et disjecta per agmina magnà
Voce vocat. Quoties oculos conjecit in hostem,
Alipedumque fugam cursu tentavit[2] equorum,
Aversos toties currus Juturna retorsit.
Heu! quid agat? Vario nequicquam fluctuat æstu,
Diversæque vocant animum in contraria curæ.
Huic[3] Messapus, uti læva duo forte gerebat
Lenta, levis cursu, præfixa hastilia ferro,
Horum unum certo contorquens dirigit ictu.
Substitit Æneas, et se collegit in arma[4],
Poplite subsidens; apicem tamen incita summum
Hasta tulit, summasque excussit vertice cristas.
Tum vero[5] assurgunt iræ; insidiisque subactus,
Diversos ubi sentit equos currumque referri,
Multa Jovem et læsi testatus fœderis aras,
Jam tandem invadit medios, et Marte secundo
Terribilis, sævam nullo discrimine cædem
Suscitat, irarumque omnes effundit habenas[6]. [des
Quis mihi nunc tot acerba deus, quis carmine cæ-
Diversas[7], obitumque ducum, quos æquore toto
Inque vicem nunc Turnus agit, nunc Troïus heros,
Expediat? Tanton' placuit concurrere motu,
Juppiter, æterna gentes in pace futuras?

93 Æneas. *Sternere morti*, vide p. 321, n. 37. — 94 *Æquo*, ut æqua sit pugna. Male legitur in multis : *Nec pede congressus nec equo.* • Magna Ænææ ostenditur pietas, qui nec vulneratus irascitur, ut velit contra legem fœderis in bellum moveri. • *S.* — 95 Vide p. 160, n. 83. — 96 In media antigatione. — 97 Pullis; conf. p. 112, n. 9, et Julii Montani versus ap. Senecam *Epist.* CXXII. — 98 Amplis, late patentibus, ut *magnarum ædium.* — 99 *Conferre manum*, cum Ænea scilicet. — 1 Obliquas implicatasque vias persequitur, ut obvius Turno fiat. — 2 Cursu assequi tentavit equos fugientes Turni. — 3 In Æneam *dirigit. Lenta*, vide p. 285, not. 78. — 4 • Ita se texit, ut nulla parte posset feriri. • *S.* Vide X, 412, n. 84. — 5 • Diu laboravit poeta, ut εὐπρεπῶς religiosi viri personam pugnantem induceret post ictum fœdus. • *Schol. veron.* Jam insidiis a Messapo ei factis *subactus*, coactus, etc. *Diversos*, in diversas partes agi a Juturna. — 6 • Moderate locutus est. Nam Ennius dixerat : *trarumque effunde quadrigas.* • *Serv.* — 7 Diversis locis editas cædes.

Æneas Rutulum Sucronem (ea prima ruentes[8]
Pugna loco statuit Teucros) haud multa morantem[9]
Excipit in latus[10], et, qua fata celerrima, crudum
Transadigit costas et crates pectoris ensem.
Turnus equo dejectum Amycum, fratremq; Diorē[11],
Congressus pedes, hunc venientem cuspide longâ,
Hunc mucrone ferit; curruque abscisa duorum
Suspendit capita, et rorantia sanguine portat.
Ille[12] Talon, Tanaimq; neci, fortemque Cethegum,
Tres uno congressu, et mœstum[13] mittit Onyten,
Nomen Echionium[14], matrisque genus Peridiæ :
Hic[15] fratres Lycia missos et Apollinis agris,
Et juvenem exosum nequicquam bella Menœten
Arcada; piscosæ cui circum flumina Lernæ[16]
Ars fuerat, pauperque domus, nec nota potentum
Munera[17]; conductaque pater tellure serebat.
Ac velut immissi diversis partibus ignes
Arentem in silvam et virgulta sonantia lauro[18];
Aut ubi decursu rapido de montibus altis
Dant sonitū spumosi amnes, et in æquora[19] currunt,
Quisque suum populatus iter : non segnius ambo
Æneas Turnusque ruunt per prœlia : nunc, nunc
Fluctuat ira intus; rumpuntur[20] nescia vinci
Pectora, nunc totis in vulnera viribus itur.
Murranum hic[21], atavos et avorum antiqua sonantē
Nomina, per regesque actum[22] genus omne Latinos,
Præcipitem scopulo atque ingentis turbine saxi
Excutit[23], effunditque solo : hunc lora et juga subter
Provolvère rotæ; crebro supèr ungula pulsu
Incita nec domini memorum[24] proculcat equorum.
Ille[25] ruenti Hyllo, animisque immane frementi,
Occurrit, telumque aurata[26] ad tempora torquet,
Olli per galeam fixo stetit hasta cerebro.
Dextera nec tua te, Graiûm fortissime, Cretheu,
Eripuit Turno; nec di texere Cupencum[27],
Æneæ veniente, sui : dedit obvia ferro
Pectora, nec misero clipei mora profuit ærei.
Te quoque Laurentes viderunt, Æole, campi

8 *Ruentes*, non fugientes, sed Æneam sequentes dum per ordines ruit Turnum insequens; vide supra 456 seq., n. 90. — 9 Qui Æneam haud multum moratur, neque multum ei facesit negotii. Alii *moratus*. — 10 Exceptum vulnerat in latere. *Crudum*, v. X, 682, n. 90. — 11 De quo V, 297, et alibi per illum librum. — 12 Æneas. — 13 « *Mœstum*, naturaliter tristem, quem Græci σκυθρωπὸν dicunt et ἀγέλαστον. Aut imaginatus est exspirantem, morte contristatum. » S. — 14 Echioniden, filium Echionis. *Genus*, ut de Ænea, *Veneris genus*, est VII, 556. — 15 Turnus. *Apollinis agri*, haud dubie intelligendi de Pataris; vide p. 205, n. 72. Dicuntur *Clarus* et *Themon*, *germani Sarpedonis*, X, 126. — 16 Argivi agri fluvius et palus, sed propinqua finibus Arcadiæ. — 17 *Potentum munera*, scilicet honores et imperia. — 18 Virgulta laurea, quæ crepant incensa. Plinius : « Laurus manifesto abdicat ignes *crepitu* et quadam detestatione. » — 19 In campos. — 20 Quasi rumpuntur exæstuante ira, quam continere non possunt. — 21 Æneas. *Sonantem*, jactantem. Peerlkampius correxit *atavos atavorum*. — 22 Deductum; quod descendebat ei per stirpem regum Latinorum. — 23 *Præcipitem excutit* curru. *Subter lora*, quibus equi currui juncti erant; potius quam habenas, quæ cum Murrano in terram defluxerant. — 24 Junge *nec memorum*, immemorum, ut in *necopinus* et in multis formulis *nec* est pro *non*. — 25 Turnus. — 26 Auratâ galeâ tecta. Conf. IX, 50. — 27 « Sciendum est, *Cupencum* Sabinorum lingua sacerdotem vocari. Sunt autem *Cupenci* Herculis sacerdotes. Ac vide

Oppetere, et late terram consternere tergo :
Occidis, Argivæ quem non potuere phalanges
Sternere, nec Priami regnorum eversor Achilles;
Hìc tibi mortis erant metæ[28]; domus alta sub Idà,
Lyrnesi[29] domus alta; solo Laurente sepulchrum.
Totæ adeo conversæ[30] acies, omnesque Latini,
Omnes Dardanidæ, Mnestheus, acerque Serestus,
Et Messapus equùm domitor, et fortis Asilas,
Tuscorumque phalanx, Evandrique Arcades alæ :
Pro se quisque viri summa nituntur opum vi[31];
Nec mora, nec requies; vasto certamine tendunt.
Hìc mentem Æneæ genitrix pulcherrima misit,
Iret ut ad muros, urbique adverteret agmen
Ocius, et subita turbaret clade Latinos.
Ille, ut vestigans diversa per agmina Turnum
Huc atque huc acies circumtulit, aspicit urbem
Immunem tanti belli atque impune[32] quietam.
Continuo pugnæ accendit majoris imago;
Mnesthea Sergestumque vocat, fortemque Serestum,
Ductores; tumulumque capit, qua cetera Teucrùm
Concurrit legio; nec scuta aut spicula densi[33]
Deponunt. Celso medius stans aggere fatur :
« Ne qua meis esto dictis mora; Juppiter hac[34] stat :
Neu quis ob inceptum subitum mihi segnior ito.
Urbem hodie, causam belli[35], regna ipsa Latini,
Ni frenum accipere et victi parere fatentur,
Eruam, et æqua solo fumantia culmina ponam.
Scilicet exspectem, libeat dum prœlia Turno
Nostra pati, rursusque velit concurrere victus?
Hoc caput[36], o cives, hæc belli summa nefandi.
Ferte faces propere, fœdusque reposcite flammis[37]. »
Dixerat; atque animis pariter certantibus omnes
Dant cuneum[38], densaque ad muros mole feruntur.
Scalæ improviso, subitusque apparuit ignis.
Discurrunt alii ad portas, primosque[39] trucidant;
Ferrum alii torquent, et obumbrant æthera telis.
Ipse inter primos dextram sub[40] mœnia tendit
Æneas, magnaque incusat voce Latinum;
Testaturque deos, iterum se[41] ad prœlia cogi,
Bis jam Italos hostes, hæc jã altera[42] fœdera rumpi.
Exoritur trepidos inter discordia cives :
Urbem alii reserare jubent et pandere portas
Dardanidis, ipsumque trahunt in mœnia regem;

hic Æneam Turno superiorem : nam quem Turnus interemit, fortitudo sua liberare non potuit; ei vero quem occidit Æneas, ne sua quidem numina potuerunt prodesse. » *S.* — 28 Ut dicitur *mortis terminus*, θανάτου τέλος, id est : finis qui morte constat; indicante genitivo quæ sit natura rei, quid sit ea res. Longe aliud est *meta vitæ*. — 29 Vide X, 128, n. 64. — 30 *Conversæ* inter se, ad pugnandum. — 31 « Hemistichium est Ennianum. » *S.* — 32 « Quum quidem specialiter debuerit pœnas luere propter fœdus abruptum. » *S. Accendit* eum, animum ejus. — 33 Æneam undique circumfusi, ut audirent. — 34 *Hac* parte, a nostra parte stat et contra eos qui fœdus violaverunt. — 35 *Causam belli*, ut caput populi bellum inferentis. — 36 Conf. XI, 361. — 37 Illato urbi incendio reposcite id quod Latini fœdere pepigerunt. — 38 « In cunei similitudinem se disponunt. » *Serv.* Vide p. 231, n. 26. — 39 Stationem agentes ad portas. Vide II, 334-5, n. 55. —

40 *Sub*, quia res geritur ex inferiore loco. — 41 Donatus hic legebat *se invitum*. — 42 De priore fœdere breviter dictum VII, 263 seqq., 285.

Arma ferunt alii et pergunt[43] defendere muros :
Inclusas ut quum latebroso in pumice[44] pastor
Vestigavit apes, fumoque implevit amaro ;
Illæ intus trepidæ rerum[45] per cerea castra
Discurrunt, magnisque acuunt stridoribus iras :
Volvitur ater[46] odor tectis ; tum murmure cæco
Intus saxa sonant ; vacuas it fumus ad auras.
Accidit hæc fessis[47] etiam fortuna Latinis,
Quæ totam luctu concussit funditus urbem.
Regina ut tectis venientem prospicit hostem,
Incessi[48] muros, ignes ad tecta volare ;
Nusquam acies contrà Rutulas, nulla agmina Turni :
Infelix pugnæ juvenem in certamine credit
Exstinctum ; et subito mentem turbata dolore,
Se causam clamat crimenque[49] caputque malorum,
Multaque per mœstum demens effata furorem,
Purpureos moritura manu discindit amictus,
Et nodum informis leti[50] trabe nectit ab altâ.
Quam cladem miseræ postquam accepere Latinæ,
Filia prima manu flavos Lavinia crines
Et roseas laniata genas, tum cetera circùm
Turba furit ; resonant late plangoribus ædes.
Hinc totam infelix vulgatur fama per urbem.
Demittunt mentes ; it scissa veste Latinus,
Conjugis attonitus fatis urbisque ruinâ,
Canitiem immundo perfusam pulvere turpans ;
Multaque[51] se incusat, qui non acceperit antè
Dardanium Æneam, generumque adsciverit ultro.
Interea extremo bellator in æquore[52] Turnus
Palantes sequitur paucos jam segnior, atque
Jam minus atque minus successu lætus equorum[53].
Attulit hunc illi cæcis[54] terroribus aura
Commixtum clamorem, arrectasque impulit aures
Confusæ sonus urbis et illætabile murmur.
« Hei mihi ! quid tanto turbantur mœnia luctu ?
Quisve ruit tantus diversa[55] clamor ab urbe ? »
Sic ait, adductisque amens subsistit habenis.
Atque huic, in faciem soror ut conversa Metisci
Aurigæ currumque et equos et lora regebat,
Talibus occurrit dictis : « Hac, Turne, sequamur
Trojugenas, qua prima viam victoria pandit ;
Sunt alii qui tecta manu defendere possint.
Ingruit Æneas Italis, et prœlia miscet ;

43 **Eunt**, procedunt ad muros defendendos. Hic est verbi usus in re militari. — 44 Vide *Georg.* IV, 44, not. 22. De ipsa re ibidem 228 seqq. *Amaro*, quod Græcis est ὄριμός, acer et molestus. — 45 Trepidantes atque incertæ quid agant, incertæ rerum suarum ; v. I, 178, n. 11. — 46 Odor *ater*, atri fumi. — 47 Afflictis. — 48 Invadi. Supple *et vidit*. — 49 Usum loquendi sic postulare, *se crimen clamat causamque caputque m.*, observavit Peerlkamp. p. 438-9. — 50 Nodum laquei, qui turpem et fœdam mortem afferret. De qua re scitu digna ex antiquis scriptoribus affert Servius. Secundum Fabium Pictorem Amata inediâ se interemit. — 51 Duo versus jam lecti XI, 471-2, in bonis codicibus omissi ; sed necessarios esse demonstravit Wagnerus. Alio modo locum constituit Peerlkamp. p. 440 t. — 52 *Extremo* in campo, quo eum Juturna deduxerat, longissime ab Ænea. — 53 Successu pugnæ equestris. « Infirmitas animi ex equorum etiam lassitudine venit, jam fatigatorum. » *S.* — 54 *Cæcis*, quorum causam ignorabat. — 55 Urbe in diversa parte, a tergo ipsi sita. *Amens*, consilii egenus.

Et nos sæva manu mittamus funera[56] Teucris.
Nec numero[57] inferior, pugnæ nec honore recedes.»
Turnus ad hæc :
« O soror, et dudum agnovi[58], quum prima per artē
Fœdera turbasti, teque hæc in bella dedisti,
Et nunc nequicquam fallis[59] dea. Sed quis Olympo
Demissam tantos voluit te ferre labores?
An fratris miseri[60] letum ut crudele videres?
Nam quid ago? aut quæ jam spondet fortuna salutē?
Vidi oculos ante ipse meos me voce vocantem[61]
Murranum, quo non superat mihi carior alter,
Oppetere ingentem atque ingenti vulnere victum.
Occidit infelix[62], ne nostrum dedecus Ufens
Aspiceret; Teucri potiuntur corpore et armis.
Exscindine domos (id rebus defuit unum)
Perpetiar? dextra nec Drancis dicta[63] refellam?
Terga dabo, et Turnū fugientem hæc terra videbit?
Usq̄ adeone mori miserum est? Vos o mihi, Manes,
Este[64] boni, quoniam Superis aversa voluntas.
Sancta ad vos anima[65], atque istius inscia culpæ,
Descendā, magnorū haud umquā indignus avorū. »
Vix ea fatus erat : medios volat ecce per hostes
Vectus equo spumante Saces, adversa sagittā
Saucius ora, ruitque implorans nomine Turnum :
« Turne, in te suprema salus; miserere tuorum.
Fulminat Æneas armis, summasque minatur
Dejecturūm arces Italūm excidioque daturum;
Jamque faces ad tecta volant. In te ora Latini,
In te oculos referunt; mussat[66] rex ipse Latinus,
Quos generos vocet, aut quæ sese ad fœdera flectat.
Præterea regina, tui fidissima[67], dextrā
Occidit ipsa sua, lucemque exterrita fugit.
Soli pro portis Messapus et acer Atinas
Sustentant aciem; circum hos utrimque phalanges
Stant densæ, strictisque seges mucronibus horret
Ferrea : tu currum deserto in gramine versas[68]!
Obstipuit varia confusus imagine rerum[69]
Turnus, et obtutu tacito stetit : æstuat ingens
Uno[70] in corde pudor, mixtoque insania luctu,

56 Inferamus mortem, causam funerum. — 57 *Numero*, videlicet cæsorum. «Nam occisorum multitudo compensat hoc quod tu fugientes interimis. Et sciendum, Juturnam in hac omni oratione occurrere quæstionibus tacitis.» *S.* — 58 *Agnovi* te. — 59 Frustra latere studes, quum sis dea, σαφὲς θεός : nam Latini participium verbi *esse* ab usu excluserunt. Non supplendum *me*, sed neutraliter dicitur *fallo*, ut in illo Horatii : *qui natus moriensque fefellit*, latuit. — 60 «*Miseri* ad animum sororis referendum est.» *S.* Non necessarium. — 61 Vide p. 221, n. 1. *Superat*, superest, vivit. Quare supplendum : et clamantem se *oppetere* etc. Sequentia tamen, e libro X, 842 repetita, non satis conveniunt. Servius comparat Didonis phantasma, IV, 460 seq. — 62 Infelix Ufens, ne aspiceret etc. Cujus mors verbo memoratur v. 460. *Nostrum dedecus*, quod elapsus mihi Æneas urbem oppugnat. — 63

Supra XI, 336 seqq. — 64 Propitii, ut I, 734, n. 53. — 65 *Anima* magno affectu pronuntiatur : unde breve *a* productum in ictu, neque elisum vocali sequenti. *Istius culpæ*, turpis fugæ, qua hosti me subduxisse accuser. — 66 Tacite deliberat, non audens aperte; v. XI, 345, n. 47, et mox v. 718. « Veteres *mussat* pro *timet*. Ennius *mussare* pro tacere posuit. Clodius Tuscus : *Mussare est ex græco* μύζω, *comprimere os.* » *S.* — 67 *Tui fidissima* pro : in te, tibi; inflexum ad illa: *tui* amantissima, studiosissima, al. — 68 Huc et illuc agis. *Deserto*, quippe in *extremo* campo, v. 614. — 69 Ex multiplici nuntio, quem modo acceperat. — 70 Alii

Et furiis agitatus amor, et conscia virtus[71].
Ut primum discussæ umbræ et lux reddita menti,
Ardentes oculorum orbes ad mœnia torsit
Turbidus, eque rotis[72] magnam respexit ad urbem.
Ecce autem, flammis inter tabulata volutus
Ad cœlum undabat vertex[73] turrimque tenebat,
Turrim, compactis trabibus quam eduxerat ipse,
Subdideratque rotas, pontesque instraverat altos.
« Jam jam fata, soror, superant : absiste morari[74];
Quo deus et quo dura vocat Fortuna, sequamur.
Stat[75] conferre manū Æneæ, stat quidquid acerbi est
Morte[76] pati; neq; me indecorem, germana, videbis
Amplius. Hunc, oro, sine me furere antè furorē[77].»
Dixit, et e curru saltum dedit ocius arvis[78],
Perque hostes, per tela ruit, mœstamque sororem
Deserit, ac rapido cursu media agmina rumpit.
Ac veluti montis saxum de vertice præceps
Quum ruit avulsum vento, seu turbidus imber
Proluit, aut annis solvit sublapsa[79] vetustas;
Fertur in abruptum magno mons[80] improbus actu,
Exsultatque solo, silvas, armenta, virosque
Involvens secum : disjecta per agmina Turnus
Sic urbis ruit ad muros, ubi plurima[81] fuso
Sanguine terra madet, striduntque hastilibus auræ;
Significatque manu, et magno simul incipit ore[82] :
« Parcite jam, Rutuli; et vos, tela inhibete, Latini :
Quæcumq; est fortuna, mea est[83]; me veriùs unum
Pro vobis fœdus luere[84], et decernere ferro. »
Discessere omnes medii, spatiumque dedere.
At pater Æneas, audito nomine Turni,
Deserit et muros, et summas deserit arces[85];
Præcipitatque moras[86] omnes; opera omnia rumpit.
Lætitiâ exsultans, horrendumque intonat armis :
Quantus Athos, aut quantus Eryx[87], aut ipse, coruscis
Quum fremit ilicibus, quantus, gaudetque[88] nivali
Vertice se attollens pater[89] Appenninus ad auras.

Imo. Iidem versus X, 871-2. — 71 *Conscia virtus:* nam fugere putabatur. — 72 E curru; v. X, 594, not. 57. — 73 *Flammis undabat vertex*, flammarum quasi undis consurgebat vertex vel incendii flamma in verticem fastigata. De *turri* conf. etiam IX, 530 seqq. — 74 *Morari* me. — 75 Animo constitutum mihi, certum est. — 76 Cum vi pronuntiandum : morte oppetenda, si oportet. — 77 Sine, quæso, me hunc, quo exarsi, *furere furorem*, noto hellenismo : satisfacere flagrantissimæ cupiditati pugnandi. *Antè*, scil. quam me videas; nam referri debet ad *videbis* non indecorem. — 78 In arva. — 79 Vetustas, sensim illa subrepens. — 80 *Mons* hîc est illa pars montis, *saxum avulsum*, adeo terribile ut ipse mons ruens. *Improbus*, i. e. vehementissime concitatus, impetuosus. — 81 Junge *plurima madet*, maxime madet, abundat. — 82 Magna voce, cum clamore. — 83 Quisquis est exitus hujus certaminis, omnis ad me pertinet. Quare *verius* est, id est : rectius, justius *me unum* etc. De quo sic Prisicianus : « *Justum* pro *vero*, et *verum* pro *justo*, frequenter tam nos quam Attici (δίκαιον et ἀληθές) ponimus. » Adde Servium. — 84 Me solum luere pœnas fœderis quod pepigistis. (Conf. *Georg.* IV, 454.) Non cogitat de pœnis *rupti* fœderis, sed ipsum fœdus detestabatur et pœnas mereri Latinos de eo existimabat. Recte interpretatus est Peerlkamp., addens : « Ita Sillus de Saguntinis, *qui luerent fœdera* inter Romanos et Pœnos, I, 671. » — 85 Quas oppugnabat. — 86 Vide p. 318, n. 92. *Rumpit*, abrumpit, relinquit. — 87 Vide p. 148, n. 77. Comparatio spectat ad proceritatem et majestatem Æneæ, tum ad horrendum sonum armorum ejus. *Coruscis*, vento agitatis. — 88 *Gaudet attollens*, v. supra 7, n. 4. Consulto poeta structuram sua quasi mole impeditam reddidisse videtur. — 89 *Pater*, appella-

Jam vero et Rutuli certatim, et Troes et omnes
Convertère oculos Itali, quique alta tenebant
Mœnia, quique imos pulsabant ariete muros;
Armaque[90] deposuere humeris. [Stupet ipse Latinus
Ingentes, genitos diversis partibus orbis,
Inter se coïsse viros, et cernere[91] ferro.]
Atque illi, ut vacuo patuerunt æquore campi,
Procursu rapido, conjectis eminus hastis,
Invadunt Martem[92] clipeis atque ære sonoro.
Dat gemitum[93] tellus; tum crebros ensibus ictus
Congeminant: fors et virtus miscentur in unum.
Ac velut ingenti Sila[94], summove Taburno,
Quum duo conversis inimica in prœlia tauri
Frontibus incurrunt; pavidi cessere magistri;
Stat pecus omne metu mutum, mussantque[95] juvencæ
Quis nemori imperitet, quê tota armenta sequantur;
Illi inter sese multa vi vulnera miscent,
Cornuaque obnixi infigunt, et sanguine largo
Colla armosque lavant; gemitu nemus omne remugit:
Haud aliter Tros Æneas et Daunius heros
Concurrunt clipeis: ingens fragor æthera complet.
Juppiter ipse[96] duas æquato examine lances
Sustinet, et fata imponit diversa duorum,
Quem[97] damnet labor, et quo vergat pondere letum.
Emicat hìc, impune[98] putans, et corpore toto
Alte sublatum consurgit Turnus in ensem[99],
Et ferit. Exclamant Troes trepidique Latini,
Arrectæque amborum acies. At perfidus ensis
Frangitur, in medioque ardentem deserit ictu,
Ni[1] fuga subsidio subeat. Fugit ocior Euro,

tionem deorum honorificam. Apennino monti ob *Jovem Apenninum* tributi, « cujus templum exstat ad oppidum, quod *la Scheggia* hodie appellatur. » *W.* Similiter Virgilius in Atlantis descriptione, IV, 247 seqq., numen et montem miscebat, prudens. — 90 Clipeos. Confer v. 130. Reprehendere videtur scholiasta veronensis, qui his addit : « Nimium solute, quum exemplo rupti fœderis sollicitiores esse debuerint. » Verum quæ proxime sequuntur, qualia legimus, homine sagaci, nedum Virgilio, indigna esse manifestum est; v. Peerlk. p. 447-9. — 91 Decernere armis, ex græco κρίνειν, etiam apud Sallustium : *pro patria, pro aris atque focis cernere.* — 92 Ineunt pugnam, ipsis clipeorum umbonibus se urgentes; quod v. 724 dicit, *Concurrunt clipeis.* — 93 « *Dat gemitum*, pulsu pedum. » *S.* — 94 Vide *Georg.* III, 217 seqq., not. 58; ex quo loco Virgilius aliquot versus huc transtulit. *Taburno*, vide p. 72, n. 32. — 95 Vide 657, n. 66. In eadem imagine Ovidius, *Metam.* IX, 48 : *spectant armenta, paventque, Nescia quem maneat tanti victoria regni.* — 96 Probabile est Virgilium, si absolvere Æneidem concessum ipsi fuisset, hunc locum non tribus versiculis perstricturum, sed exornaturum fuisse exemplo Homeri, *Il.* VIII, 69 seqq.; XXII, 209 seqq., et Æschyli in Ψυχοστασίᾳ. Nisi potius, in hoc certe libro, plane omisisset; nam haud injuria Macrobius (*Saturn.* V, 13 in fine) reprehendit « importunitatem in Jovis lance; nam quum ante prædictum manifestumque esset, Turnum utique periturum, sero tamen *Juppiter ipse duas* etc. » Servius : « *Examen* proprie est filum quo trutina regitur. » Græcis est καυτόν. — 97 Supple : explorans, *quem damnet* etc.; quæ mens ex ipsa actione satis apparet. *Damnet*, destinet morti. *Labor* (ut πόνος et μόγθος ap. Hom.) est labor bellicus, pugna. Deinde *quo* sive utro *pondere* fatorum, Æneæ an Turni, *vergat*, id est inclinetur, deprimatur lanx. Jam quia depressa lanx denuntiat letum, eam ipsam poetica metonymia *letum* appellavit. Hoc eo minus obscurum, quod eadem notio bis exprimitur. — 98 *Impune* hoc sibi futurum putans. — 99 Vide IX, 749, n. 5. De arte rhythmica quæ cernitur in hoc loco, vide not. 75 ad V, 643. — 1 *Ni* indicat supplendum esse membrum cum conjunctivo plusquamperfecti, ut vidimus VI, 359, n. 65; VIII, 523, n. 20, et al. Sic intellige : perfidus ensis deserit Turnum, *ac prodi-*

Ut capulum ignotum dextramque aspexit inermem.
Fama est, præcipitē, quū prima[2] in prœlia junctos
Conscendebat equos, patrio mucrone relicto,
Dum trepidat[3], ferrum aurigæ rapuisse Metisci;
Idque diu, dum terga dabant palantia Teucri,
Suffecit; postquam arma dei ad Vulcania ventū est,
Mortalis mucro, glacies ceu futilis, ictu
Dissiluit; fulva resplendet fragmen arenâ.
Ergo amens diversa fuga petit æquora Turnus,
Et nunc huc, inde huc incertos implicat orbes[4]:
Undique enim densa Teucri inclusere coronâ;
Atque hinc vasta palus[5], hinc ardua mœnia cingunt.

Nec minus Æneas, quamquam tardante sagittâ[6]
Interdum genua impediunt cursumque recusant,
Insequitur, trepidique[7] pedem pede fervidus urget:
Inclusum veluti si quando flumine nactus
Cervum, aut puniceæ sæptum formidine penuæ[8],
Venator[9] cursu canis et latratibus instat;
Ille autem, insidiis[10] et ripa territus altâ,
Mille fugit refugitque vias: at vividus Umber[11]
Hæret hians, jam jamque tenet, similisque tenenti
Increpuit malis[12], morsuque elusus inani est.
Tum vero exoritur clamor; ripæque lacusque
Responsant circà, et cœlum tonat omne tumultu.
Ille, simul fugiens, Rutulos simul increpat omnes,
Nomine quemque vocans, notumque efflagitat ensē.
Æneas mortem contrà præsensque minatur
Exitium, si quisquam adeat; terretque trementes,
Excisurum urbem minitans, et saucius[13] instat.
Quinque orbes explent cursu, totidemque retexunt
Huc illuc: neque enim levia aut ludicra[14] petuntur
Præmia, sed Turni de vita et sanguine certant.

Forte sacer Fauno foliis oleaster amaris
Hic steterat, nautis olim venerabile lignum,
Servati ex undis ubi figere dona solebant
Laurenti divo[15], et votas suspendere vestes;
Sed stirpem Teucri nullo discrimine[16] sacrum
Sustulerant, puro ut possent concurrere campo.
Hic hasta Æneæ stabat[17]; huc impetus illam
Detulerat, fixam et lenta in radice tenebat.
Incubuit, voluitque manu convellere ferrum
Dardanides, teloque sequi quem prendere cursu[18]
Non poterat. Tum vero amens formidine Turnus,

disset eum adversario, nisi fuga ei subeat in auxilium, subsidio veniat. — 2 Quum primùm. *Patrio mucrone*, ense Dauni vulcanio, de quo v. 90 seq. — 3 Festinat. — 4 Vide 481, n. 1. — 5 Servius annotat: « Quæ nunc non apparet. » — 6 *Sagittâ* de vulnere ex sagitta (v. 319 seq.) dici poterat breviter, ob verbum *tardante* (eum). In aliis *tardata*. — 7 Fugientis Turni. — 8 Vide *Georg.* III, 372, n. 40. — 9 Canis *venator*, venaticus. — 10 *Insidiis*, scilicet illa formidine, n. 8. — 11 Canis ex Umbria; qui canes venatoribus valde probabantur. — 12 Ex Apollonio, *Argonaut.* II, 281, qui sic extulit: *primoribus in rictibus frustra colliduntur dentes.* — 13 Etsi saucius. « Quis etenim saucium non timeret instantem, quum eum integer fugeret? » *S.* — 14 Præmia *ludicra*, quæ dantur victori in ludorum certaminibus. — 15 Deo Laurentis Fauno. « Quæritur cur terreno deo nautæ suspenderent dona? Eo quod constat omnes in periculis suis deos patrios invocare, quorum ut familiarius numen opitulari sibi credunt. » *S.* — 16 *Nullo* facto *discrimine* inter hanc arborem et ceteras. — 17 Quæ conjecta narratur v. 711. — 18 « *Prendere cursu* quidam hu-

« Faune, precor, miserere, inquit, tuque optima ferrûm
Terra tene, colui vestros si semper honores,
Quos contra Æneadæ bello fecere profanos. »
Dixit, opemque dei non cassa[19] in vota vocavit.
Namque diu luctans, lentoque in stirpe moratus,
Viribus haud ullis valuit discludere morsus[20]
Roboris Æneas. Dum nititur acer et instat,
Rursus in aurigæ faciem mutata Metisci
Procurrit fratrique ensem dea Daunia reddit.
Quod Venus audaci Nymphæ indignata licere,
Accessit, telumque altâ ab radice revellit.
Olli sublimes, armis animisque refecti,
Hic gladio fidens, hic acer et arduus hastâ[21],
Adsistunt contra, certamine Martis anheli.

Junonem interea Rex omnipotentis[22] Olympi
Alloquitur, fulva pugnas de nube tuentem :
« Quæ jam finis erit, conjux? quid denique restat?
Indigetem[23] Æneam scis ipsa, et scire fateris,
Deberi cœlo, fatisque ad sidera tolli.
Quid struis? aut qua spe gelidis in nubibus hæres?
Mortalin'[24] decuit violari vulnere divum?
Aut ensem (quid enim sine te Juturna valeret?)
Ereptum[25] reddi Turno, et vim crescere victis?
Desine jam tandem, precibusque inflectere nostris,
Nec te tantus edat[26] tacitam dolor, et mihi curæ
Sæpe tuo dulci tristes ex ore recursent.
Ventum ad supremum est. Terris agitare vel undis
Trojanos potuisti, infandum accendere bellum,
Deformare[27] domum, et luctu miscere hymenæos;
Ulterius tentare veto. » Sic Jupiter orsus;
Sic dea submisso contra Saturnia vultu :
« Ista quidem quia nota mihi tua, magne, voluntas,
Juppiter, et Turnum et terras invita reliqui;
Nec[28] tu me aeria solam nunc sede videres
Digna indigna[29] pati; sed flammis cincta sub ipsâ
Starem acie, traheremque inimica in prœlia Teucros.
Juturnam misero, fateor, succurrere fratrî
Suasi, et pro vita majora audere probavi;
Non ut tela tamen, non ut contenderet arcum[30]:

militer dictum accipiunt. • *S.* — 19 Inania. Hinc adverbium *incassum*. — 20 *Morsus roboris*, radicis, quæ forcipis instar cuspidem hastæ retinebat. — 21 Quam tenet arduus, ut VIII, 299: *Arduus arma tenens. Adsistunt contra*, sistunt inter se adversi. — 22 Vide X, 1. — 23 Livius : Æneam « *Jovem indigetem* appellant. » — 24 Decuitne ut a mortali vulneraretur is qui deus est futurus? Id quod tuo consilio factum est, supra 319. — 25 *Ereptum*, quasi divinitus immissa fuisset Turno illa imprudentia, qua *patrium mucronem reliquerat*, v. 736; nam aliter is dici non poterat *ereptus*. Pluralem *victis* accipe de uno Turno qui ob fata jam habendus est pro victo. — 26 Consumat, ut IV, 66, not. 39. Deinde *et* dictum pro NEC, quia initio posita particula negativa sæpe ad sequentia omnia refertur. Sententiam exponit Wagner. : « Nec tacitam te edat ira, nec profe-rendis sæpe iræ causis incommo-

da mihi; vel : depone omnem iram sive occultam sive apertam. Modo autem Juno tacita iræ indulget (id quod tum fiebat), modo (quod sæpius) querelis obtundit aures Jovis. • — 27 • Deformem reddere, per luctum (et Amatæ letum *informe*, v 603). • *S.* — 28 *Nec videres*, scilicet si illa voluntas ignota mihi esset. — 29 Sic dicunt Latini, nulla interposita conjunctione, quando intelligitur : *ut fors fert*, et casu aut hoc aut illud accidit, vel utraque temere mixta : *serius ocius exitura sors; fanda infanda locutus*, etc. Stare *sub acie*, pro : in acie, dicere videtur ut tum sub telis posita. — 30 • Hoc loco quasi Juturnam sagittam jecisse v. 319)

Adjuro Stygii caput implacabile[31] fontis,
Una superstitio superis quæ reddita divis.
Et nunc eodo equidem, pugnasque exosa relinquo.
Illud te, nulla fati quod lege tenetur[32],
Pro Latio obtestor, pro majestate tuorum[33]:
Quum jam connubiis pacem felicibus, esto[34],
Component, quum jam leges et fœdera jungent.
Ne vetus indigenas nomen mutare Latinos[35],
Neu Troas fieri jubeas, Teucrosque vocari,
Aut vocem mutare viros, aut vertere vestem.
Sit Latium, sint Albani per sæcula reges;
Sit Romana potens Itala[36] virtute propago:
Occidit, occideritque sinas cum nomine Troja. »

Olli subridens hominum rerumque repertor:
« Es germana Jovis, Saturnique altera proles:
Irarum tantos[37] volvis sub pectore fluctus!
Verum age, et inceptum[38] frustra submitte furorē:
Do quod vis, et me victusque volensque remitto[39].
Sermonem Ausonii patrium moresque tenebunt;
Utque est, nomen erit; commixti corpore tantum[40]
Subsident Teucri: morem ritusque sacrorum
Adjiciam; faciamque omnes uno ore Latinos.
Hinc genus Ausonio mixtum quod sanguine surget,
Supra homines, supra ire deos[41] pietate videbis;
Nec gens ulla tuos æque celebrabit honores. »
Annuit his Juno, et mentem lætata retorsit[42];
Interea excedit cœlo[43] nubemque relinquit.

His actis, aliud Genitor secum ipse volutat,
Juturnamque parat fratris dimittere[44] ab armis.
Dicuntur geminæ pestes cognomine Diræ[45],
Quas et Tartaream Nox intempesta[46] Megæram
Uno eodemque tulit partu, paribusque revinxit
Serpentum spiris, ventosasque[47] addidit alas.
Hæ Jovis ad solium sævique[48] in limine regis,

significat. • *S.* — 31 *Implacabile* perjuris. *Una superstitio*, religio et metus ex religione. *Reddita*, data, facta. Noti de *Styge* versus Homeri, *Il.* O, 37-8. — 32 Quod in nulla fati lege contineatur, nullâ vel jubetur vel vetatur. — 33 *Tuorum.* • Respexit ad Saturnum, qui in Italia aliquando regnaverat, et unde etiam Latinus originem ducit (v. VII, 48 seq.). • *S.* — 34 *Esto.* • Consentit, sed invita. • *S. Leges*, conditiones fœderis. — 35 Nam • *victi omnes in gentem nomenque imperantium concessere* », ut Sallustius ait. — 36 *Virtute Itala*, non Trojana. • Italorum nomen accipiant Trojani, ut Romani de Italis, non de Trojanis videantur esse progeniti. • *S.* — 37 Tam ex iracunda, ut cognoscatur inde te vere esse sororem Jovis et filiam Saturni: nam uterque deus sævus atque iracundus. Quæ Jupiter dixit *subridens!* — 38 Conceptum in te. — 39 *Me remitto*, remitto animum ab ira; mollior et mitior fio. — 40 *Tantum*: hoc solum concedit Teucris. *Subsident*, ut in liquore gravior materies ima petit. • *Peerlk.* Sed *adjiciam*, inquit, huic concessioni ritum sacrorum, *deos* quos Æneas *indulit Latio* (I, 10) et in fœdere comprehendit: *Sacra deosque dabo* (v. 192). — 41 Hyperbolice pro: supra omnes. — 42 Inflexit, mutavit. — 43 *Excedit cœlo* idem significat quod *nubemque relinquit*, pro: nubem relinquens. Ne scilicet Turnum occumbentem videat. — 44 Facere ut desinat adesse decertanti fratri. Ironicum colorem orationis intelliges ex his Servii: • Qui ab exercitu relaxantur, dicuntur *ab armis dimitti*. Sallustius de Appio, ubi eum Cotta ab exercitu cogit abscedere: *dicit se ejus opera non usurum, eumque ab armis dimittit.* • — 45 Furiæ duæ, Alecto et Tisiphone. De quibus poeta aliter tradiderat libris VI et VII. — 46 • *Intempesta* dicimus partem noctis significantes; sed hic est perpetuum epitheton Noctis. • *S. Tartaream*, quia manet in Tartaro, non *apparet*, non est ministra Jovi. — 47 Motu suo flabra efficientes. — 48 *Sævi* ad tempus quidem, tum quum utitur ministerio Furiarum.

Apparent, acuuntque metum mortalibus ægris[49],
Si quando letum horrificum morbosque deûm rex
Molitur, meritas aut bello territat urbes.
Harum unam celerem demisit ab æthere summo
Juppiter, inque omen[50] Juturnæ occurrere jussit.
Illa volat, celerique ad terram turbine fertur.
Non secus ac nervo per nubem impulsa sagitta,
Armatam sævi Parthus quam felle veneni,
Parthus[51], sive Cydon, telum immedicabile, torsit,
Stridens et celeres[52] incognita transilit umbras:
Talis se sata Nocte tulit, terrasque petivit.
Postquam acies videt Iliacas atque agmina Turni,
Alitis in parvæ subitam collecta[53] figuram,
Quæ quondam in bustis aut culminibus desertis
Nocte sedens, serum canit importuna[54] per umbras:
Hanc versa in faciem, Turni se pestis ob ora
Fertque refertq; sonans, clipeumque everberat alis.
Illi membra novus solvit formidine torpor;
Arrectæque horrore comæ, et vox faucibus hæsit.

At, procul ut Diræ stridorem agnovit et alas[55],
Infelix crines scindit Juturna solutos[56],
Unguibus ora soror fœdans, et pectora pugnis:
« Quid nunc te tua, Turne, potest germana juvare?
Aut quid jam duræ[57] superat mihi? qua tibi lucem
Arte morer? talin' possum me opponere monstro?
Jam jam linquo acies. Ne me terrete timentem[58],
Obscœnæ volucres: alarum verbera nosco,
Letalemque sonum; nec fallunt[59] jussa superba
Magnanimi Jovis. Hæc pro virginitate reponit[60]?
Quo vitam dedit æternam? cur mortis adempta est
Conditio? possem[61] tantos finire dolores
Nunc certe, et misero fratri comes ire per umbras.
Immortalis ego? aut[62] quidquam mihi dulce meorum
Te sine, frater, erit? O quæ satis alta[63] dehiscat
Terra mihi, Manesque deam demittat ad imos! »
Tantum effata, caput glauco[64] contexit amictu,

49 Vide p. 61, n. 37. — 50 Ut omen esset fraternæ mortis. — 51 Non est apte repetitum, ut alibi fit in Virgilio (velut IX, 775, n. 12); qui haud dubie pro *Parthus* in præcedenti versu aliud vocabulum scripserat. *Cydon*, homo Cydonius, ex oppido Cretæ Cydonia. — 52 • *Umbras*, densissimas nebulas; et *celeres*, propter levitatem semper instabiles; multus est enim inter se motus minutissimarum illarum, quibus nebulæ constant, humoris particularum. • *Wagner*. Sed dubium est an ita scripserit Virgilius, aliquoties dicens, *sagitta fallens*, non *incognita*. — 53 Contracta. *Subitam*, subito assumptam. • Noctuam dicit, non bubonem (de quo v. IV, 462-3); bubo enim major est. • *S.* — 54 Sero, postquam aliæ aves conticuerunt; et canit *importuna*, carmine minimum strepens ferali et tristissimi ominis. —

55 Stridorem alarum. — 56 Solvit et scindit. — 57 Mihi superest *duræ*, crudeli: tamquam in se transfert Juturna culpam quæ erat fortunæ, ut solent qui graviter dolent iniquitatem fati, quod prævertisse cupiant. Eodem sensu animi Anna Didonem mortuam videns: *Sic te ut posita* CRUDELIS *abessem!* (IV, 681) ubi Donatus: • In his casibus te posita, afui ego crudelis et sæva! • — 58 Nolite novum terrorem mihi incutere, quæ jam de fratris vita timeam. *Obscœnæ*, immundæ et mali ominis, ut jam vidimus. Loquitur ac si Dira etiam sororem secum haberet. — 59 *Nec fallunt* me, intelligo. — 60 Rependit. Vide supra 141, n. 67. — 61 Nisi mors adempta esset, *possem* etc. — 62 An hæc immortalitas *aut quidquam* omnino *meorum mihi dulce erit sine te?* — 63 *Ima* in iisdem verbis X, 675. — 64 *Glauco*, ut Naïas fluminis et lacus, ab undarum colore, item ut *cæruleus*; conf. p. 122, n. 87. *Fluvio*, v. 139.

Multa gemens, et se fluvio dea condidit alto.
Æneas[65] instat contra telumque coruscat
Ingens arboreum, et sævo sic pectore fatur :
« Quæ nunc deinde[66] mora est ? aut quid jam, Turne, [retractas ?
Non cursu, sævis certandum est cominus armis.
Verte omnes tete in facies[67], et contrahe quidquid
Sive animis sive arte vales; opta ardua pennis
Astra sequi, clausumque cava te condere terrâ[68]. »
Ille, caput quassans[69] : « Non me tua fervida terrent
Dicta, ferox; di me terrent, et Jupiter hostis. »
Nec plura effatus, saxum circumspicit ingens,
Saxum antiquũ, ingens[70], campo quod forte jacebat,
Limes agro positus, litem ut discerneret[71] arvis;
Vix illud lecti bis sex cervice subirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus;
Ille manu raptum trepida torquebat in hostem,
Altior insurgens et cursu concitus heros.
Sed neque currentem se, nec cognoscit[72] euntem,
Tollentemve manu, saxumque immane movantem :
Genua labant, gelidus concrevit frigore sanguis,
Tum lapis ipse viri, vacuum per inane[73] volutus,
Nec spatium evasit totum, nec pertulit[74] ictum.
Ac velut in somnis, oculos ubi languida pressit
Nocte quies, nequicquam avidos extendere cursus[75]
Velle videmur, et in mediis conatibus ægri
Succidimus; non lingua valet, non corpore notæ
Sufficiunt vires, nec vox aut verba sequuntur :
Sic Turno, quacumque viam[76] virtute petivit,
Successum dea dira negat. Tum pectore sensus
Vertuntur varii[77] : Rutulos adspectat et urbem,
Cunctaturque metu, telumque instare tremiscit;
Nec quo[78] se eripiat, nec qua vi tendat in hostem,
Nec currus usquam videt aurigamque sororem.
Cunctanti telum Æneas fatale coruscat,
Sortitus fortunam[79] oculis, et corpore toto
Eminus intorquet. Murali concita numquam
Tormento[80] sic saxa fremunt, nec fulmine tanti
Dissultant crepitus[81]. Volat atri turbinis instar

65 Jungendum *Æneas ingens. Coruscat*, vide p. 242, n. 75. — 66 *Deinde*, postquam recuperavisti ensem, nihilque pugnam impedit. *Retractas*, tergiversaris; etiam in Cicerone : *Veni et tempus mortis, sive retractabis, sive properabis.* — 67 « Proverbialiter dictum est. *Contrahe*, collige. » *S.* — 68 Nihil tamen te eripiet mihi. Nos dicemus *clausumve*; aliter antiqui, quando non refert ut distinguatur. — 69 Conf. VII, 292. — 70 Scriptum oportebat, *Saxum ingens, antiquum*, non interposito adjectivo alio, in repetitione. Wagnerus *circumspicit amens* vel *inde*. De toto hoc loco videas Peerlk. p. 461. — 71 Ut discernendis inter se arvis omnem de finibus litigandi causam tolleret. Sequentia ex imitatione Homeri, *Il.* E, 303 seqq., M, 447 seqq., sed immodice aucta. — 72 *Se non cognoscit*, ut factus alius, vehementer immutatus; quemadmodum et nos loquimur. *Currentem* ad saxum petendum; *euntem* contra hostem. — 73 Per aerem. Sic sæpe Lucretius. — 74 Vide X, 786, n. 37. — 75 Græca locutio ὀρόμου ἐκτανύειν, ἐκτείνειν. — 76 *Viam* vincendi. — 77 Turnus varia consilia animo versat. — 78 In quam partem fugiens; « totum enim Trojani clauserant. » *S.* — 79 *Fortunam*, opportunum vulneri locum in corpore Turni. Servius : « Hunc locum oculis ad feriendum elegit Æneas, quem fortuna destinaverat vulneri. » — 80 *Murali tormento*, ballista, qua muri conquassantur. — 81 Nec fulmine, quod statim insequuntur tonitrua, tanti sonitus velut fractarum rerum in omnes partes disjiciuntur.

Exitium dirum hasta ferens; orasque recludit
Loricæ et clipei extremos septemplicis[82] orbes;
Per medium stridens transit femur. Incidit ictus[83]
Ingens ad terram duplicato poplite Turnus.
Consurgunt gemitu Rutuli, totusque remugit
Mons circum, et vocem late nemora alta remittunt.
Ille humilis supplexque oculos dextramque precantē
Protendens[84], « Equidē merui, nec deprecor, inquit:
Utere sorte tua. Miseri te si qua parentis
Tangere cura potest, oro (fuit et tibi talis
Anchises genitor), Dauni miserere senectæ,
Et me, seu corpus spoliatum lumine mavis,
Redde meis. Vicisti, et victum tendere palmas
Ausonii vidēre: tua est Lavinia conjux;
Ulterius ne tende odiis. » Stetit acer in armis[85]
Æneas, volvens oculos, dextramque repressit;
Et jam jamque magis cunctantem flectere sermo
Cœperat: infelix humero quum apparuit alto[86]
Balteus et notis fulserunt cingula bullis
Pallantis pueri, victum quem vulnere Turnus
Straverat, atqꝫ humeris inimicum[87] insigne gerebat.
Ille, oculis postquam sævi monumenta doloris
Exuviasque hausit, furiis accensus, et irâ
Terribilis: « Tune hinc spoliis indute meorum[88]
Eripiare mihi? Pallas te hoc vulnere, Pallas
Immolat, et pœnam scelerato ex sanguine sumit. »
Hoc dicens, ferrum adverso sub pectore condit
Fervidus: ast illi solvuntur frigore membra,
Vitaque[89] cum gemitu fugit indignata sub umbras.

82 *Septemplicis*, ut Ajacis est clipeus apud Homerum; vid. IX, 706 seq., et X, 783 seq. — 83 Et percussus. ▪ *Incidit*, quod in ipsam tantum partem concidit qua fuerat debilis redditus. ▪ *Donatus*. Cum *duplicato* conf. XI, 645, n. 74. — 84 *Oculos et dextram* PROTENDENS est zeugma, de quo genere structuræ dictum p. 144, n. 25. Simillimum affertur ex Valerio Flacco VII, 269 : ▪ *illi has ego* VOCES, *Qua datur, hasque* MANUS, *ut possum, a litore* TENDO. ▪ — 85 Vide p. 197, n. 82. — 86 In summo humero, in superiore parte humeri. De Balteo Pallantis v. X, 495 seqq. *Cingula bullis* fulgentia, v. IX, 359, n. 42. — 87 Insigne *inimicum*, quod inimicus gesserat. Post *atque* supple *ejus*, dictum pro *cujusque*. — 88 *Meorum*, ut nos quoque loquimur in tali re, pro : unius ex meis. — 89 Vide X, 819, n. 50.

P. VIRGILII MARONIS

QUOD FERTUR

MORETUM.

Jam nox hibernas bis quinque[1] peregerat horas,
Excubitorque[2] diem cantu prædixerat ales :
Simulus[3] exigui cultor quum rusticus agri,
Tristia venturæ metuens jejunia lucis,
Membra levat sensim, vili demissa[4] grabato,
Sollicitaque manu tenebras explorat inertes[5],
Vestigatque focum ; læsus[6] quem denique sentit.
Parvulus exusto remanebat stipite fumus[7],
Et cinis obductæ celabat lumina prunæ.
Admovet his pronam, submissa fronte, lucernam,
Et producit acu stupas humore carentes[8],
Excitat et crebris languentem flatibus ignem.
Tandem concepto tenebræ fulgore recedunt ;
Oppositaque manu lumen defendit ab aurâ,
Et reserat clausi, quo providet[9], ostia clavi.

1 Decem horas ex duodecim horis noctis hibernæ, longiores æstivis. — 2 Gallus gallinaceus, qui velut excubitoris vice fungitur domi. — 3 Σιμύλος, inferioris conditionis et rusticorum fere hominum nomen. — 4 *Demissa*, nam humilis est grabatus inopum. — 5 *Tenebras inertes*, ut quibus opus nullum agitur, qua si inertiam inducentes ; ut alibi dicitur *nox*, et *somnus*, et *frigus iners*. — 6 *Læsus*, nimirum offensa ad eum manu vel pede. — 7 *Fumus*, quem naribus sensit in tenebris. Scaliger correxit *fomes*, quod debilitare videtur versum sequentem. — 8 Eas quæ oleo non sunt infectæ, ut ignis concipi possit. — 9 Ostia *clausi* (substantivum), *quo providet* sibi, id est cellæ penuariæ, granarii. Sic Vossius et Bothius correxerunt quod sine

sensu legebatur *clausa quæ prævidet*. — 10 In terra, ut *Georg.* II, 290. — 11 Mensura sedecim libras pondo frumenti capiens; paulo minor modio, viginti librarum capace. — 12 *Molæ* manuali, trusatili. — 13 Pelle. Quo vestimento uti solebant pastores et agricolæ. — 14 Peniculo. *Silices*, duos lapides molares, ipso explicante poeta, adjectis *geminum molarem* (vide in *Georg.* I, 174, n. 78). Sic Heynius correxit obscurissimum *gremiumque molarum*. — 15 *Advocat*, exquisitius quam : admovet. *Partilus* opus *utrimque*, inter utramque manum. — 16 *Ministerio*, congerendis et infundendis granis. *Labori*, circumagendæ molæ. — 17 *Orbem*, molarem lapidem superiorem. — 18 Farina. *Decurrit*, decidit in vas subjectum. — 19 Vide *Georg.* I, 293, not. 83. — 20 Clamore vocat. Græcis est nomen anus ministrantis Κυβέλη, cum litera ε. In aliis *Scybalen*. — 21 Crispis capillis. — 22 Mammis jacentibus et pendulis, non *stantibus* et tumentibus. — 23 Larga, ampla. — 24 Fissuras scissurasve cutis in pedibus Afrorum etiam alii observarunt, et calori solis aerisque siccitati tribuunt. — 25 Calefacere. Vide supra p. 39, n. 58. — 26 Opus *versatile*, molæ versandæ. — 27 Quasi liquidum percolatur et defluit. — 28 Aquam. *Contrahit*, cogit. — 29 Transversim acta manu subigit massam farinaceam, quæ inde durescit. *Durata* idem est quod : « et durat, » quem usum participii passivi in Virgilio aliquoties annotavimus. *Liquido coacto*, vel domito, subacto admixta farina, vel tamquam coagulato per massam in *grumos* coeuntem. — 30 Conspergit. — 31 Impressâ notâ distinguens quadras æquales. — 32 Ut aptus esset et paratus ad inferendum panem.

Fusus erat terræ[10] frumenti pauper acervus;
Hinc sibi depromit, quantum mensura patebat,
Quæ bis in octonas[11] excurrit pondere libras.
Inde abit, adsistitque molæ[12]; parvaque tabellâ,
Quam fixam paries illos servabat in usus,
Lumina fida locat; geminos tum veste lacertos
Liberat, et cinctus villosæ tegmine[13] capræ,
Præverrit cauda[14] silices geminumque molarem.
Advocat[15] inde manus operi, partitus utrimque :
Læva ministerio[16], dextra est intenta labori.
Hæc rotat assiduum gyris et concitat orbem[17];
Tunsa Ceres[18] silicum rapido decurrit ab ictu.
Interdum fessæ succedit læva sorori,
Alternatque vices. Modo rustica carmina cantat,
Agrestique suum solatur[19] voce laborem.
Interdum clamat[20] Cybalen : erat unica custos,
Afra genus, tota patriam testante figurâ,
Torta comam[21], labroque tumens, et fusca colore;
Pectore lata, jacens mammis[22], compressior alvo.
Cruribus exilis, spatiosa[23] prodiga plantâ;
Continuis rimis calcanea scissa[24] rigebant.
Hanc vocat, atque arsura focis imponere ligna
Imperat, et flamma gelidos adolere[25] liquores.
Postquam implevit opus justum versatile[26] finem,
Transfert inde manu tusas in cribra farinas,
Et quatit. Ac remanent summo purgamina dorso.
Subsidit sincera foraminibusque liquatur[27]
Emundata Ceres. Lævi tum protinus illam
Componit tabula, tepidas supèr ingerit undas.
Contrahit admistos nunc fontes[28] atque farinas,
Transversat durata[29] manu, liquidoque coacto
Interdum grumos spargit[30] sale. Jamque subactum
Lævat opus, palmisque suum dilatat in orbem,
Et notat impressis[31] æquo discrimine quadris.
Infert inde foco; (Cybale mundaverat aptum[32]
Antè focum;) testisque tegit; supèr aggerat ignes.
Dumque suas peragit Vulcanus testaque partes,

Simulus interea vacua non cessat in hora;
Verum aliam sibi quærit opem; neu sola palato
Sit non grata Ceres, quas jungat, comparat escas.
Non illi suspensa focum[33] carnaria juxta,
Durati sale terga suis[34], truncique, vacabant;
Trajectus medium sparto sed caseus orbem,
Et vetus adstricti fascis pendebat anethi.
Ergo aliam molitur opem sibi providus heros[35].
Hortus erat junctus casulæ, quem vimina pauca[36]
Et calamo recidiva[37] levi munibat arundo;
Exiguus spatio, variis sed fertilis herbis.
Non illi deerat, quod pauperis exigit usus.
Interdum locuples a paupere multa petebat,
Nec sumptus[38] erat illud opus, sed regula curæ.
Si quando vacuum casula pluviæve tenebant,
Festave lux, si forte labor cessabat aratri,
Horti opus[39] illud erat. Varias deponere plantas
Norat, et occultæ[40] committere semina terræ,
Vicinos apte curans submittere[41] rivos.
Hic olus et late fundentes brachia betæ,
Fœcundusque rumex[42], malvæque, inulæque virebant;
Hic siser[43], et capiti nomen debentia porra[44];
Hic etiam nocuum capiti gelidumque papaver,
Grataque nobilium requies[45] lactuca ciborum,
Et gravis in latum demissa[46] cucurbita ventrem.
Verum hic[47] non domini (quis enim contractior illo
Sed populi proventus erat; nonisque diebus[48] [est?)
Venales humero fasces portabat in urbem;
Inde domum cervice levis, gravis ære, redibat[49],
Vix umquam urbani comitatus merce macelli[50].
Cæpa rubens[51], sectique famem domat area porri,

33 **Juxta focum.** Nam in domibus beatiorum foco tigillum imminebat instructum uncis, ex quibus carnes suspendebantur ad fumum. — 34 Tergora suum sale infecta et durata fumo. *Trunci*, pernæ. *Vacabant*, præsto et in promptu erant. — 35 *Heros* festive dictum de rustico homine strenuo. — 36 Quæ, cum arundine, erant pro sæpe et limite. — 37 Iterum iterumque repullulans, si, recisa fuerit; videndus Servius p. 211, n. 56. — 38 *Sumptus*, supple *regula*. Majorem hortum possidentes vicini interdum a paupere Simulo petebant multa, sed hunc hortulus quem colebat (*illud opus*) non ad majores sumptus et lautiorem vitam invitabat, sed ad curam diligentiorem: quæ statim describitur. — 39 Illud omne tempus hortensi operi dabat. Conferenda *Georgica* I, 259 seq. et 268. — 40 *Occultæ terræ*, intellige occultæ parti terræ. — 41 *Submittere* poeta cum delectu dixit, respiciens ad fœcundationem, de qua *Ecl.* I, 46: *submittite tauros*, ubi v. not. 44. Columella de horto, v. 23: *Vicini quoque sint amnes, quos incola durus Alterhat auxilio semper sitientibus hortis.* — 42 Nobis *oseille*. Mox *inula*, quæ nobis *l'aunée*. — 43 *Siser* esse putatur *la berle chervi*. In aliis est *cicer*. — 44 Quippe dicuntur, latine *porrum capitatum*, græce κεφαλωτὸν πράσον. — 45 *Requies* quid sit, explicatur hoc epigrammate Martialis, XIII, 14: *Claudere quæ cœnas lactuca solebat avorum, Dic mihi cur nostras inchoet illa dapes?* Haud præterenndum tamen, quod critici observarunt, *requies* non necessario exprimere finem cœnæ, quum *sedere* dicatur de cibis quos stomachus lubens recipit et concoquit, qui non « surgunt »; id quod lactuca efficere credebatur appetitum irritans et fastidia coercens. — 46 A vertice angustiore in latiorem ventrem crescens. Propertius: *tumido cucurbita ventre*. — 47 Hic proventus, olera quæ Simulus educabat, ut venderet, non in usum suum. *Contractior*, parcior, frugalior. — 48 Nundinis. — 49 Confer Ecl. I, 36, n. 35. — 50 Carne in macello empta. — 51 Quæ, Plinio auctore, *acrior est quam candida*. Deinde aliam (not. 44) speciem porri memorat, quod *sectivum* vel *sectile* vocabatur. *Area porri*, area horti consita porris.

Quæque trahunt acri vultus nasturtia[52] morsu,
Intubaque[53], et Venerem revocans eruca morantem
Tum quoq; tale aliquid meditans intraverat hortū
Ac primum, leviter digitis tellure refossâ,
Quattuor educit cum spissis allia fibris;
Inde comas apii[54] graciles, rutamque virentem
Vellit, et exiguo coriandra trementia filo[55].
Hæc ubi collegit, lætum[56] consedit ad ignem;
Et clara famulam poscit mortaria voce.
Singula tum capitum[57] nodoso cortice nudat,
Et summis spoliat coriis, contemptaq; passim [bum.
Spargit humi, atq; abicit; servat cū[58] gramine bul-
Tinguit aqua, lapidisque cavum demittit in orbē[59].
Hinc salis inspergit micas; sale durus adeso[60]
Caseus adjicitur; dictas supèr ingerit herbas.
Et læva vestem setosa sub inguina fulcit[61],
Dextera pistillo primum fragrantia mollit
Allia; tum pariter mixto terit omnia succo.
It manus in gyrum; paullatim singula vires
Deperdunt proprias; color est e pluribus unus,
Nec totus viridis, quia lactea frusta repugnant;
Nec de lacte nitens, quia tot variatur ab herbis.
Sæpe viri nares acer jaculatur[62] apertas
Spiritus, et simo damnat sua prandia vultu[63].
Sæpe manu summa lacrimantia lumina tergit;
Immeritoque[64] furens dicit convicia fumo.
Procedebat opus; nec jam salebrosus, ut ante[65],
Sed gravior lentos ibat pistillus in orbes.
Ergo Palladii[66] guttas instillat olivi,
Exiguique supèr vires[67] infundit aceti,
Atq; iterum commiscet opus, mixtumque retractat.
Tum demum digitis mortaria tota[68] duobus
Circuit, inque globum distantia contrahit unum,
Constet[69] ut effecti species nomenque moreti.
Eruit[70] interea Cybale quoque sedula panem;
Quem recipit lotis manibus, pulsoque timore

52 Unde nostrum *nasitort*, qui et *cresson alénois*. Plinius XIX, 44 : *Nasturtium nomen accepit a narium tormento*; post Varronem in Pappo : *Nasturtium non vides ideo dici, quod nasum torqueat?* — 53 Nobis *l'endive*. Quæ sequitur *eruca*, nobis *la roquette*. Ovidius in *Remedio amoris* 799 : *Nec minus eruca aptum vitare salaces.* — 54 Vide p. 29, not. 65. — 55 Nimirum coriandri caules sunt tenuissimæ et filis similes. — 56 *Lætum*, ut die hiberna. — 57 Alliorum. — 58 *Servat cum*, emendatio Jahnii pro vulgari *servatum*. *Bulbus* est pars interior sive nucleus alliorum, pelliculis nudatus et decorticatus. — 59 *Lapidis cavum orbem*, periphrasis mortarii. — 60 *Sale adeso* dictum improprie, quum aliàs res sale adspersæ dicantur *adesæ* : admixtum quippe iisdem absumitur et ipsum. — 61 Ne defluens in mortarium sit impedimento. — 62 Ferit, pungit. *Spiritus*, exhalatio et odor. — 63 *Simo vultu*, simatis et corrugatis naribus (vide not. 52) per nauseam odoris, non nimis lautum prandium promittentis. — 64 Fumo *immerito*, nam allia potius et cepæ, quas in mortario comminuebat, lacrimas illas excitabant. — 65 Dum casei frusta, bulbi et caules contundendæ erant. — 66 Nam *oleæ Minerva inventrix*, ut poeta dicit *Georg.* I, 18. — 67 Aceti *vires*, quippe acris et mordacis. — 68 Pluralis de poetici sermonis licentia. Erant autem veterum mortaria fundo plano, ita ut intritum posset in medium contrahi. Quod Columella præcipit, XII, 55 : « Quum contritum fuerit, totam intritam (massam) ad medium mortarium » contrahito, et comprimito manu plana. » — 69 Ut vere possit et re et nomine liberi moretum, quippe prorsus ut oportebat confectum. — 70 *Eruit* e cinere et testa

Jam famis, inque diem securus Simulus illam,
Ambit crura ocreis[71] paribus, tectusque galero
Sub juga parentes cogit lorata[72] juvencos,
Atque agit in segetes[73], et terræ condit aratrum.

71 *Ocreæ*, calceamenti genus crura ipsa vinciens, quo utebantur qui opus rusticum faciebant et venatores. *Galerus* quoque erat rusticum et pastorale capitis tegumentum, propulsando solis calori. — 72 Juga *lorata*, loris, quæ *subjugia* vocabantur, adstricta. — 73 *In segetes* dictum de ipso agro colendo, ut *Georg.* I, 47, n. 49. *Terræ*, in terram; imprimit terræ.

COPA.

Copa[1] Syrisca, caput Graia redimita mitellâ,
Crispum[2] sub crotalo docta movere latus,
Ebria famosa[3] saltat lasciva tabernâ,
Ad cubitum raucos[4] excutiens calamos.
« Quid[5] juvat æstivo defessum pulvere abisse,
Quam[6] potum bibulo decubuisse toro?
Sunt obbæ[7], calices, cyathi, rosa, tibia, chordæ,
Et trichila[8] umbriferis frigida arundinibus;
Est et, Mænalio[9] quæ garrit dulce sub antro,
Rustica pastoris fistula in ore sonans;
Est et vappa[10], cado nuper defusa picato;
Est crepitans rauco murmure rivus aquæ;
Sunt et Corycio[11] vinctæ de flore corollæ,
Sertaque purpurea lutea mixta rosâ.

1 *Copa*, mulier cauponiam exercens, corporis quoque sui copiam faciens apud se deversantibus, cui poeta nomen imposuit *Syriscæ*, quod Syræ utplurimum tali se dabant negotio, ut *Ambubajæ* sunt apud Horatium, tum *caupona Syra* apud Lucilium *Sat.* III, fr. 33. *Mitella*, parva mitra, capitis tegumentum Asiaticum (vide in *Æn.* IV, 216, n. 4), quæ *Graia* hîc vel Græca dicitur, quod a Græcis habitabatur magna pars Asiæ Minoris. Apud Romanos mitram gestabant meretrices et vetulæ. — 2 Latus crispatum, vibratum, succussum saltatione. *Sub crotalo*, crotalis sive crepitaculis (*castagnettes*) saltationem quodammodo moderantibus; græco usu loquendi, χορεύειν ὑπὸ βαρβίτῳ, ὑπὸ φορμίγγων, etc. De hac saltatione Scipio Africanus in oratione ad populum dixit (apud Macrob. *Sat.* II, 10): *In ludo saltatorio vidi puerum bullatum* (ingenuum et nobilem) *cum crotalis saltare; quam saltationem impudicus servulus honeste saltare non posset.* Hæc arte Copa crotalistria prætereuntes detinere vult et pellicere. — 3 Minus apte vulgo editur *fumosa*, ex uno codice. Arcte jungas *saltat lasciva*, lascivum in modum. — 4 Calamos raucum sonum collisu edentes, ipsa scilicet crotala calamis, alias ære, composita, *excutiens*, concutiens et complodens excussis brachiis *ad cubitum*, videlicet manu utraque ad alterius brachii cubitum trajecta alternatim: quæ est crotalistriæ saltantis gesticulatio. — 5 Ipsius Copæ verba, imo oratio viatores ad brevem vitam jucunde agendam exhortantis. *Abisse*, prætervisse suavem cauponam. Sic Ilgenius pro vulg. *abesse*. — 6 Potius *quam* etc. Torus *bibulus* est gramineus, in horto irriguo aquâ rivi (vide mox v. 12) quam gramina bibunt. — 7 *Obba* est « poculi genus vel ligneum vel ex sparto, » interprete Nonio. *Cyathis* misceri vinum, e *calicibus* bibi solebat. *Rosa*, ad corollas. — 8 Quæ nobis *berceaux*. — 9 Sub antro Mænali montis in Arcadia, ubi Pan deus fistula pastoritia, σύριγξ, se oblectare credebatur; conf. p. 37, n. 20. — 10 *Vappam* Copa dicit vinum suum, vulgarem potorum sermonem imitata et irridens, statim adjiciens quibus minime esse vappam demonstret. Vinum in cella reponebatur infusum cadis, quorum operculis pix illita adstringebat. — 11 *Corycio* Burmannus scripsit pro vulg. *Cecropio*, de

croco : namque « prima nobilitas (inquit Plinius) est Cilicio croco, et ibi in Coryco monte » ; vide p. 115, n. 72. *Cecropio* intelligendum esset de thymo (vide *Georg.* IV, 270, not. 51), quod non est in herbis coronariis. Et *serta lutea* sunt croci. — 12 Hæc ita struenda : *Sunt et lilia, quæ, libata ab amne virgineo, Achelois* nympha *attulit in calathis niveis.* Sic in *Ecloga* ad Alexin, 45 : *tibi lilia plenis Ecce ferunt Nymphæ calathis.* Amnis *virgineus*, quod ei præest nympha Naias ; quæ cur *Achelois* dicta sit apparet ex iis quæ exponuntur p. 52, n. 12. — 13 Calathi ipsi dicuntur *nivei*, utpote pleni liliis niveis. — 14 Vide *Eclog.* II, 53, n. 49. *Autumnalis dea*, Pomona. — 15 Sanguinei succi, ex crudeli fato Pyrami et Thisbes, *Metamorph.* IV, 158 seqq. Et Alcimus poeta : *Horreo sanguineo male mora rubentia succo : Heu! grave funesti crimen amoris habent. Lentis*, flexilibus. — 16 *Junco*, cui alligatus est, fortasse ipsius trichilæ arundini (vide supra v. 8), secundum Columellam in *Horto*, v. 378. Distichon hoc, vulgo postpositum sequenti, suo in loco reposuit Ilgenius. — 17 Panis siligineus ; conf. *Moret.* v. 43. *Bromius*, Bacchus, vinum. — 18 Priapus ; vide *Georg.* IV, 110, 111, n. 62. — 19 *Cybelista*, κυθηλιστής, Cybeles sacerdos, metragyrta. Sic Silligius pro *calybita*, quod huic loco convenienter explicari non potuit. *Huic venit*, ad hunc, Priapum, venit, in mea caupona devertens, eumque hac prece adit. Gallorum stipem colligentium asinus notus ex fabula tritissima (Babrii CXXVI). — 20 Nam asinus victima grata erat Priapo, qui vehementissime oderat hoc animal, cujus ruditu importuno primum Lotidos nymphæ, deinde Vestæ deæ congressu furtim appetito excideret proditus. In verbis *nostrum delicium* quæsita ambiguitas est, fœdam rem animo subjicientes. — 21 Vide *Georg.* III, 328, n. 20, et *Ecl.* II, 14, n. 12. — 22 Vide *Ecl.* II, 9, n. 8. — 23 *Æstivum vitrum* intelligit capaciora pocula, ad restinguendam sitim acriorem æstu contractam accommodata. — 24 Sive inavis. *Ferre*, accipere, ut utaris. Junge *calices crystallo* (ablativus materiæ, ut p. 151, n. 18, al.), crystallinos. — 25 Umbra *pampineæ* de qua forma diecndi vide p. 157, n. 3. — 26 *Strophio*, de vitta vel lascia cui innectuntur flores ; ut *roseum strophium* sit ipsum sertum rosarum. — 27 *Ora* licentius dictum pro : oscula, in tali junctura vix offendat. *Formosus*, quod artificia harum mulierum plane exprimit, male obliteratum in vulgatis editionibus : *Candida formosæ dec.* etc. — 28 Supercilia, quæ priscam severitatem ostendunt. Martialis : *Triste supercilium, durique severa Catonis Frons.* — 29 Vide *Æn.* VI, 213, n. 99. — 30 Sæpe enim coronabant lapidem sepulchralem. Etiam lectus funebris floribus et coronis obtegebatur, quas deinde in sepulchrum conjiciebant vel comburebant : quo spectat verbum *legi*. — 31 Hæc puero acclamat Copa, vinum et talos parare jubens. — 32 Admonens ; vide *Ecl.* VI, n. 3. *Vivite*, vita fruimini.

Sunt et virgineo [12] libata Achelois ab amne
Lilia quæ niveis [13] attulit in calathis
Sunt et caseoli, quos scirpea fiscina siccat
Sunt autumnalis cerea pruna [14] deæ.
Sunt et mora cruenta [15], et lentis uva racemis,
Et pendens junco [16] cæruleus cucumis,
Castaneæque nuces, et suave rubentia mala.
Est hic munda Ceres [17], est Amor, est Bromius.
Est tuguri custos [18], armatus falce saligná,
Sed non et vasto est inguine terribilis.
Huic Cybelista [19] venit : *Lassus jam sudat asellus,*
Parce illi [20]*; nostrum delicium est asinus.*
Nunc cantu crebro rumpunt [21] arbusta cicadæ ;
Nunc etiam in gelida sede lacerta latet [22].
Si sapis, æstivo recubans te prolue vitro [23] ;
Seu vis [24] crystallo ferre novos calices.
Eia age pampinea [25] fessus requiesce sub umbrâ,
Et gravidum roseo necte caput strophio [26],
Formosus teneræ decerpens ora [27] puellæ !
Ah pereat, cui sunt prisca [28] supercilia !
Quid cineri ingrato [29] servas bene olentia serta ?
Anne coronato [30] vis lapide ista tegi ?
Pone [31] merum et talos. Pereat qui crastina curat !
Mors aurem vellens [32], *Vivite*, ait, *venio.* »

CULEX

AD OCTAVIUM.

Lusimus, Octavi[1], gracili modulante Thalia,
Atque, ut araneoli, tenuem formavimus orsum[2];
Lusimus : hæc propter Culicis sint carmina dicta,
Omnis ut historiæ[3] per ludum consonet ordo
Notitiæ : ducam[4] voces, licet invidus adsit.
Quisquis erit culpare jocos Musamque[5] paratus,
Pondere vel Culicis levior famaque feretur[6].
Posterius graviore sono tibi Musa loquetur
Nostra, dabunt quū securos[7] mihi tempora fructus,
Ut tibi digna tuo poliantur carmina sensu.
Latonæ magnique Jovis decus, aurea[8] proles,
Phœbus erit nostri princeps et carminis auctor,
Et recinente lyra fautor : sive[9] educat illum
Acta[10] Chimærco Xanthi perfusa liquore,
Seu decus Asteriæ[11]; seu qua Parnasia rupes
Hinc atque hinc patula præpandit cornua fronte,
Castaliæque sonans liquido pede[12] labitur unda.
Quare, Pierii laticis[13] decus, ite, sorores
Naïdes, et celebrate deum ludente choreâ.
Et tu, sancta Pales[14], ad quam ventura recurrit
Agrestùm bona sors, si qua est tibi cura tenentis
Aereos[15] nemorum saltus silvasque virentes :
Te cultrice[16], vagus saltus feror inter et astra.

1 Noli intelligere Octavianum Augustum. *Gracili Thalia*, quæ dicat carmen tenue et jocosum. Frequens *ludere* de poetis, ut *Ecl.* I, 10. — 2 *Orsus* (masc., etiam in Ciceronis versibus) et *ordior* proprie de tela dicuntur. — 3 Ut ordo historiæ, res narranda consonet *notitiæ*, indici vel titulo carminis, qui ludicrum pollicetur. — 4 *Duco* et *deduco* a filis et opere nentium transferuntur ad carmina. Sic Ovidius : *carmen mirabitur ultimum Ducere me.* Et Nemesianus : *Phœbeâ ducere carmen avenâ.* — 5 Ludicram Musam. — 6 *Feretur* gravius est quam *feratur*. — 7 Quum tempora, rerum conditio sive otium benignius, concedent mihi ut secure fructibus Musarum et ingenii capiendis indulgeam. — 8 Pulcherrima horum proles. — 9 Deum aliquem advocantes sibi poetæ locos recensere solent quos diligit ille et ubi tum probabile est eum commorari. Pro *educat* exspectes : habet, tenet. De hominibus apte dixerat Virgilius X, 518 : *totidem quos educat Ufens*, ad ripas Ufentis habitantes. — 10 Litus Lyciæ, quod perfluit Xanthus amnis; ubi est Patara urbs, dilecta Apollini; vide p. 205, n. 72. Epitheton *Chimæreo* indicat Lyciam, Chimeræ monstri patriam, et poetice vel mythice sonat idem quod *Lycio*. Male alii cogitant de Chimæra monte, parte Cragi, quem non tangit Xanthus. — 11 Asteria decora, pulchra. Dicit Delum, insulam sacram, cujus inter vetera nomina erat *Asteria*. Deinde *Delphos* memorat, a situ in Parnasso, semicirculari forma, ad theatri modum, meridiem versus patente et campos ad mare vergentes tamquam cornibus includente. In qua planitie Pythici ludi celebrabantur. — 12 Sic Lucretius : *via secta semel liquido pede detulit undas;* et Horatius : *montibus Levis crepante lympha desilit pede.* — 13 Hippocrenen intellige, quæ in Helicone monte scaturit, fontem Musarum; non memoratur enim fons in Piero monte, ipsi quoque Musis sacro. *Naidum* vel Naiadum nomen non raro datur etiam Musis; vide p. 32, n. 20. — 14 Vide *Ecl.* V, 35, n. 28, ubi hæc dea item conjungitur cum Apolline. *Ventura* beneficio deæ votis invocatæ *sors bona*, uberes agrorum proventus. — 15 Altos, ut *Ecl.* I, n. 57. Pascuorum in *saltibus* et *silvis* frequens mentio in virgilianis; ubi et *nemorum saltus*, *Ecl.* VI, 56, not. 54. — 16 Dum tu, dea colis saltus et silvas. Conf. *Eclog.* II, 60.

Et tu, cui meritis[17] oritur fiducia chartis,
Octavi venerande, meis adlabere[18] cœptis!
Triste[19] Jovis Phorcique canit non pagina bellum,
Phlegra[20] Giganteo sparsa est quo sanguine tellus;
Nec Centaureos Lapithas compellit[21] in enses;
Urit[22] Erichthonias Oriens non ignibus arces;
Non perfossus Athos[23], nec magno vincula Ponto
Lecta meo quærent jam sera[24] volumine famam;
Non Hellespontus pedibus pulsatus equorum,
Græcia quum timuit venientes undique Persas:
Mollia sed tenui decurrens[25] carmina versu,
Viribus apta suis, Phœbo duce, ludere gaudet.
Et tibi, sancte puer[26], memorabitur, et tibi crescet
Gloria perpetuum lucens mansura per ævum;
Et tibi sede pia[27] maneat locus, et tibi sospes
Debita felices numeretur vita per annos,
Grata, bonis lucens[28]. Sed nos ad cœpta feramur.
Igneus[29] ætthereas jam Sol penetrabat in arces,
Candidaque aurato quatiebat[30] lumina curru,
Crinibus et roseis[31] tenebras Aurora fugarat:
Propulit ut stabulis ad pabula læta capellas
Pastor, et excelsi montis juga summa petivit,
Lucida[32] qua patulos velabant gramina colles.
Jam silvis dumisque vagæ, jam vallibus abdunt
Corpora, jamque omni celeres e parte vagantes
Tondebant tenero viridantia gramina morsu.
Scrupea[33] desertæ hærebant ad cava rupis;
Pendula projectis[34] carpuntur et arbuta ramis,

n. 58. — 17 Cui meritæ laudes, quas poetæ carminibus scriptis ediderunt, fiduciam facere possunt ut tutelam poetæ suscipias. — 18 Accede, ades adjuvans. Ut Mæcenas in *Georgicis*. — 19 Sententia versuum 10 : « Nec Gigantomachiam, neque Lapitharum pugnam cum Centauris, nec bellum Persicum Græcorum canere aggredior, sed argumentum leve et humile, meisque viribus aptum. » *Phorcus* erat unus Gigantum. — 20 *Phlegra* tellus, modo adjectivi pro *Phlegræa*, quod aliquoties annotavimus. Nam bellum hoc mythicum debellatum ferebatur in *campis Phlegræis* (a φλέγω, uro), vulcaniis, vel Pallenes in Macedonia, vel Campaniæ, circa Cumas, ubi hodie vallis *Solfatara*. — 21 *Compellit*, scilicet canit compulsos etc. vide p. 28, n. 45, et de immani pugna ista p. 87, n. 45. *Enses* generalius dictum; nam res agebatur crateribus, stipitibus, saxis, etc. — 22 In meo carmine *Oriens*, populi Orientis Persarum ductu non incendunt *arces Erichthonias*, Athenas, ab antiquo rege, de quo p. 96, n. 90. — 23 Nemo nescit Athon montem a Xerxe, Græciam invadente, perfossum et pontem Hellesponto injectum, qui Asiam et Europam jungebat. *Vincula* quo spectet, sic narrat Herodotus, VII, 35 : « Juncto jam ponte, incidit ingens tempestas, quæ rescidit illa omnia et dissolvit. Quod ubi Xerxes rescivit, gravissime ferens, trecenta verbera flagellis infligi jussit Hellesponto, *et compedum par in pelagus injici*. » — 24 *Quærent sera*, quod adverbio nos dicimus : sero. — 25 Pagina mea *decurrens carmina*, pro vulgari : decurrens per carmina. Similiter *Georg.* II, 39, n. 33. — 26 Octavi, juvenis venerande. *Tibi memorabitur* gloria, in tuum honorem divulgabitur; celebraberis magnis laudibus. — 27 *Sede pia* hic de Elysio non posse intelligi apertum est. Res obscura, versus interpolatione manifesta corrupti, fortasse ab iis qui de Octaviano Augusto cogitarent. Nec quo referatur Octavio *debita vita sospes*, nunc sciri potest. — 28 Insignis. *Feramur*, accedamus. — 29 Describitur medium tempus inter Auroram abeuntem et Solem emergentem. *Ætthereas arces*, cœlum. — 30 Emittebat, spargebat micantes radios. — 31 Ovidius : *croceis Aurora capillis*. — 32 Gramina *lucida*, rore lucem solis repercutiente. Lucretius : *herbæ gemmantes rore recenti*. Calpurnius : *matutinæ lucent in gramine gutiæ*. — 33 Cava *scrupea*, patentia inter scrupos vel saxa aspera et acuta, sive cineta scrupis, ut *spelunca scrupea* est in *Æn.* VI, 238. *Hærere* et *pendere* ex rei imagine dicuntur capræ in montibus pascentes. Rupis *desertæ*, inviæ humano pedi et inaccessæ. — 34 Ramis *pro-*

Densaque virgultis avide labrusca[35] petuntur.
Hæc[36] suspensa rapit carpente cacumina morsu
Vel salicis lentæ, vel quæ nova nascitur alnus;
Hæc teneras fruticum sentes rimatur[37]; at illa
Imminet[38] in rivi præstantis imaginis undam.

O bona pastoris[39], si quis non pauperis usum
Mente prius docta[40] fastidiat, et probet illis
Munera luxuriæ spretis[41], sibi cognita curis,
Quæ lacerant avidas inimico pectore[42] mentes.
Si non Assyrio[43] fuerint bis lauta colore,
Attalicis opibus data[44], vellera; si nitor auri
Sub laquearе[45] domus animum non tangit avarum,
Picturæque decus; (lapidum[46] nec fulgor in ullâ
Cognitus utilitate manet;) nec poculą grata
Alconem referunt[47] doctumque toreuma; nec Indi
Conchea bacca[48] maris pretio est: at pectore puro
Sæpe super tenero prosternit gramine corpus,
Florida quum Tellus gemmantes picta per[49] herbas
Vere notat dulci distincta coloribus[50] arva;
Atque illum, calamo lætum[51] recinente palustri,
Otiaque invidia degentem ac fraude remotâ,
Pollentemque sibi[52], viridi cum palmite ludens
Tmolia[53] pampineo subter coma velat amictu.

jectis, pondere fructûs gravatis et depressis, ita ut attingere possint capræ. *Arbuta* de fructu dictum, ut p. 58, n. 52. — 35 *Labruscum*, gen. neutro, uva labruscæ, de qua *Ecl.* V, n. 5. — 36 Capra, se erigens posterioribus pedibus innixa, μετέωρος. *Hæc ... hæc*, alia ... alia. — 37 Vide *Georg.* I, 384, n. 55. — 38 *Imminet*, i. e. superstans demittit caput in undam rivi qui præstat vel præbet, refert imaginem ejus. Debebat dicere *præstantis imaginem*, sed secutus est analogiam tot participiorum præsentis genitivum admittentium. — 39 Confer celebrem ὁρῆσιν *Georgicorum* II, 458 seq. *Pauperis usum*, eam vivendi rationem, qua pauperes uti solent; pauperum vitæ consuetudinem. — 40 Mente prius ita instituta, ut non fastidiat. *Et*, negativam continuans, est pro: *nec*. — 41 Illis bonis simplicis et pastoritiæ vitæ a se spretis et contemptis, probet, præferat munera luxuriæ, curis et sollicitudinibus quas afferunt ipsi cognita. — 42 Mentes quibus est *pectus inimicum*, animus iniquus et invidens ditioribus. — 43 *Color Assyrius*, purpura; v. *Georg.* II, 465, n. 53. *Bis lauta*, bis tincta, *dibapha*, de quorum pretio insano lege Plin. *Hist. Nat.* IX, 39, 63. Sensus: Si his non fruitur pauper (quæ septem versibus exponuntur), rebus vanis et ad felicitatem nihil facientibus: *at* ille *pectore puro* etc. — 44 Empta ingenti pretio, opibus maximis, quas velut proverbio *Attalicas* esse dictas notum ex oda prima Horatii, v. 12. — 45 Auri quod lacunari suffixum aut sublitum est. *Tangit*, movet, delectat. — 46 Gemmarum. Impeditam sententiam distinctione expedire studuimus, ut poeta hoc dicat: « Si non habes lacunaria aurea et picturas decoras, quæ tangant animum avarum: (at avaro animo ne gemmarum quidem fulgor, multo ille firmior et constantior quam auri nitor in lacunari colorumve splendor, qui sensim offuscantur delenturve, *manet*, permanet in eodem pretio habitus et eamdem domino voluptatem afferens, quippe *in nulla utilitate cognitus*, luxurioso simul et avaro domino [quæ vitia in unum conjuncta Sallustius exsecratur in patriciis] quæstui nulli esse cognitus.) » Negativa *nec* etiam vocem *ulla* vi sua afficit. — 47 Exhibent, ostendunt. De Alcone cælatore vide p. 22, n. 8. *Alconem doctumque toreuma* pro: Alconis toreuma vel opus cælatum, τόρευμα, nota illa *hendiadyi* poetarum. *Doctus*, ut de poetis et carminibus, ita etiam de artificibus et artis operibus dicitur. — 48 Margarita ex mari *Indo*, Indico. — 49 Floribus varii coloris passim inter herbas enitentibus. *Gemmantes*, non rore (ut supra n. 32), sed nitentes, ut videtur, quia recentes et vegetæ; nisi potius ad *herbas* transtulisse dicendus est quod proprie dicitur de vitibus. — 50 Codex unus longe aliter: *Vere notat duris districta ligonibus arva*. — 51 Lætum carmen, lætos modos canente. *Calamo*, vide not. 5 Eclogæ I. — 52 Sibi visum pollentem, ex sua sententia potentem, id est divitem. Ostendit hominem sua sorte prorsus contentum, sub umbraculis viteis otium cantu fallentem. Accusativi pendent a verbo *velat*. — 53 *Coma Tmolia*, frondes vitis Tmoliæ

Illi sunt gratæ rorantes[54] lacte capellæ,
Et nemus, et fœcunda Pales, et vallibus imis
Semper opaca novis manantia[55] fontibus antra.
Quis magis optato[56] queat esse beatior ævo,
Quam qui mente procul dura sensuque probando
Non avidas agnovit[57] opes; nec tristia bella,
Nec funesta timet validæ certamina classis[58];
Non[59], spoliis dum sancta deûm fulgentibus ornet
Templa, vel evectus[60] finem transcendat habendi,
Adversum sævis ultro caput hostibus offert?
Illi falce[61] deus colitur, non arte potitus;
Ille colit lucos; illi, Panchaïa[62] thura,
Floribus agrestes herbæ variantibus[63] adsunt;
Illi dulcis adest requies, et pura voluptas,
Libera, simplicibus curis[64]: huc imminet, omnes
Dirigit huc sensus, hæc cura est subdita cordi,
Quolibet ut requie victu contentus abundet,
Jucundoque liget languentia corpora somno.
O pecudes, o Panes[65], et o gratissima Tempe
Fontis Hamadryasin, quarum[66] non divite cultu
Æmulus Ascræo pastor sibi quisque poetæ
Securam placido traducit pectore vitam!
Talibus in studiis[67] baculo dum nixus apricas
Pastor agit curas, et dum non arte canorâ
Compacta solitum modulatur arundine carmen;
Tendit[68] inevectus radios Hyperionis ardor,
Lucidaque ætherео[69] ponit discrimina mundo,
Qua jacit Oceanum flammas in utrumque[70] rapaces.
Et jam compellente vagæ pastore capellæ

de qua vide p. 75, n. 84. Strue: *coma Tmolia, ludens sub viridi palmite, velat* eum *subter amictu pampineo*, umbra sua tamquam veste tegit. — 54 Quibus lactis guttæ defluunt sponte ob ubertatem. Sic in *Æn.* VIII, 645 : *rorabant sanguine vepres.* — 55 Quæ semper *manant*, madida sunt et abunde humectantur fontibus. — 56 Vel optatiore. Quamquam etiam *magis beatior* licet jungi, pleonasmo non admodum raro. — 57 *Non agnovit*, ut alienas ab se : non appetit, sed frigidus præterit. Optime autem opes dicit *avidas*, plurium usque appetentes et insatiabiles. — 58 Hæc spectare videntur ad rem cognitam Octavio, nobis ignotam. — 59 Qui non caput discrimini pugnæ objicit, *dum ornet*, dummodo possit ornare, id est eo consilio, ut hostium spoliis ornet templa deorum, post triumphum. — 60 Vel ut altius sese efferens et rei suæ modum egressus immodicas opes sibi paret. Nam necessaria ad vitam honeste sustentandam sunt *finis habendi*. Militiam Tibullus, Horatius et alii memorant inter artes divitias parandi. — 61 Deus rudi et rustico scalpello effictus, ut ille apud Martialem Priapus : *rudis indoctâ fecit me falce colonus*. Notabis zeugma; nam *politus* ad artem spectat. — 62 Vide *Georg.* II, 139, n. 11. Agricolis herbæ florentes sunt pro thure divitum. — 63 *Variantibus* active capiendum : flores qui variant, vario colore distinguunt herbas agri. — 64 At divitum et « beatorum » curæ multum abest ut sint *simplices*. *Imminet*, intendit animum, incumbit. — 65 Plurali, ut *Faunos, Ecl.* VI, 27, et alia numina rustica. *Tempe*, v. *Georg.* II, 469, n. 58. Junge *gratissima Hamadryadibus*, propter fontem vallis irriguæ, arbores nympharum lætificantem; quod græca syntaxi exprimitur genitivo, *fontis*. — 66 Structura et sensus : *quarum* Hamadryadum *cultu non divite*, quas sine magno sumptu, etiam in paupertate facile colens *pastor quisque traducit* vitam placidam et securam. *æmulus Ascræo poetæ* (vide p. 29, n. 67), exemplo Hesiodi, sapientissimi vatis agricolarum et pastorum. — 67 Tale vitæ institutum sectans et amans. Curas *apricas*, in aprico, sub dio. Dum hæc secum meditatur et rusticum canit. — 68 Intendit. *Hyperion* apud poetas est Sol. *Inevectus* hic et v. 339 : in altum evectus. — 69 *Æthereo mundo*, cœlo, cui Sol *lucida discrimina ponit*, id est, quod discriminat et splendido limite in duas partes æquas dividit, medio in cursu constitutus, *qua* parte *jacit* etc. — 70 Orientalem et occidentalem.

Ima[71] susurrantis repebant ad vada lymphæ,
Quæ subter viridem residebant[72] cærula muscum.
Jam medias operum[73] partes evectus erat Sol,
Quum densas pastor pecudes cogebat in umbras;
Ut[74] procul adspexit luco residere virenti,
Delia diva[75], tuo: quo quondam victa furore
Venit, Nyctelium[76] fugiens, Cadmeïs Agave,
Infandas scelerata[77] manus ex cæde cruentâ;
Quæ gelidis bacchata jugis requievit in antro,
Posterius pœnam gnati de morte datura.
Hic etiam viridi ludentes Panes in herbâ,
Et Satyri Dryadesque choros egere puellæ
Naïadum cœtu[78]. Tantum non Orpheüs Hebrum
Restantem tenuit ripis[79] silvasque canendo,
Quantum[80] te pernix remorantem Diva choreæ,
Multa tuo lætæ fundentes gaudia vultu[81],
Ipsa[82] loci natura domum, resonante susurro,
Quis dabat, et dulci fessas refovebat in umbrâ.
Nam primum prona surgebant valle patentes
Aereæ platanus[83]; inter quas impia lotos,
Impia, quæ socios Ithaci[84] mœrentis abegit,
Hospita[85] dum nimia tenuit dulcedine captos.
At, quibus[86] insigni curru projectus equorum
Ambustus Phaethon luctu mutaverat artus,
Heliades, teneris implexæ brachia[87] truncis,
Candida fundebant tentis velamina ramis.
Posterius[88], cui Demophoon æternâ reliquit
Perfidia lamentari, male provida Phyllis;
Quam comitabantur, fatalia carmina[89], quercus,

71 Ad vada *ima*, ad rivum in ima valle fluentem, quò a pastore compellebantur. — 72 In depresso loco erant. — 73 Operis, viæ emetiendæ. Etiam Statius dixit, *Sol operum medius*. — 74 Ubi; vide *Æn.* V, 329, not. 47. *Procul* (de quo vide dicta p. 27, n. 15) *adspexit*, prospexit gregem suum. — 75 Diana. Jam describitur locus ubi peragetur argumentum: lucus Dianæ sacer, in Bœotia, idem ille, quo Penthei cædæ perpetratæ, mater Agave bacchata pervenerat, sub Cithærone monte; v. Ovidium *Metam.* III, 701 seqq. — 76 *Nyctelius*, a νύξ, quasi *Nocturnus*, cognomen Bacchi, cujus sacra nocte potissimum celebrabantur. Fugiebat autem Cadmi filia Bacchum et ejus orgia, postquam ad se rediit et scelus suum cognovit. — 77 Scelere pollutas manus habens, quæ infandum facinus commiserant. — 78 Una cum Naiadibus. *Orpheus*, trisyllabe. De re vide p. 12, n. 46, de *Hebro* Thraciæ, p. 49, n. 52. — 79 *Restantem ripis*, quas continuo motu perlabi et præterire solebat. — 80 *Quantum* retinebant *te*, o *pernix Diva*, Diana, *choreæ* illæ Panum, Satyrorum, etc., lusibus et cantu suo. — 81 Dativus: in tuum vultum; te valde exhilarantes. — 82 Strue: *Quibus*, præsertim Dryasin et Naiasi, *domum dabat ipsa* etc., ad rivum susurrantem. — 83 Quartæ decl., hoc solo, ut videtur, loco. *Patentes*, quod alibi *patulæ*, *Ecl.* I, n. 2. — 84 Ulyssis. *Abegit*, avocavit ab ejus nave, ad quam dulcedine illius fructus capti non redibant, deserentes regem suum et patriæ obliti: quare *impia lotos*. Vide p. 74, n. 71. — 85 In peregrina terra eos excipiens. — 86 Periphrasis populorum arborum, in quas præ luctu fratris mutatæ *Heliades*, Solis filiæ, sorores Phaethontis, fulmine de patris curru præcipitati; vide p. 29, n. 59. — 87 Habentes ramos truncis vicinarum populorum implexos; quo nexu *fundebant velamina*, umbracula faciebant foliis densis, candidis; nam *alba populus* intelligitur. — 88 Post has stabat amygdala arbor (*amandier*), in quam Phyllis mutata esse ferebatur, Sithonis Thraciæ regis filia, amans Demophoontem, Thesei et Phædræ filium. Qui Phyllidi *reliquit æternâ* (adverbialiter) *lamentari*, æternas lamentationes; infinitivo, ut sæpius post verbum *dedit*. *Perfidiam* enim illa et pactarum nuptiarum oblivionem esse putabat moram Demophoontis, et suspendio vitam finivit. Advenit tamen ille: quare Phyllis dicitur *male provida*. Ejus est secunda *Heroidum* Ovidii. — 89 Audacter ipsæ querelas fatidicæ, ex Dodonæo nemore anti-

quissimo, dicuntur *carmina fatalia;* quomodo poetam figuratâ oratione dixeris *poesin* vel *poema.* — 90 *Vitæ,* τῷ βίῳ, hominibus ut vitam sustentent. Vide *Georgicor.* I, 7 seqq. Cereris missu fruges et arationem hominibus monstravit Triptolemus Eleusinius. — 91 Excelsa. Pinu naves præcipue texuntur: quare poeta memoravit navem primam, *Argo,* cui pinus, ut inde constructæ in Pelio monte, fuerit *magnum decus.* Similiter dixeris : « Parium marmor, magnum templo decus », de templo quamquam toto inde exstructo. — 92 Hirsuta per ramos et ramulos, quos vestiunt frondes acutæ, tamquam setæ. Nove dictum *artus* de brachiis vel ramis, ut alia habes singularia in hoc et sequenti carmine. — 93 Nobis *l'yeuse*, cui truncus nigricans. Altissimam ἐλάτην in summo monte Ida memorat Homerus, *Il.* Ξ, 286 seqq. *Species,* forma speciosa. *Læta,* bene proveniens, vigore vegeta; v. not. 1 *Georgicorum.* Tantum abest ut mutandum sit *læta,* ut consulto poeta posuisse videatur epitheton inexspectatum. — 94 Item quartæ decl., pro *fagi,* ut *platanis* n. 83. Fagi adstantes porrectis in populos brachiis et hederæ velut amico complexu eas *monent* atque adeo prohibent, ne *plangant,* pectora pulsent luctu fratris fulmine icti. — 95 Flexiles (*flexipedes* Ovidio), ut *lentum vimen, Æn.* III, 31, n. 15. — 96 Hederæ corymbos suos (de quibus vide p. 12, n. 38) *aureolos,* a croceo colore acinorum, *pingunt viridi pallore,* id est pallido virore, flavore, referunt colorem albicantem. Similiter locutus est Lucretius, IV, 311 : *Quæ contage sua pallor ibus omnia pingunt.* — 97 Fabulam non nimis notam sic narrat Servius *Æn.* III, 23 : « *Myrenen* (vel Μυρσίνην) forma pulcherrimam quidam popularium dives et nobilis quum adamasset, a parentibus ejus postulavit uxorem. Interea latrones, urbe occupata, Myrenen, fratribus ejus occisis, captivam duxerunt et in latebras condiderunt, donec alia loca vastarent. Sed inventa occasione Myrene fugit et ad cives reversa est. Gratulati cives eam sacerdotem Veneris esse jusserunt. Quæ quum sacra celebraret, unum de latronibus in plebe cognovit. Is pœnis adactus, rem confessus est et socios, ubinam essent, prodidit. Sed juvenis, qui eam sibi petierat conjugem, ad investigandos latrones sibi negotium depoposcit. Quos quum inventos cepisset et præmium posceret, data ei potestas est a populo ut virginem quam amaverat in matrimonium duceret. Hinc irata Venus illum mori fecit, virginem in myrtum arborem vertit, eique, quod sacerdos fuisset, præstitit ut perpetuo et suavi odore gauderet. » — 98 Cantus *varios,* ut variarum avium diversim canentium : per quos resonant illa carmina omnium, nobis *le concert.* — 99 Unda *acta rivis,* in rivis vel per rivos, ut apud Ovidium *rivus agebat aquam.* Quo motu *sonat liquorem,* sono suavi se liquidam esse prodit et fluere, non stagnare tristi silentio. — 1 Perstrepit occurrens. — 2 Ranarum periphrasis, quæ *veterem in limo canunt querelam, Georg.* I, 378, n. 51. — 3 Per æstum; vide *Ecl.* II, n. 12. — 4 Quippe proveniunt in excelsis rupibus; unde *dumosa rupes, Ecl.* I, 77. — 5 In se invicem impingere; quod lenis aura non potest in arbustis crassioris

Quercus ante datæ, Cereris quam semina, vitæ[90] :
Illas Triptolemi mutavit sulcus aristis.
Hic, magnum Argoæ navi decus, edita[91] pinus
Proceras decorat silvas hirsuta per artus[92] :
Appetit aereis contingere montibus astra
Ilicis et nigræ[93] species, et læta cupressus ;
Umbrosæque monent fagus[94], hederæque ligantes
Brachia, fraternos plangat ne populus ictus ;
Ipsæque excedunt ad summa cacumina lentæ[95],
Pinguntque aureolos[96] viridi pallore corymbos ;
Quis aderat veteris myrtus non nescia fati[97].
At volucres patulis residentes dulcia ramis
Carmina per varios[98] edunt resonantia cantus.
His suberat gelidis manans e fontibus unda,
Quæ levibus placidum rivis sonat acta[99] liquorem.
Hinc illi geminas avium vox obstrepit[1] aures ;
Hinc querulas referunt voces, quis[2] nantia limo
Corpora lympha fovet : sonitus alit aeris Echo,
Argutis et cuncta fremunt ardore[3] cicadis.
At circa passim fessæ cubuere capellæ,
Excelsisque[4] super dumis, quos leniter afflans
Aura susurrantis possit confundere[5] venti.

Pastor, ut ad fontem densa requievit in umbrâ,
Mitem concepit projectus membra soporem,
Anxius insidiis nullis; sed lentus in herbis
Securo pressos[6] somno mandaverat artus:
Stratus humi dulcem capiebat corde quietem,
Ni Fors incertos jussisset ducere[7] casus.
Nam solitum volvens[8] ad tempus tractibus isdem
Immanis vario maculatus corpore serpens,
Mersus ut in limo magno[9] subsideret æstu,
Obvia vibranti carpens gravis[10] aera linguâ,
Squamosos late torquebat motibus orbes.
Tollebant auræ venientis ad omnia[11] virus.
Jam magis atque magis corpus revolubile volvens
Attollit nitidis pectus fulgoribus, et se
Sublimi cervice rapit[12]; cui crista superne
Edita purpureo lucens maculatur[13] amictu;
Adspectuque micant flammarum lumina[14] torvo.
Metabat[15] late circum loca, quum videt ingens
Adversum recubare ducem gregis. Acrior instat[16]
Lumina diffundens intendere, et obvia torvo[17]
Sæpius arripiens infringere, quòd sua quisquam
Ad vada venisset. Naturæ comparat arma:
Ardet mente, furit stridoribus, intonat ore,
Flexibus et versis torquetur corporis orbis;
Manant sanguineæ per tractus undique guttæ;
Spiritibus[18] rumpit fauces. Quo cuncta parante,
Parvulus hunc[19] propior humoris terret alumnus
Et mortem vitare monet per acumina[20]: namque
Qua diducta genas pandebant lumina gemmis[21],
Ac senioris erat naturæ[22] pupula, telo
Icta[23] levi. Tum prosiluit furibundus, et illum
Obtritum morti misit; cui dissitus[24] omnis
Spiritus excessit sensus. Tum torva tenentem
Lumina respexit serpentem cominus: inde
Impiger, exanimis, vix compos mente[25], refugit,

trunci. — 6 Qui ita premebantur somno. — 7 Casus *ducere*, metaphora sumpta a sortibus ducendis ex urna. *Incertos*, interimereturne a serpente pastor an servaretur. — 8 Serpens *volvens se*, ut *volventia* infra 194 et in *Georg.* I, 163, n. 66. Tempore quo se recreare solebat ab æstu solis. — 9 Propter magnum æstum. — 10 *Gravis* intelligendum videtur de gravi odore quem fundit, ut explicatur in *Georg.* III, 415, n. 60. Aera *carpens*, quæsite dictum, ut videtur, secundum locutiones *carpere herbam*, et sim. — 11 *Venientis ad omnia* serpentis, i. e., obstantia omnia aggressuri; sed mendosa hæc esse videntur. *Virus* ab Heinsio est pro *visus*; conferente illa Ovidiana: *quique halitus exit Ore niger Stygio, vitiatas inficit auras*, de dracone Cadmi. — 12 Raptim movet; capite vibrat. His junge *Adspectuque micant* etc.; proxime sequentia autem, *cui ... amictu*, parenthetice interponuntur. — 13 Variis coloribus pingitur, picta est (conf. *Georg.* III, 427). *Amictu* de prætexto quasi limbo purpureo. — 14 Oculi flammantes. — 15 Metabatur (ut ceteri omnes loquuntur), metiebatur oculis, recognoscebat loca. — 16 *Acrior instat intendere* pro simplici: statim acrius intendit. *Diffundens*, huc illuc torquens. — 17 Quæcumque obvia sunt torvum spectanti. — 18 Spiritu, anhelitu frequenter emisso. — 19 Pastorem. *Humoris alumnus*, culex. — 20 Pungens eum aculeo. — 21 *Gemmis*, dativus: pupillis oculorum, quæ sunt formâ gemmarum et æque splendent. Eo loco, quo oculi, quando diducuntur, *genas*, id est palpebras aperiebant pupillis vel pupulis, faciebant ut cernerent et cernerentur. — 22 Utpote pastoris jam senioris; paullum immutantur enim cum ætate pupulæ. Sæpe poeta noster minutissima legit et specie exaggerat. — 23 *Icta* est pupula. — 24 Dispersus; lucretiana vox. *Excessit sensus*, ut dicimus *excedo urbem*: reliquit sensuum instrumenta, oculos, aures, etc. — 25 Anti-

Et validum dextra truncum detraxit ab orno,
[Cui[26] casus sociarit opem, numenve deorum,
[Namque illi dederitne viam casusve, deusve,]
Prodere sit dubium : voluit sed vincere talis[27]
Horrida squamosi volventia membra draconis :
Atque reluctantis crebris fœdeque[28] petentis
Ictibus ossa ferit, cingunt qua tempora cristæ ;
Et quod erat tardus[29], somni languore remoto,
Nec prius aspiciens timidos cæcaverat artus,
Hôc minus implicuit dira formidine mentem.
Quem postquam vidit cæsum languescere, sedit.

Jam quatit et bijuges[30] oriens Ereboïs equos Nox,
Et piger aurato procedit Vesper ab OEtâ[31] :
Quîi grege compulso pastor, duplicantibus[32] umbris,
Vadit, et in fessos requiem dare[33] comparat artus.
Cujus ut intravit levior per corpora somnus,
Languidaque effuso requierunt membra sopore ;
Effigies[34] ad eum Culicis devenit, et illi
Tristis ab eventu[35] cecinit convicia mortis.
Inquit : « Quis meritis ad quæ[36] delatus acerbas
Cogor adire vices ? Tua dum mihi carior ipsâ
Vita fuit vitâ, rapior per inania ventis[37].
Tu lentus refoves jucundâ membra quiete,
Ereptus tetris e cladibus : at mea Manes[38]
Viscera Lethæas cogunt transnare per undas ;
Præda Charontis agor. Vidi ut flagrantia tædis[39]
Limina collucent infernis omnia templis.
Obvia Tisiphone, serpentibus undique compta,
Et flammas et sæva quatit mihi verbera Pœnæ[40] ;
Cerberus et diris flagrat[41] latratibus ora,
Anguibus hinc atque hinc horrent cui colla reflexis,
Sanguinicique micant ardorem[42] luminis orbes.
Heu ! quid ab officio digressa est gratia[43], quum te

que ; ut Sallustius : *compos animo et lingua.* — 26 Strue : Dubium sit *prodere*, edere, dicere, utrum casus an deus propitius pastori hoc auxilium attulerit. Sequens versus abest a melioribus libris, ex glossemate ortus. — 27 *Talis*, trunco solum orni armatus. *Volventia*, v. supra n. 8. — 28 Strue : *atque* serpentis, *reluctantis et* ipsum *fœde petentis, ossa ferit ictibus crebris.* — 29 Hæc de *serpente* accipienda sunt, tali sententia : Quod moratus erat nec statim irruerat in pastorem, quem sopitum facile poterat interimere, sed tum demum fecerat impetum, quum languor ex somno pastorem remisisset, quodque terribili adspectu suo artus ejus non prius *cæcaverat*, id est suspensos et quid agerent incertos reddiderat, ut sunt artus hominis cæci, vel hominis timore percussi : propterea minus ille pastorem terruerat. Dicuntur autem serpentes oculis in hostem defixis, solo adspectu eum conturbare et injecto animi angore visum præstringere. — 30 Bigis vectam Noctem vidimus *Æn.* V, 721. *Quatit*, movet, agitat. Ἐρεβοῖς, in Erebo, Tartaro habitans. — 31 Vide *Ecl.* VIII, 30, n. 28. — 32 Neutraliter. Vide *Ecl.* II, 67. — 33 In artus *dare*, didere, diffundere. — 34 *Effigies*, species, spectrum, εἴδωλον, umbra Culicis. — 35 Cecinit propter id quod evenerat. — 36 Interrogationes duæ in unum junctæ, quod nec prosæ antiquæ incognitum. — 37 *Averni* correxit Heinsius. — 38 Di inferi, ut *Georg.* IV, 489, al. *Viscera*, quasi corpus interius, umbra. Item insolite *Lethæas* undas, quum *Stygiæ* transneutur. — 39 *Tædis*, scilicet Furiarum. *Infernus templis*, ut Ennius : *Acherusia templa alta Orci pallida.* — 40 Furiæ, qualia incutit Furia. — 41 Ore triplici *flagrat latratibus*, creberrimos latratus edit. In significanda actione quæ ferventi studio fit aut repetitur, non raro invenias verba *flagro, æstuo, ferveo.* — 42 *Micant ardorem* audacter dictum : micantes vel micatione sua ardorem ostendunt, ardere videntur, scintillant. — 43 Quid est *gratia*, gratitudo, quando digreditur ab officio grati animi, idque non præstat ? Plane nulla est. Nisi præferas hoc simplicius : Quare gratia discessit ab

Restitui superis leti jam limine ab ipso ?
Præmia sunt pietatis ubi ? Pietatis honores
In vanas abiere vices[44] ; et rure[45] recessit
Justitia et prior illa Fides. Instantia[46] vidi
Alterius ; sine respectu mea fata relinquens,
Ad pariles agor eventus ; fit pœna merenti[47],
Pœna fit exitium. Modo sit tum grata voluntas !
Exsistat par officium[48] ! Feror avia carpens,
Avia Cimmerios[49] inter distantia lucos :
Quem circa tristes densentur in omnia[50] pœnæ.
Nam vinctus sedet immanis serpentibus Otos[51],
Devinctum mœstus procul adspiciens Ephialten,
Conati quum sint quondam rescindere mundum[52] ;
Et Tityos, Latona, tuæ memor anxius iræ,
(Implacabilis ira nimis,) jacet alitis esca.
Terreor ah tantis insistere, terreor, umbris !
Ad Stygias revocatus[53] aquas, vix ultimus amni
Exstat, nectareas divùm qui prodidit escas,
Gutturis arenti revolutus in omnia[54] sensu.
Quid, saxum[55] procul adverso qui monte revolvit,
Contempsisse dolor quem numina vincit[56] acerbus ?
Otia quærentes frustraque haurite, puellæ[57],
Rite quibus tædas accendit tristis Erinnys
(Sicut[58] Hymen præfata dedit connubia mortis) ;
Atque[59] alias alio densat super agmine turmas,
Impietate fera vecordem Colchida matrem[60]
Anxia sollicitis meditantem vulnera natis ;
Jam Pandionias miseranda prole puellas[61],
Quarum vox Ityn edit Ityn, quo Bistonius rex[62],
Orbus epops, mœret volucres evectus in auras.
At discordantes Cadmeo semine fratres[63]
Jam truculenta ferunt infestaque lumina corpus
Alter in alterius ; jamque aversatur uterque,
Impia germani manat quòd sanguine dextra.
Eheu, mutandus numquam labor[64] ! Auferor ultra
In diversa magis ; distantia limina[65] cerno :

officio, non respondet officio quod tibi præstiti ? — 44 Abierunt in vanum, quum debuisses reddere vices ; hinc dixit *vanas vices*. — 45 Salse dictum *rure* : nunc etiam rure, ubi post relictas urbes commorabatur adhuc, discessit Justitia, et antiqua Fides. — 46 *Instantia*, supple *fata* ex sequenti membro. — 47 Mihi bene merenti. — 48 Modo a te mihi præstetur par officium. Intelligit beneficium sepulturæ, ut ad beatorum sedes possit admitti. *Carpens*, confer p. 98 initio. — 49 *Cimmerios* dicit horrentes tenebris et frigore, secundum Homerum, in Νεκυίᾳ, *Od.* λ, 14 seqq. — 50 *In omnia*, quaquaversum, undique. Exinde varia sceleratorum supplicia pinguntur, quæ spectare cogitur Culex : quibuscum conferendus *Æneidos* liber VI. — 51 De *Oto* et *Ephialte* Aloidis v. *Æn.* VI, 582 seq., n. 64. — 52 Cœlum.

De Tityo *ibid.* 595-600, n. 69. — 53 Delatus ; de *Tantalo*, cujus crimen et pœna notissima. *Ultimus*, vix summa sui parte eminens. — 54 In omnes partes convertens se, ut aquam captet, *sensu arenti gutturis*, id est, præ siti. — 55 De *Sisypho*. — 56 Subigit, deprimit. — 57 De *Danaidibus*, quarum facinus memoratum *Æn.* X, 497 seq. *Tædas* nuptiales. — 58 Ut Furia Danaidibus faces nuptiales accendit, ita jam ante Hymen iis *præfata* (passive) *dedit*, præfatus erat *connubia mortis*, id est letalia, per notum Danai patris præceptum. — 59 Atque eadem Furia sceleratorum novas usque turmas denso agmine exhibet. — 60 Medeam. Meditantem vulnera *anxia*, quippe ipsa id agens erat anxia et cruciabatur. — 61 Philomelen et Procnen ; vide p. 30, n. 76. — 62 Bistonum in Thracia populi rex Tereus, pater Ityos, in ἔποπα vel upupam mutatus ; v. *ibid.* n. 75. — 63 Eteoclem et Polynicem, Thebanos. — 64 Pœna numquam finem habitura ! — 65 Fines, regiones, loca.

Eridanus[66] tranandus; agor delatus ad undam.
Obvia Persephone comites heroïdas urget
Adversas perferre faces[67]. Alcestis ab omni
Inviolata vacat cura[68], quod sæva mariti
Ipsa suis fatis Admeti fata morata est.
Ecce Ithaci[69] conjux! semper decus enitet oris;
Femineum incorrupta decus manet, et procul illa
Turba ferox juvenum telis confixa procorum.
Quo[70] misera Eurydice tanto mœrore recessit,
Pœnaque respectus et nunc in te[71] manet, Orpheu.
Audax ille quidem, qui mitem Cerberon umquam
Credidit, aut ulli Ditis placabile numen;
Nec timuit Phlegethonta furentem ardentibus undis,
Nec mœsta obtenta Ditis ferrugine[72] regna,
Defossasque[73] domos, ac Tartara nocte cruentâ
Obsita, nec faciles[74] Ditis sine judice sedes,
Judice, qui vitæ post mortem vindicat acta.
Sed[75] fortuna valens audacem fecerat ante:
Jam rapidi steterant amnes[76], et turba ferarum
Blanda voce sequax[77] regionem insederat Orphei;
Jamque imam viridis radicem moverat alte
Quercus humo[78], steterunt comites, silvæque sonoræ
Sponte sua cantus rapiebant[79] cortice avarâ.
Labentes[80] bijuges etiam per sidera Lunæ
Pressit equos; et tu currentes, menstrua Virgo[81],
Auditura lyram tenuisti nocte relictâ.
Hæc eadem[82] potuit Ditis te vincere conjux,
Eurydicenque ultro ducendam reddere[83]: non fas,
Non[84] erat invita Diva exorabile Mortis.
Illa quidem, nimium Manes experta severos,
Præceptum signabat[85] iter; nec rettulit intus
Lumina, nec Divæ corrupit munera[86] linguâ.
Sed tu crudelis, crudelis tu magis, Orpheu,
Oscula cara petens rupisti jussa deorum.
Dignus amor venia, gratum si Tartara nossent
Peccatum minus esse grave. At nos sede piorum,

66 *Eridanus* apud inferos etiam ferebatur; v. *Æn.* VI, 659, n. 4. *Agor delatus*, i. q. deferor; amplificatum. — 67 *Adversas faces*, infortunata infaustaque matrimonia. — 68 Felix est apud inferos. — 69 Ulyssis Penelope. — 70 *Quo*, in eosdem campos, ubi Alcestis et Penelope commorabantur. De Eurydice cecinit Virgilius in *Georg.* IV, 457-505. — 71 *In te manet*, quippe ab uxore amata in omne tempus sejuncto. — 72 Etiam cymba Charontis dicitur *ferruginea*, *Æn.* VI, 303, n. 43. — 73 Subterraneas. *Cruenta* explicatur quod Tartaro inclusi pœnas dant qui cædes perpetrarunt. — 74 *Non faciles* aditu, et ad quas non admittuntur nisi qui judicium subierunt, secundum illa in *Æn.* VI, 431, n. 93: *Nec vero hæ sine sorte datæ, sine judice, sedes.* — 75 Sed Orpheum, jam *ante* quam descenderet in Tartarum, *fortuna valens*, nimirum cantus sui vis et successus, fecerat audacem et terribilia aliis minime timentem. — 76 Conf. supra 115 seq., n. 78. — 77 Sequens Orpheum propter blandam ejus vocem. *Regionem Orphei*, locum in quo consederat cithara canens. — 78 Vide *Ecl.* III, n. 46; quod noster poeta prodigiose exaggerat. *Silvæ* pro subjecto assumendæ sunt etiam ad *steterunt comites*. — 79 Arripiebant *cortice* tamquam auribus, eaque *avara*, insatiabili. — 80 Strue: Orpheus *etiam Lunæ equos bijuges, per sidera labentes*, cantu suo *pressit*, repressit, inhibuit. — 81 Etiam Virgilius Lunam *menstruam* dixit, *Georg.* I, 353, n. 35, ob vices ejus menstruas. — 82 Lyra. — 83 Efficere ut redderetur, ex Orco abducenda. — 84 Non erat exorabile *fas Mortis*, jus Morti divinitus constitutum et inviolabile, nisi vellet Proserpina. — 85 *Signabat* vestigiis impressis. *Intus*, intra limina. — 86 Nec veniam a Proserpina concessam reddidit irritam loquendo.

Nos manet heroum contra[87] manus. Hic et uterque
Æacides : Peleus namque et Telamonia[88] virtus
Per secura patris lætantur numina[89], quorum
Connubiis Venus et Virtus[90] injunxit honorem.
Hunc rapuit[91] serva ; ast illum Nereïs amavit.
Assidet hac juvenis[92], sociat quem gloria, fortis,
Acer, in excidium referens[93] a navibus ignes
Argolicis Phrygios torva feritate repulsos.
O quis non referat talis divortia[94] belli,
Quæ Trojæ vidêre viri, vidêreque Graii !
Teucria[95] quum magno manaret sanguine tellus,
Et Simois, Xanthique liquor, Sigeaque prætèr[96]
Litora, quum Troas, sævi ducis Hectoris irâ,
Vidêre in classes inimica mente Pelasgas[97]
Vulnera, tela, neces, ignes inferre paratos.
Ipsa jugis namque Ida patens frondentibus, ipsa
Ida faces altrix cupidis præbebat alumnis[98],
Omnis ut in cineres Rhœteï[99] litoris ora
Classibus ambustis flamma lacerante daretur.
Hinc erat oppositus contrà Telamonius heros,
Objectoque dabat clipeo certamina ; et illinc
Hector erat, Trojæ summum decus ; (acer uterque,
Fulminibus cœlo veluti fragor editus ingens ;)
Ignibus hic telisque furens, si[1] classibus Argos
Eriperet reditus ; alter Vulcania ferro
Vulnera protectus depellere navibus instat.
Hoc erat Æacides[2] vultu lætatus honores,
Dardaniæque alter[3] fuso quod sanguine campis
Hector lustravit devicto corpore Trojam. [hujus
Rursus acerba[4] fremunt, Paris hunc quod letat, et
Alta dolis Ithaci virtus quod concidit icta.
Huic gerit aversos proles Laertia[5] vultus,
Et jam Strymonii[6] Rhesi victorque Dolonis,
Pallade[7] jam lætatur ovans ; rursusque tremiscit,
Jam Ciconas[8], jamque horret atrox Læstrygone natos.

87 In Elysio, exadversum sito campis lugentium : quod Elysium jam adit Culex. — 88 Peleus et Telamo heroes, Æaci filii. — 89 *Patris* donati immortalitate *numina*. — 90 *Venus* enim et *Virtus* conjunctæ Telamoni et Peleo erant quasi pronubæ. Etenim uterque conjugem non amori soli, sed etiam virtuti suæ debuit, quum Telamon Hesionen (vide pag. 309, n. 64) in expugnatione Trojæ tamquam præmium victoriæ reportaret, Peleus autem Thetidi varias et truculentas formas induenti, ut ipsum terreret, minime cederet. — 91 Amore cepit Hesione, devicti regis filia Adverte argute dictum esse in laudem, *rapuit serva*, propter oppositum sequens. — 92 Ajax Telamonius. — 93 Narrans ignes *Phrygios*, a Trojanis in excidium navium illatos, a navibus Græcis repulsos sua virtute indomita. Res splendide narratur in cantu XIII *Iliadis*, inde dicto Ἐπταναυσιμάχη. — 94 Bellum quo duo populi a diversis partibus stant et certamina ineunt ; alias dicitur *jurgia belli*. — 95 Trojana. — 96 Quæ adjacent circumjecta illi campo. — 97 Græcas. — 98 Trojanis, pugnæ cupidis. — 99 Vide p. 181, n. 55. — 1 *Si*..., ea spe ut... ; quod in Virgilio accuratius explicuimus, *Vulcania vulnera*, flammas. — 2 De Ajace accipiendum, qui in Elysio eodem erat vultu, quo vivus lætitiam prodiderat de honoribus quos magnis gestis auferebat —: 3 *Alter* vero Æacides, Achilles, lætatus erat *quod Hector* etc. ; vide *Æn.* I, 483, cum nota 45. — 4 Sed iidem acerbe fremunt, vehementer indignantur mortem suam cogitantes, Achilles Paridis, Ajax Ulyssis fraude circumventi. — 5 Ulysses. — 6 Thracii. Vide *Æn.* I, 469 seqq. ; de Dolone XII, 347 seqq. — 7 Palladio ablato ; vide *Æn.* II, 163 seqq. — 8 Thraciæ populum, ad quem delatus est Ulysses erroribus, deinde ad Læstrygonas in Sicilia ; vide *Odyss.* I (IX), 39 seqq., K, 81 seqq. Cetera sat nota.

Illum Scylla rapax, canibus succincta Molossis[9],
Ætnæusque Cyclops, illum Zanclæa[10] Charybdis,
Pallentesque[11] lacus, et squalida Tartara terrent.
Hic et Tantalei generis decus, amplus Atrida[12],
Assidet, Argivum lumen : quo flamma regente
Doris[13] Erichthonias prostravit funditus arces.
Reddidit, heu, Graius[14] pœnas tibi, Troja, ruenti,
Hellespontiacis[15] obiturus reddidit undis.
Illa vices hominum testata est copia[16] quondam,
Ne quisquam propriæ fortunæ munere dives
Iret inevectus[17] cœlum super : omne propinquo
Frangitur invidiæ[18] telo decus. Ibat in altum
Vis Argea[19] petens patriam, ditataque prædâ
Arcis Erichthoniæ : comes huic erat aura secunda;
Per placidum cursus[20] pelagus Nereis ab unda
Signa dabat, pars inflexis super acta carinis[21] :
Quum, seu cœlesti fato, seu sideris ortu[22],
Undique mutatur cœli nitor; omnia ventis,
Omnia turbinibus sunt anxia. Jam maris unda
Sideribus[23] certat consurgere, jamque superne
Corripere et soles et sidera cuncta minatur,
Ac ruere in terras cœli fragor. Hic modo læta
Copia nunc miseris circumdatur anxia fatis,
Immorituraque super fluctus, et saxa Capherei[24],
Euboïcas et per cautes Ægæaque late
Litora : quū Phrygiæ passim vaga præda peremptæ[25]
Fluctuat omnis in æquoreo navifraga tractu.
Hic[26] alii sidunt pariles virtutis honore
Heroes, mediisque siti sunt sedibus omnes,
Omnes Roma decus magni quos suscipit[27] orbis.
Hic Fabii, Deciique; hic est et Horatia virtus;
Hic et fama vetus numquam moritura Camilli;
Curtius et, mediis quem quondam sedibus Urbis
Devotum bellis consumpsit gurges inundans[28];
Mucius et, prudens ardorem corpore passus,
Legitime cessit cui fracta potentia regis.
Hic Curius claræ socius virtutis[29], et ille
Flaminius[30], devota dedit qui corpora flammæ.

9 Grandibus ; vide p. 106, n. 56. — 10 Ad Zanclen Siciliæ, quæ postea Messana, hodie *Messina*. — 11 Infernos; ut *pallentes umbras Erebi*, *Æn.* IV, 26. — 12 Agamemnon, Tantali abnepos. — 13 Dorica, Græca, ut *Æn.* II, 27, n. 16. *Erichthoniæ* autem *arces* hoc loco sunt Trojæ, a Dardani filio Erichthonio, Troïs patre, apud Hom. *Il.* Y, 219 seqq. — 14 *Graius* pro plurali : Græci, qui fœdum in reditu naufragium passi sunt. — 15 *Hellespontiacæ undæ* sensu latiore dicuntur pro omni mari alluente Græciam. — 16 *Copia* de exercitu Græcorum ad Trojam, quod *copiæ* dici solet; vide Servium ad *Æn.* II, 564, n. 52. *Testata est*, documentum dedit, admonuit. — 17 Vide 100, n. 68. — 18 Intelligas celebrem illam *invidiam deorum*. — 19 Argiva, Græca. — 20 Junge *signa cursus*. *Nereis* collective, pro : Nereides, imo *pars* Nereidum, cui respondet sequens *pars*. Sic item *Æn.* V, 108, et alibi non raro, *pars* semel positum. — 21 Pars Nereidum adeo naves eorum incurvas conscenderat : tantum favere videbantur! — 22 Vide *Æn.* XI, 259 seq., cum nota 4. — 23 Dativus : ad sidera. — 24 Vide *Æn.* locum modo citatum. — 25 Devictæ et exstinctæ. — 26 In eodem Elysio. Jam recensel Romanorum viros clarissimos, ut Virgilius *Æn.* VI, 809 seqq., in quo loco, cum his conferendo, iidem viri memorantur. — 27 Suscepit, genuit. — 28 Postea *lacus Curtius*. Insolens locutio *devotus bellis*. Placet sibi in hoc vocabulo noster poeta. — 29 Similiter supra 300, *sociat quem gloria*. — 30 Nescitur unde pedem tulerit hic *Flaminius* prorsus ignotus; sed ita scripsisse poetam, ostendere

Jure igitur tales sedes pietatis honorat.
Istic Scipiadæque duces, devota triumphis
Mœnia quos rapidos Libycæ Carthaginis horrent.
Illi laude sua vigeant; ego Ditis opacos
Cogor adire lacus, viduos a lumine Phœbi,
Et vastum Phlegethonta pati, quo maxima Minos
Conscelerata pia discernit vincula[31] sede.
Ergo me causam mortis, me dicere vitæ
Verberibus sævæ cogunt sub judice Pœnæ,
Quum mihi tu sis causa mali, nec conscius adsis.
Nec tolerabilibus curis hæc immemor audi!
Et tamen[32] ut vanis dimittas omnia ventis:
Digredior numquam rediturus: tu cole fontes
Et virides nemorum silvas et pascua lætus:
Et mea diffusas rapiuntur dicta per auras.»
Dixit; et extrema tristis cum voce recessit.

Hunc[33] ubi sollicitæ dimisit inertia vitæ
Interius graviter regementem, nec tulit ultra
Sensibus infusum Culicis de morte dolorem;
(Quantumcumque sibi vires tribuêre seniles,
Quis tamen infestum pugnans devicerat hostem,)
Rivum propter aquæ, viridi sub fronde latentem,
Conformare locŭ capit[34] impiger. Hunc et in orbem
Destinat, ac ferri capulum[35] repetivit in usum,
Gramineam viridi fodiens de[36] cespite terram.
Jam memor inceptum peragens sibi cura laborem
Congestum cumulavit opus, atque aggere multo
Telluris tumulus formatum crevit in orbem;
Quem circum lapidem, lævi de marmore formans,
Conserit, assiduæ curæ memorem. Hic et acanthus,
Et rosa purpureo crescit pudibunda rubore,
Et violæ omne genus; hic est et Spartica[37] myrtus,
Atq hyacinthus; et hic Cilici[38] crocus editus arvo;
Laurus itē Phœbi surgens decus; hic rhododaphne[39],
Liliaque, et roris non avia cura[40] marini,
Herbaque[41] thuris opes priscis imitata Sabina,
Chrysanthesque[42] hederæq nitor, pallente corymbo,
Et Bocchus[43] Libyæ regis memor; hic amaranthus,
Bumastusque[44] virens, et semper florida tinus.

videtur alliteratio in voce *flammæ*. Jahnius tamen corrigebat *fumæ*. — 31 *Vincula conscelerata* vocat Tartarum, ac si dicat carcerem qui sceleratos vinctos tenet, Phlegethonte flumine disterminatum a sedibus Elysiis. In eo nunc est Culex, ut coram Minoe judicium subeat. — 32 Nihilominus per me licet ut omnia quæ dixi mandes oblivioni. — 33 Pastorem. Ac fortasse hæc secundum Horatium expressa, *Sat.* II, 6, 61: *somno et inertibus horis Ducere sollicitæ jucunda oblivia vitæ*. — 34 Suscipit vel incipit. *In orbem destinare*, definire, circumscribere finibus orbem exhibentibus. — 35 *Capulum ferri* vocare videtur ligonem vel aliud simile instrumentum. — 36 Junge *gramineamde cespite*, quod explicativum est; et mox *inceptum sibi*. — 37 *Spartica* prorsus insolenter pro: Spartana. Sane myrtus circa Eurotam provenit multa. Scaliger *Parthica*. — 38 In agro Cilicio, præsertim ad Corycum montem; vide p. 115, n. 72. — 39 Nobis quoque *laurier-rose*. — 40 *Non avia* vel longinqua *cura*, ut de passim proveniente et obvio; conf. *Georg.* II, 213, n. 72. — 41 *Herba Sabina*, cui nomen mansit, species juniperi; quæ « a multis in suffitus pro thure assumitur », inquit Plinius. — 42 *Chrysanthes* sive chrysanthemum (*chrysanthème*), flos luteolus, secundum Dioscoridem Latinis dictus *caltha*, de qua *Ecl.* II, n. 47. *Pallente corymbo*, vide *Ecl.* III, 39, not. 38. — 43 Ignoratur quænam planta nomen duxerit a Boccho rege Mauritaniæ. Apud Hesychium quoque lexicographum habetur « βώχ, *plantæ genus*. » — 44 Non

tim ad Corycum montem; vide p. 115, n. 72. — 39 Nobis quoque *laurier-rose*. — 40 *Non avia* vel longinqua *cura*, ut de passim proveniente et obvio; conf. *Georg.* II, 213, n. 72. — 41 *Herba Sabina*, cui nomen mansit, species juniperi; quæ « a multis in suffitus pro thure assumitur », inquit Plinius. — 42 *Chrysanthes* sive chrysanthemum (*chrysanthème*), flos luteolus, secundum Dioscoridem Latinis dictus *caltha*, de qua *Ecl.* II, n. 47. *Pallente corymbo*, vide *Ecl.* III, 39, not. 38. — 43 Ignoratur quænam planta nomen duxerit a Boccho rege Mauritaniæ. Apud Hesychium quoque lexicographum habetur « βώχ, *plantæ genus*. » — 44 Non

bumastus vitis, quæ memoratur *Georg.* II, 102, sed herba quædam, ipsa quoque annotata ab Hesychio. *Tinus* est lauri silvestris species. — 45 Titulus.

Non illinc Narcissus abest, cui gloria formæ
Igne Cupidineo proprios exarsit in artus;
Et quoscumque novant vernantia tempora flores,
His tumulus supèr inseritur : tum fronte locatur
Elogium[45], tacita format quod litera voce :
PARVE CULEX, PECUDUM CUSTOS TIBI TALE MERENTI
FUNERIS OFFICIUM VITÆ PRO MUNERE REDDIT.

CIRIS.

AD MESSALAM.

1 Amore laudis et famæ poeticæ, quam variis modis captabam : ut non unum genus carminum tentavisse videatur. — 2 Cujus favor et gratia est inconstans, levi judicio et temere modo hunc modo illum admirantis aut negligentis. — 3 *Hortulus Cecropius* sive Atticus est celebratus ille Athenis hortus, in quo Epicurus docere solebat. Hujus philosophiam poeta erat amplexus. *Auras,* odores, ut *Georg.* IV, 417, al. — 4 Σοφίας, Sapientiæ, ut vertit Ennius ea voce primum usus. — 5 Tu, Messala, ex me quærere noli, dignumne sit hac dea, Sapientia, quærere argumentum carminis. Res manifesta nimis : nam Sophia *longe aliud studium* etc. Suum philosophiæ studium a poeta his significari apparet. — 6 Aggressa. Vide *Æn.* IV, 493, n. 21. — 7 Neutraliter : ex inferiore loco tendit ad cœlestia. *Mundi,* cœli, ut *Cul.* 235, n. 52. — 8 *Collem* Sapientiæ, ad quam, ut ad Virtutem, est via ardua, ὄρθιος οἶμος Hesiodo. — 9 Ad finem perducere carmen tibi mittendum. — 10 *Jure,* merito, quum jam philosophiæ me totum addixerim. — 11 Poescos studium blandum et dulce, sed leve. — 12 *Etsi* dedi pro *Quadsi* in versibus desperatis, hoc sensu : Quamquam sunt poetæ, qui proferre valeant mirificum et admirabile genus versuum, sæculo omni admirabilium, modo tu velis, modo te volente et incitante canant : tum egregia carmina prodeunt. Nam ejus temporis poetæ multi Messalæ inscripserunt sua carmina, quorum aliqua supersunt. Hos, qui fere ipsum Messalam cecinerunt, excipit ex illo *leviter blando* genere. — 13 Statueret, collocaret. — 14 Platoni, Aristoteli, Zenoni, Epicuro. Arx *consors,* quam ut consortes tenent quattuor summi philosophi. Sequentia expressa sunt ex Lucretio II, 9 seqq. — 15 Tam tenui. — 16 Includere pedibus suis, fin-

ETSI me, vario[1] jactatum laudis amore
Irritaque expertum fallacis præmia vulgi[2],
Cecropius[3] suaves exspirans hortulus auras
Florentis viridi Sophiæ[4] complectitur umbrâ;
Tu ne quære[5], dea dignum sit quærere carmen :
Longe aliud studium atque alios accincta[6] labores,
Altius ad magni subtendit[7] sidera mundi,
Et placitum paucis ausa est adscendere collem[8] :
Non tamen absistam cœptum detexere[9] munus;
In quo jure[10] meas utinam requiescere Musas,
Et leviter blandum liceat deponere morem[11].
Etsi[12] mirificum proferre valent genus, omni
Mirificum sæclo, modo sit tibi velle libido.
Si me jam summa Sapientia pangeret[13] arce,
Quattuor antiquis quæ heredibus[14] est data consors,
Unde hominum errores longe lateque per orbem
Despicere atque humiles possem contemnere curas :
Non ego te talem venerarer munere tali[15];
Non equidem; quamvis interdum ludere nobis
Et gracilem molli liceat pede claudere[16] versum;

Sed magno intexens, si fas est dicere[17], peplo,
Qualis Erechtheis[18] olim portatur Athenis,
Debita quum castæ solvuntur vota Minervæ,
Tardaque confecto redeunt Quinquennia[19] lustro,
Quum levis alterno Zephyrus concrebruit Euro[20],
Et prono gravidum provexit pondere currum[21].
Felix illa dies, felix et dicitur annus;
Felices, qui talem annum vidère diemque!
Ergo Palladiæ texuntur in ordine pugnæ;
Magna Giganteis ornantur pepla[22] tropæis;
Horrida sanguineo pinguntur[23] prœlia cocco;
Additur aurata dejectus cuspide Typhon[24],
Qui prius, Ossæis consternens æthera[25] saxis,
Emathio[26] celsum duplicabat vertice Olympum.
Talc deæ velum sollemni in tempore portant:
Tali te vellem, juvenum doctissime, ritu[27]
Purpureos[28] inter Soles et candida Lunæ
Sidera, cæruleis orbem pulsantia bigis,
Naturæ rerum magnis intexere chartis;
Æternum Sophiæ[29] conjunctum carmine nomen
Nostra tuum senibus[30] loqueretur pagina sæclis.
Sed quoniâ ad tantas nunc primû nascimur artes[31],
Nunc primum teneros firmamus robore nervos:
Hæc tamen interea, quæ possumus, in quibus ævi
Prima rudimenta et primos exeginus annos,
Accipe dona, meo multum vigilata[32] labore,
Promissa atque diu, non magna exordia rebus[33]:
Impia prodigiis[34] ut quondam exterrita amoris
Scylla novos avium sublimis[35] in aere cœtus
Viderit, et tenui conscendens æthera pennâ
Cæruleis sua tecta supervolitaverit alis[36];

gere. — 17 Scilicet sine audaciæ, arrogantiæ crimine. Comparat enim carmen suum cum celebri πέπλῳ, qui Minervæ offerebatur in Panathenæis magnis, quæ quinto quoque anno celebrabantur; ei peplo res a dea gestæ, inprimis pugna cum Titanibus et Gigantibus certata, nonnunquam et ducum Atheniensium egregia belli facinora erant publice intexta. — 18 Ab rege antiquo Erechtheo. *Olim*, quandoque, suo tempore, *quum* etc. — 19 Festum *pentaetericum*. — 20 Significatur hisce tempus paullo post solstitium æstivum, quo incipitur annus Atticorum, mense Hecatombæone, quo mense celebrabantur Panathenæa. Zephyros ineunte æstate flantes memorat Virgilius *Georg.* III, 322.

— 21 *Currum*, nimirum navem illam Panathenaicam, in pompa machinis ductam per vicos et vias urbis ad templum Minervæ, peplo veli instar expanso. — 22 Poetice pro singulari. In gigantomachia Pallas Gigantas plures ipsa prostraverat. — 23 *Pinguntur* scu. *Cocco*, fuco e vermibus ilici aquifoliæ insidentibus, quos veteres pro baccis habebant, expresso (hod. *kermès*). — 24 *Typhon* sive *Typhoeus*, post victos Gigantas Tellure et Tartaro prognatum monstrum, quod a Jove fulmine prostratum narrari solet. Sed Horatius quoque: *Quid Typhoeus, et validus Mimas... contra sonantem Palladis ægida possent ruentes?* (Od. III, 4, 53.) — 25 Poeta hoc velle videtur: saxa ab Ossa monte abrepta jaculans in æthera rem tanta copia et assiduitate, ut ipse æther saxis veluti constratus esse videretur. — 26 *Emathius* (Thessalicus, vide p. 69, n. 35) *vertex* est Pelion, quem imponebat Olympo. — 27 Tali modo te vellem tuumque nomen intexere, velut peplo, poemati de rerum natura scribendo. — 28 Splendentes. *Sidera Lunæ*, poetica amplificatione de ipsa luna. *Orbem*, cœlum. *Pulsantia*, ob bigas, tractas ab equis qui solum pulsant. — 29 Dativus. Strue: *pagina nostra loqueretur carmine nomen tuum æternum, conjunctum Sophiæ*, nomini Sophiæ. — 30 Sæculis quando vetera facta fuerint, seris; ut apud Plautum *dies senex*, apud Catullum *charta anus*. — 31 Ad philosophiam. — 32 Etiam Ovidius bis dixit, *vigilatum carmen*. — 33 *Rebus* tuis exinde canendis ampliore spiritu. — 34 *Prodigiis amoris*, amore prodigioso, monstroso. — 35 Avis et ipsa, earum cœtui accedens. — 36 Ex *Ecl.*

VI, 81. — 37 Græci semper Πολύμνια, ut quæri possit an ducatura μνεία, i. e. memoria rerum, cui servandæ præsit amans verum. — 38 *Mutor aliâ figurâ* dicitur item ut : in aliam figuram. De fabulæ diversitate paucis monitum p. 30, n. 72. — 39 *Infectare* verbum alibi nusquam legitur. Silligius corrigebat *infamata*. — 40 *Illam* esse *ærumnam*, poetice de ipsa Scylla dictum, ut fit in multis nominibus abstractis. Legamus *sæpe*, apud Virgilium videlicet, quem omnes lectitant, cujus subinde ipsos versus mutatur, ex *Ecl.* VI, 75-77 (not. 73 seq.), errasse eum multis demonstraturus. — 41 Libri Homeri, *Mæonidæ*, ut Lydia oriundi. — 42 Neque patitur hæc credere is qui *auctor malus*, malevolus, noxius, exstitit *erroribus* Ulysis, eorumque causa fuit, nimirum Neptunus, ipse pater Scyllæ. Quod quid sit, poeta jam enarrat. — 43 *Scyllæ*, plurali numero : nam alii grammatici aliam Scyllam finxerant ut Homericam. • Colophonii quoque (in Lydia) Homerum civem esse dicebant suum », ait Cicero *pro Archia* c. 8. — 44 in *Odyss.* M, 124. Crateis esse nymphæ ferebatur fluminis in extrema Italia juxta promontorium Scyllæum in mare exeuntis. Hinc poeta alias quoque fabulas de origine filius Scyllæ refert, sed rem in medio relicturus. — 45 *Germana*, videlicet Echidna, quæ Scyllam conceperit ex Typhone, *monstro biformi*. Erat autem Echidna Tartari et Telluris filia, ut Typhon filius (v. not. 24). — 46 In tota hac fictione. Tangit nimirum allegoricam interpretationem fabulæ, qua Scylla credebatur esse furiosæ libidinis emblema. Sic Heraclides in *Allegoriis homericis* et Fulgentius Planciades in *Mythologico*. — 47 « Ex iis quæ poeta subjicit, talis esse debuit fabulæ habitus : Scylla a Neptuno oppressa Amphitrites, conjugis ejus, iram in se concitaverat ; quæ eam aliquanto post ita ulta est, ut, cum marito per mare vecta, veneno aquas infecerit, quo illa, aquâ marinâ corpus lavans, in monstrum mutaretur. » *Heyn.* — 48 *Pater*, Neptunus ; sæpius dictum de Jove. *Scæva*, infausta. — 49 *Attamen*, vel ab insonti virgine, *exegit* Amphitrite has pœnas, *ut* etc. — 50 *Cura*, ut alibi *amor*, de ipsa amica dictum. *Alto* mari. — 51 *Sanguine* dicere poterat de veneno ; nam sanguini viperino atque adeo humano vis venefica tribuebatur. Secundum alios maris dea non pontum, sed fontem inquinaverat, in quo virgo se lavabat. — 52 Cupidos ejus. *Popularet*, diriperet : vide p. 147, n. 61. — 53 In notum monstrum mutata, Veneris irâ, ut mox narrabitur.

Hanc pro purpureo pœnam scelerata capillo
Proque patris solvens excisa funditus urbe.
Complures illam et magni, Messala, poetæ
(Nam verum fateamur ; amat Polyhymnia[37] verum)
Longe alia perhibent mutatam membra figurâ[38] ;
Scyllæum saxum monstra infectata[39] vocari,
Illam ærumnam[40] quam sæpe leganus Ulixi,
Candida succinctam latrantibus inguina monstris,
Dulichias vexasse rates, et gurgite in alto
Deprensos nautas canibus lacerasse marinis.
Sed neque Mæoniæ[41] hæc patiuntur credere chartæ,
Nec[42] malus istorum dubiis erroribus auctor.
Namque alias alii vulgo finxere puellas,
Quæ Colophoniaco Scyllæ[43] dicantur Homero.
Ipse Cratæin ait[44] matrem ; sed sive Crateis,
Sive illam monstro genuit germana[45] biformi,
Sive est neutra parens, atque hoc in carmine toto[46]
Inguinis est vitium et veneris descripta libido :
Sive etiam est jactis speciem mutata venenis[47]
Infelix virgo : (quid enim commiserat illa ?
Ipse Pater[48] timidam scævæ complexus arenâ
Conjugium caræ violaverat Amphitrites :
Attamen exegit[49] longo post tempore pœnas,
Ut, quum cura[50] sui veheretur conjugis alto,
Ipsa trucem multo misceret sanguine[51] pontum ;
Seu vero, ut perhibent, forma quâ vinceret omnes,
Et cupidos[52] quæstu passim populâret amantes,
Piscibus et canibusque malis vallata repente est[53] :
Horribiles circum vidit se sistere formas ;

(Heu quoties mirata novos expalluit artus
Ipsa suos! quoties heu pertimuit latratus!)
Ausa quod est mulier numen fraudare deorum,
Et dictam Veneri voto intervertere pœnam[54].
Quam[55], mala multiplici juvenū quod sæpta catervâ
Vixerat atque animo meretrix jactata ferarum[56],
Infamem tali meritorum more[57] fuisse,
Docta Palæphatia[58] testatur voce papyrus.
Quidquid[59] et ut quisque est tali de clade locutus,
Omnia sint : potius liceat notescere Cirim,
Atque unam ex multis Scyllam non esse puellis.
Quare quæ, cantus meditanti mittere[60] certos,
Magna mihi cupido tribuistis præmia[61], divæ
Pierides : (quarum castos altaria[62] postes
Munere sæpe meo inficiunt, foribusque hyacinthi
Deponunt flores[63], aut suave rubens narcissus,
Aut crocus alterna conjungens lilia calthâ[64],
Sparsaque liminibus floret rosa;) nunc age, divæ,
Præcipue nostro nunc adspirate labori,
Atque novum æterno prætexite[65] honore volumen.
Sunt Pandionis vicinæ sedibus[66] urbes,
Actæos inter colles et candida[67] Thesei
Purpureis late ridentia[68] litora conchis :
Quarum non ulli fama concedere digna
Stat Megara[69], Actæi quondam munita labore
Alcathoi, Phœbique; deus namque adfuit illi;
Unde etiam, citharæ voces imitatus acutas,
Sæpe lapis recrepat Cyllenia murmura[70] pulsus,
Et veterem sonitu Phœbi testatur amorem.
Hanc urbē, ante alios qui tum florebat in armis[71],

54 *Pœnam*, gr. ποινήν, mercedem debitam, et voto promissam deæ. Haud dubie loquitur de pecunia quam meretrices tamquam decumas quæstus sui Veneri vovere solebant. Nam Heraclitus etiam, *de Incredibilibus* c. 2, Scyllam de scorto avaro allegorice exposuit. — 55 Scyllam. — 56 *Jactata*, agitata *animo* qualis est *ferarum*, quasi dicas bestiali. — 57 Tali vitæ consuetudine, qua merebatur infamiam. Alii, auctore Cujacio, *merito rumore*. — 58 Verbis Palæphati, veteris et docti scriptoris peripatetici, ad quem referri non debet ineptus libellus περὶ ἀπίστων qui hodie exstat. — 59 Sic strue et intellige : *Omnia* hæc *sint* cujuscumque modi quidque est et ut quisque retulit de tali *clade*, de muliere tam perniciosa, de tali monstro : hæc ego sino, et potius acturus sum de Scylla in cirim mutata; quæ inclarescat meo carmine, neque amplius sit *una ex multis puellis*, puella ignobilis. — 60 *Mittere*, ore emittere, edere, gr. ἐνεῖναι ἀοιδήν. Cantus *certos*, non vagos, sed legibus et regulis poetices finitos. — 61 Favorem vestrum, ut n. 2. — 62 Satis singulariter *altaria* dicuntur *munere* in ipsis oblato *inficere postes* templi; quod vel de ara in ipso aditu templi sive vestibulo posita intelligendum, vel de nidore victimarum, templum ad postes usque κνισῶντι, ut Scaliger. Silligius dedit *libamina*. — 63 Accusativus : *deponunt flores* suos, pro : deponuntur in foribus, in corollas nexi. Apud Virgilium *Ecl.* III, 63, est *suave rubens hyacinthus*. — 64 Vide *Ecl.* II, 50, n. 47. Crocus *rubens*, *Georg.* IV, 182. — 65 *Prætexite*, tamquam limbo purpureo. — 66 Athenis, ab antiquo rege Pandione, Erechthei patre. *Actæos*, Atticos, ab ἀκτή, *litus*, vetere nomine Atticæ. — 67 *Candida*, a marmore. Nimirum totus ille tractus agri Megarici abundat lapide conchite, candidissimo, cui plurimæ insunt conchæ marinæ. — 68 Vide *Ecl.* VII, n. 55. — 69 *Megara* rarius dicitur singulari; solitum (τὰ) Μέγαρα. Arcem ejus urbis qui munivit Alcathous, Pelopis filius, e Peloponneso advenerat; hic *Actæus* sive Atticus vocatus, quia Megarensis ager olim in ditione erat Atheniensium. — 70 Murmura *Cyllenia*, id est lyræ, quam invenerat deus Cyllenius (p. 65, n. 23), Mercurius. *Recrepat*, resonat. Nam in saxo aliquo turris *proles Latoia fertur Deposuisse lyram; saxo sonus ejus inhæsit*, Ovid. *Metam.* VIII, 15. — 71 *In armis*, ut bellator, virtute bellica.

Fecerat infestam populator remige[72] Minos;
Hospitio quod se Nisi Polyïdos[73] avito,
Carpathium[74] fugiens et flumina Cæratea,
Texerat. Hunc bello repetens Gortynius[75] heros
Attica Cretæa sternebat rura sagittâ.
Sed neque tunc cives, neque tunc rex ipse veretur
Infesto ad muros volitantes agmine turmas
Vincere[76], et indomitas virtute retundere mentes:
Responsum quoniam satis est meminisse deorum.
Nam capite a summo regis (mirabile dictu)
Candida cæsaries florebat, tempora[77] lauro;
At roseus[78] medio surgebat vertice crinis:
Cujus quam servata diu natura fuisset,
Tam[79] patriam incolumem Nisi regnumque futurum,
Concordes stabili firmarunt numine Parcæ.
Ergo omnis caro residebat cura capillo,
Aurea sollemni comptum quem fibula ritu,
Crobylus[80] et tereti nectebant dente cicadæ.
Nec vero hæc urbis custodia vana fuisset,
Nec fuerat[81], ni Scylla novo concepta furore,
Scylla, patris miseri patriæque inventa sepulchrum,
Minoem cupidis si non[82] inhiasset ocellis!
Sed malus ille puer, quem nec sua flectere mater
Iratum potuit, quem nec pater atque avus[83] idem
Juppiter; (ille etiam Pœnos domitare leones,
Et validas docuit vires mansuescere tigris[84];
Ille etiam divos, homines — sed dicere magnum est;)
Idem tum tristes[85] acuebat parvulus iras.
Junonis magnæ (cujus[86] perjuria divæ
Olim si meminere, diu perjura puellæ
Non ulli liceat) violaverat inscia sedem,

72 Milite classiario, qui tum ipsi et remigabant. — 73 Πολύϊδος, celeber vates Corinthius, Minois filio Glauco in vitam restituto, Cretâ aufugerat Megara ad Nisum regem, et a Minoe armis repetebatur. — 74 *Carpathium* mare, vide p. 240, n. 54. Cretæ fluvius erat *Cæratus*, Κάρατος, Gnossum urbem alluens. — 75 Cretensis; vide p. 29, not. 57. Rura *Attica* iterum de Megaricis, ut supra. Apposite ad arma quibus clarueruntCretenses, dixit *sternebat sagittâ* s. *sagittis*; conf. *Æn.* IX, 606. — 76 *Vincere*, non adoriri solum, et pugnæ aleam subire; quoniam certa victoria erat ex oraculo quod jam refertur. — 77 *Tempora* autem florebant *lauro*, id est laurea corona cincta erant. Sed malis haud dubie: *cæsaries* erat, *florebant tempora lauro*. — 78 Purpureus. Mox *cujus natura* poetica periphrasi de ipso crine. — 79 *Tam* diu. Sequens versus ex *Ecl.* IV, 47. — 80 Κρωβύλος vocabatur modus in quem veteres Attici crinem in summo capite colligebant, sustinentes eum fibulis in cicadarum formam factis. De quo *ritu* penitus Attico legas Thucydidem I, c. 6. — 81 *Nec fuerat* ante vana; pro vulgari: ut antea non fuerat vana. Scylla *concepta furore*, pro: capta, est insolite dictum, quum ipse *furor concipiatur* (v. 164), nec tamen ideo mutandum in hoc carmine. Aldus *correpta*. — 82 *Si non* repetitum post *ni*, ut *si* in *Æn.* V, 397-8. — 83 *Pater atque avus idem*, quippe in nonnullis fabulis Jupiter et Veneris pater et ex ea Amoris perhibebatur. — 84 *Validas vires tigris*, de ipsis tigribus validis. Post *homines* poeta orationem abrumpit aposiopesi. — 85 Conf. *Ecl.* II, 14. Deinde junge *Junonis sedem*, templum, *violaverat* Scylla. — 86 Locus obscurissimus, aut sua difficultate, aut aliqua corruptione verborum, aut quia prorsus ignoratur fabula quam poeta respicit. Quæ leguntur sic exposueris utcunque: Junonis, quæ talis est *cujus* (ut ejus) *deæ perjuria*, perjuria commissa in hanc deam a puellis in ejus nomine pejerantibus neque facientibus quæ deæ voverant, *si*, etiamsi *olim meminerunt* puellæ ea ab se commissa et sero deam placare student, *non ulli* tamen earum *liceat* meminisse hæc perjuria ut *diu perjura*, id est in longum tempus differentia promissam pejeranti et debitam ponam. Si talis est sententia loci,

Dum sacris operata[87] deæ lascivit, et extra
Procedit longe matrum comitumque catervam,
Suspensam gaudens in corpore ludere vestem,
Et tumidos agitante sinus Aquilone relaxans.
Necdum etiam castos gustaverat ignis honores[88],
Necdum sollemni lymphâ perfusa sacerdos
Pallentis[89] foliis caput exornârat olivæ:
Quum lapsa e manibus fugit pila, quumq relapsâ[90]
Procurrit virgo: quod uti ne prodita[91] ludo
Auratam gracili solvisset corpore pallam!
Omnia, quæ retinere gradum cursusque morari
Possent, o tecum vellem tua semper haberes!
Non umquam violata manu[92] sacraria divæ
Urendo, infelix, nequicquam thura piasses.
Et si quis nocuisse tibi perjuria credat,
Causa pia est: timuit fratri[93] te ostendere Juno.
At levis ille deus, cui semper ad ulciscendum
Quæritur ex omni verborum injuria dicto,
Aurea fulgenti depromens tela pharetrâ,
Heu nimium celeri[94], nimium torrentia nisu,
Virginis in tenera defixerat omnia mente.
Quæ simul ac venis hausit sitientibus ignem,
Et validum penitus concepit in ossa furorem:
Sæva velut gelidis Edonum Bistonis[95] oris,
Ictave barbarico Cybeles antistita buxo[96],
Infelix virgo tota bacchatur in urbe;
Non styrace Idæo[97] fragrantes tincta capillos,
Cognita non teneris pedibus Sicyonia[98] servans,
Non niveo retinens baccata[99] monilia collo.
Multum illi incerto trepidant vestigia cursu:
Sæpe redit patrios adscendere[1] perdita muros,
Aereasque facit causam se viscre turres;
Sæpe etiam tristes volvens in nocte querelas,
Sedibus ex altis cœli[2] speculatur amorem,
Castraque prospectat crebris lucentia flammis.
Nulla[3] colum novit; earum non respicit aurum;

lusum quæsivit poeta in *perjuria* et *perjura*, neque eum inficetum. — 87 Sacrificans, sacra offerens; præsentis notione, ut p. 65, n. 25. *Lascivit*, lusibus puellaribus indulget. — 88 Vide p. 133, n. 37. — 89 Vide *Ect.* V, not. 14. — 90 *Relapsa* pilâ. *Quod uti*, pro : utinam. *Quod*, positum ut in *quodsi*, haud abundat; vide p. 43, n. 13. — 91 *Prodita*, in fraudem inducta, ut religionis oblivisceretur. *Solvisset*, dimisisset. — 92 *Manu*, quæ pilam in sacro loco dimiserat. Deinde jungas *urendo thura*. Nam recte Silligius observat « putandam esse puellam facinoris sui statim gnaram, thure illud oblato piare et Junonis iram placare voluisse; sed frustra hoc conatam esse, et Junonem nihilo minus ab ea sumpsisse pœnas. » Sed his omnibus *perjuria* illa non sat intelliguntur. — 93 *Fratri* suo, Jovi, qui perjurorum est ultor : at idem pulchræ puellæ poterat insidiari et vitium ei afferre. — 94 Junge *celeri nisu*. — 95 *Edones* sive *Edoni* (vide p. 410, n. 54) et *Bistones*, duo populi Thraciæ, a poetis nominari solent pro Thracibus in universum. *Bistonides* etiam ab Horatio dicuntur Bacchæ Thraciæ, *Od.* II, 19. — 96 Tibiâ Phrygiâ, quam audit, stimulata et in furorem acta. De *barbarico* vide p. 169, n. 29. — 97 Unguento ex lacrima arboris styracis vel storacis, provenientis in Creta insula, cujus est Ida mons; quamquam de Syria meliorem peti Plinius scribit. — 98 Σικυώνια (ὑποδήματα), calcei Sicyonii, qui in Achaiæ urbe Sicyone fiebant mulieribus et hominibus delicatulis. Conf. Cic. *de Orat.* I, 54. — 99 Vide p. 151, n. 13. — 1 *Redit ascendere*, ut *venimus populare Æn.* I, 527, et al. *Perdita*, amore correpta. *Causam* frequenter ascendendi *facit*, prætexit. — 2 Ex sideribus cœli discere cupiens an amor suus futurus sit faustus. — 3 Non; vide p. 208, n. 13.

Aurum, quod intexere solebat vestibus. — 4 Pulsantur. Conf. *Æn.* VII, 14. Pecten *Libycus* incertum est utrum sit lotinus vel citrinus, an eburneus. — 5 *Tabidula mors* dictum de tabe mortifera. — 6 Furore. *Ferret*, auferret. — 7 Callido, vafro; ut ex sequenti versu intelligitur. — 8 *Ignorans* fatalem esse eum crimen et patri et patriæ. — 9 Quippe Haliæetum usque fugiens. — 10 Ex *Ecl.* X, 58, n. 45. — 11 Repete *mutatæ*. Loquitur de Philomela et Procne (v. *Ecl.* VI, 78 seqq.), quarum hæc Tereo nupta, regi Daulidis, urbis in Phocide: unde *Dauliades*. — 12 *Cognatos*, ex duobus regibus Atticis, quibus nomen *Pandion*: prior, Erichthonii filius, genuerat Procnen et Philomelen; Nisum alter Pandion, Cecropis filius. — 13 Nubes *prævertite* volantes *in ætherem*, et monstrantes ætherias vias Haliæeto et Ciri. — 14 Græca vox quæ sonat *aquilam marinam*. De utraque autem ave legendus est Ovidius in *Metamorph.* VIII, 145 seqq. — 15 Excubias *jactabat*, agitabat, sed *inani studio* (confer *Ecl.* II, 5), nam fefellit eos puella. — 16 Extremis. — 17 Forfice. — 18 Nocti quasi narrat quæ jam est factura; simul etiam vota facit. — 19 Junge *mundi cœli* (ut legebatur ap. Ennium: *Mundus cœli vastus constitit silentio*), nisi vitium inest miro vocabulo *cœli*. Heinsius *ad læte rutilantia*. Sed *nutantia* dicuntur ob scintilla-

Non arguta sonant tenui psalteria chordâ,
Non Libyco molles plauduntur[4] pectine telæ.
Nullus in ore rubor: ubi enim rubor, obstat amori.
Atque ubi nulla malis reperit solatia tantis,
Tabidulamque videt labi per viscera mortem[5];
Quò vocat ire dolor, subigunt quò tendere fata,
Fertur, et horribili præceps impellitur œstro[6],
Ut patris, ah demens! crinem de vertice ferret,
Furtimque arguto[7] detonsum mitteret hosti,
(Namque hæc conditio deceptæ ponitur una;)
Sive illa ignorans[8]: quis non bonus omnia malit
Credere, quam tanti sceleris damnare puellam?
Heu tamen infelix (quid enim imprudentia prodest?)
Nise pater! cui, direpta crudeliter urbe,
Vix erit una supèr sedes in turribus altis,
Fessus ubi exstructo possis considere nido,
Tu quoque avis moriere: dabit tibi filia pœnas[9].
Gaudete, o celeres, subnixæ nubibus altis,
Quæ mare, quæ virides silvas lucosque sonantes[10]
Incolitis, gaudete, vagæ blandæque volucres;
Vosque adeo, humanos mutatæ corporis artus,
Vos o crudeli fatorum lege[11], puellæ
Dauliades, gaudete: venit carissima vobis
Cognatos[12] augens reges numerumque suorum
Ciris, et ipse pater. Vos, o pulcherrima quondam
Corpora, cæruleas prævertite[13] in æthera nubes,
Qua novus ad superûm sedes Haliæetus[14], et qua
Candida concessos adscendat Ciris honores.
Jamque adeo dulci devinctus lumina somno
Nisus erat; vigilumque procul custodia primis
Excubias foribus studio jactabat[15] inani:
Quum furtim tacito descendens Scylla cubili
Auribus arrectis nocturna silentia tentat,
Et pressis tenuem singultibus aera captat.
Tum suspensa levans digitis vestigia primis[16]
Egreditur, ferroque manus armata bidenti[17]
Evolat; at demptæ subitâ in formidine vires.
Cæruleas sua furta prius testatur ad umbras[18].
Nam, qua se ad patrium tendebat semita limen,
Vestibulo in thalami paulum remoratur; et alti
Suspicit ad cœli[19] nutantia sidera mundi,

Non accepta piis promittens munera divis.
Quam simul Ogygii Phœnicis[20] filia Carme
Surgere sensit anus; (sonitum nam fecerat illi
Marmoreo æratus stridens in limine cardo;)
Corripit[21] extemplo fessam languore puellam,
Et simul: « O nobis sacrum caput, inquit, alumna!
Non tibi nequicquam viridis per viscera pallor
Ægrotas tenui suffudit sanguine venas; [egit.
Nec levis, hoc[22] faceres, (neq; enim pote,) cura sub-
Haud fallor, quod[23] ut o potius, Rhamnusia, fallar!
Nam qua te causa nec dulcis pocula Bacchi,
Nec gravidos[24] Cereris dicam contingere fœtus?
Qua causa ad patrium solam vigilare cubile,
Tempore quo fessas mortalia pectora curas,
Quo rapidos etiam requiescunt[25] flumina cursus?
Dic age nunc miseræ saltem, quod sæpe petenti
Jurabas nihil[26] esse mihi, quum mœsta parentis
Formosos circum virgo mererere capillos?
Hei mihi, ne[27] furor ille tuos invaserit artus,
Ille, Arabæ[28] Myrrhæ quondam qui cepit ocellos,
Ut scelere infando, quod nec sinit Adrastea[29],
Lædere utrumque uno studeas errore parentem!
Quodsi alio quovis animo jactaris amore,
(Nam te jactari, non est Amathusia[30] nostri
Tam rudis, ut nullo possim cognoscere signo;)
Si concessus amor noto te macerat igne:
Per[31] tibi Dictynnæ præsentia numina juro,
Prima deûm quæ dulce[32] mihi te donat alumnam,
Omnia me potius digna atque indigna laborum
Millia visuram[33], quam te tam tristibus istis
Sordibus et morbo patiar tabescere tali. »

Hæc loquitur; mollique ut se velavit amictu,
Frigidulam injecta circumdat veste puellam,
Quæ prius in tenui steterat succincta crocotâ[34].
Dulcia deinde genis rorantibus oscula figens,
Persequitur miseræ causas exquirere tabis;

tionem. — 20 Phœnicem hunc alii faciunt Agenoris regis in Phœnicia prolem; sed noster poeta *Ogygium* vocat, id est Atticum vel Bœotum; nam *Ogygia* vetus erat nomen tam Bœotiæ quam Atticæ: ut Cadmi comes in Bœotiam venisse putandus sit. — 21 *Corripit* sustentatura. — 22 Strue: *nec levis cura* te *subegit* ut *hoc faceres*. — 23 In qua re; conf. p. 43, n. 13. *Ut*, utinam. *Rhamnusia*, Nemesis, ab Atticæ vico Rhamnunte, ubi inprimis colebatur. Nam statim nefarium aliquem amorem suspicatur Carme. — 24 Sic *gravidæ fruges, gravida seges* in *Georgicis*. — 25 Transitive sicut *Ecl.* VI[11], 4, ubi v. noxam 3. — 26 Nullius momenti esse. Mox *mori circum...* ad græci sermonis imitationem dictum est, θνῆσκω ἀμφί vel περί τι. *Capillos*, in quibus purpureus ille crinis et fatalis, cui intenta erat Scylla. Atqui longe

---

aliud suspicabatur Carme; vide n. 29. — 27 Timeo *ne...* — 28 Pro *Arabis*, ut *Æn.* VII, 605, n. 74. Myrrha, Cinyræ Paphiorum in Cypro regis filia, Arabs dicitur quod fugâ in Arabiam delata, ibique in arborem mutata est; vide *Metamorph.* X, 298-502. — 29 Unum ex *Nemesis* deæ nominibus. *Utrumque parentem*, nam Carme suspicatur, patris amore incesto exarsisse Scyllam. — 30 *Amathusia* dea, Venus; vide p. 350, n. 22. Venus non tam ignara mei, tam a me aliena est, *ut...* — 31 *Per numina...*, solita inversione in hac formula; vide p. 159, n. 69. *Dictynna*, dea Cretensium et Laconum, postea cum Dianæ numine juncta. Incertum, ipsamne deam intelligat Carme, an filiam suam, de qua infra narrat; vide 305, n. 60. Hoc si probes, sequenti versu dicat a filia sua, inter deas recepta, commendatam curæ suæ fuisse Scyllam. — 32 *Dulce*, ut rem dulcem, in gaudium meum. — 33 Experturam. *Sordes* etiam in prosa dicitur de luctu. — 34 Κροκωτῇ, veste mulie-

bri croco infecta. — 35 Candidum. Reducit eam in cubiculum. — 36 *Deflectunt* in se. Non *notum* hominem et ex popularibus amicisque unum amo, sed hostem. — 37 *In quo*, scilicet si patrem amarem, *lateat* certe *imago pietatis*, amoris in consanguineum, quem ego possim prætexere, etsi *falsa*. — 38 Supplendum « aliquem amo. » — 39 Abrumpit sermonem, exhorrescens quæ dictura est, et addens: Cur non sinis me hæc tibi *non dicere*, tacere? Sequentia ex *Ecl.* VIII, 60. — 40 Nam Jupiter ipse reges omnes instituit; quod sæpe dicit Homerus. — 41 Hoc ex fabulis nunc ignotis de Minoe. — 42 Ambagibus utor. — 43 Quare (ut *Æn.* II, 141, al.) *testor*, obtestor *te per amores* etc. — 44 Venerandum. — 45 Vide pag. 43, not. 13. — 46 Confer *Æn.* XII, 321. *Tulisset*, obtulisset. *Hunc*, patrem. — 47 Ex *Æn.* VI, 406. — 48 *Intonsos* mirum de anu; nisi respicitur aliquid incognitum nobis. *Incomptos* ponebat Heinsius. — 49 Strue et intellige : quia semper amor, aut olim natæ meæ, aut nunc alumnæ, propter te eumdem mihi portavit luctum. Aut scribe *alumnæ!* ut particula *ut* indignationem indicet. — 50 Carme igitur ex Creta abducta captiva luerat Megara in servitutem. — 51 Ut finem facere possim calamitatibus, quibus ex te premuntur *mei*, olim filia, nunc alumna. — 52 Mihi jam ne ea quidem sunt, quæ senibus esse solent (scilicet liberorum solatium); ne eo quidem modo hæc adsunt, *ut ullum vitæ genus vivere cupiam*. — 53 *Ut quid* mihi fiat?

Nec tamen antè ullas patitur sibi reddere voces,
Marmoreum[35] tremebunda pedem quâ rettulit intra.
Illa autem, « Quid nunc me, inquit, nutricula, tor-
Quid tantū properas nostros novisse furores? [ques?
Non ego consueto mortalibus uror amore,
Nec mihi notorum deflectunt[36] lumina vultus,
Nec genitor cordi est : ultro namque odimus omnes.
Nil amat hic animus, nutrix, quod oportet amari,
In quo[37] falsa tamen lateat pietatis imago;
Sed mediâ ex acie, mediisq; ex hostibus[38]. Heu, heu,
Quid dicam, quove ipsa malum hoc exordiar ore?
Dicā equidē; quoniā[39]— quid non tibi dicere, nutrix,
Non sinis? extremum hoc munus morientis habeto.
Ille, vides, nostris qui mœnibus assidet hostis,
Quem pater ipse deûm sceptri donavit honore[40],
Cui Parcæ tribuêre nec ullo vulnere lædi[41],
(Dicendū est, frustra circumvehor omnia verbis[42],)
Ille mea, ille idem, oppugnat præcordia Minos.
Quod[43] per te divûm crebros testamur amores,
Perque tuum memori sanctū[44] mihi pectus alumnæ,
Ut me, si servare potes, ne perdere malis.
Sin autem optatæ spes est incisa[45] salutis,
Ne mihi, quam merui, invideas, nutricula, mortem.
Nam nisi te nobis malus, o malus, optima Carme,
Ante hunc conspectum casusve deusve[46] tulisset,
Aut ferro hoc » (aperit ferrum quod veste latebat[47]
« Purpureum patris dempsissem vertice crinem,
Aut mihi præsenti peperissem vulnere letum. »
Vix hæc ediderat, quum clade exterrita tristi
Intonsos[48] multo deturpat pulvere crines
Et graviter questu Carme complorat anili :
« O mihi nunc iterum crudelis reddite Minos,
O iterum nostræ Minos inimice senectæ,
Semper ut[49] aut olim natæ te propter eumdem,
Aut amor insanæ luctum portavit alumnæ :
Tene ego tam longe capta atque avecta[50] nequivi,
Tam grave servitium, tam duros passa labores,
Effugere, ut sistam[51] exitium crudele meorum?
Jam jam nec nobis ea, quæ[52] senioribus, ullum
Vivere uti cupiam vitæ genus. Ut quid[53]? ego amens

Te erepta, o Britomarti [54], mei spes una sepulchri,
Te, Britomarti, diem potui producere vitæ?
Atque utinam celeri ne tantum grata Dianæ
Venatus esses virgo sectata [55] virorum,
Cnosia heu Partho [56] contendens spicula cornu!
Dictæas ageres [57] ad gramina nota capellas:
Numquam, tam obnixe fugiens Minois amores,
Præceps aerei specula de montis [58] obisses;
Unde alii fugisse ferunt [59], et numina Aphææ
Virginis assignant; alii, quo notior esses,
Dictynnam dixere tuo de nomine Lunam [60].
Sint hæc vera velim; mihi certe, gnata, peristi:
Numquam ego te summo volitantē in vertice montis
Hyrcanos [61] inter comites agmenque ferarum
Conspiciam, nec te redeuntem amplexa tenebo.
Verum hæc tum non sic gravia atq; indigna [62] fuere,
Tum, mea alumna, tui quum spes integra maneret,
Et vox ista [63] meas nondum violaverat aures.
Tene etiam Fortuna mihi crudelis ademit?
Tene, o sola meæ vivendi causa senectæ?
Sæpe tuo dulci nequicquam capta [64] sopore,
Quum premeret natura [65], mori me velle negavi,
Ut tibi Corycio glomerarem [66] flammea luto.
Quo [67] nunc me, infelix, aut quæ me fata reservant?
An nescis, qua lege patris de vertice summo
Edita [68] candentes prætexat purpura canos,
Quæ tenuis patrio præ sit suspensa [69] capillo?
Si nescis, aliquam possum sperare salutem,
Inscia quandoquidem scelus es conata nefandum;
Sin est quod metuo, per me, mea alumna, tuumq;
Expertum [70] multis miseræ mihi rebus amorem,
Per te, sæva, precor, per [71] lumina et Ilithyiæ,
Ne tantum in facinus tam nulla mente sequaris.
Non ego te incepto, fieri quod non pote, conor
Flectere amore, neq; est cum dis contendere nostrū:
Sed patris incolumi potius denubere regno,

qua spe? Quo modo Græci ἔγνα τί; — 54 Nomen filiæ Carmes, idemque Dianæ. A qua una me olim sepultum iri sperabam. — 55 Studiose secuta venationes, quæ virorum, haud mulierum sunt opus. — 56 Imitatur Virgilium *Ecl.* X, 59, ubi v. not. 46. *Cnosia*, Cretica, ab urbe Cnoso vel Gnoso. — 57 Greges pascere debebas; vel : (si) greges pavisses, non esses conspecta a Minoe venante et amata. *Dictæas*, in Dicte monte Cretæ, pag. 29, n. 54. — 58 Ex *Ecl.* VIII, 59, not. 52. Minoem fugiens Britomartis e Dictynnæo promontorio Cretæ sese præcipitem dedit in mare. — 59 Nimirum Æginetæ eam narrabant piscatorum retibus casu exceptam in Æginam insulam pervenisse, ubi *Aphææ*, Ἀφαῖος, nomine colebatur. — 60 Dianam. Britomarti enim nomen datum erat *Dictynnæ*, a δίκτυοις, *retibus*, sive venaticis, sive piscatorum illis, de quibus in nota 59. — 61 Inter *Hyrcanos* canes te comitantes in venatibus. Sic *Molossi*, *Spartani* dicuntur ellipsi eadem. Cicero : *Nobile genus canum in Hyrcania* (vide p. 242, n. 65) *scimus esse*. — 62 Intolerabilia. — 63 *Vox ista*, de amore Minois. — 64 Delectata sopore tuo, dormientis in sinu meo, quum infans esses, sed *nequicquam*, frustra delectata, quòd te in exitiosum amorem adolevisse video. — 65 Quum me senectus moleste gravaret. — 66 Proprie lana *glomeratur* primum, deinde netur et texitur; hic per metonymiam dicitur de texendo *flammeo*, veste vel velo flavi coloris, quo novæ nuptæ involvebantur. *Corycio luto*, filis crocei coloris; vide p. 19, n. 43. Corycus, regio Ciliciæ, et v. *Cul.* 400, n. 38. — 67 Ad quid. — 68 Nata. — 69 Præsuspensa sit. — 70 Passive. — 71 Et te precor *per lumina Ilithyiæ*, quocum Scaliger confert jusjurandum mulierbre apud Aristophanem : νὴ τὴν Φωσφόρον, per Dianam Lucinam.

Atq; aliquos [72] tamen esse velis tibi, alumna, Penates.
Hoc unum, exitio [73] docta atque experta, monebo.
Quodsi non alia poteris ratione parentem [sis ?)
Flectere : (sed poteris; quid enim non unica [74] pos-
Tunc potius tamen ipsa (pio cum jure licebit),
Quum facti causam tempusque doloris habebis,
Tunc potius conata tua atque incepta referto [75];
Meque, deosque tibi comites, mea alumna, futuros
Polliceor : nihil est, quod texas [76] ordine, longum.»
His ubi sollicitos animi relevaverat æstus
Vocibus, et blanda pectus spe vicerat ægrum :
Paullatim tremebunda genis obducere vestem
Virginis, et placidam tenebris captare [77] quietem,
Inverso [78] bibulum restinguens lumen olivo.
Incipit ad crebros insani pectoris ictus
Ferre manum, assiduis [79] mulcens præcordia palmis.
Noctem illam sic mœsta super morientis [80] alumnæ
Frigidulos cubito subnixa pependit ocellos.
Postera lux ubi læta diem mortalibus almum [81]
Prægelida veniens miseris [82] quatiebat ab OEtâ,
Quem [83] pavidæ alternis fugitant optantque puellæ,
(Hesperium vitant, optant ardescere Eoum ;)
Præceptis paret virgo nutricis, et omnes
Undique conquirit nubendi sedula causas.
Tentantur patriæ submissis vocibus aures,
Laudanturque bonæ pacis bona ; multus ineptæ
Virginis insolito sermo novus errat in ore.
Nunc tremere instantis belli certamina dicit,
Communemque timere deum [84]; nunc regis amicis,
Nunc ipsi verita est; orbum flet mœsta parentem [85].
[Cum Jove communes qui quondâ habuere nepotes.]
Nunc etiam conficta dolo mendacia turpi
Invenit, et divûm terret formidine cives;
Nunc alia ex aliis, nec desunt, omina quærit.
Quin etiam castos ausa est corrumpere vates,
Ut, quum cæsa pio cecidisset victima ferro,
Esset qui generum Minoa auctoribus extis
Jungere et ancipites suaderet tollere pugnas.
At nutrix, patula componens sulfura testâ,
Narcissum casiamque, herbas contundit olentes [86];
Terque novena ligat triplici diversa [87] colore

72 Penates *aliquos*, non omnino nullos, ut apud hostem. — 73 Meis malis. — 74 *Unica* ei filia. — 75 Repetito. — 76 Instruas et agas. — 77 Arcessere, parare virgini. Sunt infinitivi narrationis. — 78 Olivo *inverso*, i. e. in aliam partem verso, dum lucernam vergit in anteriorem partem. — 79 Assidue admotis. — 80 Pæne morientis, sicut supra 236, not. 26. — 81 Vide *Eclog.* VIII, 17, n. 16. — 82 Ut *Georg.* III, 66, *Æn.* XI, 182. *Quatiebat*, v. *Culic.* 42, n. 30. Cur sidera orientia *ab OEta* venire dicantur, vide in not. 28 paginæ 37. — 83 Hi duo versus e Callimacho sunt expressi, qui de virginibus recens nuptis dixerat et sponsi domum deductis. *Quem* OEtam puellæ pavidæ refugiunt quando stellam Veneris vespertinam in cœlum emittit, optant autem ut in ea fulgeat matutina vel Lucifer, transactâ nocte. — 84 *Communem deum*, hic et infra *Catalect.* XI, v. 50, de Marte et varia fortuna belli, quæ communis est utrisque partibus : nam dum pugnatur et armis cernitur, neutris victoria certa, sed alea communis. — 85 Nam se quoque, filiam unicam, belli casibus expositam esse et patri orbitatem imminere. Hinc aliqua exciderunt, aut sequens versus, plane absonus, cæco casu huc delatus est. — 86 Ex *Ecl.* II, 13. De *casia* ibid. n. 46, p. 8. Anus parat sacrum magicum. — 87 Ex *Ecl.* VIII, 73, n. 65.

Fila : « Ter in gremiũ[88] mecũ, inquit, despue virgo,
Despue ter, virgo : numero deus impare gaudet[89]. »
Inde Jovi magno[90] geminat Stygialia sacra,
Sacra nec Ææis[91] senibus, nec cognita Graiis;
Pergit, Amyclæo spargens altaria thallo[92],
Regis lolciacis[93] animum defigere votis.
Verum ubi nulla movet stabilem fallacia Nisum,
Nec possunt homines, nec possunt flectere divi,
(Tanta est in parvo fiducia crine cavendi[94]!)
Rursus[95] ad inceptum sociam se adjungit alumnæ,
Purpureumque parat[96] rursus tondere capillum,
Prælongo quod jam captat[97] succurrere amori;
Non minus illa tamen, revehi quod mœnia Cressa[98]
Gaudebat : cineri patria est jucunda sepulto.

Ergo iterum capiti Scylla est inimica paterno.
Tum coma Sidonio[99] florens deciditur ostro;
Tum capitur Megara, et divùm responsa probantur :
Tum suspensa novo ritu[1] de navibus altis,
Per mare cæruleum trahitur Niseïa virgo.
Complures illam Nymphæ mirantur in undis;
Miratur pater Oceanus, et candida Tethys[2],
Et cupidas secum rapiens Galatea sorores;
Illam etiam[3], junctis magnum quæ piscibus æquor
Et glauco bipedum curru metitur equorum,
Leucothee, parvusque dea cum matre Palæmon;
Illam etiam[4], alternas sortiti vivere luces,
Cara Jovis soboles, magnum Jovis incrementum[5],
Tyndaridæ niveos[6] mirantur virginis artus.
Has adeo voces atque hæc lamenta per auras
Fluctibus in mediis questu volvebat inani,
Ad[7] cœlum infelix ardentia lumina tendens,
Lumina, nam teneras arcebant vincula palmas :
« Supprimite o paullum turbati[8] flamina venti,
Dum[9] queror, et divos, quamquam nil testibus illis
Profeci, extrema moriens tamen alloquor horâ.

88 In sinum suum despuebant malum aliquod averruncaturi; de qua re legendus Plinius, *Hist. Nat.* XXVIII, c. 7. — 89 Ex *Ecl.* VIII, 75. — 90 *Jovi magno*, nimirum infero, Plutoni; vid. *Æn.* IV, 638, n. 85. — 91 Colchicis; vide p. 190, n. 88. Colchi ob artes magicas infames, item ut in Græcia Thessali, de quibus capias *Gratii.* — 92 Θαλλῷ, ramo viridi, scilicet lauri, cujus feraces erant ripæ Eurotæ (vide *Ecl.* VI, 83, n. 81), in quibus sita urbs Amyclarum; vide p. 96, not. 75. — 93 Thessalicis, ab antiqua urbe Thessaliæ Iolco. — 94 *Cavendi* a malis, mala evitandi. — 95 Junge *ad inceptum rursus*, ad alterum inceptum. — 96 *Parat*, nimirum Scylla. Hic non æque offendor mutato subjecto atque alii, qui hunc locum onerarunt conjecturis. — 97 Cupide tentat. — 98 In Cretam reverti, patrium solum, in quo omnes malunt sepeliri quam in peregrino. — 99 Alias *Tyrio*, ut *Georg.* III, 17. Singulari consilio poeta, quæ primaria sunt in tota narratione, brevissime attingit versibus duobus, secundaria ubique exornans copiose et subtiliter. — 1 Conf. infra 416 seq. — 2 Oceani uxor. *Galatea*, vide *Ecl.* VI, n. 36. *Cupidas* videndi. — 3 Supple *miratur*. De Leucothea, dea marina, et filio Palæmone, qui olim inter mortales erant Ino et Melicertes, omnia nota ex *Metamorph.* IV, 518-541. Duo versus ducti ex *Georg.* IV, 388-9, quorum interpretationem habes not. 18, p. 124. — 4 *Illam etiam* mirantur Castor et Pollux, Tyndari filii, scilicet Jovis ex Tyndari uxore Leda, Διόσκουροι. De sequentibus vide p. 153, n. 62. — 5 Ex *Ecloga* IV, 49. — 6 Quasi novo initio facto post verba interposita dicit *niveos virginis artus*, quamquam præcessit *illam*; ac si dicas : illam, et pulchritudinem quidem ejus, mirantur Tyndaridæ. — 7 Duo versus ex *Æn.* II, 405-6 petiti. — 8 Concitati, turbide ruentes. — 9 Duo versus traducti ex *Ecl.* VIII, 19, 20, n. 18.

Vos ego, vos adeo, venti, testabor, et auræ,
Vos, Pandionia [10] si qui de gente venitis,
Cernitis : illa ego sum cognato sanguine vobis
Scylla ; quod o salva [11] liceat te dicere, Procne,
Illa ego sum, Nisi pollentis filia quondam,
Certatim ex omni petiit quam Græcia regno [12],
Qua [13] curvus terras amplectitur Hellespontus ;
Illa ego sum, Minos, sacrato fœdere [14] conjux
Dicta tibi : tamen hæc, etsi non accipis [15], audis.
Vinctane tam magni tranabo gurgitis undas ?
Vincta tot assiduas [16] pendebo ex ordine luces ?
Non equidem me alio possum contendere dignam
Supplicio, quòd sic patriam carosque Penates
Hostibus immitique addixi ignara tyranno.
Verum isthæc, Minos, illos [17] scelerata putavi,
Si nostra antè aliquis nudasset fœdera casus.
Facturos, quorum direptis mœnibus urbis,
O ego crudelis, flamma delubra petivi :
Te vero victore, prius vel sidera cursus
Mutatura suos, quam te mihi talia captæ
Facturum metui. Jam jam scelus omnia [18] vincit.
Ten' ego plus patrio dilexi perdita regno ?
Ten' ego ? Nec mirum, vultu decepta puella
Ut [19] vidi, ut perii ! ut me malus abstulit error !
Non equidem ex isto speravi [20] corpore posse
Tale malum nasci ; forma, vel sidere fallor [21].
Me non deliciis commovit [22] regia dives,
Curalio [23] fragili, atque electro lacrimoso ;
Me non florentes æquali [24] corpore nymphæ,
Non metus incensam potuit retinere deorum.
Omnia vicit amor [25] : quid enim non vinceret ille ?
Non mihi jam pingui sudabunt [26] tempora myrrhâ,
Pronuba [27] nec castos accendet pinus honores,
Nec Libys [28] Assyrio sternetur lectulus ostro.
Magna queror ; nec me illa quidē, communiter alma
Omnibus, injecta tellus tumulabit arenâ [29].

10 Attica ; vide 199 seqq., notas 11 et 12. — 11 *Salva te*, sine offensione tui, pace tua. — 12 Quam reges omnes Græciæ petière in matrimonium. — 13 Ubicumque. *Hellespontus* autem latiore sensu accipiendum de omni illo mari quod Græciam alluit, cujus litora valde sinuosa ; unde *curvus* ; confer *Æn.* III, 238. — 14 *Sacrato fœdere*, post crimen patris traditum, pro conditione posita a Minoe, v. 187. — 15 *Non accipis*, quasi non merito in te dicta. — 16 Continuos dies. — 17 *Illos*, Megarenses, quorum urbem prodidi : hos oportebat, non te, supplicium adferre mihi. — 18 *Scelus* tuum *omnia* scelera *vincit* ; maximum est scelerum omnium. — 19 Ex *Ecl.* VIII, 41, versus celebratus. — 20 Exspectavi, timui ; vide pag. 214, n. 86. Corpore *isto*, tam pulchro, quo capta eram. — 21 Aut *forma* tua deceptus sum, aut *sidere*, sideribus quæ consului ; vide supra 175, n. 2. — 22 *Commovit*, a prodenda patria abstraxit. De regia patris sui loquitur. — 23 Κουραλίῳ ob metrum ; nam in *coralio* vocalis corripitur. Electrum *lacrimosum*, quia tamquam lacrima ex arboribus quibusdam destillat succinum. — 24 Corpore *æquali*, ob æqualem ætatem ; Græcis ὁμῆλικες κόραι. Non *Nymphæ* hic dicuntur, sed νύμφαι, virgines nubiles. — 25 Ex *Ecl.* X, 69. Sequentia, uti non pauca hujus carminis, e Catullo expressa, LXIV, 43, 48 seqq. — 26 Madida erunt, quasi sudore, unguento myrrhino. Quo perungebantur sponsæ deducendæ. — 27 Pinus, unde tædæ fiebant novis nuptis præferendæ, venuste dicitur *pronuba*, nomine mulieris quæ nuptam deducebat in domum mariti. *Honores*, de igne in re sacra, ut de thure supra 146, n. 88. — 28 Lectus Libycus, eburneus, an citreus, dubium ut supra 179, n. 4 *Assyrio*, vide p. 87, n. 53. — 29 Catullus : *neque injecta tumulabor mortua ter-*

Mene[30] inter matres ancillarique maritas,
[Mene alias inter famularum munere fungi,]
Conjugis atque tuæ, quæcumque erit illa, beatæ
Non licuit gravidos penso devolvere fusos?
At belli saltem captivam lege necasses!
Jam fessæ[31] tandem fugiunt de corpore vires,
Et caput inflexa lentum cervice recumbit;
Marmorea adductis[32] tabescunt brachia nodis.
Æquoreæ pristes[33], immania corpora Ponti,
Undique conveniunt, et glauco in gurgite circùm
Verbere caudarum atque oris minitantur hiatu.
Jam tandem casus hominum, jam respice, Minos!
Sit satis hoc, tantum solam[34] vidisse malorum,
Vel fato fuerit nobis hæc debita pestis,
Vel casu incerto[35], merita vel denique culpâ:
Omnia nam potius, quam te læsisse, putabo.»
Labitur interea revoluta ab litore classis,
Magna repentino sinuantur lintea Coro[36],
Flectitur in viridi remus sale, languida fessæ
Virginis in cursu moritur querimonia longo.
Deserit angustis inclusum faucibus Isthmon,
Cypselidæ[37] magni florentia regna Corinthi;
Præterit abruptas Scironis protinus arces[38],
Infestumque suis diræ testudinis exit[39]
Spelæum, multoque cruentas hospite cautes.
Jamque adeo tutum longe Piræea[40] cernit,
Et notas secum[41], heu frustra, respectat Athenas.
Jam procul e fluctu Salaminos suspicit[42] arva,
Florentesque[43] videt jam Cycladas; hinc Ceus illi,
Sunion hinc, statio contra patet Hermionea[44].
Linquitur ante alias longe gratissima Delos
Nereidum[45] matri et Neptuno Ægæo.
Prospicit incinctam spumanti litore Cythnon[46],
Marmoreamque Paron, viridemque allapsa Donusa[47],
Æginamque simul, sementiferamque[48] Seriphum.

rà, LXIV, 153, cujus mox imitatur etiam 158 seqq. — 30 Structura et sensus: An non licuit me, captivæ instar, in Creta vivere ancillam *inter matres et maritas*, id est, quum feliciores aliæ sint conjuges et matres? an non licuit ut conjugi tuæ sim famula et pensa faciam? Sequimur librorum scripturam in qua verbum est *ancillari*, cujus explicatio margini adscripta protulisse videtur versum sequentem, prorsus, ut opinamur, delendum. Utrumque versum si servaveris, desperandum est de interpretatione. Trajectio particulæ *que* et aliarum non adeo rara in poetis. — 31 Dativus. — 32 Arctius adstrictis *nodis* vinculorum. — 33 Bellua marinæ, gr. κῆτη. — 34 Me unam inter omnes puellas tot mala esse expertam. — 35 Forte fortuna. — 36 Vide pag. 102, not. 90. —

37 Periandri (inter septem sapientes Græciæ numerati), filii Cypseli, qui Bacchiadis expulsis regnum Corinthi occupavit. — 38 Petras Scironidas, in finibus Megarensium, Scironis immanitate infames. — 39 It ultra *spelæum*, specum sub petris illis situm, *testudinis* maximæ, quæ hospitum a Scirone de rupe dejectorum corpora devorare credebatur. *Suis*, Scyllæ civibus, Megarensibus. — 40 Portum Athenarum. — 41 Sola, quoniam cum nemine communicare potest quæ sentiat vel optet. Conf. *Georg.* I, 389, n. 60. — 42 *Suspicit*, nam Salamis insula rupibus altioribus cincta est. — 43 Notum est quam læto vitis et frugum proventu fuerint omnes illæ insulæ. Ceos vel Ceus, hodie *Zea*. Sunium, promontorium extremæ Atticæ. — 44 *Hermione*, oppidum Argolidis, e regione Sunii situm; unde *Hermionea* vel adjectivum, vel substantivum poeticum, Ἑρμιόνεια. — 45 Ex *Æn.* III, 73, 74, ubi v. not. 36. — 46 Parva insula Cyclas, hodie *Thermia*. — 47 Ex *Æn.* III, 125, ubi v. not. 65. — 48 At Seriphus insula, quæ hod. *Serpho* vel *Serphanto*, petrosa illa, numquam tali fama fuit. Alii codd. *salutiferam*. Sca-

liger *serpentiferam*, Silligius *absinthiferam*, ex Plin. XXVII, 29. — 49 Ad omnem motum, impulsum venti. — 50 Alligata magnæ navi; confer Servium pag. 259, not. 57. *Afer turbo*, Africus ventus; vide pag. 134, not. 56. — 51 Puellam *externam*, externa parte vel superficie corporis ejus. — 52 *Inter pisces committere* ex duabus locutionibus idem significantibus contaminatum, quod alibi observavimus : piscibus committere, et sinere ut versetur inter pisces, qui per voracitatem mutuo sibi insidiantur. — 53 Neptuni uxoris. Sic Nævius dixit : *lascivum Nerei simum pecus*, de piscibus. — 54 Quod græce est κεῖρω, *detondeo*. — 55 *Ansere*, ludicro contemptu dictum de *cygno* qui Ledam fefellit Spartæ; v. 375, not. 92. — 56 *Hic*, de tempore, tunc, ut *Æn.* I, 528, et alibi. *Tener*, scilicet animans (quod substantivum, mox positum casu alio, jam hic est supplendum, nihildum solidi habens. — 57 Dativus, pro vulgari : membrorum. — 58 Struendum *artus mutabant corpus*. De *circumfusum æquore* scite Heynius : « Malim non tam exemptum vinculis et mari natans, quam potius ut pullus in ovo liquore ambitur, sic humore seu nebula inclusum corpus, dum mutabatur, significari. » — 59 Quæ in quale corpus coitura essent, nondum cerni poterat. — 60 Conf. p. 149, n. 88. — 61 Forma, pulchritudo. — 62 *Qua se agebat*, qua parte versabatur, movebatur, ubi erat. — 63 Cincinnum purpureum patris. — 64 Tegmine *volucri*, quale est volucrum, plumis. — 65 Pennas *perpetuas*, quæ totas alas, olim brachia, obducunt. — 66 Quibus virgines pudicæ et matronæ caput circumtegebant. E Catullo expressum videtur, qui de Ariadne : *Non flavo retinens subtilem vertice mitram* (LXIV, 63), sed in *salvo vertice* noster poeta de crista cogitari voluit. — 67 Vide pag. 15, not. 90, et pag. 18, not. 25.

Fertur et incertis jactatur ad omnia[49] ventis,
Cymba velut, magnas sequitur quũ parvula classes[50],
Afer et hiberno bacchatur in æquore turbo :
Donec tale decus formæ vexarier ultra
Non tulit, et miseros mutavit virginis artus
Cæruleo pollens conjux Neptunia regno.
Sed tamen externam[51] squamis vestire puellam,
Infidosque inter[52] teneram committere pisces
Non statuit; (nimiũ est avidũ pecus Amphitrites[53];)
Aereis potius sublimem sustulit alis,
Esset ut in terris facti de nomine[54] Ciris,
Ciris Amyclæo formosior ansere[55] Ledæ.
Hic[56] velut in niveo, tener est quum primitus, ovo
Effigies animantis et internodia membris[57]
Imperfecta novo fluitant concreta calore;
Sic liquido Scyllæ circumfusum æquore corpus[58]
Semiferi incertis etiamtum partibus[59] artus
Undique mutabant, atque undique mutabantur.
Oris honos[60] primum, et multis optata labella,
Et patulæ frontis species[61], concrescere in unum
Cœpere, et gracili mentum producere rostro.
Tum, qua se medium capitis discrimen agebat[62],
Ecce repente, velut patrios imitatus honores[63],
Puniceam concussit apex in vertice cristam.
At mollis varios intexens pluma colores
Marmoreum volucri[64] vestivit tegmine corpus,
Lentaque perpetuas[65] fuderunt brachia pennas.
Inde alias partes, minioque infecta rubenti
Crura, nova macies obduxit squalida pelle,
Et pedibus teneris ungues affixit acutos.
Et tamen hoc demum miseræ succurrere pacto
Vix fuerat placida Neptuni conjuge dignum.
Numquam illam posthac oculi vidêre suorum
Purpureas salvo retinentem vertice vittas[66];
Non thalamus Tyrio fragrans accepit amomo[67],

Nullæ illam sedes : quid enim cum sedibus illi ?
Quæ simul ut sese cano de gurgite velox
Cum sonitu ad cœlum stridentibus extulit alis,
Et multum late dispersit in æquora rorem [68] ;
Infelix virgo nequicquam a morte recepta [69]
Incultum solis in rupibus exigit ævum [70],
Rupibus et scopulis et litoribus desertis.
Nec tamen hoc iterum pœna sine : namque deûm rex,
[Omnia [71] qui imperio terrarum millia versat,]
Commotus talem ad superos volitare puellam,
Quum pater exstinctus cæca sub nocte lateret,
Illi pro pietate sua (nam sæpe nitentum [72]
Sanguine taurorum supplex resperserat aras ;
Sæpe deûm largo decorârat munere sedes,)
Reddidit optatam mutato corpore vitam,
Fecitque in terris Haliæetus [73] ales ut esset :
Quippe aquilis semper gaudet deus ille coruscus [74].
Huic vero miseræ, quoniam damnata deorum
Judicio patriæque et conjugis [75] ante fuisset,
Infesti apposuit [76] odium crudele parentis.
Namque, ut in æthereo signorum munere præstans [77],
Unum [78] quem duplici stellarum sidere vidi,
Scorpius alternis clarum fugat Oriona [79] :
Sic inter sese tristes Haliætus iras
Et Ciris memori servant ad sæcula fato.
Quacumque [80] illa levem fugiens secat aera pennis,
Ecce inimicus, atrox, magno stridore per auras
Insequitur Nisus ; qua se fert Nisus ad auras,
Illa levem fugiens raptim secat aera pennis.

68 Ut solent aves madefactas alas et plumas concutere. — 69 Servata. — 70 Vitam incultam, asperam et horridam. — 71 Proscribitur ab criticis hic versus, sententiam ineptam præbens aut corruptus. — 72 Vide *Æn.* III, 20, n. 11. — 73 Vide 201, not. 14. — 74 Qui coruscа fulmina jactat. Conf. *Georg.* I, 328. — 75 Minois a se amati. Sic *conjux* non raro dicitur a poetis, utroque genere. — 76 *Apposuit*, prorsus ut *addita* in *Æn.* VI, 90, not. 45. — 77 Scorpius, sidus magnum, splendidissimum, si quidem *munus signorum* accipiendum est de fulgore quo sidera noctem illustrant. Possis etiam de vi siderum cogitare, qua multas res humanas regere de cœlo creden-

bantur. Heynius *munere* accepit pro : spectaculo. — 78 Strue : *quem unum stellarum*, inter stellas. Scorpius spatium siderum binorum occupat, de qua re vide *Georg.* I, 33, not. 35 et 37. — 79 Nimirum Scorpius et Orion sidera ortu et occasu suo se fugere invicem videntur. Quum enim occidit Orion, altera ex parte Scorpius exoritur, et vice versa : ut alter alterum videatur *fugare*. Eadem metaphora in *Georg.* IV, 237, n. 32. — 80 Versus quatuor *Georgicorum*, I, 406-9, n. 71, 72.

CATALECTA.

I.

AD TUCCAM.

DELIA, Tucca[1], tibi veniet; sed sæpe videre
Non licet : occulitur limine clausa viri. —
Delia[2] sæpe tibi, non venit adhuc mihi : namque
Si occulitur, longe est, tangere quod nequeas.
Venerit illa tibi[3] ! Sed jam mihi nuntius iste
Quid prodest ? Illi dicito, cui[4] rediit.

II.

IN[5] C. ANNIUM CIMBRUM RHETOREM.

Corinthiorum[6] amator iste verborum,
[Iste[7] iste rhetor ! Namque quatenus totus]
Thucydides Britannus[8], Attice febris,
Tau Gallicum, min, al, sil[9] ut male elisit,
Ita omnia ista verba miscuit fratri.

III.

IN NOCTUINUM.

Superbe[10] Noctuine, putidum caput,

1 Haud dubie Plotius ille Tucca, Virgilio carissimus, cui edendam commisit Æneida Augustus. — 2 Tucca respondet nuntio, fortasse ipsi Virgilio, minime credulus. Quæsita, ut videtur, ambignitate dictum *sæpe tibi venit*, hoc sensu : secundum te, ut tu dicis, sæpe venit; tu sæpe nuntiavisti eam venire. — 3 Tu quidem dicis : Illa statim veniet. Nam *venerit* est futurum. — 4 *Cui* (sive *quoi*) Heynius posuit pro *quæ*. Illi, cui sæpe venit et rediit. Ut hoc dicat : Ipsi tibi hoc nuntia, non mihi. Heynius vero sic : « Vade ergo, et nuntia marito, eam rediisse. » — 5 Virgilii esse hoc epigramma, choliambicis versibus vel scazontibus Hipponacteo more scriptum, sic testatur Quinctilianus VIII, 3, § 27 : « Quædam vetera vetustate ipsâ gratius nitent, « quædam etiam necessario interim sumuntur;... multa alia etiam audentius in- « seri possunt, sed ita demum, si non appareat affectatio; in quam mirifice Vir- « gilius : *Cor. ..... fratri*. Cimber hic fuit, a quo fratrem necatum hoc Ciceronis « dicto notatum est, *Germanum Cimber occidit*. » Quem poeta finxit vetusta et horrida vocabula pro veneno miscuisse fratri. Singula hodie, imo jam Ausonii ætate (vide *Grammaticomastigem* in *Technopægnio*, Idyll. XII) obscurissima, multi homines docti explicatum iverunt, inprimis Huschkius in commentatione *de Annio Cimbro* (1821) et Wagnerus Virgilii vol. IV, p. 377 seqq. — 6 *Corinthia verba* esse putantur per affectationem petita a Græcis poetis et scriptoribus in Italia inferiore et Sicilia degentibus, quo plurimæ olim Corinthо coloniæ deductæ fuerant. — 7 Delendus hic versus, quem ignorat Quinctilianus. — 8 *Britannus*, barbarus, non Atticus. Fortasse historiam quamdam Britanniæ scripserat. Fuerit in numero eorum quos Cicero *Thucydideos* vocat : *qui quum mutila et hiantia locuti sunt, germanos se putant Thucydidas* (*Orat.* c. 9). Ita autem imitabatur Atticos, ut non exsisteret Atticus quidam decor aut vigor, sed *Attice* (ἀττικῶ) *febris*. Sic Lucilius de Trebellio dixit : *febris, senium, vomitus, pus*. — 9 Decurtatas voces (etiam ab Ausonio memoratas) explicant, *tau*, tavum, sive tabum Gallica ratione prolatum; *min*, minium; *al*, allium; *sil*, sili vel seselis, planta; in quibus haud definiam equidem quid sit certi. Hæc igitur Cimber *elisit*, tundendo comminuit, fregit, nasi in mortario conterens ad pharmacum parandum. — 10 Hoc epigramma

Datur tibi puella, quam petis, datur;
Datur, superbe Noctuine, quam petis.
Sed, o superbe Noctuine, non vides
Duas habere filias Atilium,
Duas, et hanc, et alteram[11], tibi dari.
Adeste nunc, adeste : ducit, ut decet,
Superbus, ecce, Noctuinus herneam[12].
Thalassio[13]! Thalassio! Thalassio!

IV.

IN EUMDEM.

Socer, beate nec tibi[14], nec alteri,
Generque Noctuine, putidum caput,
Tuone nunc puella talis[15], heu tuo
Stupore pressa[16] rus abibit? Hei mihi!
Ut ille versus[17] usquequaque pertinet :
Gener socerque, perdidistis[18] *omnia.*

V.

IN LUCIUM.

Jacere[19] me, quod alta non possum, putas,
Ut ante, vectari[20] freta,
Nec ferre durum frigus, aut æstum pati,
Neque arma victoris sequi.
Valent, valent mihi ira et antiquus furor.
Et lingua, qua adsiem[21] tibi,
Et prostitutæ turpe contubernium
Sororis. O quid me incitas?
Quid, impudice et improbande Cæsari?
Sed furta dicantur tua,
Et heluato[22] sera patrimonio
In fratre parsimonia :
Vel acta puero cum viris convivia,
Udæque per somnum nates;
Et inscio repente clamatum super
Thalassio[23], Thalassio.

iambicum Virgilio tribuitur a Mario Victorino. — 11 De qua in sequente nota. — 12 *Hernea* vel *hirnea* est fictile vas potorium; quam Atilius vinolentus amabat ut filiam. Genero igitur, cui ferendus erat talis socer, hæc quoque filia data fuerat. — 13 Hac acclamabatur voce sponsæ ingredienti domum sponsi; videndus Livius 1, 9 post med. — 14 Atilius dicitur nec *sibi* beatus, felix socer, ob generum putidum; neque *alteri*, genero, cujus bona erat assiduo potu consumpturus, imo jam consumpserat, ut videtur; nam probabile est generum ære alieno obrutum ex urbe rus concessisse. — 15 Puella eximia et hujuscemodi matrimonio indigna. — 16 *Pressa*, haud dubie obsceno sensu : compressa; et *tuo stupore* abstractum pro concreto : a te tam stupido. — 17 *Versus* Catulli, ex epigrammate in Julium Cæsarem, XXIX, 24. — 18 *Perdidistis*, gener patrimonium, socer egregiam filiam. — 19 Scriptum Archilochi metro (iambicis senariis et quaternariis alternantibus) et felle in Lucium quemdam cinædum, qui poetam opprobrio lacessiverat. *Jacere*, animo dejectum esse. — 20 *Vector freta* dictum ut « navigo mare »; *currimus æquor*, Æn. III, 191, etc. — 21 Antique pro *adsim*. Sequitur causa antiquæ iræ : memoria sororis suæ a Lucio prostitutæ. — 22 Heluatione absumpto. Turpissimus nepos tandem non habuit quo fratri egenti honeste succurreret. — 23 Vide n. 13. Muliebria passo acclamant ut novæ nuptæ.

Quid palluisti, femina? An joci dolent?
An facta cognoscis tua?
Non me vocabis pulchra per Cotyttia[24]
Ad feriatos[25] fascinos;
Nec dein movere lumbos in crocotula[26]
Prensis videbo altaribus;
Flavumque[27] propter Thybrim olentes nauticum
Vocare, ubi appulsæ rates
Stant in vadis, cœno retentæ sordido,
Macraque[28] luctantes aquâ;
Neque in[29] culinam, et uncta compitalia,
Dapesque duces sordidas;
Quibus repletus, ut salivosis sacris[30],
Obesam ad uxorem redis,
Et æstuantes nocte solvis pantices[31],
Olusque lambis saviis[32].
Nunc læde, nunc lacesse, si quidquam vales!
Et nomen adscribo tuum.
Cinæde Luci, en te reliquerunt opes,
Fameque genuini[33] crepant!
Videbo habentem præter ignavos nihil
Fratres et iratum Jovem,
Scissumque ventrem[34], et herniosi patrui
Pedes inediâ turgidos.

VI.

AD VENEREM[35].

Si mihi susceptum fuerit[36] decurrere munus,
O Paphon, o sedes quæ colis Idalias[37],
Troïus Æneas Romana per oppida digno
Jam tandem ut tecum carmine[38] vectus eat:
Non ego thure modo, aut picta tua templa tabellâ
Ornabo, et puris serta feram manibus:
Corniger hos aries, humilis[39], et maxima taurus
Victima sacrato tinguet honore[40] focos:

24 *Cotyttia*, festa nocturna, quæ Athenis et Corinthi in honorem Κοτυττοῦς, Thraciæ Veneris, agitabantur, omni lasciviæ genere fœdissima. *Pulchra*, secundum Lucium. Respiciuntur quæ Lucius in poetam jactaverat, non tam turpia quam quæ commiserat ipse, ut jam poetam minime sit vocaturus ad suarum voluptatum fœditatem. — 25 Festum agentes, festos. — 26 Veste muliebri; vide *Cirin* 252, n. 34. *Prensis altaribus*, ut in agenda re sacra; vide p. 208, not. 7. — 27 Sensus: Nec videbo te in ora Tiberina vocare nautas appellentes, quorum libidini servias. De ludis Tiberinis nauta rum, ubi multa lascivia. — 28 Ob exilem iis locis aquam. — 29 *Nec me duces tecum in culinam*, « locum in quo epulæ in funere comburuntur », ut Festus explicat, vel, ut alius, « in suburbiis loca inopum funeribus destinata. » Quæ loca egentes allicient, æque ac compita, in quibus epulæ apponi solebant Laribus Compitalibus, quas egeni mox auferebant sibi. *Uncta*, immunda, ut aliquoties apud Horatium. His acerbe notatur fames et egestas Lucii. — 30 His dapibus vilissimis repletus tamquam epulis sacrificalibus lautissimis, quæ salivam movent: adeo te fames cruciat. *Sacris*, Wagneri correctio pro *aquis*. — 31 Laborantia vel crepantia intestina, ventrem solvis, cacas *nocte*, sub noctem, quo tempore alii cœnant. — 32 Labiis. Pauperrimorum cibus est olus. — 33 Dentes molares. — 34 De podice cinædi. — 35 Cui Virgilius votum nuncupat pro suscepto opere Æneidis. — 36 *Si fuerit*, si datum fuerit, si licuerit mihi, contigerit ut absolvam Æneidem. — 37 Vide *Æn.* I, 681, n. 28. — 38 *Carmine*, tamquam curru triumphali. — 39 *Humilis* victima. Simul spondet minorem victimam et maximam; v. *Georg.* II, 146. — 40 Sanguine

Marmoreusque tibi, dea, versicoloribus[41] alis
In morem picta stabit Amor pharetrâ.
Adsis, o Cytherea : tuus te Cæsar Olympo,
Et Surrentini[42] litoris ora, vocat.

VII.

RELICTIS ALIIS STUDIIS PHILOSOPHIAM EPICUREAM AMPLECTITUR.

Ite[43] hinc, inanes, ite, rhetorum ampullæ,
Inflata rore non Achaico[44] verba,
Et vos, Sile Albuti[45], Arquitique, Varroque,
Scholasticorum natio madens pingui[46];
Ite hinc, inanis[47] cymbalon juventutis.
Tuque[48], o mearum cura, Sexte, curarum,
Vale, Sabine; jam valete, formosi.
Nos ad beatos vela mittimus[49] portus,
Magni petentes docta dicta[50] Syronis,
Vitamque ab omni vindicabimus curâ.
Ite hinc, Camenæ; vos quoque ite, suaves,
Dulces Camenæ; nam fatebimur verum,
Dulces fuistis. Et tamen meas chartas
Revisitote, sed pudenter et raro.

VIII.

DE SABINO[51] PARODIA CATULLIANA.

Sabinus ille, quem videtis, hospites,

in tuum honorem; vide pag. 133, not. 37. — 41 Pro more antiquitatis etiam in marmoreis signis aliquas partes coloribus inficiendi; vide p. 33, n. 32. — 42 Surrentum, *Sorrento*, Campaniæ urbs in litore sinus Puteolani, cui propinquam villam habebat Virgilius, ubi tum commorabatur. — 43 Choliambico metro sive scazontibus scriptum. Epicureæ philosophiæ faventem Virgilium vidimus in *Ecl.* VI et alibi. — 44 Non Græco, non eleganti et venusto. Sic Martialis: *Cujus Cecropio pectora rore madent*, id est, facundia Atticâ. — 45 De *Caio Albutio Silo* rhetore narravit Suetonius in extremo libello *De claris rhetoribus*. Alii maluerunt *Stilo*, *Albuti*, ut memoretur etiam L. Ælius Stilo, clarus ille præceptor Varronis. De Arquitio nihil constat. *Scholastici* autem dicebantur declamatores umbratici et inanes. — 46 *Pingue*, substantivum ut *Georg.* III. 124, not. 98. Natio perfusa, diffluens *adipe*, qua voce in eadem re utitur Quintilianus : *Declamatori sunt tenuandæ* ADIPES, *et quidquid humoris corrupti contraxerit, emittendum, si esse sanus et robustus volet : alioqui tumor ille inanis statim deprehendetur* (II, 10). — 47 Juventutis quæ inani et vana institutione utitur. • Notum est nomen Apioni grammatico a Tiberio Cæsare inditum, quum eum *cymbalum mundi* appellaret (Plin. præf. § 25), quod ad omnium aures loquaciter et inaniter streperet. • *Heyn.* — 48 Etiam amoribus valedicit : tanto ardore fertur in philosophiam Epicuri (similiter ac poeta *Ciris*). Nam Sextus Sabinus haud dubie puer erat ab eo amatus; quod poscit subjunctum *jam valete, formosi*. Hinc dictus *cura curarum mearum*, id est mea maxima cura; superlativum indicandi modo Græcis usitatiore quam Latinis; sic *rex regum*, etc. — 49 Proprie mittitur navis, tenduntur vela. — 50 Philosophicam disciplinam Syronis Epicurei. Ciceronis amici, qui Virgilium juvenem instituit. — 51 *Sabini* nomine petitur *P. Ventidius Bassus*, ex Cicerone notus, • ab infimo loco ad summum dignitatis et fortunæ gradum evectus. Nam Picens, genere humili, puer cum matre captiva Pompeii Strabonis triumphantis currum præiverat; quum adolevisset, quæstum sibi ægre paravit, ac sordide invenit comparandis mulis et vehiculis in magistratuum usum provincias sortitorum. In eo quæstu notus esse cœpit Julio Cæsari, cum eoque profectus est in Gallias. Huic erat (ut hodie loquimur) *bellica rei*

commissarius, et in amicitiam ejus, inde in amplissimum ordinem pervenit, tribunus pleb., prætor, pontifex, consul a. U. 711, Syriæ præfectus, de Parthis triumphator. Sed bellis civilibus quum ad Antonii partes transiisset, multorum sale est perfrictus. Celebre in eum erat tale epigramma : *Concurrite omnes augures, aruspices : Portentum insolitatum confiatum est recens : Num mulos qui fricabat, consul factus est.* • Heyn.

Carmen scriptum iambis qui vocantur *puris*, ut Catulli carmen IV : *Phaselus ille, quem videtis* etc., arguta parodia expressum. Cogitandum est pro titulo adfixum statuæ Ventidii consulis, in sella curuli pro Castoris æde sedentis. — 52 Græca syntaxis, similis illi

Ait fuisse mulio celerrimus[52];
Neque[53] ullius volantis impetum cisi
Nequisse præterire, sive Mantuam
Opus foret volare, sive Brixiam[54].
Et hoc negat Tryphonis æmuli[55] domum
Negare nobilem, insulamve Cæruli :
Ubi iste, post Sabinus, ante Quinctio[56]
Bidente dicit attotonse[57] forcipe
Comata colla, ne qua[58] sordidum, jugo
Premente, dura vulnus ederet juba.
Cremona frigida, et lutosa Gallia,
Tibi hæc fuisse, et esse, cognitissima
Ait Sabinus; ultimâ ex origine[59]
Tua stetisse[60] dicit in voragine,
Tuâ in palude deposisse[61] sarcinas,
Et inde tot per orbitosa millia[62]
Jugum tulisse, læva, sive dextera
Strigare[63] mula, sive utrumque cœperat
[Et hæc et illa conquiescere in latus.]
Neque ulla vota semitalibus[64] deis
Sibi esse facta, præter hoc novissimum[65],
Paterna lora, buxeumque[66] pectinem.
Sed hæc prius fuere; nunc eburneâ
Sedetque sede, seque dedicat tibi[67],
Gemelle Castor, et Gemelle Castoris.

IX.

AD VARIUM.

Scilicet hoc sine fraude[68], Vari dulcissime, dicam :

p. 166, n. 73. — 53 Et ait se *non nequivisse*, sed potuisse præterire, superare celeritatem properantis cisii. *Cisium* erat levioris vehiculi genus duabus rotis innixi. — 54 Nunc *Brescia*. — 55 Trypho et Cærulus, nomina mulionum, alter possessor vel custos *insulæ*, domuum sive cœcorum junctorum (συνοικίας) qui locabantur. — 56 Quinctio, ut videtur mulioni, fuerat submulio vel agaso. — 57 *Attotonse* pro attotondisse vel attondisse, ut *traxe, duxe*, al. — 58 Strue : *ne qua* (aliqua) *juba dura*, pars aliqua jubæ nimis dura, per jugi pressionem atterens cutim. — 59 A patre et avo (hinc v. 23, *paterna lora*). Sed hoc non convenit, nam Ventidius fuit Picens. Potesta poeta credidit fuisse Gallum cisalpinum. — 60 Catullus dixerat de arbore : *ultima ex origine Tuo stetisse dicit in cacumine. Voragine*, loco palustri, *terram ut soleam tenaci in voragine mula*. — 61 Pro *deposivisse*, deposuisse. — 62 Milliaria, vias. Deficientibus eum mulis, jugum ipse tulit. — 63 Sive læva, sive dextera mula cœperat *strigare*, interquiescere, ut illa apud Phædrum (III, 6) mula dicit : *Namque ubi strigandum, et ubi currendum sit, scio*. Deinde ex Catullo apparet excidisse versum, quem egregie supplevit Nansius. — 64 Sive *vialibus*, ἐνοδίοις. — 65 Nam consul factus, mulioniæ valedicens, artis quam omittebat instrumenta de more dedicavit diis. — 66 *Buxeum* Heinsius pro *proximum*, quod explicant : juxta lora suspensum, eodem pariete. — 67 Statuam suam dedicat Dioscuris, quorum effigies cernitur etiam in numismatis consularibus. — 68

Dispeream, nisi me perdidit iste putus[69].
Sin autem præcepta[70] vetant me dicere : sane,
Non dicam. Sed me perdidit iste puer.

X.

AD VILLAM SYRONIS[71].

Villula, quæ Syronis eras, et pauper agelle,
Verum illi domino tu quoque divitiæ :
Me tibi, et hos una mecum, quos semper amavi,
Si quid de patria tristius audiero,
Commendo, in primisque patrem. Tu nunc eris illi,
Mantua quod fuerat, quodque Cremona prius.

XI.

AD M. VALERIUM MESSALAM.

Pauca mihi, niveo sed non incognita[72] Phœbo,
Pauca mihi doctæ, dicite, Pegasides[73].
Victor adest, magni magnum decus ecce triumphi[74],
Victor, qua terræ, quaque patent maria ;
Horrida barbaricæ portans insignia pugnæ[75],
Magnus ut OEnides[76], utque superbus Eryx ;
Nec minus ideirco[77] nostros expromere cantus
Maximus et sanctos[78] dignus inire choros.
Hòc itaque insuetis jactor magis, optime, curis,
Quid de te possim scribere, quidve tibi.
Namque, fatebor enim, quæ maxima deterrendi[79]
Debuit, hortandi maxima causa fuit.
Pauca tua[80] in nostras venerunt carmina chartas,
Carmina cum lingua, tum sale Cecropio[81] ;
Carmina, quæ Phrygium[82], sæclis accepta futuris,
Carmina, quæ Pylium vincere digna senem.
Molliter hìc[83] viridi patulæ sub tegmine quercus

Sincere, vere. — 69 *Putus* vel *pusus* dicebatur de pueris delicatis. παιδίσκος. Sed producitur syllaba *pu*, quam pentameter postulat brevem : hinc sequentia. — 70 *Præcepta* metricæ. — 71 Philosophi Epicurei, de quo *Cat.* VII, n. 50. Scripsit Virgilius quum ex agro Mantuano, militibus assignato, Romam esset discessurus. — 72 Sed quæ agnoscat et probet Phœbus *niveus*, candidus ; quod epitheton ad sempiternam juventutem dei spectat, ut *niveæ Pallantis* habes *Æn.* XI, 39, n. 18. — 73 Musæ, ab Hippocrene, quæ Persio *fons caballinus*, cujus scaturiginem Pegasi ungula aperuisse credebatur. — 74 *Triumphi* quem Augustus agebat ex bello contra Antonium, in quo egregia opera fuerat Messalæ, inter laureatos duces in pompa triumphi incedentis. — 75 De qua videas *Æn.* VIII, 685 seqq., not. 88 seqq. — 76 Meleager, OEnei filius, sive potius Diomedes, ejusdem OEnei nepos. De *Eryce* vide supra pag. 224, n. 12. Adde *Æn.* V, 392-3. — 77 Quamquam bellica laude insignis, non ideo tamen minus ea maximus in expromendis carminibus, summus poeta. Pro *nostros* Wagnerus malit *doctos*. — 78 Choros *sanctos*, poetarum. *Suo jure noster ille Ennius sanctos appellat poetas*, inquit Cicero *pro Archia* c. 8. — 79 *Deterrendi* me causa *debuit* esse, ea etc. — 80 Pauca ex tuis carminibus in manus meas venerunt et a me descripta sunt. — 81 Attico (conf. not. 44). Quod supplendum etiam ad *linguâ*. Græco sermone scripta fuisse Messalæ carmina significat. — 82 *Phrygium* senem, Tithonum. Sic Heinsius pro *Pylium*. Item longævitate notissimus Pylius Nestor. — 83 *Hic*, in amœno aliquo loco, quem Messala in bucolico carmine describebat, unde poetam sequentia referre apparet. *Molliter, suaviter, bene esse* dicuntur qui jucunde et cum voluptate agunt.

Mœris pastores et Melibœus erant;
Dulcia jactantes alterno carmina versu,
Qualia Trinacriæ[84] doctus amat juvenis.
Certatim ornabant omnes Heroida[85] divæ,
Certatim divæ munere quæque suo.
Felicem ante alias tanto scriptore puellam!
Altera non fama dixerit esse prior[86];
Non illa, Hesperidum ni munere[87] capta fuisset,
Quæ volucrem cursu vicerat Hippomenem;
Candida cycneo non edita Tyndaris ovo[88];
Non supero fulgens Cassiopea polo;
Non defensa diu[89] volucrum certamine equorum,
Optabant Graiæ quam sibi quæque manus;
Sæpe animam generi[90] pro qua pater impius hausit,
Sæpe rubro Eleïs sanguine fluxit humus;
Regia[91] non Semele, non Inachis Acrisione,
Immitti expertæ fulmine et imbre Jovem:
Cujus et[92] ob raptum pulsi liquere Penates
Tarquinii patrios, filius atque pater;
Illo quo primum dominatus Roma superbos
Mutavit placidis tempore Consulibus.
Multa, neq; immeritis, donavit prædia alumnis[93].
Prædia Messalis maxima Poplicolis[94];
Nam[95] quid ego immensi memorē studia ista laboris?
Horrida quid duræ tempora militiæ?
Castra foro solitos, urbi præponere castra,
Tam procul amotos[96], tam procul a patria?
Immoderata pati jam frigora, jamque calores?
Sternere[97] vel dura posse super silice?
Sæpe trucem adverso perlabi sidere[98] Pontum?
Sæpe mare audendo vincere, sæpe hiemem?
Sæpe etiam densos immittere corpus in hostes,
Communem[99] belli nec timuisse deum?
Nunc celeres Afros, perituraque[1] millia gentis,
Aurea nunc rapidi flumina adire Tagi[2]?
Nunc aliam ex alia bellando quærere gentem?
Vincere Oceani finibus ulterius[3]?
Non nostrum[4] est, inquam, tantas attingere laudes;

84 Siciliæ juvenis *doctus*, poeta, Theocritus. — 85 *Herois* intelligenda est amasia Messalæ, Sulpicia, Servii filia. — 86 Se esse priorem, se superare Heroidem; ut *Cat.* VIII, 2, n. 52. — 87 Aureis malis; vide *Ecl.* VI, n. 58. Syntaxin *vicerat*, pro : vicisset, sæpe attigimus. — 88 Helena. *Cassiopea* sive Cassiope, uxor Cephei regis Æthiopiæ et Andromedæ mater post mortem inter sidera relata. — 89 Tandem victa a Pelope in curuli certamine; Hippodamia, de qua p. 92, n. 8. *Graiæ manus*, Græci juvenes magno numero. — 90 *Generi* futuri, proci, non raro apud poetas; conf. *Æn.* XII, 31. *Pro qua*, ne eam amitteret, devictos procos occidebat. *Eleïs*, femininum græco more fictum, pro : Eliaca. — 91 Regis Cadmi filia. *Acrisione*, Acrisii filia Danaë, ex prosapia antiqui Inachi, qui proavus erat Acrisii. — 92 *Et* positum pro *nec*, propter præcedentes negativas. Dicit Lucretiam. Cujus mentione poeta sapienter transitum sibi paravit ad laudes Messalarum. — 93 *Alumnis*, tamquam mater. — 94 Nimirum Publius Poplicola erat gentis Valeriæ, quæ postea protulit Messalas. — 95 *Nam* refertur ad *neque immeritis*. Studia *ista*, istorum; Valeriorum labores pro patria. — 96 *Amotos* Langius pro *hoc nato*, et *a patria* pro *hac p.* Versus nondum sanatus. — 97 Stratum parare, decumbere. — 98 Vide p. 382, n. 4. — 99 Vide ad *Cirin* 359, n. 84. In aliis est *nec meminisse*. — 1 Conf. *Georg.* II, 498, n. 80. — 2 Qui ab æqualibus poetis *aurifer* vocatur. — 3 In ipsa Britannia. Vide *Ecl.* I, n. 70. — Conf. p. 16, n. 9.

Quin ausim hoc etiam dicere, vix hominum est :
Ipsa, hæc ipsa ferent rerum [5] monumenta per orbem.
Ipsa sibi egregium facta decus parient ;
Nos ea quæ [6] tecum finxerunt carmina divi,
Cynthius [7], et Musæ, Bacchus, et Aglaïe.
Si laudes [8] adspirem, humili licet arte Camenæ,
Si patrio Graios [9] carmine adire sales
Possumus : optatis plus jam procedimus ipsis.
Hoc satis est, pingui [10] nil mihi cum populo.

XII.

Adspice [11], quem valido subnixum gloria regno
Altius et [12] cœli sedibus extulerat !
Terrarum hic bello magnum concusserat orbem ;
Hic reges Asiæ fregerat et populos ;
Hic grave servitium tibi, jam tibi, Roma, ferebat :
(Cetera namque viri cuspide conciderant [13] ;)
Quum subito in medio rerum certamine præceps
Corruit, e patria pulsus in exsilium.
Tale deæ [14] numen ; tali mortalia nutu
Fallax momento temporis hora premit [15].

XIII.

AD ANTONIUM MUSAM [16].

Quocumque ire ferunt [17] variæ nos tempora vitæ,
Tangere quas terras, quosque videre homines,
Dispeream, si te fuerit mihi carior alter.
Alter enim quis te dulcior esse potest ?
Cui Venus ante alios, divi, divûmque sorores [18],
Cuncta, neque indigno, Musa, dedere bona,
Cuncta, quibus gaudet Phœbi chorus [19], ipseque Phœ-
Doctior o quis te, Musa, fuisse potest ? [bus.
O quis te in terris loquitur jucundior uno ?
Clio tam certe candida [20] non loquitur.
Quare illud satis est, si te permittis amari ;
Non [21], contra ut sit amor mutuus inde mihi.

5 *Rerum* a te gestarum. — Ita Rhenum et Britannos Cæsaris *monumenta* vocat Catullus XI, 10. — *Wagn.* — 6 Nos non facta tua feremus per orbem vel attingemus, sed poeticam facultatem et carmina tua. — 7 Apollo, vide p. 26, n. 3. *Aglaïe*, una de Gratiis. — 8 Ad *laudes* tuas in poesi. Sequentia posui Oudendorpius pro *humili sed adire Camena*. — 9 Vide supra n. 81. *Adire* dici solet de re ardua et difficili. — 10 Crasso, sensûs obtusi et ἀμούσῳ. Sic Phædrus : *Illiteratum plausum non desidero*. — 11 In quem scriptum sit hoc epigramma, adhuc sub judice lis est. Ipsius poetæ vel culpa vel consilio : tam ille latis et generalibus verbis est usus. Interpretes cogitarunt de Alexandro M., de Pompeio M., de Mithridate, de Jugurtha, denique de Marco Antonio. — 12 Etiam, vel. — 13 Ex consueta Græcis poetis locutione ὅσοι πεσεῖν. — 14 Fortunæ. *Tali*, tam potenti. — 15 Deprimit, ut ante *extulerat*. Sic Ruhnkenius pro *dedit*, quod nemo explicuit probabiliter. — 16 Celebrem medicum Augusti, ut videtur. Nemo certe, quod placuit alicui, Musam rhetorem huc admittet, post ea quæ Seneca de eo dixit in præfatione libri X *Controversiarum*. — 17 Compellunt. — 18 Dii deæque. — 19 Musæ, ut *Ecl.* VI, 66. — 20 Tam pura et nitida. — 21 Quod non ita cupio, ut mutuum a te amorem postulem.

XIV.

IN OCTAVII[22] MORTEM.

Quis deus, Octavi, te nobis abstulit? an, quæ
Dicunt a nimio pocula dura[23] mero?
Nobiscum[24] culpa est leti; sua quemque sequuntur
Fata: quod immeriti crimen habent cyathi?
Scripta quidem tua nos multum mirabimur, et te
Raptum, et Romanam flebimus historiam.
Sed tu nullus[25] eris. Perversi, dicite, Manes,
Hunc superesse patri quæ fuit[26] invidia?

XV.

Fragmenta ex Epistola, quam Virgilius ad Augustum Cæsarem super Æneide sua scripsit.

Ego vero frequentes a te literas accipio. *Et infra:* De Ænea quidem meo, si, me Hercules, jam dignum auribus haberem tuis, libenter mitterem. Sed tantum inchoata res est; ut pæne vitio mentis tantum opus ingressus mihi videar: quum præsertim, ut scis, alia quoque studia ad id opus, multoque potiora, impertiar.

XVI.

ALIUD INITIUM ÆNEIDOS.

Ille[27] ego qui quondam gracili modulatus avenâ[28]
Carmen, et egressus silvis, vicina coegi
Ut quamvis avido[29] parerent arva colono,
Gratum opus agricolis; at nunc horrentia[30] Martis
Arma virumque cano, Trojæ qui etc.

22 Quem, poetam et historicum, Horatius inter eos numerat, quibus sua scripta probari cupiebat (*Satir.* I, 10, 82). Atque idem esse videtur Octavius, cui *Culicem* inscriptum vidimus et dedicatum. — 23 Pocula, non per se dura et crudelia, sed ab usu immodico. — 24 In nobis, ipsis; non in rebus externis. — 25 Mortuus. *Manes*, numina infera. — 26 Quare vos invidistis, per invidiam noluistis Octavium vivere patri superstitem? — 27 Hos versus alibi exposuimus a Virgilio inscriptos videri codici alicui Æneidos ad amicum aliquem vel patronum misso, ut nos solemus in prima pagina missorum librorum exarare quos vocamus *envois*. — 28 Vide *Eclog.* 1, 2, ibidemque not. 3 de *silvis*, pascuis. — 29 Vide *Georg.* I, 47, not. 49. — 30 Vide p. 356, not. 20.

Paginâ quæ incidit vacuâ profitendum esse putamus in Æneide nos minime sprevisse, sed diligenter excussisse crisin docti et sagacis viri Hofman Peerlkamp, indicta quidem causa condemnatam plurimis, quod versus multos a Virgilio abjudicaverit audacissime. Nimirum illa crisis, prudentissimo cuique utilissima, *fungitur vice cotis* et mirifice acuit interpretem. Ipsorum adeo veterum fuisse qui simili mente Æneidem legerent et judicarent, quum alia ostendunt in notulis hic illic sparsa, tum Auli Gellii locus memorabilis, *Noctium Atticarum* libri XVII, capite X. « Favorinum philosophum (inquit), quum in hospitis sui Antiatem « villam æstu concessisset, nosque ad eum videndum Roma ve- « nissemus, memini super Pindaro poeta et Virgilio in hunc ferme « modum disserere : Amici, inquit, familiaresque P. Virgilii in « his quæ de ingenio moribusque ejus memoriæ tradiderunt, di- « cere eum solitum ferunt, *parere se versus more atque ritu ur-* « *sino : namque, ut illa bestia fœtum ederet ineffigiatum infor-* « *memque, lambendoque id postea, quod ita edidisset, confor-* « *maret et fingeret ; proinde ingenii quoque sui partus recentes* « *rudi esse facie et imperfecta, sed deinceps tractando colen-* « *doque reddere iis se oris et vultus lineamenta.* Hoc virum ju- « dicii subtilissimi ingenue atque vere dixisse, res, inquit, indi- « cium facit : nam quæ reliquit perfecta expolitaque, quibusque « imposuit census atque dilectus sui supremam manum, omni « poeticæ venustatis laude florent; sed quæ procrastinata sunt « ab eo, ut post recenserentur, et absolvi, quoniam mors præver- « terat, nequiverunt, nequaquam poetarum elegantissimi nomine « atque judicio digna sunt. Itaque quum morbo oppressus adven- « tare mortem videret, petivit oravitque ab suis amicissimis im- « pense, ut Æneida, quam nondum satis elimavisset, abolerent. « In his autem, inquit, quæ videntur retractari et corrigi de- « buisse, is maxime locus est qui de monte Ætna factus est » etc. : nimirum *Æn.* III, 570 seqq.; ubi Favorinus ostendit Pindari versus naturæ rei quæ describitur accommodatiores esse, virgilianos autem habere aliquid monstrosi. Atqui hoc ipsum quæsiverat

poeta latinus, Trojanos exhibens vehementer conterritos his (ut ipse dicit v. 583) *immanibus monstris*, dum majestatem potius quam terrorem ejus spectaculi canebat græcus poeta, πυρὸς ἀγνοτάτας ἐκ μυχῶν παγάς..., τέρας μὲν θαυμάσιον προσιδέσθαι, θαῦμα δὲ καὶ παριόντων ἀκοῦσαι.

Dum in manibus est Gellius, negligere nolumus ejusdem locum alium, ubi fama sane credibilis refertur de versu *Georgicorum* II, 225. Sic enim habes in *Noct. Att.* VII c. 20 : « Scriptum « in quodam commentario [Philargyrii quidem] reperi, versus « istos a Virgilio ita primum esse recitatos atque editos :

« Talem dives arat Capua et vicina Vesevo
« *Nola* jugo ;

« postea Virgilium petiisse a Nolanis, aquam uti ducerent in pro- « pinquum rus : Nolanos beneficium petitum non fecisse ; poetam « offensum nomen urbis eorum, quasi ex hominum memoria, sic « ex carmine suo derasisse, *ora*que pro *Nola* mutasse, atque ita « reliquisse :

« et vicina Vesevo
« *Ora* jugo.

« Ea res verane an falsa sit, non laboro ; quin tamen melius sua- « viusque ad aures sit *Ora* quam *Nola*, dubium id non est. »

Deacidified using the Bookkeeper process.
Neutralizing agent: Magnesium Oxide
Treatment Date: August 2006

PreservationTechnologies
A WORLD LEADER IN PAPER PRESERVATION
111 Thomson Park Drive
Cranberry Township, PA 16066
(724) 779-2111

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 060 615 2